1582



EPITOME
SERMONVM REVERENDI D. IOAN. FERI DOMINICALIVM VTRIVSQVE CVM HIEMALIS TVM AESTIVALIS PARTIS CONSCRIPTA, ET DIVERSIS TEMPORIBVS ANNO M. D. LVI.

IN CATHEDRALI VVORMATIENSI Ecclesia maxima ex parte pro concione habita: per Ioannem à Via Doctorem Theol. eiusdem Concionatorem Catholicum: Nunc primùm in lucem ædita.

Huic adiectæ sunt eruditissimæ eiusdem D. Ioannis Feri in Threnos Hieremiæ Prophetæ Conciones, nostris temporibus, quibus miserrimè religio Christiana afficitur, accommodatissimæ: Nunquam item antehac æditæ.

Omnia iudicio Ecclesiæ submissa sunto.

S. Mariæ  de Scala



LVGDVNI,
Apud hæredes Iacobi Iuntæ.
M. D. LXII.

Cum priuilegio ad decennium.

EPITOME SERMONVM REVERENDI D. IOAN. FERI DOMINICALIVM VTRIVSQVE CVM HIEMALIS TVM AESTIVALIS PARTIS CONSCRIPTA, ET DIVERSIS TEMPORIBVS ANNO M. D. LVI.

IN CATHEDRALI VVORMATIENSI Ecclesia maxima ex parte pro concione habita: per Ioannem à Via Doctorem Theol. eiusdem Concionatorem Catholicum: Nunc primum in lucem aedita.


Huic editioni accesserunt eruditissimae eiusdem D. Ioannis Feri in Threnos Hieremiae Prophetae Conciones, nostro tempori [illegible], quibus in [illegible] Christianismus afficitur, accommodatissimae. Nunquam [illegible] antehac aeditae.

Omnia iudicio Ecclesiae submissa sunto.

LVGDVNI,
Apud haeredes Iacobi Iuntae.
M. D. LXII.
Cum priuilegio ad decennium.

REVERENDIS AC NOBILIBVS VIRIS D. GEORGIO AC GVLIELMO FRATRIBVS GERMAnis, à Schonenburg, Ecclesiarum Vuormat. Cath. præposito ac Decano, atque Mogunt. Metrop. Can. respectiuè, &c. dominis suis reuerenter colendis.





Vm duo potissimùm sint fines, in quos concionatoris maximè respicit intentio: alter vt colligat dispersos, alter vt collectos custodiat vsq; in aduentum filij Dei, ego quoque ad Ecclesiastæ munus vestra authoritate legitimè vocatus, omnes meas cogitationes in eam maximè partem primo præsertim officij mei anno referebam, vt quacunque ratione possem eos, quos in Catholica religione in hac vrbe inuenissem, in eadem ipsa fidéque custodirem. Neque enim de iis sanè qui semetipsos iam tum segregauerant propriámque damnationem portarent, magnam (dolor) resipiscentiæ spem habere potui. Quis enim ad resipiscentiam illic inclinaret animum, vbi, ne quid duriùs dicam, malum est esse Catholicis. Cupio quidem post pœnitentiæ labores totos esse omnes in visceribus Iesu Christi, sed quæ eius spes esse posset, in tanta támq; voluntaria cæcitate iustæ illius, áque Deo haud dubiè aliquando infligendæ cæcitatis & nuncia & causa? Quare vt præmissis, quod solùm potui, admonitionibus aliquot, eos qui semetipsos segregauerant Pauli voce admonitus deuitare, inq; reprobum sensum datos in perditis ac desperatis quodammodo habere cogebar: ita magis excitabar in vnitate custodire, quos sanguis Christi ita collegit, vt Satan eos abinuicem segregare hactenus non potuerit. Cùm autem huc veniens intelligerem parœciarum vestrarũ in hac vrbe concionatores plerunq; ad

populum vti ſermonibus quondam Domini Ioãnis Feri, nolui quicquam ab eo diuerſum facere, ne quid meæ cõciones diſcreparent: ſed vt ſeruaretur vnitas vt in myſteriis, ita & in ſermonibus: maximè primo officij mei anno. Collegi itaque iſto anno ex ſingulis concionibus Feri certas materias, tentauíque primùm ſi in materiarum, quamuis multa diuerſitate, poſsit ex decem ſæpè ſermonibus vnum aliquod corpus conflari. Cecidit hæc res initio non admodum infœliciter, vt me ſuſcepti pœnitere potuerit. Et videbam me aliis quoq; hoc ſtudio nonnihil commodaturum: Poſtea acceſsit eo Typographorum, qui id conſiderantes ſuam pollicebantur operam, petitio, vt qui tantum operæ in eo impendiſſem, pergerem, & velut Epitomen ſermonum Feri cõſcriberem. Verùm cùm horum voluntati acquieſcere, poſitúmq; ſtudeo perficere, tandem incipio intelligere, quàm non liceat ingeniosum eſſe alieno in opere. Vt enim varias ſæpe materias Ferus, accommodas tamen tractat, ita non vnum genus dicendi iis tractandis ſequitur. Et nunc ſummam Euangelij paucis complectitur, nunc eam explanat, nunc etiam Euangelio Epiſtolam iungit, aliquando theſin ex Vet. Teſtamenti loco aliquo ſumptam proponit, cui Euangelium applicat, ſæpe etiam ſermones integros in Eccleſię ritibus explicandis conſumit. In quo certè ſanctum pijviri ſtudium meritò veneramur. Nihil ille quidem prętermittere, omnia tentare, vt quoquo modo poſſet docendo, hortando, verum falſúmq; diſcernendo, populum Chriſtianum Chriſtianè erudiret, confirmarétq;. Hic quidem velut in ampliſsimo pulcherrimóque campo flores cerpere lætiſsimos, admodum iucundum fuit: verùm hos ipſos flores tam multiformiter variegatos pro cuiuſq; dignitate ac maieſtate in vnã veluti coronam ſuóq; loco ſingulos connectere, quàm fuerit difficile, rerum ſacrarum periti intelligunt: Quantũ verò præſtiterim, apud alios eſto iudicium. Mihi quidem ipſi ſatis nõ potui facere: & fieri poteſt, vt alij alicubi ſummam deſiderent diligentiam. Id quod non negligentiæ meæ, ſed numeroſitatis fuit materiæ. Fit enim plerunque, vt in optione rerum pretioſarum non vnus ſit omnium delectus, pretium rei aliis atq; aliis ex aliis atque aliis circunſtantiis metientibus. Ego id maximè operam dedi, vt quid vetus Eccleſia ordine Euãgeliorum certo

Quid additis ritibus spectauerit, homines intelligerent: & si quæ occasio data fuit de præsenti rerum controuersia, quæ Catholica est, sententiam breuibus absolui: vt Parochi, quibus ad populum sermo habendus est, vel sano intellectu eos tractarent controuersias, vel iis prætermissis, satis multa haberent, quæ dicerent. Hoc igitur opus, siue illud Epitomen sermonum Feri, siue mearum concionum in hac vestra Cathedrali primitias vocare licet placétve, cùm sub prælo iam ac maxima ex parte absolutum esse intelligerem: sub vestro duorũ nomine in lucem prodire volui. Idq; non eam ob caussam solùm, quod mihi initio vt huc accederẽ hortatores fuistis, méq; hospitio benignè suscepistis, ac cũ aliis Reuerendis dominis meis huius Cathedralis, tempus ad hos aliósq; labores subeundos benignè concessistis (quo nomine me plurimũ vobis debere nunquam negabo) verum etiam ac maximè quod vestra pietas in Ecclesia filij Dei manifestè lucet, dum cõsiliis opibúsq; pari mutuóq; studio eò contenditis, vt decus domus Dei in dies ornetur, magis magísq; sua maiestate fulgeat: omnia honestè fiant. Et iustum est, vt publicum aliquò huius vestræ pietatis testimonium extet, quò & alij ad similia pietatis studia exemplo vestro excitentur. Vt ergo opusculum hoc bipartitum ambò vnà eo affectu suscipiatis, quo à me profectum est, vtq; Christus Iesus verus Ecclesiæ suæ protector, vestros conatus pios gubernet, oro atque rogo. Valete. Vuormatiæ, ex vestris ædibus: Vigilia D. Petri Patroni nostri ac Pauli Apostolorum Christi. Anno 1560.

Ioannes à Via Doctor Theol. Concionator Cath. Vuormat. Catholicus.

IN DOCTISSIMAS SVAVISSIMA'SQVE R. D. IOANnis Feri Euangeliorum Epistolarúmque explicationes seu conciones ab eruditissimo Sacræ Theologiæ Doctore Ioanne à Via in epitomen contractas; Elegia Lamberti Venradij.

Cum pater omnipotens cælum terrásque crearet,
Hanc rerum machinam conderet atque λαγῶ.
Maxima Diuinæ bonitatis symbola sciri
Omnibus optauit: quæ tibi pauca dabo.
Omnia perpetuo motu, ratione, cieri
Iussit, & humanis vsibus esse dedit.
Æterna iussit pulchrum Solem rutilare
Lampade, quò nobis luceat orta dies.
Et dubio iussit splendentem lumine Phœben
Nocturnæ luci curru agitare modum.
Ac breuiter totum varijs ornauerat astris
Cælum, distinctis condiderátque, locis:
Regna gubernarent telluris, quò reuoluta
Curarent gyris fata cuique suis.
Naturísque suas sedeis distinxit, vt inde
Nascantur vicibus qualibet assiduis:
Has elementa vocant, concordi pace ligata
Quatuor, at multùm dissociata locis.
At cur ornatu tanto fabricauerit orbem?
Musa mihi causam consiliúmque refer.
Num genus humanum certò cognosceret inde,

Auto

Autorem rerum, quæ bonitásque Dei?
Certè testantur vatum monimenta piorum,
Testantur facies, ora, decúsque suum.
Indidit ergo homini mentem, atque animalibus ipsum
Dissimilem fecit, constituitque ducem.
Constituitque ducem, dominari in cætera possit,
Affectúsque sequi qui ratione queat.
Inseruitque animis nostris pietatis amorem,
Ceu stimulo vrgeret, quò veneremur eum.
At, dolor, huc statim extinxit malè sana Cupido,
Nec dominum passa est, imperitare sibi.
Ergò Patris summi præceptis dum minus audit,
Iratum sese sensit habere Deum.
Exilio primùm duro castigat Adamum,
Hunc Paradisiacis eijcit atque choris.
Ne tamen vt durus totum liquisse putemus,
Solato rursum consiliúmque dedit.
Demonstrat, methodo quânam repararier ipsa
Gratia commissis perdita Adame queat.
Gnatum promittit fore, qui tua crimina purget,
Insidiatricis conterat atque caput.
Venit, Morte sua mundi quoque crimina soluit,
Atque optata tibi gaudia ritè dedit.
Nos miseri interea terrenis vincimur omnes
Rebus, sollicitè circuit hostis acer.
Circuit, vt perdat, nisi nos sua gratia Verbi,
Filius & seruet Patris amore sui.
Propterea vt sacri maiestas sit pia Verbi,
Addit Doctores, dulcilquósque Patres.
Hi rursum fidei normam, pia dogmata firment,
Hi monstrent vera Relligionis iter.
Dogmate ne falso mortaleis auocet vnà,

Qui studet ablatum his esse salutis opus.
Agnoscis dudùm summam Patris bonitatem
Arbitror vt curam, qua tueatur oues.
At dubites forsan, talcis num Ecclesia Christi
Doctoreis veros nunc habet atque pios.
Expediam paucis. Ferus est, de nomine toti
Et scriptis orbi cognitus ille suis.
Hunc habet, & multos, synceram Relligionis
Qui methodum doceant, hæresin aufugiant.
Explicuit Christi sanam sermonibus aptis
Mentem, quam Patribus hauserat ille pijs.
Somnia non tradit, oratio viuida valdè,
Illam Nestorio diceres ore fui.
Ne tamen hic quisquam causetur, copia fiue,
Prolixè nimiùm, materiésve ruat:
Tollis Ioannes cuncta hæc incommoda prorsus,
Quò placeat breuitas, copia sufficiat.
Ergò tuum semper nomen Doctissime viuet,
Vnà cúmque Fero te manet omnis honos.
Iámque elegis rudibus cecini Patris bonitatem,
Qua nos complexus condito ab orbe fuit:
Quid quoque de nobis speret: doctrináque vera,
Monstraui paucis, vnde petenda venit.
Hoc superest, Lector, cognoscas sedulus huius
Doctor sermones: Viue valéque diu.

EIVSD

EIVSDEM IN LAMENTATIONVM HIEREMIAE PROPHETAE

conciones, carmen, quod pulcherrimè earundem argumenti vicem obtinere poteſt.


*

QVis verus vates, ſacri quæ munera vatis,
　Si quæras, paucis noſcere ritè potes:
Falſus quid doceat, mortaleis qua ratione
　In Phlegetontæos ducat & ipſe lacus:
Hebræum lubeat doctrina diſcere ſancta,
　Chriſticolis verè quæ meditanda piis.
Exemplo noſcas Phaſſuris & Hieremiæ:
　Ille malè doctor, ſed pius alter erat.
Ille quidem templi præfectus, culmen honoris
　Dum gerit, inſanus dogmata falſa ſerit.
Auocat à vera mortaleis Lege, Deíque,
　Quæ dederat Moſes, irrita iuſſa iacent.
Inſtituit ritus Plutonis, factus honóſque
　Eſt aris alius, quàm placuêre Deo.
Aſt legem methodo Patris docet Hieremias,
　Hanc homines normam conſiliúmque petant.
Criminibus pœnam denuntiat, hoc agit vnum,
　Exuat vt mentes plebs malè docta feras.
Exigua eſt vitæ propriæ ſibi cura, Tonantis
　Dum cultum renouet reſtituátque pium.
At blandus vulgò Phaſſur, mináſque Prophetæ

Ridet,& vt falso conuitiatur ei,
Includit vinclis,tanta éstque potentia Falsi,
Vt dubites,pius hic verus an esse queat.
Non tamen absistit,diuinam prædicet iram
Quo minus,ac vrbis nuntiet excidium:
Excidium tantæ Solymorum gentis,& ipsum
Pòst fore,ni purgent pessima facta piis.
Agnoscis verum (credo) falsúmque prophetam.
O vtinam Christi vates & esse velis.
Non dubium,videas,nostræ quàm Relligioni
Mens semper discors perniciosa fuit.
Eruit hanc vrbem seu lamentabile regnum
Audax Chaldæus,concidit ipsus honos.
Et procul abduxit patria,Diuósque penates
Sustulit,& secum detinuit miserè.
Dixerat hæc vates fore:Tun' nobis meliora
Distractis nimiùm dicere quæso potes?
Prô pudor,it pessum multos stabilita per annos
Relligio,Christi dicta neglecta vides.
Non ergò quibis:conspirent omnia quamuis,
Quæ tibi fœlices exitus esse putes.
Hoc est,quod plorant omnes doctique piique:
Omninò ablatum restituíque rogent.
Hoc est,quod doctis FERVS his sermonib[9] amplè
Ostendit,vatis munere quippe boni.
Exemplar tibi sit moneo,quicunque docere
Officio vatis (ceu bonus) esse studes.
Execrare malum vatem , quò prosperiora
Vel tandem (ô vtinam) sæcla redire queant,
Túque imitare pium,ne pòst lacrymarier vltrò
Cogare:huc factis nitere quæso tuis.

DOMI

DOMINICA ADVENTVS PRIMA EVANGELIVM MATT. XXI.


ET cùm appropinquassent Ierosolymis, & venissent Bethphage ad montem Olioueti, tunc Iesus misit duos discipulos, dicens eis: Ite in castellum quod cõtra vos est, & statim inuenietis asinam alligatam, & pullum cum ea, soluite & adducite mihi. Et si quis vobis aliquid dixerit, dicite, quia Dominus his opus habet, & confestim dimittet eos. Hoc autem totum factum est, vt adimpleretur quod dictũ est per Prophetam, dicentem: Dicite filiæ Sion: Ecce rex tuus venit tibi mansuetus, sedens super asinam & pullum subiugalis. Euntes autem discipuli, fecerunt sicut præcepit illis Iesus. Et adduxerunt asinam & pullum, & imposuerunt super eos vestimẽta sua, & eum desuper sedere fecerunt. Plurima autem turba strauerunt vestimenta sua in via. Alij autem cædebant ramos de arboribus, & sternebant in via. Turbæ autem quæ præcedebant, & quæ sequebantur, clamabant, dicentes: Osanna filio Dauid: benedictus qui venit in nomine domini, Osanna in altissimis. *Zach. 9.*

EADEM DOMINICA EPISTOLA ROMAN. XXI.

ET hoc, fratres, scientes tempus, quia hora est iam nos de somno surgere. Nunc enim propior est nostra salus, quàm cùm credidimus. Nox præcessit, dies autem appropinquauit. Abijciamus ergo opera tenebrarum, & induamur arma lucis: sic, vt in die honestè ambulemus.

Non in comessationibus, & ebrietatibus, nō in cubilibus & impudicitijs, non in contentione & æmulatione, sed induimini dominum Iesum Christum, & carnis curam ne feceritis in desiderijs.

SERMO.

ADuentus Domini & seruatoris nostri Iesu Christi, secūdum carnem, prima hæc est dominica, rectéque cum aduentu notio ipsius & fidei nostræ religionísque summa capita sumunt exordium. Enimuero cùm ipse solus sit, in quē tutò omnium fidei oculus dirigitur, vt qui omnibus desideratus, omnibus salutaris aduenit, omniúmque mentes vera perfectáque ex se solo petita fœlicitate implere sufficiat: pulchrè & ex cōmuni vtilitate credētibus hodie proponitur, quomodo prædicatus, quomodo creditus fuerit, & prius, & post, quàm in nostram, sed impeccabilem, ac ideo suam carnem, natus est. Erit enim hoc vt quis sit, qui nostra causa huc, & cur, & quomodo descenderit, quídque effecerit, sciamus: nósq; securius ipsi credamus atque committamus. Res ardua est, scire cui te credas, nec id velle, minus arduum. Salus enim in hoc, si noueris atq; volueris: sin verò, perditio tua consistit omnis. Atq; ideo Maiorum nostrorum in eo amplius laborauit industria, vt quod totius ædificij Christianæ doctrinæ fundamētum esse debuit, firmum in omnibus poneretur & stabile. Et quia ad omnes isthæc res pertinet, non modò verbis quod agitur, declarandum, verumetiam externis quibusdam cæremoniis repræsentandum duxit antiquitas, vt omnes scirent & intelligerent, nemo ignorantiam suam excusaret. Erunt fortè quibus vel propter ætatē rerúmq; vsum, vel ob scientiam externis iis rebus opus non erit, & propterea puerilibus iis rebus suspendi nolint: sed hos, iuuentutē

Roma.15. respiciant, moneo, & infirmiorū rationem habeant, hortor. Debent enim firmiores imbecillitates infirmorū sustinere, & non sibiipsis placere. Quēadmodū qui iter aliquod ingresi, vnam viæ metā sibi cōstituētes, alij alios expectāt, & qui alacres præcedunt, sæpe sequentes operiuntur: ita & nobis, qui salutis iter aggresi sumus, vsu venit. Quotidie noui homines iter hoc ag

Matt.18. grediuntur: hos negligere, quāta erit impietas? Huius enim rei veritas ipsa nos admonet. Quicunq; (ait) humiliauerit se sicut paruulus iste, hic est maior in regno cęlorū. Et mox: Videte

ne con

ne contẽnatis vnũ ex his pusillis. Dico enim vobis, quia angeli eorum in cælis semper vident faciem patris mei, qui est in cælis. Quòd si vllo vnquã tẽpore iuuentutis habenda fuit ratio, nunc habenda est maximè. Omnes enim videmus & intelligimus, quò illa vergat, quóue incitetur. Atq; hîc iã Paulo monitore, instãdum erat opportunè, importunè, arguendũ atq; obsecrandũ. Nulliq; tædio esse debuit, audire in Ecclesia quæ antè nouerit. Neq; enim nouitatũ (vt vocant) causa huc cõuenimus, sed vt Dei voluntatẽ addiscamus: in huius gratia atq; agnitione quotidie incrementũ sumẽdũ erit. Et Ioannes clamat, vt qui sanctus est, sanctificetur adhuc. Nemo in fide aut Dei agnitione est tã perfectus, quin perfectior possit fieri. Nemo tam sanctus, quin sanctior possit effici. Proinde iterũ atq; iterũ moneo, nulli tædio sit antea cognita rursus audire: fortè enim quæ antea minus attẽto tibi præterierũt, nũc placebũt magis. Nam & gutta cauat lapidẽ, nõ vi, sed sæpe cadẽdo. Sed nec prædicatorẽ pudeat quẽquã, ea sæpius inculcare, quæ vel ad agnitionis Dei augmentũ, vel ad pietatẽ faciũt. Pauli imitẽtur exẽplum. Hic se sapientibus pariter & insipientibus debitorẽ profitetur. Et, infirmis, inquit, factus sum infirmus, vt infirmos lucrifacerẽ. Non enim iudicaui me scire aliquid præter Christum Iesum, & hunc crucifixũ. Cur ergo vel vos tæderet, vel me puderet, de cognitis rebus, iuuentutis rectè instituendæ studio, habere sermonẽ? Omnia enim huc faciunt, vt verè agnoscatur Christus, & vita nostra piè instituatur. Hic finis est, siue cæremonias, siue ecclesiasticas respiciamus cãtiones. Silet pulcherrima illa duorũ diuinæ laudis acclamatio: TE Deũ laudamus. Silet & illa cælitus allata cãtio: GLORIA in excelsis Deo. Mutatus est habitus. Pullati incedimus omnes. Quæ horũ ratio? Nimirum tristitia prioris seculi, antequam Christus in carnem nasceretur, nobis in iis repræsentatur. Illic nihil ferè in Mundo apparebat præter iram indignationémque diuinam: quũ peccatum, mors, maledictio atque dãnatio in omnes dominarentur. Quis autem nescit, quid illius temporis consideratio ad Christi agnitionem faciat? Etenim quàm necessarius sit nobis Christi Iesu aduentus, tum demum verè intelligimus, quando quàm tristis rerum facies sine ipso fuerit, diligenter consideramus. Quid sit libertate frui, nemo melius nouit illo, qui aliquando seruitute pressus fuit. Quemadmodum Medici artem nemo verè diligit, nisi qui hac aliquando à

2. Tim. 4.

1. Petr. 2.

Apo. 22.

Roma. 1.

1. Cor. 9.

1. Cor. 2.

febribus absolutus est. Captiuij tenebantur omnes, & dominabantur peccatum, mors, gehenna. Infirmi omnes erant: totam enim naturā humanam lāguor & debilitas pererrabant. Christus ideo spectabatur, vt & captiuos liberaret, & infirmos sanaret. Quomodo igitur sine notitia seruitutis atque infirmitatis nostræ, Christi redimētis saluantísq; beneficium intelligi posset? Iam verò non inficior miseriam conditionémque humanæ naturę rectè in sacris libris depingi, atq; inde quoque eius cognitionē petendam esse: Imò qui hoc legūt atq; intelligūt, aliundè illius considerationē petere, necesse non habent: Sed propterea abiicienda esse, quæ iuuētutis atq; infirmiorū causa antiquitùs instituta, hucusque obseruata, omniū admonere, & inquirēdi meditandíq; occasionē subministrare possunt, quis vnquam sanus dixit, nisi qui aut nullam rationē habendā esse infirmiorū, aut nihil ad iuuentutē res omnibus necessarias pertinere existimabit? Videtis ergo ad quid mutatę cæremonię hodie valeant: Videtis, inquā, quāto studio sancta vetustas omnibus inuigilauerit. Atque vtinā terminos antiquos quos posuerunt Patres nostri, non trāstulissemus, aut nō fuissemus transgressi. Profectò rectius valeret Ecclesia. Nūc verò eò negligentiæ deuenimus, vt querelæ non sit finis futurus, si quis diligentius secū cogitauerit, quo ingenio studióq; olim in Ecclesia omniū saluti consultū fuerit, & quā nihil horū nunc vsquā appareat. Quàm lamētabili voce olim Hieremias Propheta vrbis Hierosolymę calamitatē defleuit, & quòd pristinę glorię minimè responderet, cōquestus est? Vię Sion lugēt, eò quòd non sint, qui veniant ad solennitatē. Quomodo obscuratū est aurū, mutatus est color optimus, dispersi sunt lapides sanctuarij in capite platearū? Filij Sion incliti, & amicti auro primo, quomodo reputati sunt in vasa testea, opus manuū figuli. Quāto rectius hac querela de Ecclesię horū temporū statu quæ per omnia sui dissimilis est, cuius purū aurū, quo olim fulsit, nunc vix luto simile factum est? Quanquā inuenias qui suis cōcionibus, scriptis, ordinationibus, formationibúsque annuis nouis, adeò sibi placeant, vt iurare etiā ausint per omnia sacra nunquā inde ab Apostolorū tēporibus Ecclesiā rectius floruisse, quā nunc apud se. Adeò affectu seducūtur atq; illudūtur proprio, vt quidquid ab Ecclesia, quantūuis rectè institutū viderint, humanas veluti traditiones rideant, contemnant, proterant: quod verò ab ipsis prodit, ínque horam mutatur, sanctū planè & diuinū prædicēt.

Deut. 19. *Prou. 22.* *Thren. 1.* *Ibid. 4.*

Horum

Horum opinione omnes alij, etiam in præcipuis fidei ariculis aberrarunt:ipsi verò(si Diis placet)ne in minimo quidē deuiare possunt. Sed exitus acta probabit, quēadmodū ex fructu cognoscitur arbor. *Matt.7.* Vtinā autē tot fructus bonos in quibusdā temerariis legeremus,quot verbis suas nouas cōstitutiones prædicant.Sed quia plus paganismi, quā Christianismi posteritati relicturi videtur,parū gratiæ apud bonos inibūt. Non talibus auspiciis succreuit Ecclesia.Neq; enim staret modò,nisi melioribus Prædicatoribus cæremoniisq; olim fuisset exorsa.Ideóq; iterū moneo atq; hortor,non sic temerariè,quę rectè ad nos in Ecclesia deriuata sunt,contēnamus. Cum enim Paulus omnia *1.Cor. 14.* velit in Ecclesia honestè & secundū ordinem fieri,& quę nostri tēporis Montes pariunt, quantūuis magno nisu, nullo modo prioris Ecclesiæ cęremoniis,siue pręstantiā,siue pietatē,siue spiritū respiciamus, sint cōferēda: Cur non potius ipsa etiā antiquitate cōmendata retinemus. leuitatē ista scurrilitatémq; referentia suis autoribus solis relinquimus? Aut qua ratione vetus Ecclesię ordinatio tātopere reiiciēda? An quia Paulus Galatis scribens ait:Dies obseruatis,& menses,& tēpora, & annos? *Galat. 4.* Timeo vos ne fortè in vanū laborauerim in vobis? Et: Nemo vos iudicet in parte diei festi, aut Neomeniæ,aut sabbatorum? *Colos.2.* Sed hęc Pauli verba nullo modo quod hodie agimus,reprehēdunt. Neque enim ideo huic tēpori Aduētus nomē datū est, quod tēpus alio aliud sanctius arbitremur:Sed vt pręcipua rei ū capita,suo quódq; ordine in Ecclesia proponerētur.An verò impiū est cogitare,quæ hominū ante Christū natū cōditio fuerit? An nō digna cogitatio est, quæ meritò verbis atq; signis iuuetur? Propterea Ecclesię cęremonias hodie immutari diximus,vt quā vitā illi homines vixerint, intelligeremus, & quantū Christus suo aduētu miseris mortalibus pręstiterit,cogitaremus.Et cur ridemus,& naso suspēdimus, quibus meliora tradere & subrogarē nō possumus? Miserrimā ergo humanæ naturæ,ante Domini nostri Iesu Christi omniū Seruatoris aduētū,seruitutē atque captiuitatē,externis etiā Ecclesię cæremoniis discamus,vt eò gratior nobis fiat aduētus eius,qui nos in die liberauit atq; saluauit. Cùm autē in tanta omniū tristitia,in tāto luctu hominū,Deus ipse atq; Prophetę subinde humiles deiectásq; mētes promissis erigere studuerūt, ne planè sine solatio desperarēt,inque aduenturū Saluatorem respicere in ipso pręsentē calamitatē mitigare,dolorē lenire atque salutē sperare docuerūt:

etiam hac parte nobis ipsis deesse nolumus. Scripturis attestantibus, quomodo Christus illi populo prædicatus, quomodo à populo creditus, exceptus atque salutatus sit, doceamus. Vtrũ-
Mat. 21. que autẽ Euangelica huius diei lectio ostendit. In ea enim qua
Zacha. 9 lis prædicatus sit Christus, Zacharias Propheta loquitur: & qualis à populo creditus sit, turbæ ostendit confessio. Et Zacharias quidem sic ait: Dicite filiæ Sion, Ecce rex tuus venit tibi mansuetus, sedens super asinam & pullum subiugalis. At turbæ acclamatio sic habet: Osanna filio Dauid, benedictus qui venit in nomine Domini, Osanna in altissimis. Hos igitur Euangelij locos diligenter inspiciamus, vt qui Christum suis coloribus propriè depingũt, & sunt veluti summa omniũ promissionũ & Prophetiarum de Christo, ac ideo in hãc diem depositi, vt cõmonefaciant homines de Christo, ac sua vocatione. Ad nos enim isthæc Prophetæ vox pertinet, qui sumus spiri
Quare Iudei Sion. tuale Sion. Erant quidẽ olim Iudæi filia Sion, non quia montẽ Sion habitaret Rex Iudæus, atq; ipsi ciuitatẽ primariam inco-
Rom. 9. lerent: verùm etiam, ac multò magis, quòd ipsorũ fuerint adoptio filiorũ, & gloria, & testamentũ, & legislatio, & obsequiũ,
Act. 13. & promissa: denique Patres haberẽt, ex quibus Christus secun
Ioan. 15. dum carnem erat nasciturus: & ipsis primùm oportuit annun-
Ioan. 2. ciari verbum salutis. Sed quia repulerunt oblatã salutem. Christum etiã reprobauerunt, corã Pilato negantes regẽ, & crucifigentes: iam non sunt peculiũ Domini, nec semen Abrahæ, nec filia Sion: Imò ex patre diabolo sunt, quia desideria patris sui
Oseæ 1. volunt facere. Id quòd longè ante vaticinio Oseæ prædictum erat. Huic enim cùm filiã primùm, deinde & filiũ ex vxore susciperet, præcepto diuino mandatur, vt filiam לֹא רֻחָמָה & filium לֹא עַמִּי vocaret, Quia, inquit, Dominus, non addam, vt amplius miserear domui Israël. Et: Quia vos nõ estis populus meus, nec ego ero vobis in Deum. Verùm excisis Iu-
Rom. 11. dæis tanquã naturalibus ramis, nos ex Oleastro inserti sumus: & percipientes pinguedinẽ radicis, Deo, qui ex lapidibus potest semen Abrahæ facere, operante, facti sumus & Sion, & po-
1. Pet. 2. pulus electus Domino, & semen Abrahæ, atq; vt Petrus testatur, genus electum, regale sacerdotiũ, gens sancta, populus acquisitionis, qui aliquãdo non populus Dei, nunc autẽ populus Dei: qui nõ consequuti misericordiã, nunc autẽ consequuti misericordiã. Nobis ergo Dominus in Propheta loquitur, quos

ab aliis omnibus selectos, in eam, quam loquitur (vti magni momẽti) rem attẽtos vult esse. Dicite, inquit, filię Sion. Et quid Domine dici vis filię Sion? Loquere, & audiã seruus tuus. Ecce rex tuus. Ergo regẽ habeo. Vtiq; & tuũ Regem, nõ idolon, sed scientem: non Ciconiã aut Tyrannũ, qualẽ in Aesopo Iupiter pręfecit ranis, sed Gubernatorẽ: non qui per alios regat, & ad tempus, sed qui ipse suos regat in secula: cuius imperiũ æternũ sine fine mãsurũ est: cui omnis potestas in cælo & in terra data est. Talis rex nobis promittitur, & veluti cũ demõstatiõe exhibetur. Ecce, inquit, Rex tuus. Tuus est, & venit tibi. Nõ cuiuslibet est, sed tuus est: aliis enim Petra offensionis est, aliis iudex est, aliis testis velox est, aliis leo & vrsus est: sed tuus rex est. Hinc in Isaia loquitur Dominus: Ecce seruus meus, suscipiam eum. Et in Ezechiele: Erũt mihi populus, & ego ero eis Deus, & seruus meus Dauid Rex super eos, & pastor vnus erit omniũ eorũ. Noster ergo est, quia nobis natus, nobis datus, nobis mortuus est, nobis resurrexit, nobis ad cælos ascendit, sedétq; à Dei patris dextris, interpellãs pro nobis. Et hoc est, quod Proheta dicit: Rex tuus venit tibi. Alij Reges sępe non populo, sed sibi-ipsis veniũt: non propria elargiri, sed aliena rapere: nõ seruire, sed imperare. Venit aũt filius hominis quęrere & saluũ facere, quod perierat: hoc est, vt peccatũ tolleret, vulnera nostra sanaret. Nõ venit ad iudicandũ: nõ ministrari, sed ministrare, & dare animã suam redemptionẽ pro multis. Veniet quidẽ aliquando Iudex, sed iis qui hîc gratiã, quam obtulit, contẽptu superbo neglexerũt. Apis enim est, & mel præbet placidis: at hostibus quantũlibet immanibus, pũgentem aculeũ infligit. Hinc Propheta addit: Mãsuetus & iustus. Mãsuetudinẽ in bonos atq; improbos exercet, cùm illis gratiã præstat: hos propter pœnitentiã benign⁹ expectat. Iustitiã quoq; administrat, quãdo impiis sua dona coronat, impiis verò demeritas pœnas infligit. Diligit enim omnia, & nihil odit eorũ, quę fecit: arũdinẽ conquassatã nõ cõterit, nec linũ caligãs extinguit: in veritate profert iudiciũ. Neminẽ eorũ qui ad se veniũt, eiicit foras: imò oẽs oneratos & laborãtes ad se vocat, requiẽ promittit & liberationem. Admodũ verò dissimilis Gentiũ regibus atque principibus est & hoc ipso, ꝙ cùm omnes historiæ, ipsiq; Prophetæ, maximè Isaias. 1. 52. 59. c. de illorũ crudelitate atq; tyrãnide cõqueritur: ipse tamen præter mãsuetudinẽ, qua omnibus pius est, nullius personam respiciẽs, etiã iudiciũ facit pro sua iustitia

Danie. 7
Luca 1.
Mat. 28.
Mat. 21.
Ioan. 8
Malach. 4
Osea 23.
Ezec. 37.
Esa. 9.
Hebr. 9.
Luca 19.
Ioan. 3.
Zach. 9.
Sap. 11.
Esa. 42.
Ioan. 6.

Psal. 144 omnibus iniuriã patientibus, ita planè, vt meritò sibi vindictã,
Deut. 32. quã retribuat vẽdicet. Etsi aũt pij cuiusque est, orare hũc iustũ
Psal. 142 Regẽ, ne in iudiciũ descẽdat cum seruo suo, ꝙ nemo omniũ iustificetur in cõspectu eius: impij verò timere habeant, ne in furore regis huius iusti arguãtur: magna tamen piorũ hæc consolatio est, scire & nosse, sub tali se rege viuere, qui velit ac possit, pro sua iustitia, suo tẽpore abũdè reddere, pios propter iustitiæ hãc confessionẽ affligentibus. Atque hoc modo Zacharias Propheta Christũ aduenientẽ prędicauit. Regẽ vocat, & nostrũ propriè. tum eum nobis venire, & quidẽ mansuetũ atque iustũ esse eum, confirmat: quorũ omniũ hæc intentio est, vt homines agnoscant, quis sit Christus, & cur, quibúsve in carnẽ venerit. Addamus autẽ Zachariæ vnicũ eiusdẽ sentẽtiæ Regij Prophetæ oraculũ, vt res, de qua loquimur, magis fiat perspicua. Deus deorũ Dominus loquut' est (Psalmista inquit, siue ille Dauid,
Psal. 49. siue Asaph est, cui inscribitur) & vocauit terrã. A solis ortu vsq; ad occasum, ex Siõ species decoris eius. Deus manifestè veniet, Deus noster, & non silebit. Ignis in cõspectu eius exardescet, & in circuitu eius tẽpestas valida. Aduocauit cælum desursum, & terrã discernere populũ suum. Cõgregate illi sanctos eius, qui ordinãt testamẽtũ eius super sacrificia: & annũciabũt cęli iustitiam eius, quoniã Deus iudex est. His Prophetę verbis Christus aduenięs pulchrè describitur, quis sit, vnde, quò, propter quid, quáve via venerit. Nam ꝙ dixit: Deus Deorũ Dominus, personæ eius descriptio est. Ipse enim Deus Deorũ, siue, vt Ioannes
Apoc. 19. in Apocalypsi ait: Rex est regum, & Dominus dominantium, cælestem ciuitatẽ: secundum carnem, ipsam Iudęorum gẽtem
Hebr. 1. designat. Nã ex cælo Deus, ex Iudæis homo egressus est. Quòd verò addit: Loquutus est, & vocauit terrã: causam cur venerit, indicat. Nempe, vt qui multis modis olim loquutus fuerat Patribus in Prophetis, nouissimè ipse nobis corãm loqueretur, & dispersos erroribus, in vnitatem conuocaret fidei. Nullus an-
Psal. 79. gelus, nullus Propheta loquebatur illo tempore: tunc dixit:
Esa. 51. Ecce ipse venio. In capite libri scriptum est de me, vt facerem voluntatem tuam Deus meus: volui. Et propter hoc sciet populus nomen meum in die illa, quia ego ipse qui loquebar, ecce assum. Denique quòd ait: Manifestè veniet: Et, Species decoris eius: ostendit in humana carne venturum fuisse. Et sic consequenter. Nam omnia verba singulatim indagare, longum esset. Quid enim de Prophetis. Nam loquor? Ipse Deus

Christum

Christum in carne nasciturum prędixit & promisit,& quidem inde à condito homine. Ad serpentem enim loquens, cuius suasu homo perierat, ait:Inimicitias ponam inter te & mulierem, & semen tuum,& semen illius.Ipsum,siue ipsa per ipsum conteret caput tuum:& tu insidiaberis calcaneo eius. Eandem postea promisionem non semel iterauit. Vt ad Abraham:possidebit,inquit, semen tuum portas inimicorum suorum:& benedicentur in semine tuo omnes gẽtes terræ. Et hanc promissionem de Christo nasciturо intelligendam esse,ipse Dominus in Ioanne docuit,cùm ait: Abraham pater vester exultauit, vt videret diem meum:vidit,& gauisus est.Tum ad Dauid ait:De fructu ventris tui ponã super sedem tuam. Et licet post ea tempora Israëli lex data fuit:ipsa tamẽ promissiones Dei euacuare minimè potuit. Id quod Paulus in ea quam ad Galatas scripsit Epistola,disertè simul & acutè docet. Lex,inquit,quæ post quadringentos & triginta annos lata est, testamentũ à Deo confirmatum non facit irritũ,ad euacuandã promissionẽ:sed propter transgressores posita, & vt esset Pædagogus in Christũ:& figuratio eius non repugnat promissioni diuinæ. Sed nec Aaronis sacerdotiũ eam promissionẽ tollere potuit:quod & ipsum figura Christi erat. Paulo teste.Heb.6.cap. Sẽper isthæc promissio valuit, vnáq; fuit cùm Dei promittentis,tũ Prophetarũ, sacerdotij,atq; legis de Christo intẽtio. Nẽpè, vt promissis diuinis consolarẽtur homines,& vatũ oraculis figurísq; docerẽtur,hoc est,certã aliquam salutis spem haberent,in quã intenderent,& modũ scirent,quo sibi eam cõseruarent. Nec defuit intentioni euentus.Omnes enim de promissionibus iis edocti erant:licet quẽ promissũ nouerant,non omnes eo modo quo debebant,susceperunt, siue illud inuidia siue errore factũ est. Sanè sciuisse homines de promisso Christo,acclamatio turbę,quã superiore dominica audiuisti , innuit:Hic est verè Propheta, qui vẽturus est in mundũ. Et quẽ Euangeliũ hodiernum turbis tribuit applausus idem testatur:Osanna filio Dauid. Benedictus qui venit in nomine domini,Osanna in excelsis. Quomodo enim in hæc laudis verba erupisset vulgus,si de Christo nihil sciuisset? Quomodo tãtã pietatẽ exhibuisset obsequens populus, ramis atq; vestibus in terrã stratis,nisi Messiá esse credidisset? Viderãt excitari & à mortuis reuocari Lazarũ. Hoc ad sequendum facto mouebantur. Non impedit eos Pharisæorum mandatũ, de non confitendo Iesu nomine,de prodendo ipso,vbicunq; sit.

Genes. 22. *Ioan. 8.* *Galat. 3.* *Hebr. 6.* *Ioan. 9.*

Nec

Ioan.12 Nec extra Synagogam abiecti nati cæci exemplo, mouentur. Obfirmatis animis lætum & gratum Deo carmen concinunt: Osanna filio Dauid. Benedictus qui venit in nomine Domini, Osanna in altissimis. Nempè victori mortis, inferni, ipsiúsque adeò diaboli triumphũ canunt: & veterem hominẽ cum actibus suis exuẽtes, superbos carnaliũ desideriorũ affectus triumphatori potenti ac mansueto subiectant. Primi parentes adhuc
Genes.3. in Paradiso positi, cum cognouissent se esse nudos, & aduenientis Dei vocem audirent, consuerunt folia ficus, & fecerunt sibi perizomata. Hi verò cõuerso ordine ramos atq; vestimenta in terram abiiciũt, & aduenienti Dei hominísq; mediatori Christo substernunt. vel hoc ipso testificantes, hunc esse, qui suo sanguine omnium maculas mundaret: vt nulla erubescentia nullum vestimẽti vsum requireret: qui & hoc præstaret, vt aperta facie in ipsum Deum liceret aliquando prospicere. Hęc omnia iste populus tunc significauit. Sed & ingens consolatio est piis. Ostendit enim Deus hoc ipso populi facto, velle se semper in mundo sui nominis confessionem conseruare, etiam in omniũ
3.Reg.19. maxima impietate: nec fore, tãta sit regni huius ac Mundi sæuitia, vt nullus Dei glorię relinquatur locus. Etenim Prophetę conquerenti, quòd ex omni Credentiũ populo relictus sit ipse
Rom.11. solus, diuina vox respondit: Reliqui mihi septem milia virorũ, qui non curuauerunt genua sua ante Baal. Et licet perexigua futura sit fidęs tẽporibus nouissimis: tamẽ ne penitus intereat, ipsi dies tribulationis abbreuiabũtur. Hoc ergo in isto populo consideremus, & in his turbis cõtra pusillanimitatem nosmet ad fidei & confessionis nostræ constãtiam confirmemus. Sciamus hanc ipsam processionẽ nostræ nos vocationis admonere.
Lucæ 21. Nam quemadmodum non tunc primùm cœpit, quando Christus saluator vrbem Ierosolymorum intrauit, sed longè ante, ante & sub lege homines pij huic populo annumerantur, fide nimirum & confessione idem sentientes: sic nec finem habet. Omnes quotquot Christũ confitemur Dei filium & mundi seruatorem, Christum sequimur: & ad istum cõfitentium cœtum
Ioan.19. pertinemus. Nec moueamur populi huius inconstantia & defectione, qui quinta & sexta pòst die magnis contumeliis atque blasphemiis eundem Christũ, quem hîc Messiam confitentur, affecerunt. In nobis constantia & perseuerantia requiritur: vt quibus præter maiora fidei argumenta, ipsa etiam deficientiũ exempla sunt documentum. Et vę nobis, nisi in ea quam semel

suse

ſuſcepimus cõfeſsione,perſtiterimus.Nulla enim cauſa eſt,cur deficere debeamus:vt cõſtanter perſeueremus,plurimæ.Nã vt ille populus Prophetas ſolũ habuerũt,quos imitarẽtur:ita nos Prophetis cõiunctos Apoſtolos habemus,Apoſtolicóſq; viros, quos certò imitari & ſine periculo licebit.De patris enim voce cœlitùs ſuper eũ delapſa,hîc nihil dico:quia de illis nũc loquor qui Chriſtũ fide,licet necdũ aliqui eorũ corpore nati eſſent, ſequuti ſunt.Sequutus eſt eũ Petrus:& ſimilẽ huius populi acclamatione vocẽ ædidit, quãdo multa de Chriſto loquutus, huic, inquit,omnes prophetę teſtimoniũ perhibẽt:remiſsionẽ peccatorum accipere omnes quotquot credũt in eũ. Et:Omnes prophetę à Samuel & deinceps,qui locuti ſunt,annuntiauerũt dies iſtos.Sequutus eſt & Apoſtolus ille Gẽtiũ Paulus. Ideò,inquit, abiiciamus opera tenebrarũ,& induamur arma lucis,ſic, vt in die honeſtè ambulemus,nõ in comeſſationibus,&c.ſed induimini Dominũ Ieſum Chriſtũ,quia nox præceſsit,dies autẽ appropinquauit:& hora eſt nos de ſomno ſurgere: & propior eſt noſtra ſalus, quàm cũ credidimus. Et hi inter Apoſtolos. Inter Apoſtolicos verò præter innumeros, ſequutus eſt Prudentius, cuius claſsicũ carmen adeò hic addere libuit, quia proximè ad Pauli adhortationẽ accedit. Sic ergo habet:Stat cõuolutis artubus: ſenſum profunda obliuio preſsit, grauauit, obruit,vanis vagantẽ ſomniis:ſunt nẽpe falſa & friuola,Quę mundiali gloria, ceu dormiẽtes agimus:Vigilemus, hic eſt veritas, aurum, voluptas,gaudiũ,opes,honores,proſpera:Quæcũq; nos inflant mala,Fit mane,nil ſunt omnia.Tu Chriſte ſomnum diſiice, tu rũpe noctis vincula, Tu ſolue peccatũ vetus, nouámq; lucẽ ingere.Hi omnes inter alios ſequuti ſunt Chriſtũ,& nos vt ſequamur iiſdẽ veſtigiis hortati. Atq; ideò eorũ vox etiamnũ in Eccleſia ſonat,vt intelligamus, quomodo Regẽ noſtrũ nõ nũc in terrenã Ieruſalẽ,ſed cæleſtẽ & ſanctã Ciuitatẽ ingredientẽ, ſequi oporteat,nihilq; reliqui faciunt ad religionis noſtræ ſummam.Petrus enim maximè,ſi quis alius fidẽ in Chriſtũ,& quæ fidei debetur remiſsionẽ peccatorũ docet. Paulus verò quomodo Rex noſter Deus ſalutandus atq; excipiẽdus ſit,indicat,qualéſq; imitatores ille poſtulet,deſcribit. Hinc à tẽpore,à ſalutis præſentis præſtantia,à vitiis dehortatur:ad virtutis iter capeſſendum incitat.Idem Prudentius diuinus Poëta facit.Atq; hęc omnia,fratres,audimus. Vtinam & obaudiremus. Cogitemus ergo, quæ ante & poſt Chriſtum natũ fuerit miſeria & luctus homin

Act.10.

Act.3.

Rom.13.

hominum, qui sine Deo erant. Tum quis prædicatus ac creditus sit Christus, semper consideremus, & oblatum redemptorem vita ipsi digna suscipiamus & sequamur.

DOMINICA ADVENTVS SECVNDA EVANG. LVC. XXI.

ET erunt signa in sole, & luna, & stellis, & in terris pressura gentiũ, prę confusione sonitus maris & fluctuum, arescentibus hominibus præ timore & expectatione quæ superuenient vniuerso orbi. Nam virtutes cælorũ mouebuntur. Et tunc videbunt filiũ hominis venientẽ in nube, cum potestate magna &
Mat. 24. maiestate. His autẽ fieri incipientibus respicite, & leuate capita vestra: quoniam appropinquauit redem-
Marc. 13. ptio vestra. Et dixit illis similitudinem: Videte ficul-
Isaia. 5. neam & omnes arbores, cùm producunt iam ex se fructum: scitis, quoniam propè est æstas. Ita & vos cũ videritis hæc fieri, scitote, quoniam propè est regnũ Dei. Amen dico vobis, quia non pręteribit generatio hæc, donec omnia fiant. Cælum & terra transibunt, verba autem mea non transibunt.

EADEM DOMINICA EPISTOLA ROM. XV.

QVæcunque enim scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt: vt per patientiam & consolationem scripturarum spem habeamus. Deus autem patientiæ & consolatij, det vobis idipsum sapere in alterutrum, secundum Iesum Christum: vt vnanimes, vno ore honorificetis Deum & patrem Domini Iesu Christi. Propter quod suscipite inuicem, sicut & Christus suscepit vos, in honorem Dei. Dico enim Christum Iesum, ministrum

fuisse

fuisse circuncisionis, propter veritatē Dei, ad confirmandas promissiones patrum: gentes autem super misericordia honorare Deum, sicut scriptum est: Propterea confitebor tibi in gentibus Domine, & nomini tuo cantabo. Et iterum: Lætamini gentes cum plebe eius. Et iterum: Laudate Dominum omnes gentes, & magnificate eum omnes populi. Et rursus Isaias ait: Erit radix Iesse: & qui exurget regere gentes, in eum gentes sperabunt. Deus autem spei repleat vos omni gaudio & pace in credendo: vt abundetis in spe & virtute spiritus sancti.

SERMO.

NOn vana nec inutilis illa in Christiana doctrina antiquitùs obseruata consuetudo est, vt vbicunq; qualis erga nos sit Deus prædicatur, misericordię & gratiæ encomia, etiam iustitiæ & seueritatis sequantur testimonia. Neq; vel gratia sine iustitia, vel contra alterum sine altero rectè exque communi vtilitate populo proponi potuit vnquam. Verùm coniuncta simul, tum veram Christi naturam in nostram notionem inducunt, tum verò veros atq; genuinos efficiunt credentes. Nam cùm hæc duo, præsumptio & desperatio, potissimùm & importunissimè Rempub. Christianam oppugnant, pertinacissiméque in suo ad euersionem accommodo proposito perstant: nulla profectò vel in consuetudinis longæ, vel in sacrarum literarum armamentario ad retundendum machina valentior expeditiórque inueniri potuit, quàm est vtriusq; horum gratiæ atq; iustitię prædicatio, quarum illa desperationem abigit, hæc præsumptionem eneruat. Gratiam prædicabat Satan Euæ matri, cum interdictæ arboris vsum callidus suaderet improuidæ. Persuasa de seipsa præsumebat, atq; peccauit audentius. Ipse Deus ob peccatum, iustitiam prædicauit Cain. Desperat ille, & necessariò misericordiæ consolatur encomio. Nisi iustitiæ misericordiam coniunxisset, planè de eo actum fuisset. Nostri verò Theologi, Prædicantes, Scribentésq; autocleti, qui non ad emendationē, sed ad malum pusillanimitati, quæ nulla est, medētur, vel ab ipso Deo, Christóq;, vel ab Ecclesia rectius didic

Genes. 3.

Genes. 4.

αὐτοκλῆτοι

didicisse debebāt, priusquam sese in ea officia ingessissent. Illa enim magistra rectè docendi normam modúmq; præscribere potuisset. Verùm quia hoc neglexerūt & contempserunt, fit, vt modò Dei timorem omnem ex eorū qui ipsis applaudunt mentibus, dilabi atq; perire, dolore ingenti cernamus. Non hoc est veros formare Christianos, non hoc est integrum Christū prędicare. Alio enim modo multúmq; diuerso, scriptura præmonstrante, Ecclesia docuit semper, docétq; etiā hodie. Quid enim superiore dominica, quando Christum asina insidentem, iuxta Zachariæ vaticinia. Ierosolymam ingressum fuisse testatur, nisi primi aduentus Domini gratiam prædicauit? Quid verò hodie, quando eiusdem, iuxta duorum angelorū cæterorúmq; vatum dicta, secundum aduentum proponit, nisi Iustitiam venturi Iudicis, declarat? Et licet iam mille quingenti atq; plures anni à primo aduentu præteriêre, & nondum finis adpareat: tamen paruo interuallo vtrunq; aduentum suis filiis proponit. Nimirum saluti suorum consulit, qui gratia Domini nostri Iesu Christi rectè vti, sine iustitiæ memoria ignorant. Idq; in nouo Testamento ab ipso Christo, qui vulnerato illi homini ac semiuiuo non modò cum oleo vinum infudit, verum etiam stabulario Ecclesiæ ministro ad eiusdē hominis medelā duos denarios, Legem & Euangelium dedit. Non Euangelium solùm, & oleum: nec lex sola, & vinum: sed vtrunq; inuicem temperatum semiuiui vulneribus adhibendum est. Sed & in veteri Testamento hæc ipsa prædicandi Christi consuetudo fuit.

Psal. 49. Id quod in Dauid Psalmo 49. & hoc nostro, quod nunc tractaturi aggredimur Euangelio, atque vtriusq; collatione videre est. Et de primo aduentu Dauid sic canit: Deus deorum loquutus est, & vocauit terram: Ex Sion species decoris eius: hoc est, quanquam Deus noster omnibus quos terra pro Diis colit, maior est, omnésq; vincit: tamen ex Iudæorum populo formosus nascetur homo. Sed mox de secundo subdens aduētu, ait: Deus manifestè veniet, Deus noster, & non silebit. Ignis in conspectu eius exardescet, & in circuitu eius tempestas valida. Aduocauit cælum desursum, & terram discernere populum suū.

Mat. 24. His verbis ea omnia Propheta prædicit, quæ Christus longo
Mar. 13. sermone hîc commemorat. Atq; ita cum Euangelij dictis consonant, vt verè dixerint, qui vetus Testamentum noui vmbraculum, & hoc illius manifestationem pronunciarunt. Obscu-
Luce 21. rius quidem Dauid, sed apertius eadem Christus prædixit.

Dauid

Dauid enim ait: Deus veniet, Christus verò, videbunt filium hominis veniẽtem. Dauid rursus: Manifestè veniet, Christus verò: in nube, inquit, cũ potestate & maiestate magna. Dauid iterũ: Non silebit. Christus verò, Erunt signa in sole, inquit, & luna, & stellis. Et sic consequenter. Clarè enim Christus exponit quæ Propheta obscuriùs dixerat. Ex quibus manifestè colligitur, non modò quã conueniant Psalmus & Euangelium, verùm etiam ꝙ eadem prædicandi Christi forma fuerit & Prophetis, quæ hodie est, sempérq; fuit Ecclesiæ. Quin Zacharias quoq; & quidẽ duabus vocibus vtrunque aduentũ, coniũctis misericordia atq; iustitia, prædicauit. Christum enim dicẽs, Saluatorẽ & Iustũ venturũ prænunciat. Saluatorem quidẽ duplici ratione: cũ qui primo aduẽtu animas, tum qui secũdo etiã corpora saluet. Iustũ verò, non tantũ qui sua nos iustitia ipse iustus iustificet in primo aduentu, verũ etiam qui omnibus secundũ vniuscuiusq; opera iustè vel bonis præmia, vel malis decernat pœnas in secundo. Breuissimè ergo vtrũq; aduentũ, rectissiméq; & totũ Christũ, misericordem in primo, ac iustũ in secundo aduentu, describit. Ecclesiæ igitur cõsuetudo, qua in prædicãdo Christo, Christũ atq; Prophetas sequitur, nõ reprehẽdenda, sed imitanda est. Nõ ignoro esse, quibus de iustitia Christi, déq; futuro atq; horrendo eius iudicio sermo, pro sua olim pœnitenda licẽtia minùs placeat: sed cur non sequeremur Christi vestigia, qui hęc tã multis verbis tãtáq; diligentia, vt quorũ cognitio omnibus necessaria esset, docuit? Sanè dignũ est, vt eius rei assidua apud nos memoria sit, de qua Apostoli tam diligenter loquentes, tã curiosè atq; solicitè percõtati sunt. Neq; enim vnius populi res, aut nationis, neq; omniũ hominũ, qui simul in toto mũdo viuunt tantũ: neq; vel præterita vel præsentia: sed totius mũdi finẽ, omnium hominum qui sunt, fuerũt, aut aliquando post nos erunt, vel ad sempiternã gloriam, vel ad perpetuam ignominiam, immutationẽ prædicit, omnium temporum, ipsiúsque adeò cœli, post mũdi huius interitũ, conditionẽ prænunciat. Rectè quidem scriptura curiositatem & absconditorum misteriorum sollicitam superflãmq; indagationem nobis interdicit. Solomon enim ait: Altiora te ne quæsieris. Scrutator enim maiestatis opprimetur à gloria. Et Christus ad Apostolos loquens: Non est vestrum, inquit, nosse tempora vel momenta quæ pater posuit in sua potestate. Et Paulus mo-

Zach.13. *Eccl.3.* *Act.1.* *Rom.12.*

net Romanos, ne ſint alta ſapientes, néue in ſemetipſis pru-
Dan.12. dentes. Et Danieli præcipit Angelus, vt clauderet ſermones quoſdam, & librum ſignaret ad ſtatutum vſque tempus: ſed hæ ſcriptutæ non eos reprehendunt, qui venturam conſummationem cogitant, ſed eos qui quo tempore ventura ſit, in quæſtionem vocant. Quales fuerunt cùm Iudæi, tùm Chriſtiani, quorum alij certis annis mundi ætatem contraxerunt,
Pſalm.89. nempè quia ſcriptũ eſt, mille annos eſſe in conſpectu Dei tanquàm vnum diem: ideò ſex milia omne mundi tempus dixerunt, poſteà requiem & ſabbatum. Atque hûc referre voluerunt illud, quod Eliæ tribuunt: Duo milia inane, duo milia Lex, duo milia Meſsias. Alij, vt Apoſtoli tẽporibus, iam tum eſſe in foribus nouiſsimam diem dixerunt, quos refutat Apo
2.Theſ.2. ſtolus, dicens: Rogamus vos fratres per Aduentum Domini noſtri Ieſu Chriſti, vt non citò moueamini à veſtro ſenſu, neque terreamini, neque per ſpiritum, neque per ſermonem, neque per epiſtolam, tanquàm per nos miſſam, quaſi inſtet dies domini. Ne quis vos ſeducat vllo modo. Quoniam niſi venerit diſceſsio primũ, & reuelatus fuerit homo peccati: & quæ ſequuntur. Sed & noſtris temporibus fuerunt, qui tempus illud adeſſe dixerunt, quorum nomina confuſione nunc plena ſunt. Fuerunt & Chiliaſtæ, qui ex his Euangelij verbis, appropinquat redemptio veſtra, Chriſtum poſtquàm ſecundò reuerſus fuerit, mille annos cum electis ſuis in mundo conuerſaturum eſſe, concluſerunt. Hos omnes aliósque id genus temerarios homines ſcriptura arguit, atque ea propter ab Eccleſia reiectos, communis conſenſus patrum damnauit. Stulta enim & impia eſt inquiſitio earum rerum, quæ ipſi etiam
Math. 24. angeli ignorant. Verùm ea meditari, quę ipſe Deus per Chriſtũ futura prædixit, tam non eſt vitio coniunctũ, vt etiã laudi detur. Atque vtinam in ijs rebus meditandis tam eſſemus diligẽtes, quàm Nabuchodonoſor olim in vnius ſomnij interpretatione fuit curioſus. Conuocat ille hariolos, magos, maleficos, Chaldæóſq;, nec ſomnus illi, nec requies, donec quid ſomnium illud futuri prænunciat, addiſceret. Profectò non videò quomodò poſsibile ſit ſine magna vtilitate illud iudicium cogitare: maximè cùm Salomon dicat: Filij, memora-
Ecc.7. re nouiſsima, & in æternum non peccabis. Et Iob cùm de iu-
Iob 31. dicis iuſtitia cogitaret: Quid, inquit, faciam cũ ſurrexerit ad
Ibid. iudicandum Deus? Et cùm quæſierit, quid reſpondebebo?

Semper

Semper enim quasi tumentes super me fluctus timui Deum,
& pondus eius ferre nō potui. Et Petrus cū multa de illa die 2.Petr.3.
prænunciasset, tandem subdit: Cùm ergo hæc omnia dissol-
uenda sint, quales oportet vos esse in sanctis cōuersationibus
& pietatibus, expectantes & properantes in aduentum diei
Domini? Atq; hoc est quod Paulus in hodierna epistola mo-
nens scribit. Quæcunque, inquit, scripta sunt, ad nostram do- Rom.15.
ctrinā scripta sunt, vt per patientiam & consolationē scriptu-
rarum spem habeamus. Proinde diligenter, quę Christus ad
nostrā doctrinā loquutus est, quæq; de iudicij illius die nobis
scripta sunt, cōsideremus. Neq; enī cōuenit, vt in nostra pro-
pria causa alijs simus diligētia inferiores. Ac principio nō in-
iustè aliquis hîc quæsierit, quæ fuerit Christo hæc de secūdo
suo aduētu, de iudicio, de cōsummatione atq; præcedētibus
signis dicendi occasio. Nā & hoc nostri nos admonet officij.
Factū est aliquādo, vt egrediēti dn̄o, discipuli magnificas tem
pli structuras ostēderent, & admirātes ipsi, dicerēt: Magister,
aspice quales lapides & quales structuræ. Quibus rn̄dens, so Mar.13.
re ait, vt nō relinquatur lapis super lapidē. Postea etiā signa
tempúsq; sui aduētus sciscitātibus, hoc sermone, de quo hæc
lectio desumpta est, respondit. Primúmque templi vrbísque,
veluti Iudaici fundi calamitatem, deinde etiam totius orbis
desolationem describit. Tam paruis initijs toti mūdo abscon
dita mysteria Christus patefacere incipit. Iam certū est, Deū
in isto populo ostēdisse, qualis erga reliquas nationes esse ve-
lit, in bonos pius, in impios iustus. Nam quod Iudęos ex Ae-
gypto liberauit, nostræ ab diaboli tyrannide redemptionis fi
gura fuit. Tum quòd per mare rubrum eduxit, quòd in de-
serto pane atq; aqua mirabili modo cōseruauit, posteà etiam
sacerdotibus, legibus, regibúsque gubernauit: omnia nostri
figuram habent. Paulus enim, cùm eiuscemodi mirabilia Dei 1.Cor.10.
enumerasset: hæc, inquirit, in figura facta sunt nostri. Cùm
ergo idem ille populus vrbe templóque conflagratis perijt,
quid obstat, quominùs & hac sua perditione totius figura in-
telligatur orbis? Enimuerò quemadmodùm vrbis illius si-
gna prodigiáque præcesserunt excidium, quæ illud (Iosepho
teste) nō obscurè significabant: ita & orbis desolationē (Chri
sto teste) præcurrunt mirabilia. Tum verò vbi similis caussa
interitus est, quomodò non similis expectabitur effectus?
Ioannes quoque mundi interitum prædicans. Transit mun 1.Ioan.2.

dus,ait,& omnis concupiſcentia eius.Cur enim concupiſcen
tiam nominat,niſi quòd hæc mundi interitus cauſſa ſit? Ete-
Ioan.3. nim de mundi excidij cauſſa loquens Dominus: hoc eſt,in-
quit iudicium,quia lux venit in mundum, & dilexerunt ho-
mines magis tenebras,quàm lucem.De Iudæorum verò cala
Luca 19. mitate dicturus flens ait: Quia ſi cognouiſſes & tu, & qui-
dem in hac die tua,nunc autem abſcõdita ſunt ab oculis tuis.
Matth.23. Et alibi:Ieruſalem,Ieruſalem,quæ occidis Prophetas, & lapi
das eos,qui ad te miſsi ſunt:Quoties volui congregare filios
tuos,quemadmodum gallina congregat pullos ſuos ſub alas,
& noluiſti?Ecce relinquetur vobis domus veſtra deſerta. Præ
dixit hæc Chriſtus Iudæis, nos impleta iam cernimus. Nec
licet nobis blandiri,quibus ſimilis cauſſa,ſimilẽ minatur per-
ditionem, nec de alieno damno gloriari: Imò oculatis hîc
opus eſt ad noſtra delicta, ac meminiſſe decet eorũ, qui cùm
aliquando de Pilati tyrannide ad Chriſtũ referrent,audiunt:
Luc.13. Putatis quod hi Galilæi præ omnibus Galilęis peccatores
fuerint,quia talia paſsi ſunt?Non:dico vobis,ſed ſi non pœni
tentiam habueritis,omnes ſimiliter peribitis, ſicut decem illi
& octo,ſuprà quos cecidit turris in Siloë,& occidit eos: pu-
tatis quòd & ipſi debitores fuerint præter omnes homines
habitantes in Ieruſalem? Non:dico vobis,ſed ſi non pœniten
tiam habueritis,omnes ſimiliter peribitis. Satis apertè indi-
cat,priuatam illã animaduerſionem, habere reliquorum om
nium & figuram & admonitionem. Cùm igitur Iudæorum
ruinas legimus,ad fugam vniuerſalem noſmet præparemus.
Nec ſolùm in poſtremam illam euerſionem (cuius ante hoc
Euangelium Dominus meminit) verùm etiam ad priora il-
Gen.7. lis ſæcula reſpiciamus. Inueniemus enim nunc totum mun-
dum diluuio perijſſe,propter concupiſcentiam ac vitæ impie
Gene.9. tatem:nunc eandem ob cauſam Sodomam Gomorrámque
Exod.14. conflagrauiſſe:Sed & Pharaonem pro tyrannide ſua in Dei
populum ſignis & portentis vexatum, nouiſsiméque in ru-
Num.16. bro mari ſubmerſum: Et Dathan cum Abyron terra dehi-
2.Reg.18. ſcente ſuffocatos: Et Abſolonem miſerè in ipſo parricidij fu-
rore occubuiſſe. Hæc,inquam,omnia, idque genus alia, quæ
hîc enumerare non eſt neceſſe, cogitemus, & Dei irati ſigna
eſſe meditemur: tum nos quoque ſimili culpa teneri confitea
mur. Sic pœnitentiam agentes, demeritas pœnas irámque
1.Cor.11. Dei euitabimus. Quoniam ſi noſmetipſos diiudicaremus,
non vti-

non vtique à Domino diiudicaremur. Quòd si nimiam vetustatem signa illa sapiant, & remotiora à nobis esse, nihilq; ad nos pertinere, arbitramur: Italiæ aliarúmque nationum alluuia, inundationésque, maximè Mauritio Cæsare, quarum etiam Gregorius meminit, cogitemus. Cogitemus terræ motus magnos atque frequentes. Et licèt nostra ætate terræ motus sint rariores, alia tamen passim tam horrẽda támque multa signa & monstra audimus atque videmus, vt finem mundi in propinquo esse, nemo dubitare possit. Etsi maximè venturi iudicis signa non sunt: sunt tamen plagæ Dei, & iræ ipsius testimonia, futuríq; temporis figuræ, quibus meritò nostræ salutis admonemur. Nam si qui domum aliquã ruinosam inhabitas, nunc hac, nũc illa parte fragores audis: nec aliud quã proximam & certã ruinam totius domus inde colligis, ac propterea, si sapis, aliò te confers, imminentémq; ruinam fugis: quanto magis mundi labentis fragoribus admonitus, ne te opprimat, ruinam fugis? Petrus Apostolus diem Domini, veluti furem appropinquare dicit, & tamen hac ipsa die cœlos magno impetu transituros esse. Cur non igitur quæ nunc in conspectu omnium sunt, quasi impetus illius futuri antecambulones consideremus? Clamat alius Apostolus futurorũ præscius: Cecidit, cecidit Babylon magna. Babylon mundum interpretati sunt sancti Patres. Cur ergo domum domui, agrum agro coniungimus: quasi perpetuò in mũdo mansuri simus? An nõ legimus Dñm in Propheta loquẽtem: Si exaltatus fueris, vt aquila, & si inter sydera posueris nidũ tuum, inde detraham te? Et: Fuge, O Sion, quæ habitas apud Babylonem O ô ô fugite de terra Aquilonis. Et per Apostolum: Nolite diligere mundum, neq; ea quæ sunt in mundo. Cur cũ Dei voluntate pugnamus, cur rectè monentẽ non audimus? Atq; hæc quidẽ ideò dicta sint, vt nõ solũ qua occasione Christus hæc Euãgelij verba dixerit, videamus, aut ipsum sequentes, eundẽ modũ in prædicãda consummatione teneamus, quẽ ipse: sed etiã, ac multò magis, vt ad eiuscemodi prædicationẽ attentiores reddamur: diligẽtiùs auscultemus, pertinaciq; memoria conseruemus, quæ audiuerimus. Post eas igitur quas de vrbis illius magnæ desolatione habuit prædicationes, de orbis transitu, sermone conuerso ait: Erunt signa in sole, & luna, & stellis: & in terris pressura gentium, præ confusione sonitus maris, & fluctuum: arescentibus homini-

2. Pe. 3.
Apocal. 18.
Isai. 5.
Abd. 1.
Zac. 2.
1. Ioan. 2.

bus præ timore & expectatione, quæ superuenient vniuerso orbi. Nam virtutes cœlorum mouebuntur. Qualiacunq; hęc sunt, quæ dicit: signa sunt iudicis Christi aduentũ præcedentia. Ostendit autem, quòd commotis quatuor elementis, cœlo, aqua, terra, atque igni, homo eorum dein ministerijs minime sit vsurus: tum, quòd incredibilis quidam mẽtium pauor homines non vnum aliquem sed vniuersum orbem habitantes, sit peruasurus & consumpturus. Quãquàm autem hîc pauor in genere omnes peruadet: quia omnium illa vox est:
Psal. 142. Ne intres in iudicium cũ seruo tuo, ne in furore tuo arguas
Psal. 6. me, neque in ira tua corripias me, sed sub vmbra alarum tuarum
Psal. 16. protege me: impios tamen præcipuè affliget. Erit enim
Matth. 24. pijs cadauer, quo congregentur, Christi corpus immolatum & assatum in crucis veru, potens ab omni malo suos seruare. Non autem spiritualiter tantùm (vt quidam falsò autumãt)
Malach. 4. hæc signa apparebunt: sed & corporaliter. Nam quòd ad spiritualem sensum eorum: iam olim impleta & visa sunt. Christus enim iustitiæ sol apud multos obscuratus est: & luna mutabilis ecclesia splẽdorem illum bonorum exemplorum non habet: imò pro intestinis motibus in sanguinem versa est.
Matth. 5. Aut: Sol Ecclesiastica potestas, quam & Christus lucẽ dicit, obscurata est: & luna, secularis magistratus, in sanguinem, tyrannidem, inquam, versus est. Tũ stellæ, homines plebei, quorum erat lucere in mundo, sicut stellæ in firmamento, in om-
2. Tim. 3. nis generis peccata atque errores recidunt. Id quod Paulus signanter scripsit. In nouissimis diebus, inquit, instabunt tẽpora periculosa: & erunt homines seipsos amantes, cupidi, elati, superbi, blasphemi, parentibus non obedientes, ingrati, scelesti, sine affectione, sine pace, criminatores, incontinẽtes, immites, sine benignitate, proditores, proterui, tumidi, cœci, & voluptatum amatores magis quàm Dei: habentes speciẽ quidem pietatis, virtutem autem eius abnegãtes. Hæc, inquam, spiritualiter iãdudũ peruulgata sunt, fiúntque (dolor) quàm expedit, sæpiùs. Verum externè etiam, & circa visibilia illa & assignata à Christo Iesu elementa, visibili modo implebuntur, suíque nouitate & admiranda crudelitate in stuporẽ angorémque multos agent. Nimirùm, vt immẽsum iudicij horrorem prædicent: vt & hîc per creaturas, quibus iniquè vsi sunt, impij puniãtur: vt ipsæ suum ministerium, quod nõ vo-
Rom. 3. lentes omibus in genere præstiterunt hactenùs, deponere &

renun-


renunciare palàm testificentur: vt deniquè senectam mundi denuncient. Has ob caussas etiam externè implebuntur & apparebunt: vt dum pręter rationem fiunt humanam, homines omnes earum rerum admoneantur, quæ futura prædixit is, qui falli nequit. Neque enim visitatum quid, sed omnia præter morem, præter naturam, præter rationem humanam apparebunt. Id quod alijs scripturę locis manifestè faciã. Nudè enim & simpliciter proponã, quid alij cùm noui tum veteris Testamenti scriptores viderint, atque ea de re conscripserint. Erit enim hoc, vt collatis omnium vocibus horror illius tremendæ diei appareat, & consideretur euidentiùs. Nam cùm Christus in Matthæo tãtam hanc tribulationem fore dicit, vt æquè magna ab initio non fuerit, neque futura sit: necessariò & rectè in eam rem intentis oculis respicimus. Duplex autem genus tribulationum erit. Quædam enim corpus, quædam etiam animam affligēt. In ijs quæ corpus: sunt bella, opiniones bellorum, gentiũ regnorúmque cõtentiones: tum pestilentiæ & fames, deniquè occisiones. Sed & temporis inconuenientia mala hæc fortè exaggerabit. De nutrientibus aut prægnantibus taceo: earum enim votis, peculiaris quædã infidiabitur calamitas. In ijs verò quę animã afflictiura: sunt pseudoprophetarum licētia, seductorum numerositas, iniquitatis abundantia, charitatis remissio, & qui hæc omnia facit & superat, homo peccati. Quædã porrò corpus simul & animam inuasura sunt: illa nimirũ, quæ in cœlo apparebũt. De quibus omnibus Propheta atque Apostoli scripserũt. Isaias enim ait. Vlulate: quia propè est dies Domini: quia vastitas à Domino veniet. Propter hoc omnes manus dissoluentur: & omne cor hominis tabescet, & conteretur. Torsiones & dolores terrebunt: quasi parturientes dolebunt. Vnusquisq; ad proximum suũ stupebit: facies cõbustæ vultus eorũ. Ecce dies Dñi venit crudelis, & indignationis plenus, & iræ furorísq;, ad ponendã terrã in solitudinem, & peccatores eius conterendo de ea: qm̃ stellæ cœli & splendor earũ nõ expãdēt lumē suũ. Obtenebratus est sol in ortu suo: & luna nõ splendebit in lumine suo. Et mox: Et erit quasi damula fugiēs, & quasi ouis: & nõ erit, q congreget. Et Sophonias: Iuxta est dies Dñi magnus: iuxta est, & velox nimis. Vox Dei Dñi amara: tribulabit ibi fortis. Dies irę, dies illa: dies tribulatiõis & angustię, dies calamitatis & miseriæ, dies tenebrarum & caliginis, dies nebulę & turbi-

Matth.24.

Ibidem.

Isaia 13.

Sopho.1.



nis:dies tubæ,& clangoris.Et tribulabo homines,& ambulabunt vt cæci: quia Domino peccauerunt. Et effundetur sanguis eorum sicut humus: & corpora eorum sicut stercora.
Amos 2. Et Amos:Peribit fuga à veloce:& fortis non obtinebit virtutem suam:& robustus non saluabit animam suā:& tenens arcum non stabit:& velox pedibus suis non saluabitur:& ascensor equi non saluabit animam suā:& robustus corde inter for-
Amos 9. tes nudus effugiet in die illa,dicit Dominus.Et iterū:Nō erit fuga eis. Fugient:& non saluabitur ex eis,qui fugerint.Si descēderint vsque ad infernū, inde manus mea educet eos.Et si ascenderint vsque ad cœlos,inde detrahā eos.Et si absconditi fuerint in virtice Carmeli,inde scrutans auferam eos:& si celauerint se ab oculis meis in profundum maris, ibi mandabo serpenti,& mordebit eos. Et si abierint in captiuitatē coram inimicis suis,ibi mādabo gladio,& occidet eos:& ponam oculos meos super eos in malum,& non in bonum.Et Dominus Deus exercitium,qui tangit terram, & tabescit, & lugebunt omnes habitātes in ea.Hæc atque alia similia Prophetæ de illa die prodiderunt memoriæ. Quibus in nouo Testamento Christus non absimilia,deinde etiā Apostoli tradiderunt.Et quid Christus ea de re dixerit,longū esset hîc narrare. Nam ipsa Euangelica lectio, veluti epitome quædam est omnium.
Apocal.6. Ioānes verò in Apocalypsi quoq; huius diei meminit. Sol, inquit,factus est niger,sicut saccus Cilicin⁹: & Luna tota facta est sicut sanguis:& stellæ de cœlo ceciderūt super terrā. Et cœlū recessit sicut liber inuolutus: & omnis mōs & insulæ de locis suis motæ sunt.Et Reges terræ,& principes,& tribuni,& diuites,& fortes, & seruus omnis atq; liber absconderunt se in speluncis,& in petris montium: & dicunt montibus & petris:cadite super nos, & abscondite nos à facie sedentis super thronum,& ab ira agni:quoniā venit dies magnus iræ ipsius.
Malach.4. Et quis poterit stare? Hūc pertinēt,quæ Malachias de Elia,
Apocal.11. & Ioannes in Apocalypsi de Enos prædicauerunt: quæq; de
1.Thess.4. angelis tuba sonantibus,deq; voce filij Dei Christus & Pau-
Ioan.5. lus docuerunt. Et hactenùs de signis tantùm venientem iudi-
Luc.21. dicem prænunciantibus,hæc dicta sint.Post signa filius hominis videndum se cunctis in nube exhibebit. De quo Lucas & Paulus in nouo,Daniel inter omnes clarissimè in veteri Te-
1.Thess.4. stamento locuti sunt,& scripserūt. Huius autem visio pijs ad
Dan.7. gloriā,impijs erit ad ignominiā.Id quod Dominus in Euangelio in-

gelio innuit, cùm se venturum ait, non modò cum maiestate, verùm etiam cum potestate magna. Idem enim iudex bonis lætitiam, malis adferet mœrorem. Quemadmodum eadem signa aduentus ipsius vnicuique pro merito suo, vel gaudium adferent, vel terrorem. Duos enim effectus innuit Christus signorum: cùm & pressuram gentium arescentibus hominibus præ timore, prædicit: & vt pij, hæc fieri incipientibus leuent capita, respiciántque, præcipit. Quòd si exactè naturam signorum perscrutari voluerimus: tria, quæ malos territent, tria etiã quæ bonos lætificent, inueniemus in eis. Malis enim finem mundi, iudicium futurum, damnationémque prædicit æternam: Bonis contrà, certam securitatem, plenam redemptionem, & Dei regnum prænunciat. Quomodò autem finis mundi, iudicium futurum, atque adeò ipsa æterna damnatio, non erunt formidabilia ijs, qui hîc suam fœlicitatem sibi imaginantur, quod respondeant non habent, & sine fine cruciatum perpessuri sunt? Contrà, quomodò non erunt exoptata, certa securitas, plena redemptio, vitáque æterna, ijs, qui hîc vndique molestantur, captiui tenentur, & miseram seruitutem sustinent? Nemo Philosophorum vnquam tã certa vel sciuit ipse, vel tradidit alijs de mundi transitu, quàm hîc Christus prædixit. Cœlum & terra transibũt, verba autem meã non transibunt. Quid ergo voluptatem vestram quæritis, vbi certam perditionẽ expectari intelligitis? Cogitate hæc diuites, qui domum domui iungitis: intelligite superbi, qui exaltatis nidos vestros: intelligite & fugite, fugite, & nolite respicere. Saluate animas vestras: meliùs est enim vnum oculum habentem in vitam intrare, quàm duos oculos habentem mitti in gehennam ignis. Quòd si mundi transitus nihil vos mouet: futurum omnibus iudicium cogitate: in quo dictorum factorúmque, imò & cogitationũ reddenda ratio: & accipiẽda, vel pro benefactis bona, vel pro male penetratis mala, expectandáque sunt. Cogitate, inquã, iudicem iustum, iudicẽ sapientem, iudicẽ omnipotẽtem. Iob 9. Psal. 32. 148. 103. Roma. 9. Luc. 21. Phil. 2. Psal. 138. Ierem. 17. Heb. 4. Ecc. 1. Psal. 7. Psal. 61. Cogitate, inquã, eundẽ judicem esse & accusatorem. Matth. 25. Sitiui & nõ dedistis. 1. Cor. 4. Matth. 10. Dan. 7. Apocal. 14. Cogitate, inquam, quòd iudex omne iudicium à patre datum habeat. Ioan. 5. qui claudit, & nemo aperit. Apoc. 3. Cogitate nullã excusationem tunc ho-

Luc. 21.
Isaia 3.
Abac. 2.
Genes. 9.
Matth. 18.
Matth. 12.

rum habere,nihílque prodesse.Ezech.7.Apocal.13.Galat.6. Ezech.18.Matth.12.18.Luc.3.Sed si nec hæc aliquid permouent: vel hac ipsa ratione miseri saltem & aliquando tandem sempiternam gehennam inspicite: quã iudex ferat sentẽtiam
Matth.25. audite.Maledicti,inquit,ite in ignem æternum. Ecce,quæ & quàm multa pericula malis parata sint:mundi transitus,iudicium,atque æterna damnatio. Atque ô miseros,ô infœlices nos,qui tantis malis meliorum non admonemur, aut mouemur. Sed mihi cum impijs negotium nullum est.Primas boni nostro in sermone tenent.Et cur non,quùm & ipse Christus piorum meminerit,quando ista tanta támque multa ma
Luc.21. la de impijs prædixit?Impijs dictum est:erit in terris pressura gentiũ,præ confusione,&c.Sed quid pijs? Leuate,inquit, Dominus,capita vestra,& respicite, quoniam appropinquat redẽptio vestra:Imò regnum Dei in foribus est.Quid autem expectatum obtingere poterit,præter certam securitatẽ: maximè,quando illa tam vehemens támque formidabilis anxietas omnes peruasura est impios? Sed hanc præstant, cũ fides firma,tũ pacata cõscientia. Sed & quid expectatiùs obtinget bonis omnibus,præter redemptionem perfectã? Et hanc qui
Rom.8. dem iampridem Christus pro nobis impetrauit, & adeptus est.Sed necdum ea perfectè frui licet:quandoquidem in hoc mortali corpore tenemur captiui. Cùm autem Christus apparuerit,vita nostra:tunc demùm & nos apparebimus in illo. Deniquè hæc summa atque omnium perfectissima piorum omnium expectatio est:vita æterna,seu regnum Dei,summa inquam,perfectissima,atque abundantissima omnium bonorum copia.Scitote, inquit Dominus: quia appropinquat regnum Dei.Idq; aduenientis æstatis similitudine comprobat.
Rom.15. Agite ergo, verbo Christi fidẽ habeamus:quòd expectat Do
2.Tim.3. minus,patiẽtiæ diuinę argumentũ sciamus.Cogitemus priores ruinas:tot eius rei argumẽta similitudinésque consideremus.Nobis hæc scripta esse,& ad nostrã doctrinã pertinere, intelligamus. Respiciamus ad Noẽ diluuijq; tempora. Pauci verbo Christi fidẽ habuerũt:venit tñ tẽpus,quod certò prędi
Matth.24. xerat Deus. Eámque ob causam non simus negligentes:no-
Genes.7. strãm nosmet operemur salutem.Sobrij simus:vigilemus.nec tantùm ab omni malo, verùm ab omni mali specie abstineamus: & quod restat tẽpus, in pietatis sanctitatísque studium impendamus. Veniet,veniet Dominus,& non tardabit. Veniet Iu-

niet Iudex,Veniet iustissimus.Huic ergo occurrere studeamus:ipsique nos per omnia,pro viribus,próque modulo acceptos reddere studeamus.Huic laus per omne seculum,qui venturus est iudicare viuos & mortuos in secula. Amen.

DOMINICA ADVENTVS III. EVANG. MATTH. XI.

IOannes,cùm audisset in vinculis opera Christi,mittens duos de discipulis suis,ait illi: Tu es qui venturus es,an alium expectamus?Et respondens Iesus,ait illis:Euntes renunciate Ioāni,quæ audistis & vidistis. Cæci vident,claudi ambulant,leprosi mundātur,surdi audiunt,mortui resurgunt,pauperes Euangelizantur:& beatus est, qui non fuerit scandalizatus in me. Illis autem abeuntibus, cœpit Iesus dicere ad turbas de Ioanne:Quid existis in desertū videre?Arundinē vento agitatam? Sed quid existis videre? Hominem mollibus vestitū?Ecce,qui mollibus vestiūtur,in domibus regum sunt.Sed quid existis videre?Prophetam.Etiam dico vobis,& plus quàm Prophetam.Hic est enim de quo scriptum est:Ecce ego mitto angelum meum ante faciem tuam,qui præparabit viam tuam ante te. Non surrexit inter natos mulierum maior Ioanne Baptista.

EADEM DOMINICA EPISTOLA, I. COR. IIII.

SIc nos existimet homo,vt ministros Christi, & dispensatores mysteriorum Deī.Hîc iam quæritur inter dispensatores,vt fidelis quis inueniatur.Mihi autem pro minimo est , vt à vobis iudicer, aut ab humano die. Sed neque meipsum iudico. Nihil enim mihi conscius sum: sed non in hoc iustificatus sum. Qui autem iudicat me, Dominus est. Itaque nolite ante tempus iudicare, quo-

adusque veniat Dominus:*qui & illuminabit abscondita tenebrarum, & manifestabit consilia cordium: & tunc erit laus vnicuique à* Deo.

SERMO.



VOS non minimos Christianæ Religionis articulos superioribus duobus sermonibus ꝓposuimus: alterũ aduẽtus Christi in carnẽ, alterũ aduẽt⁹ eiusdẽ in iudiciũ. Ille misericordię erat, hîc erit iustitiæ. Illîc mortuas in semetipsis animas viuificauit ad vitã: hîc corpora mortalia & mortua viuificabit ad gloriã: vnus ille idémque Iesus Christus, mortis vitæq; habẽs imperiũ. Nihil in his humanæ intelligẽtiæ valet ratio: ipsam enim naturã trãscendũt. Fidei hic requiritur oculus, requiritur necessariò: & ita omninò, vt si crediderimus, vi-
Propositio. tam, sin minus, mortẽ habeamus propositã. Commodũ ergo hoc summa industria agitur, vt tantæ rei tam necessaria fides in nobis exuscitetur sopita: exuscitata alatur, & sacrarum scripturarũ fomentis conseruetur. Hodie igitur magnæ fidei vir Ioannes Baptista, Christi præcursor, inter natos mulierũ maximus, plus quàm propheta, angelus, cum suo cõstanti illo & indubitato testimonio in medium producitur. Ad hæc ipse Christus cũ operibus suis supernaturalibus, diuinitatis maiestate plenis, cõsiderãdus offertur: omniáq; ita instituta sunt, vt de maximis religionis nostræ rebus, nemo, nisi suijpsius hostis, vllo modo dubitare possit. Cùm enim lege ita se cõsti-
Matt.17. tutum, vt in ore duorum aut trium testium stet omne verbũ:
Ioan.5. dubitatio omnis iniqua est, vbi tam firma extant testimonia
Ioan.10. Ioannis & Christi operum. Et quanquam Christus maius testimonium habeat, quàm est Ioannis, (opera enim, inquit Christus, quæ ego facio, testificantur de me, quòd pater miserit me: Si mihi non vultis credere, operibus credite) tamen Ioannis quoque amplectẽdum est testimonium. Venit enim
Ioan.1. propterea in testimonium, vt perhiberet testimonium de lumine: vt omnes crederent per illum. Sed antequam producamus testimonium Ioannis, personam ipsius cõsideremus. Et principio quidem de eo dicitur, quòd in carcere audierit opera Christi. Quæ captiuitatis caussa fuerit, Matthæus non
Marc.6. commemorat: sed Marcus, propter Herodiadem vxorem Philippi fratris Herodis vinctũ fuisse in carcere ait. Arguebat enim Herodem Ioannes: nec licere sibi habere fratris sui, dixerat,

dixerat, vxorem. Videbat optimus vir nomē Dei per hoc blaſphemari: honeſtatem turpitudine obſcurari: pietatem extingui: tum hominibus peſsimi rē exempli proponi: partímque zelo Dei, partim hominis Regis amore, illicitum quod erat, *Luc.1.*
corripiebat: apertè indicans, ſe, iuxta Angeli vaticinium, in *1.Reg.18.*
ſpiritu & virtute Eliæ præire Dominum. Elias enim nil veritus pericula, regem Achab ſæpè arguere ſolebat. Ingenui homines nō poſſunt aliter, vbicunque de Dei honore atque virtutis honeſtate res agitur: nec verò debent aliter: maximè ſi, vt contrà pugnent, officium poſtulat: vt Ezechias ſciſsis veſti- *Iſaia.37.*
bus deteſtabatur Rabſaces blaſphemias in Deum Iſrael. Et illuſtre exemplū eſt boni verbi Dei miniſtri Ieremiæ actio. Cōprehenſus licèt à ſacerdotibus & morte reus iudicatus: tamē ab officio non deſtitit. Ecce, inquit, in manibus veſtris ego *Ierem.26.*
ſum: facite mihi quod bonum & rectum eſt in oculis veſtris. Veruntamen ſcitote & cognoſcite, quòd ſi occideritis me, ſanguinem innocentem tradetis contra voſmetipſos. Sed nec pro impatientia contra Deum in carcere Ioannes obmurmurat. Alius fortè, ſciens quàm Deus peccatores odiat, & bonus ſit in ſe ſperantibus, atque eiuſmodi caſum ſuum, conſideraſſet: animo deſperaſſet, & Deum impio magis Regi, quàm captiuo fauere dixiſſet. Sed credētium, maximè eorum, qui pro nomine Dei ac virtutis defenſione affliguntur, imaginem repræſentauit: oſtendítque in eo Deus, quid ſubſequentibus temporibus in mēbris ſuis eſſet paſſurus. Sicut alibi in ſua atque fidelium perſona conqueritur: Poſuerunt aduerſum me mala pro bonis, & odium pro dilectione mea. In Hero- *Pſalm.108.*
de autem Mundi huius ac pietatis hoſtium imago expreſſa eſt: qui et ſi vident & probant, quæ recta ſunt, ne tamen de ſua authoritate aut commodis aliquid perdent, malunt veritatem oppugnare. Et hæc prima Ioannis conſideratio eſt, quæ ſimili fortuna preſſos conſolatur fortiſsimè. Etſi enim Ioannes à Deo abiectus videretur: magna tamen ipſum laude dignatur Chriſtus: vt palàm oſtenderet captiuitatem hāc inſonti prodeſſe, & commodare ad gloriam, nec quicquam illum ſine Dei diſpoſitione pati. Alia quoque ratione conſiderandus eſt, qua legis Moſaicæ portauit figuram. Vt enim Ioannes Chriſtum, ita lex præceſsit Euangeliū. Ioanni atque legi idem fuit officium: hoc tantùm excepto, quòd Ioannes in Chriſtum digito monſtrauit. Legis autem officium erat,

perterrefacere homines, peccata ostendere, viam Christo fa-
Galat.3. cere: vt eò ardentius amplecterentur Euangelij sermonem.
Gala.4. Vt Paulus de lege ait: Pædagogus noster fuit ad Christum.
Deinde lex durauit vsq; ad promissum semen Abrahæ. Hoc
verò cum Euangelij luce radiante, cessauit legis vmbra: exple
to definito tempore, hæres tutoribus & actoribus se abdica-
Ioan.3. uit. Ita & Ioannes, quemadmodũ ipse de se atque Christo di
xit: oportet crescere, me autem minui. Cessauit quod ex par-
te erat, quia venit, quod perfectum erat. Atq; hic Dei nobis
prouidẽtia prædicanda erat, qui omnia disponit suauiter. Si
enim vel lex cum Euangelio, vel Ioãnes corporaliter cũ Chri
sto simul mansissent: nunquã pacata fuisset Ecclesia. Nam &
sublata lege quidam circumcisionem cum Euangelio prædi
candam esse censebant: sed ab Apostolis Euangelij Prædica-
toribus refutati sunt. Quid fecissent manente lege? Id quod
non sic accipi volo, quasi in Euãgelij prædicatione nihil eo-
rum quæ in lege scripta sunt, in medium proferendum sit:
multa enim illic sunt, quæ Euãgelij doctrinam confirmãt &
elucidant: tum Ioannis prædicatio de pœnitentia, de fide,
déque hominum moribus planè necessaria est. Neque enim
verum est, quod quidam falsò putant, pœnitentiæ prædica-
tionem obscurare merita Christi: quia pœnitentia vsum meri
torum Christi docet, cùm se sine Christi meritis nihil valere
ad salutem agnoscit, & in ijs confirmatur & valet. Imò cum
pœnitentia nobis verè applicantur Christi merita per fidem:
præstantia meritorũ elucidatur: vt quæ sine illa applicari nobis
nec debeant, nec quidem possint. Legis ergo typũ Ioan-
nes gessit carcere & morte, sicut & piorum omnium. Nunc
porrò, quatenus testis fuerit Christi, cõsideremus personam
ipsius. Et hîc multa in eo consideranda sunt: non genus aut
patriam dico, nec ipsam etiã admirandã natiuitatẽ quæque
in ipsa & antea dicta, factáue sunt: Sed quæ ad officium eius
propriè pertinent. Ac principio, quòd missus est in mini-
sterium Dei, videamus. Sicut alius Ioannes scribit à Deo
Ioan.1. fuisse missum in testimonium. Et Lucas, Verbum Domini,
Luc.3. inquit, factum est super Ioannem Zachariæ filium in deser-
to. Sed & CHRISTVS ipse idem de eo testatur. Hic est,
Matth.11. inquit, de quo scriptum est: Ecce ego mitto angelum meum
Malach.3. ante faciem tuam, qui præparabit viam tuam ante te. Ne-
que verò parum est, missum esse, & à Deo missum esse.

Paulus

Paulus vult vocatus esse Apostolus,non ab homine, neque *Galat.1.*
per hominẽ,sed à Deo immediatè.Non per quoslibet Deus *Ioan.13.*
opera sua exequitur. Ego noui, inquit,quos elegerim: & in
Matthæo officia sua deferentem,non suscepit.Vocat autem
Deus siue mittit alios immediatè per seipsum:vt Eliam,Mo- *Matth.8.*
sen,Ioannem, Paulum:alios mediatè per homines: vt Mat-
thiam, & per Apostolos Apostolicósque viros ordinatos.
Mittuntur alij ab hominibus,qui suffragijs populi eò proue-
huntur.Et in his maior prærogatiua eorũ est,qui immedia-
tè à Deo ipso vocãtur.Sunt præter hos alij,qui à populo au- *Ierem.14.*
ribus pruriẽte intruduntur:alij,qui semetipsos ingerunt.De *& 27.*
quibus in Ieremia Dominus conqueritur.Nõ mittebã eos,
inquit,& ipsi currebant:nõ loquebar ad eos,& ipsi propheta
bant.Displicet horũ audacia Deo:nec impunitã inquit.Exẽ-
plo sunt,qui sese vltrò Dei populo suppetias laturi ingesserãt,
ducti ambitione & gloria: qui omnes magna calamitate suc-
cubuerunt:propterea tantummodò,quòd non essent de illo *Macha.5.*
semine,in quo Dominus populum suum liberare proposue-
rat.Quis autem miretur expectatum minimè consequi effe-
ctum,vbi legitima spernitur vocatio,sine ordi ne tumultuan-
tes irrumpunt,sine delectu assumuntur,nulla vel vitæ vel do-
ctrinæ habita inquisitione?Imò quis non miretur Dei Opt.
Max.longanimitatem hac in re,cùm certum sit,Magistratus
plus domos proprias curare,quã Ecclesiam Christi?Nemo
seruum nisi prius exploratum & probatum familiæ suæ aut
labori præficeret:at in Ecclesiam admittuntur noti,incogni
ti:probi,impij,pij,sacrilegi. Neque tamen ignorare possu-
mus, quantum ex hac Magistratus negligentia, turpisque
somnolentia,Ecclesia Christi damni incommodíque accepe-
rit hactenùs,atque acceptura fiet imposterum. Corrupti id
satis declarant mores:loquitur barbaries: gemebunda con-
queritur pietas:vim sibi inferri clamant Sacramenta, Fides,
Religio.Euigilate aliquando Proceres: laboranti succurrite
Ecclesiæ:non nisi à Deo missos,hoc est, pios,sanctos, erudi-
tos,vestróque examine exploratos probatósque admittite.
Idque illius sancti viri exemplo,de quo nunc verba facio.Hic
enim antequàm nascitur,sanctificatur: & missus à Deo,ita
officio suo incubuit, vt doli suspitione omni careat, & cui II
fides habeatur,dignus sit.Deinde etiam vox clamans dicitur *Ioan.1.*
Ioannes:ac talem seipsum dixit & probauit ex Isaia assum- *Isai.40.*

pto vaticinio. Quo certè nomine officij sui propriũ insinua re voluit: nec tamẽ sui tantùm, sed omnium quoque, quotquot Christum prædicant. Officium sanè per sese arduum: quòd indefessos labores, magnam cum vigilantia curam so licitudinémque, ingentẽ Dei zelum postulat. Non vult frigi dè tractari verbũ Dei: totum hominem cúmque industrium requirit. Aptißimè verò significatur hoc studium Ioannis aliorúmque, per has dictiones: vox clamans. Vt enim is qui voce clamat, hoc intendit, & in hoc totus incumbit, vt audia tur, & aliquid efficiat: ita & Ioannes audiri voluit, hoc est, aliquid efficere. Nolebat canis mutus esse, non valens latrare, sed vox viua & personans: nolebat aliquid in seipso habere, quod non totum pœnitentiam atque fidem sonaret. Itaque nihil se præter vocem clamantẽ dixit. Idipsum quoque
Isaia 18. Dominus in Isaia vult. Clama, inquit, ne cesses: exalta vt tu
..4. bam vocem tuam: annuncia populo meo scelera eorum. Et Paulus hoc expreßiùs loquẽs, cùm Timotheũ Ecclesiasten institueret, Insta oportunè (inquit) importunè, argue, increpa, exortare, cum omni lenitate & doctrina. Nec aliud vo
1.*Cor*.4. lunt voculæ illæ, quæ hodie ex Paulo sunt recitatæ. Ministros Dei, dicit, dispensatores mysteriorum Dei, fideles. Hic iam quasi in speculo quodam perfectionis, suam imperfectionem agnoscant ij, quibus pascendarum ouium cura demandata & commissa est: somnolentiam maiori vigilantia corrigant: emendent studium: comminationes promißionésque Dei ea de re in Propheticis atque Apostolicis scriptis factas, cogitent: & veluti appẽsum quid ante oculos statuant.
III Iam tertiò, pœnitentiam Ioannes prædicauit, verbo, baptismo, vita. Est autem pœnitentiam prædicare, peccata demonstrare & arguere: ad emendationẽ prouocare: impœnitẽtes corripere, Deíque iram & iudicium denunciare. Hæc omnia Ioannes vehementißimè non vno in loco vrsit. Venit, in-
Luc.3. quit Lucas, in omnem regionem Iordanis, prædicans baptismum pœnitentiæ in remißionem peccatorum. Ecce securis
Matth.3. ad radicem arboris posita est. Omnis igitur arbor, quæ non facit fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur.
Matth.14. Et ad Herodem postea: Non licet tibi habere vxorẽ fratris tui. Quis autem non videt, quàm in hac quoque parte Ecclesiarum nostrarũ ministri dißimiles sint Ioanni, adeóque ipse Ioannes pœnitentiæ Præco carceri inclusus sit: vt nusquàm fe-

quàm ferè vox eius audiatur? Olim propheticus sermo repre *Ezech.13.*
hendebat eos, qui puluillos sub omni cubito manus consue-
rent, faceréntque ceruicalia sub capite vniuersæ ætatis: qui
interficerent animas quæ non moriuntur: viuificarent mori
turas: quantò rectiùs idem faceret nunc, quando sine discri-
mine bonum malum, malum dicitur bonum? Alius excusat *Isai.5.*
principum tyranniden, alius subditorum inobedientiā: alius
superbiam, alius auaritiam defensat: nec quicquam inueni-
tur tam iniquum, quod non habeat defensionis patronum.
Hinc omnium ordinum peruersitas, & quiduis audendi li-
centia: quam si tollendam censebimus, vt tollenda omninò
est: pœnitentiæ prædicatio instauranda est, vrgendáque non
sermone tantùm, sed excommunicatione etiam, & animad-
uersione. Quartò, Ioannes viam domini præparauit. Et hic IIII.
finis illi fuit laborum omnium, vt Domino ad homines iter
pateret. Non subsistit in applausu populi, nec sibi aliquid tri-
buit: nihil præter Domini gloriam, & salutem hominum
quæsiuit. Nam cùm putaretur esse Christus, intantū se Chri
sto inferiorem profitetur, vt indignum se iudicet, qui Chri- *Luc.3.*
sti calciamentorum soluat corrigiam. Quo sanè sibi nihil
tribuere voluit, Christo verò omnia. Id quod per illud quo-
que confirmatur, quòd discipulos suos zelo magistri accen-
sos, & Christo inuidentes, ad Christum ablegat: vt verbis fa
ctísque eius in recta fide magis confirmarentur, ac Christum
Messiam confiterentur. Certum est enim Ioannem nihil de
Christo dubitasse. Neque enim à Christo tot verbis lauda-
tus fuisset, si in fide hæsisset: neque testimonium Christo de-
disset. Sed zelum discipulorum suorum & inuidiā retunde-
re, Christóq; gloriam dare voluit. Indignum illi arbitraban
tur, fabri filiū, qualē Christum esse putabant, haberi & esse *Mar.6.*
Messiam. Rabbi, inquiunt, qui erat tecū trans Iordanem, cui *Ioan.1.*
tu testimoniū dedisti, ecce hic baptizat, & omnes veniunt ad
eū. Sed quid ad hæc Ioannes? Ipsi vos mihi testimoniū perhi-
betis, ꝙ dixerim: Nō sum ego Christus, sed quia missus sum
ante illum. Gaudiū meū impletū est: illū oportet crescere, me
autem minui. Vt ergo Christus agnoscatur messias, mittit:
& mittit eo ipso tempore, quo multos Christus à lāgoribus,
à plagis, à spiritibus malis curabat: vt operū argumēto agno-
scerent. Atque hic videmus facilè & intelligimus, quàm ni-
hil sæpè doctoris quantumuis industrij sermo in hominibus

Ioan.6. efficiat,nisi pater cœlestis internè traxerit. Sicut nec Christus
Ioan.14. multùm in Apostolis perfecit,donec virtute imbuerentur ex alto: quo inspirante & docente, recordarentur eorum,quæ anteà audierant. Neque enim dubium est, Ioannnem sæpè hoc egisse,vt discipuli sui rectam in Christum fidem concipe rent:sed quia nihil ipse peregit,ad Christum hìc misit. Videmus etiam,quàm periculosa sit res, nimium hominibus tribuere. Vt Corinthiorum alij volebant esse Cephæ,alij Apol-
1.Cor.1. lo, alij Pauli. Quo quisque doctore fidem conceperat, hunc prædicabat.Sed quid Apostolus? Nunquid Paulus pro vobis
1.Thes.5. crucifixus est? Hinc hæreses ortæ sunt.Propterea Apostolico præcepto omnia probanda sunt:quod bonum est tenendum est.Probãdi sunt spiritus,nũm ex Deo sint.Docemur autem
1.Ioan.5. nihil nobis tribuere eorum,quæ Dei sunt. Quid habes ô ho-
1.Cor.4. mo,quod non accepisti? Si autem accepisti,quid gloriaris? Et
1.Cor.15. alibi Apostolus,cùm facta enumeraret sua,addidit: Non au-
Psalm.113. tem ego,sed gratia Dei mecũ. Et Dauid: Non nobis,inquit,
Rom.11. domine,non nobis,sed nomini tuo da gloriam. Et iterũ Paulus de Deo: Per ipsum, & in ipso,& cum ipso sunt omnia. Et
1.Cor.4. Mihi pro minimo est,vt à vobis iudicer, aut ab humano die.
Galá.12. Si hominibus placerem, Christi seruus non essem. Augustinus eximius Ecclesiæ doctor,adeò nihil altum de seipso sapere voluit,vt à puero etiã rectè monente,doceri voluerit. Nec Petro Apostolo Christi dedecus fuit à Paulo sententia vinci. Docemur etiam curam gerere nostrorum maximè domesticorum. Vt Ioannes, licèt carceri inclusus,pro se tamen securus,discipulorum salutem operatur:licèt inquã,morti quam non merebatur vicinus,hoc tamen solùm curat,vt hæreditatem immarcescibilem domesticis suis post se relinquat. Sic Moses, Deuteron.11. Iob,Iob.1. Abraham, Genes.27. Isaac, 48. Iacob,Genc.49. Dauid,Paralipom.28. Tobias,Tob.4.
Ephes.6. alijque pij patres filiorum suorum curam gesserunt. Sic Paulus,& vos patres,inquit, nolite ad iracundiam prouocare filios vestros:sed æducate eos in disciplina & correptione Domini. Hos ergo imitentur patresfamiliãs,concionatores Magistratus. Et hæc iam de Ioanne dicta sint:quòd sibi nihil tribuerit: omnia ad Dei gloriam, & hominum salutem retulerit: Domino viam ad homines præparauerit:superbos deposuit ab affectu elato: humiles deiectos consolatione leuauit. quod vult,cùm ait: Omnis vallis implebitur, & omnis mons humilia-

humiliabitur. Iam quintò Ioannes ab authoritate & reputatione sua apud omnes laudatur. Non vana hæc ipsius æstimatio, aut arte qualibet capta fuit: sed pro doctrinę veritate, pro constantia animi, pro denique vitæ ipsius asperitate meritò attributa est. His ipsis enim de rebus ab ipso Christo, vt hæc Euangelica habet historia, ne dicam ab Angelis, à Prophetis aut Euangelistis, celebratus est. Enimuerò, cũ plus quã Propheta affirmatur, veritas doctrinæ: cũ arundo vento agitata negatur, constantia: cùm mollibus vestitus negatur, asperitas vitæ insinuatur. Hæc ipsi tantæ causa fuère authoritatis. Omnes habebant eum vt Prophetam. Consona enim ipsius doctrina erat veritati scripturarum. Siue Christum prędicaret, siue vitia carperet, siue virtutis studium laudaret, vbique sui similis erat. Non deficiebat à confessa veritate, nec nutabat. Non est arundo, quæ leuissima aura agitatur, & in omnes partes vacillat, nihil in ipso vacuũ, sed solida omnia, per eum, qui confortat. Quicquid ex Deo confortante non est, quicquid supra firmam petram ædificatum non est, inane est: fragile, inconstans, infirmum, arundo est. Aegyptus, inquit, Dominus, homo, & non Deus: & equi eorum caro, & non spiritus. Baculus arundineus confractus est Aegyptus: cui si innixus fuerit homo, intrabit in manum eius, & perforabit eam. Nolite confidere in principibus, in filijs hominum, in quibus non est salus. Paruuli sunt fluctuantes, & circumferũtur quouis vento doctrinæ, in nequitia hominum, in astutia, ad circunuentionem erroris. Si quid alij dicunt, dicunt & ipsi: si quid negant, negant. Si secundis fruuntur, melior est viuus, quàm leo mortuus. Sin contrà, magis laudant mortuos quã viuos. Verùm Ioannes noster secus multò. Non discipulorum vulgique mouetur applausu: non carceris inclementia terretur: sed veluti annosam valido cum robore quercum Alpini Boreæ, nunc hinc, nunc flatibus illinc, eruere inter se certant: it stridor, & altè consternunt terras concusso stipite frondes: Ipsa hæret scopulis, & quantum vertice ad aures Aethereas, tantùm radice ad tartara tendit. Haud secus assiduis hinc atque hinc vocibus heros tunditur. Mens immota manet: & adeò non deficit ab eo quem semel Christum confessus est, vt discipulos quoque suos iam moriturus illi mittat. Et eam vitæ rationem inijt, vt nec vulgi applausus multum commodare ipsi, nec principum tyran-

Isai.31. *Ibid.36.* *Psal.145.* *Ephe.4.* *Eccl.9.* *Ibid.*

nis valdè incōmodare potuissent. Aulas Regum dum licuit, fugit: mollibus vestimentis vsus nō est: leui & pro vilitate obuio cibo contentus, sine vxore, sine liberis, sine familia vixit. Neque ad hanc vitæ rationem magnoperè expetebantur, sine quibus homines se male arbitrantur non posse viuere: nec si adfuissent, vllus eorum vsus fuisset. Nulla igitur ipsi inconstantiæ causa fuit. Et hoc exemplo doceri oportebat in simili vocatione positos: non solùm, quomodò leuitas incōstantiáque euitanda esset: sed etiam qua ratione authoritas, quæ in Ecclesiaste summa requiritur, concilianda. Diximus autem suprà, ideò Ioannem misisse discipulos suos ad Christum, vt ex huius dictis factisque fidem, quam ipse docere quidem, infundere non posset, conciperent. Sed non ignoro, varias causas huius legationis à veteribus poni: Voluisse legem & vetus testamentum repræsentare, quæ Christum Mesſiam describunt, & ad illum vnum omnia referunt: voluisse etiam boni pastoris exemplum posteris relinquere: voluisse expresso mandato scire, iam morti vicinum, an Christus, vt super terram in mūdo conuersatus per semetipsum liberare vellet: ita etiam per semetipsum ex inferis liberatos esset educturus: & vt super terram, ita ipsum oporteret præcursorem esse sub terra. Verùm qualiscunque sit causa legationis huius, certum est, Ioānem de Christo nihil dubitasse. Alioqui Christus minimè tanta de ipso pronūciasset. Quantum est autem ab vnigenito Dei filio laudari, totíque orbi tantis de rebus cōmendari? Quantum est, à Deo adhuc in materno aluo sanctificari? Quantus thesaurus est, veram de Deo habere doctrinam, in eáque ita confirmatum esse, vt alios doceamus, nulliúsque erroris vllam occasionem præbeamus? Quantum beneficium est, à puræ doctrinæ norma, à rectitudine nusquàm deflectere? Hæc omnia cùm sint, & quidem excellentisſimo modo, in Ioanne, quis non beatum eum dicat? Quis non dignum iudicet, cuius testimonio fides habeatur. Cuiusmodi autem dedit testimonium? Ego vidi, inquit, & testamentum perhibui: quia hîc est filius Dei. Ecce agnus Dei. Veniet fortior me, post me, qui ante me factus est: cuius corrigiam calciamentorum procumbens soluere dignus non sum. Ipse baptizabit in aqua & spiritu. Ventilabrum in manu eius, & purgabit, &c. An non pulchrè his verbis Christum descripsit? An non omnia vni Christo conueniunt? Cur ergo huius testimonium non aim.

Ioan.1. Luc.3. Matth.3.

non amplecteremur, qui proximè Christum præcessit, digitóque in ipsum monstrauit? Si aliorum Prophetarum testimonium suscipimus, hic plus quàm Propheta. Verum si quis fortè collusionem dixerit fuisse inter Ioannem & Christum, si quis hominem fuisse Ioannem, & errare potuisse, vt Porphirius & Iulianus aiunt, eóque testimonio eius detraxerit: agè, addamus & secũdum testimoniũ, operum scilicèt. Hanc enim ob causam Christus non nudis verbis, sed factis egregiis respondit. Ite, inquit, renunciate Ioanni, quæ audistis & vidistis. Cæci vident, claudi ambulant, leprosi mundantur, surdi audiunt, mortui resurgunt, pauperes euangelizantur, & beatus qui non fuerit scandalizatus in me. Sed plena diuinitatis enumerat opera, quibus septimum cum beatitudinis denunciatione additur. Et hęc Ioanni, qui legis Mosaicę, qui vmbræ quodam modo personam gerebat, carceribus incluso, annuncianda erant, vt ablationem (vt ita dicam) sui intelligeret, cui veritas respondens succederet. Erant autem certæ notæ quibus agnosceretur Christus. De Mesia enim hæc prædixerunt Prophetæ. Isaias clarisimè: Deus ipse veniet, & saluabit nos, inquit. Tunc aperientur oculi cæcorum, & aures surdorum patebunt: tunc saliet sicut ceruus, claudus: & aperta erit lingua mutorum. Et pręcipitabit mortem in sempiternum. Et, Spiritus domini super me, eò quòd vnxerit me. Ad annunciandum mansuetis misit me: vt mederer contritis corde, & prædicarem captiuis indulgentiam, & clausis apertionem: vt prædicarem annum placabilem Domino, & diem vltionis Deo nostro: vt consolarer omnes lugentes. Hęc & huiusmodi alia ostendunt nobis Christum esse Mesiam. Sunt enim certisima diuinæ naturæ & omnipotentiæ argumenta. Quòd si quis Christum mesiam esse addubitat, siue ille Iudæus, siue Gentilis, siue Turca: Prophetas legat, venturi Mesiæ signa colligat: his collectis, cum Christi factis conferat: deinde iudicet, & aut Christum Mesiam esse fateatur, aut alium qui hæc omnia fecerit, ostendat. Sed deficiẽt (scio) scrutantes scrutinio. Solus enim Christus testantibus Euangeliis nostris, hæc omnia vnus propria diuinitatis suæ potentia. vt in Matthæo 5. & 20. cap. cæcorum oculos aperuit. Ioannis 5. cap. hominem, qui triginta & octo annos morbo detentus fuerat, sanauit. Simile quid in Matthæo 9. capit. legimus. Matth. 8. & Luc. 17. ca. leprosos mundauit. Matth. 9. Luc. 7.

Matth. 11. *Isai. 35.* *Idem 26.* *Idem 61.*

Matth.9. Ioan.11. mortuos suscitauit, vbique pauperibus prædicauit
Luc.7. Euangelium: vt cùm ait: Confide fili, remittuntur tibi pecca-
Idem 23. ta tua. Et remittuntur tibi peccata: vade in pace, fides tua te
Idem 12. saluum fecit. Et, hodie mecum eris in paradiso. Et, Nolite timere pusillus grex, quoniam placuit patri vestro, dare vobis regnum sempiternum. His signis Christus agnosci vult, quemadmodum ex fructibus arbor. Et sanè non in sua persona solùm, sed & in membris suis ex pietatis virtutísque actionibus vult agnosci. Neque enim licèt miracula facere non omnibus præceperit, ideò nullæ actiones piæ necessariò requiruntur: sed valere debet hæc regula: Ex fructibus eorum cognoscetis eos. Quanquàm vt non illo tantùm tempore miracula ipse fecit, sed etiãnum operatur: ita quæ in nobis modò operatur,
Ioan.3. nostra dici possunt. Cæci erant Nicodemus & Saulus: per
Acto.9. Christum sunt illuminati. Matthæus & Zachæus claudi per Christum cõfirmati. Peccatrix illa & latro in cruce, mortui, per Christũ viuificati. Pharisæi leprosi multi eorũ p Christũ sunt mundati. Sunt etiãnum cęci, claudi, muti, surdi, leprosi, mortui, sanat Christus per quos vult. Et hoc maiorem Christi facta authoritatem merentur, quòd non solùm in seipso, aut per seipsum supra naturam multa fecit, verumetiam alijs hanc suam potentiam pro sua voluntate communicauerit. Quis enim dubitat à Christo fieri, quæ per ecclesiæ ministros ad salutem multorum fiunt? Merentur ergo fidem cùm Ioannis testimonium, tũ Christi admiranda opera. Sit enim non credamus in Christum, quòd Ioannes de ipso testimonium perhibuit, talémque prædicauit: tamen quia ipse se talẽ exhibuit, credendũ est. Quis dubitabit fore: vt idẽ corpora nostra corpori suæ claritatis cõuiuificet, cùm secũdò venerit, qui emortuis atque in inferno positis animabus vitam restituit? Qui quod maius est fecit, faciet quod minus est. Minùs est enim corporibus reddere vitam, quàm animabus Dei spiritum. Huic & corpori, cùm vita æterna fuerit donata, tunc
1.Cor.13. omnia illa perfectiori modo in nobis efficiet. Tunc verò oculi nostri aperientur: vt coram liceat contueri, quod modò per
Ioan.17. speciem & imaginẽ videmus. Videbimus illìc Deũ sicuti est.
2.Cor.12. Videbimus claritatem vnigeniti Dei, quam habuit ab initio.
Apocal.21. Audiemus nullis linguis enarrabilia: quæ non licet homini loqui. Tunc qui in terræ puluere sunt, euigilabunt, &, vt semel dicam, tunc omnẽ Deus lachrymam ab oculis se diligentium ab-

tium absterget: nec erit vllus vel dolor vel luctus. Hæc ergo præsens lecto de Christo loquitur. Et quis non exultaret, tanta de Christo audiens testimonia? Siue enim quæ iam in nobis fecit, siue ea quæ facturus est aliquando, inspiciamus, gaudendum & lætandum est in Domino. Id quod ipse introitus officij hodierni monet. Gaudeamus ergo, sed in Domino, & semper modestia nostra nota sit omnibus hominibus: quia Dominus propè. Meditemur Ioannem, vita, doctrina, fide, & quod Christo dedit firmum illud & irrefutabile testimonium, suscipiamus, factisque Christi confirmemus quã concepimus fidem. Tum licebit in Domino gaudentibus atque fidelibus seruis Christum expectare venturum. Cui cum patre & sancto spiritu æternus honor. Amen.

DOMINICA ADVENTVS IIII. EVANG. IOAN. I.

ET hoc est testimonium Ioannis, quando mi- *1.Ioan.4.*
serunt Iudæi ab Ierosolymis sacerdotes & Le *1.Tim.6.*
uitas ad eum, vt interrogarent eum: Tu quis es? Et confessus est, & non negauit. Et confessus est: quia ego nõ sum Christus. Et interrogauerunt eũ: Quid ergo? Elias es tu? & dixit: Non sum. Prophe ta es tu? Et respondit: Non. Dixerunt ergo ei: Qui es, vt responsum demus ijs, qui miserunt nos? Quid dicis te teipso? Ait: Ego vox clamantis in deserto: dirigite viam Domini, sicut dixit Isaias Pro *Isaia 4.*
pheta. Et qui missi fuerant, erant ex Pharisæis. *Matth.3.*
Et interrogauerunt eum, & dixerunt ei: Quid er- *Marc.1.*
go baptizas, si tu non es Christus, neque Elias, neque Propheta? Respondit eis Ioannes, dicens. Ego baptizo in aqua: medius aũt vestrũ stetit, quẽ *Luc.3.*
vos nescitis. Ipse est, qui post me venturus est: qui *Act.1.& 19.*
ante me factus est, cuius ego nõ sum dignus: vt sol uam corrigiã calciamẽti. Hæc in Bethabara facta sunt, trans Iordanem: vbi erat Ioãnes baptizans.

EADEM DOMINICA EPISTOLA PHIL. IIII.

Gaudete in Domino semper. Iterum dico gaudete. Modestia vestra nota sit omnibus hominibus. Dominus enim propè est. Nihil solliciti sitis: sed in omni oratione, & obsecratione, cum gratiarum actione, petitiones vestra innotescant apud Deum. Et pax Dei quæ exuperat omnem sensum, custodiat corda vestra & intelligentias vestras in Christo Iesu.

SERMO.



RIMVM omnium hoc dicendum est maximè, cur Ioannem in his quatuor de aduētu Domini sermonibus, duæ Euāgelicæ lectiones tantoperè prædicent. Quasi enim Christo conferri debeat, totidem cum illo sermonibus celebratur. Sed iustissimæ facti huius sunt rationes: omniáque hûc referēda sunt vt Christus verè agnoscatur. Cùm enim Ioannes egregiè Christū prædicauit, pulchréque suis proprijs coloribus depinxit: maxima verò salutis nostræ pars hoc in negotio consistit: vt veram in Christum fidem habeamus: necessum erat, prius personam Ioannis considerare, vt quod Christo dedit testimonium, fidem faceret omnibus. Non enim, ne in ciuilibus quidem negotijs, omnium sine delectu testimonium suscipimus: sed examinantur prius, si sint boni viri, & à dolo malo alieni. Itaque quæ superiore sermone de Ioāne diximus, pleráque de ipsius persona intelligenda, & ad commendationem ipsius referenda sunt. Quáquàm autem, quòd à Deo immediatè vocatus est, quòd mirabiliter conceptus, mirabilius in vtero matris sanctificatus, maxima omnium admiratione vixerit: quòd solida constantia officium suum fecerit, quòd nec carcerem timuerit, nec discipulorum, vulgi, Pharisæorúmque opinione illectus fuerit, plurimùm ad commendationem eius faciunt, confirmántque testimonium exhibitum: maiorem tamen vim habet Christi de eo sermo. Neque verò hîc locum habet, quod Prouerbio dicitur, Muli mutuum scabunt, si Ioannes Christo, Christus Ioanni testimonium defert. Neuter enim vlli vnquam blanditus est. Nam si Ioannes blandiri voluisset vnquam, in aula Regis id fe-

gis id fecisset maximè, vbi huius causa dimitti ex carceribus, multámque sibi authoritatem conciliare potuisset. Sed mortem pro veritate subire, quàm contra æquitatem blãdiri maluit. Et Christus quoque ab hostibus verax, veritatémque docere, dicitur. Nulla ergo inter ipsos doli suspicio esse potest, præsertim, cùm in re omnium maxima, & ex qua nihil illis huius temporis emolumenti venit, laborant. Multa autem & *2.Corin.4.*
alij Prophetę de Christo dederũt testimonia, quẽadmodum *Galath.4.*
primis dominicis de aduentu Domini dictum est. Sed Ioan- *Rom.8.*
nes omnium nouissimus inducitur. Primùm: vt intelligere- *Ioan.1.*
mus vetera transiisse omnia, nouáque facta, promissam nos *Apoc.1.*
adeptos esse hæreditatem, nec iam seruos, sed filios esse, habe *Ephes.2.*
réque spiritum adoptionis filiorum Dei, gratiam quoque & *2.Corinth.2.*
veritatem per Iesum CHRISTVM, qui nos lauit à pecca- *Ioan.19.*
tis nostris in sanguine suo, eos simul qui propè erant, & qui *2.Corint.15.*
lõgè: vt rectè Paulus dixerit, in ipso promissiões omnes esse, *Rom.8.*
amẽ & ita, & ipse in cruce cõsummata esse affirmauerit, mor *Matth.11.*
tem deuictam esse per victoriam eius, nihílque nunc damnationis esse ijs qui sunt in ipso. Omnes enim Prophetæ & lex *Malach.3.*
vsque ad Ioannem prophetauerunt. Deinde etiam Ioãnes no *Luc.2.*
uissimus inducitur, quòd aliorũ vaticinio de ipso proditum sit, fore, vt ipse præcederet faciem Domini, parare viam eius. Tertiò quoque eo, quódque de Christo sparsim prodiderunt cæteri Prophetæ, Ioannes quasi fasciculo complexus est. Vt cùm ait: Qui de cœlo est, super omnes est, diuinitatem Christi, medius vestrûm stetit, humanitatem, ecce agnus Dei, passionem, ipsum oportet crescere, ascen- *Matth.3.*
sionem, baptizabit vos in spiritu sancto, regnum eius in hoc mundo, ventilabrum in manu eius, permundabit aream suam, congregabit triticum in horreum suum, paleas autem comburet igni, futurum iudicium prænunciat. Commodissimè ergo inter reliquos Prophetas, & Christum inducitur, & in hoc sanè egregiè nobis sese commendat Dei prouidentia, omnia disponens suauiter. Nam tanta erat illo tempore cùm sacerdotum negligentia, tùm populi inscitia: vt nisi præcedente aliquo egregio anteambulone, qui omnium reliquorum Prophetarũ voces quasi in vnum concentum colligeret, atque digito ipsum demonstrasset, incognitus Christus cunctis ignorantibus delituisset. Et hoc altum illud silentium erat, mediúmque noctis iter, de quo

Sap.18. in Sapientia scriptum est. Ipse quidem Natiuitatis sacratissi-
Luc.2. mæ locus nihil de nato infante omnipotente, nisi angelis de
cœlo denunciantibus, rescivisset: nemo istam puellulam virginem, matrem Dei putasset. Vt ergo innotesceret Christus, maximè cùm prædicaret regnum Dei, præcessit Ioannes, angelus & tuba gratiæ. Et ita quidem intendit vocem suā tuba Dei, vt sonitu suo ac clangore vehementi vniuersos concuteret vrbis sanctæ angelos, omnes commoueret homines. Nunquid enim commoti videntur, quòd non solùm ex plebe omnium ordinum homines ad clamantem vocem in deserto cōglomerantur: verùm etiam ex vrbe primaria, à summis sacerdotibus, magni nominis viri pro legatione mittuntur? Longè ab hominibus Ioannes in deserto erat: tamen magnorum
Genes.49. hominum in vrbe animos percellebat. Non auferendum esse sceptrum à domo Iuda, neque ducem de femore eius, donec veniret, qui mittendus esset, Iacob quondam prædixerat. Iámque in Herodis manu cuncta erāt posita. Numerauerat Daniel certas hebdomadas, quibus expletis, Mesias venturus esset. Præterierant hæc omnia. Neque tamen Mesias agnitus fuisset, nisi Ioannes vox clamans præcessisset: imò nemo quicquā de Christo cogitasset, nisi hic adesse cecinisset. Tantùm erat omnium silentium, siue illa ex Magistratus somnolentia, siue ex populi ignorantia. At hac tuba insonante, adesse promissam Dei sobolem, conuersari in medio hominum, qui continetur à nemine, ipse omnia continens, quem pater promisisset, lex atque Prophetæ venturum annunciassent, figuræ adumbrassent, qui expectatus cunctis gentibus, salutem ferret omnibus, repudiaret neminem, aures arriguntur omnium: ipséq; sit, qui hæc, an verò de alio, diceret, quod eius officiū, instituitur quæstio. Nemo, fratres, miretur, si alioqui gens stolida, populus insipiens ad tantæ clangorem tubæ exterretur, & ad quærendum, de Mesiæ mouetur aduentu. In hoc enim negotio, salus depēdet omniū. Quicquid scribitur, quicquid dicitur, quicquid sobria mente cogitatur, id omne hûc tēdit: vt Christus agnoscatur, apprehēdatur, cōseruetur. Sine hoc nihil sunt, quæcunque sunt. Cū ipso etiam quæ non videtur esse, sunt. Hoc magis miremur, quòd in inquisitione hac imprudentes manserint, quòd demōstranti Ioanni non crediderint, quòd euidentibus testimonijs factísque manifestum non susceperint, quòd salutem neglexerint. Audiunt
adesse Chri-

adesse Christum, nec tamen credunt. Non, ne quid inconsulto agerent: aut honorē Christo debitū nulli alteri deferrent, ideò hanc legationem instituunt: sed ne quid immutando de suo deperderent, authoritatem sibi ac bona conseruarent. Hinc Christus legationis huius intentionem coram Iudæis expressit, dicens: Vos misistis ad Ioannem, & testimonium perhibuit veritati. Ego autem ad homine non accipio testimoniū, sed hæc dico, vt vos salui sitis. Ille erat lucerna ardens, & lucens. Et vos voluistis ad horum exultare in lumine eius. Facilè est ex his verbis colligere, quòd hac legatione Iudæi non veritatem, sed sese quæsierint. Iam tum enim intelligebant, Christum pharisaicæ superstitioni repugnare, corruptósque mores arguere: atque apud semetipsos constituerāt, nolle hunc super se regnare. Quo certè nulli rei consulunt, & sine causa Deo repugnant. Patet enim Deus hunc Christum consignauerat Messiam, pauperem, humilem, cui non esset aspectus neque decus, nouissimū virorum. At ipsi diuitem, fastu superbum volebant. Hinc Ioāni honorem deferūt. Non quia Ioannes talis esset, sed quòd multa haberet, quæ huc plurimum facere videbantur: solum natale, parentes, diuitias, & alia. His abusurum Ioannem credebant, auráque populi captum in suam sperabant sententiam transcensurum: denique nihil formidandum esse ab eo, qui simili crimine teneretur captiuus. Et quia eiusmodi nihil de Christo sibi polliceri poterant, hoc spreto, ad Ioannem conuertuntur. Hæc ipsorum mens erat, firmáque sententia. Quis autem enarrare sufficit peruersitatis indignitatem tantæ, in maximo diuini honoris omniúmque mortalium salutis negotio propriū captare lucrum? Vtinam nihil simile in Ecclesia nunc quoque deplorare necessum haberemus. Quid autem est, tot nunc annos, quæ fidei quæque pacis patriæ sunt, per Concilia, per Synodos, perque comitia quærere, eisdem tamen & rebus & medijs pro cuiusque affectu repugnare? Quisque sibi eligit CHRISTVM, hoc est, fidem, religionem, reformationem: quilibet subijpsi confingit, non quæ CHRISTVS & Apostoli volunt, sed quæ odium & amor suadent. Alij volunt CHRISTVM nimis blandum, ad omnia impietatis genera conniuentem. Alij alium, qui sacrilegia vímque sacris atque profanis illatam defendet, quæritant. In his tam diuersis studijs, Euangelium, fides, pax, patriæ velamen sunt.

Ioan. 5.

Sap. 2.
Luc. 19.

Isai. 3.

Maledictus est (inquit propheta) qui opus Domini facit ne-
Iere.49. gligenter. Quid diceret nunc de ijs, qui opus Domini faciũt
Act.13. fraudulenter? Paulus certè, si viueret, plenos omni dolo, &
omni fallacia, filios diaboli, inimicos omnis iustitiæ diceret.
Et hæc, quæ vel dicimus, vel scribimus, dum legunt multi,
sese studiáque sua argui tacito quodam consensu intelligunt:
sed emendat nemo, nemo corrigit. Omnes quærunt quæ sua
sunt, non quæ Iesu CHRISTI. Quid est hoc aliud, nisi vel
cum summis Iudæorum sacerdotibus de alio, non verò Chri
sto eligendo, legationem instituere, vel cum legatis præter
Act.9. CHRISTVM aliam salutis viam quærere? Non sunt ne-
Psal.115. cessariæ quæstiones hæ: Helias es tu? Propheta es tu? CHRI-
Mich.6. STVS es tu? Nec item: Quid ergo baptizas, si tu non es E-
Matt.16. lias, neque Propheta, neque Christus? Sed hæ potius: Quid
faciemus, vt saluemur? Quid vis me facere? Quid retribuam
Domino pro omnibus quæ retribuit mihi? Quid dignũ offe
ram Domino? His ipse Christus respondet: Qui vult me se-
Luc.14. qui, abneget semetipsum, & tollat crucẽ suã. Si quis venit ad
me, & non odit patrem suum, & matrem suam, & vxorem, &
filios, & fratres, & sorores, adhuc autem & animam suam,
Ioan.6. non potest esse discipulus meus. Operamini cibum, non qui
perit, sed qui permanet in vitam æternam: quem filius ho-
minis dabit vobis. Agite, fratres, in proximo natalis Chri-
sti dies est: primi aduentus memoria celebranda nobis est.
Si nihil putamus, quæ de Christo prædixerunt Prophetæ,
Ioannem intueamur: nec solùm veritatem, sed & qualitatem
& ordinem testimonij ipsius consideremus. Multa quidem
nec vanè de Christo diceree quis posset: sed plurimùm re-
fert, vt religionis doctrina sacræ procedat ordine: non solùm,
ne quid primùm dicatur, quod postremò dictum oportuit,
vel contrà: sed etiam, ac multò magis, vt sit integra, tota, &
sibi consentiens. Quid enim prodest, si quis concionator ad
exemplum Ioannis vera de Christo prædicet, si constanter
dictis inhæreat, si nihil in mundo appetat: interim tamen iu-
stum doctrinæ ordinem non seruet? Duo hæc maxima mala
sunt in Ecclesia: quòd alij diffidentia desperent: alij de
sua fide sibi promittant nimium: quorum alterum est Dei
misericordiam & peccatorum in Ecclesia remissionem igno-
rantium: alterum iustitiam Dei eludentium est. Præstat
igitur in testimonio Ioannis tutò versari, eodémque, quo
ipse mo-

ipse modo, viam Domino præparare. Nouit ille desperantes erigere, nouit elusores Dei iustitiæ deijcere: qui nihil eorum, quæ ad CHRISTVM vel agnoscendum, vel suscipiendum, vel denique conseruandum in nobis faciunt, prætermittit. Nihil hic de persona ipsius repetam: superior enim sermo hæc tractauit, ac eum esse nouimus, cui testificanti fides habeatur meritò. Hoc vnum requiritur, vt qui pro vocatione sua in Ioannis testimonio versari volunt, qui aliquid prædicando efficere, ad ipsius exemplum inconfusibiles & fideles sese ostendant operarios. Verissimum enim illud Gregorij dictum est: Cuius vita despicitur, restat, vt & prædicatio contemnatur. Quòd ergo ad doctrinam Ioannis attinet, primùm pœnitentiam suadet: deinde veram de CHRISTO fidem tradit: tertiò vitæ normam præscribit. In his tribus consistit principium, medium, & finis totius Religionis nostræ. Et cùm hodie etiam hæc nobis Ioannes prædicat: non simus sicut Iudæi, de quibus dicitur, quòd in propria venientem Christum non receperint. *Ioan.1.* Fuerunt quidem illi populus electus ex omnibus tribubus & nationibus, *Exod.19.* habentes promissiones patrum suorum de filio Dei: sed indignos se gratiæ diuinæ fecerunt. Nec simus, sicut mundus: *Roman.9.* qui per Christum licèt factus sit, ipsum tamen non cognouit. Venit enim lux in mundum, & dilexerunt homines magis tenebras quàm lucem. *Ioan.1.* *Ibidem.3.* vnusquisque in viam suam abijt, bibentes aquam de cisternis suis. Deum aquæ viuæ fontem dereliquerunt. *Isa.53.* Gentes in idolis, quæ formauerunt manibus suis, sperabant. Iudæi in lege iustitiam quæritabant. Propterea Christus illis obijcit, dicens: Cui similem æstimabo generationem istam? Similis est pueris sedentibus in foro, qui acclamantes æqualibus suis, dicunt: Cecinimus vobis, & non saltastis: lamentauimus, & non planxistis. Venit Ioannes, neque manducans, neque bibens, & dicunt: dæmonium habet. Venit filius hominis manducans, & dicunt: Ecce homo vorax, & potator vini publicanorum & peccatorum amicus. *Matth.11.* Ideóque Dei ignorantes iustitiam, propriam verò iustitiam volentes constituere, iustitiæ Dei non sunt subiecti. Simus ergo molles sicut cera: habeamus non lapidea, sed carnea corda, quæ à lucerna hac ardente & lucente accendantur, & liquescant. Principiò omnium ille mentes pœnitentiæ prædicatione exuscitat. Pœnitentiam agite, inquit, appro- *Matth.3.*

pinquat regnum cœlorum. Optimè pœnitentiam dixit. Non enim perfectè mutabitur vita in melius, nisi doleat antè vixisse non benè. Oportet enim omninò prius delictorum enormitatem considerare, iræque Dei seueritatem: vt pigrũ & dormitans cor ad implorandam diuinam opem excitetur. Dauid huius rei pulcherrimum ædidit exemplum, quando

Psalm.6. non partem aliquam sui, sed omnia sua ossa atque animam

Ibid.38. valdè exterritam confitetur. Et alibi ait: Sagittæ tuæ infixæ sunt mihi. Non est sanitas in carne mea à facie iræ tuæ, non est pax ossibus meis à facie peccatorum meorum. Quoniam iniquitates meæ supergressæ sunt caput meum, & sicut onus graue grauatæ sunt super me. Et mox: Rugiebam à gemitu cordis mei. Nimia confidentia est, arbitrari Deum mox auferre peccatum, quomodò obiter dico: Credo Christum meum pro me satisfecisse, meámque nunc impietatem coram patre excusare. Quin & Dauid fidem CHRISTI habuit, & fortasse aliquanto firmiorem. Sed videte, quàm turbetur, quàm sollicitus est, idque non ab iræ Dei solùm, sed à peccatorum suorum quoque consideratione. Nec aliter facere potest, qui verè & ex animo pœnitet. Exemplo sunt Petrus & Magdalena. Propterea Ioannes ad se venien-

Matth.3. tes pharisæos, in quibus illam compunctionem nondum ani

Luc.3. maduertebat, acriter excipit. Progenies viperarum, inquit, quis vobis submonstrauit, vt fugeretis à ventura ira? Facite ergo fructus dignos pœnitentiæ: & ne dicatis intra vos: Patrem hàbemus Abraham: dico enim vobis, quia potens est Deus ex lapidibus excitare filios Abrahæ. Iam enim securis ad radicem arboris posita est. Omnis ergo arbor quæ non facit fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur. Scio quàm insuauis hæc multis videatur concio de pœnitẽtia. Sed nec hoc ignoro, vnde illud sit. Pœnitentia secunda est tabula, qua peccatoribus è regno diaboli tutò in regnum Christi licèt tranare. Propterea Satan, qui regnum suum hac labefactari & diminui videt, infensè eam odit, hócque vnum agit, vt eius memoriã radicitùs ex Ecclesia euellat. Cõminiscitur noua dogmata, quæ huic videntur contraria: nunc facilem Deum ad relaxanda peccata docet, nunc pœnitentiæ difficilitatem prætendit. Et hoc nunc maximè agit, quando tempus

2.Timo.2. suum breue esse didicit, & homines hac sententia insolentio-

1.Pet.5. res inuenit. Hîc ergo diaboli cogitationes cõsiderandæ sunt, quòd cir-

quòd circumeat, quærens quem deuoret. Et quia Christus non venit, nisi Elias præcesserit: gratia non detur, vbi pœnitentia locum non præparauit. Ioannes verò qui est Elias, & Christus, omnem nostram iustitiam consummant. Ideò nemo de peccatorum remissione cõfidat, qui pœnitẽtia sese nõ præparat. Impœnitentibus non gratiam, sed iram sacra scriptura denũciat. Reuelatur ira Dei de cælo super omnẽ impietatem & iniustitiam hominũ eorũ, qui veritatẽ Dei in iniustitia detinent. Et iterum: Ira, & indignatio, & tribulatio, & angustia, in omnem animam hominis operantis malum. Hinc Christus: Nisi pœnitentiam egeritis, omnes simul peribitis. Pœnitentiam agite, & credite Euãgelio: appropinquat enim regnum cœlorum. Propterea necessarius est in Ecclesia pœnitentiæ sermo, videndúmque verbi Dei præconi, ne quid intermittat, quod ad solidam pœnitentiam pertinet. Nemo citò cuiquã manus imponat, ne soluatur quem Deus ligat. Exẽplis simul atque dictis ex sacra scriptura desumptis, ita Dei, peccatíque fœditas hominibus ante oculos ponantur, donec resipiscentiæ verum affectum exprimant, & ita indoluerint, vt commissa non repetant. Hoc facere, est Domino viam præparare, & Ioannem referre. Deinde hoc fundamento posito, eadem diligentia fides in agnum Dei peccata tollentem docenda est: & turbida corda ad vitæ fontem abluenda, mittenda sunt. Fides enim in nobis dictat, ideò venisse Christum, vt peccata auferret: infectam naturam nostram emendaret, erigeret, reficeret: Dei patris iram, iudiciúmque auerteret. Hũc enim pertinẽt, quæ postea Ioãnes addit. Ille qui post me venturus est, inquit, qui ante me factus est, cuius ego non sum dignus procumbens soluere corrigiam calciamentorum eius. Ipse vos baptizabit spiritu sancto & igni. Cuius ventilabrum in manu eius: & repurgabit aream suam, & congregabit triticum suum in horreum, paleam autem exuret igni inextinguibili. Et: Ecce agnus Dei, Ecce qui tollit peccata mundi. Vidi spiritum descendentem specie columbæ de Cœlo, & mansit super eum: & qui misit me, dixit mihi: Hic est, qui baptizat spiritu sancto. Et ego vidi, & testificatus sum hunc esse filium Dei. Et alibi: Qui credit in filium, habet vitam æternam: qui autem incredulus est filio, non videbit vitam, sed ira Dei manet super eum. Quo certè testimonio Ioannes Christum Dei filium esse testatur, &

Ierem. 3. & 5.
Deuter. 28.
Roman. 1.
Roman. 2.
Luc. 13.
Matth. 3. 4.
Marc. 1.
Matth. 3.
Marc. 1.
Luc. 3.
Ioan. 1.
Ioan. 3.

quòd hæc fides omninò necessaria sit in iustificatione hominis. Superiùs autem horum verborum diuisionem posuimus, & ostendimus, quæ prophetæ passim de Christo loquuntur, omnia breui hîc fasciculo comprehensa esse. Hîc illud dicamus, quòd duplici ratione Christum Deum esse affirmat. Prima ratio est, quòd ipsi omne tēpus attribuit, præteritum, præsens & futurum. Præteritum, cùm ait: qui ante me factus est. Præsens: Ecce agnus Dei. Futurum: qui post me venturus est. Sunt autē hæ notæ æternitatis Dei. Secunda verò ratio est: quòd omnibus maiorem dicit, cùm se indignum ait, qui procumbens ipsi soluat calciamentorum corrigiam. Si enim hominē tantùm dicere voluisset, vtique homo homini eiusmodi obsequium præstare potuisset. Quanquam per calciamenta humanitatē eius intelligimus: vt idem sit calciamentū Christi soluere, & incarnationem vnigeniti Dei patefacere. Sed aliquid esse Christum supra hominem, Ioannes insinuare voluit: non tamen angelū, aut spiritum, sed Deum ipsum carnē factum. Hanc autem fidem necessariam esse imprimis, per hoc docet, quòd iudicatum dicit non
Ioan.2. credentem. Christus simile dicit, cùm Iudæos in incredulitate morituros prænuntiat. Paulus quoque ait: Accedentem ad Deum oportet credere. & impossibile est, sine fide placere
Hebr.11. Deo. Nemo enim Deo placet, nisi delictis absolutus. Verū absoluere à delictis, Dei propriè munus est, vt in Propheta loquitur: Ego sum, qui deleo iniquitates tuas. Incredulis nō dimittit peccata: quia hoc posse, ipsi non credunt. Propterea beneficia Dei sibi applicare non possunt: & humana mens non potest de remissis peccatis persuaderi, nisi hoc velle ac posse Christum credat. Ideò ergo Ioannes eadem diligentia fidem prædicauit, qua & pœnitentiam docuit. Iam verò & tertiò, quemadmodum pœnitentia sine fide nihil est, ita nec fides sine vitæ emendationis proposito quicquam est. Necessum est ad cōsummatam iustificationem, vt piè, sobriè & iustè viuamus in hoc seculo, expectantes beatam spem &
Ioan.1. aduentum magni Dei. Hoc ergo Ioannes vult, cùm ait: In medio vestri stetit. Quemadmodum lignum scientię boni & mali in medio Paradisi primos homines admonere debuit,
Luc.3. vt iuxta præceptum Dei viuerent: ita nos præsentia Dei ad vitæ sanctimoniā hortatur. Hinc Ioannes pœnitentibus pro cuiusque conditione viuendi normā præscribit. Quid faciemus? Ac

mus? At ille: Qui habet duas tunicas, impertiat non habenti:
& qui habet escas, similiter faciat. Et ad publicanos: Ne quid
ampliùs, quàm quod constitutum est vobis, exigatis. Et mili
tibus: Ne quem concutiatis, ne quem calumniemini: sed con
tenti estote stipēdijs vestris. Sed & multa alia exhortās euan-
gelizauit populo. Hæc eò referātur, vt cogitemus Christum
in medio nostri esse, eóq; decere, vt dignè Deo ambulemus.
Et Paulus certè, vt rectiùs hoc intelligamus discernit tempo-
ra, multóque aliam rationem esse huius, hoc est, Gratiæ tem
poris esse, quàm legis. Peccatum (inquit) vobis non domine- *Rom.6.*
tur: non enim estis sub lege, sed sub gratia. Idémque Ioannes
vult, dicens: Lex per Mosen data est: gratia & veritas per Ie- *Ioan.1.*
sum Christum. Illi qui in lege erant, à longè in Christum
venturum aspiciebant: longè absunt, sed qui propè facti sunt
in sanguine eius, in lumine vt filij lucis ambulare debent, ne
comprehendantur à tenebris, néue offendant. Est quidem il *Philip.2.*
le multis modis in medio nostri, vt quum formam serui acce
pit, & frater noster factus est, secundum diuinitatem omni- *Hebr.4.*
bus ex æquo proximus adest, quum ipse verbum in ore no-
stro est. Sed vult, vt vita nostra emendatior ostendat, se in *1.Thim.2.*
nobis esse. Non vult occultari & obscurus latere: sed vult ma- *Rom.10.*
nifestari præsentiæ suæ dona. Et hic modus optimus Christū
annunciandi. Paulus eandem docendi methodum sequitur, *Philip.4.*
adeóque in hodierna Epistola: quo quidem in loco non me-
minit pœnitētiæ. Neq; verò eam opus erat denuò inculcare
apud eos, qui iam se Domino præparauerant: sed reliquas
duas partes maximè vrget. Primùm fidem docet, cū ait Do-
minus propè est: nihil solliciti sitis. At pietatē, siue emēdatam
vitam suadens, primū, quid erga homines, deinde, quid erga
Deum præstandum sit, monet. Modestia vestra nota sit om-
nibus hominibus. Sic coram hominibus viuendum est. At
coram Deo: In omni, inquit, oratione & obsecratione, cum
gratiarū actione, petitiones vestræ innotescant apud Deum.
Videte hìc, quàm conueniant duæ illæ tubæ Euāgelicæ, Ioan
nes & Paulus. Quanto studio ac diligentia officium vterque
suum facit? quorum ille Christum præcedit, hic sequitur. Ille
quidē quibus rationibus Christus suscipiendus sit, docet: per
pœnitentiā ac fidem: Hic, quomodò retinēdus sit apud nos,
admonet: per internum atque spirituale gaudiū per mode-
stam vitam, per orationis & gratiarum actionis perseueran-

tiam. Et quid aliud fecerunt, nisi quòd iuxta Dauidicum prę
Psalm.49. ceptum Domino congregauerunt sanctos suos, eos (inquam) qui ordinant testamentum eius super sacrificia. Non vult Deus congregari eos sibi, qui sacrificia ordinant super
Ierem.4. testamentum: qui suis factis plus quàm promissionibus tribuunt (semper enim magis fidem quàm sacrificia exegit,
Gene.4. imò nunquàm sacrificia ipsi sine fide placuerunt, vt in Cain videre est) sed qui ordinant testamentum super sacrificia, hoc est, qui promissionibus Dei de Christo plus tribuunt, quàm vel legi vel factis hominum: qui iustificationem suam magis fidei in Christum, quàm pœnitentiæ actis vendicant. Non, vt nihil sint sacrificia cordis contritu pérque pœniten-
Psal.50. tentiam afflicti (Sacrificium enim Deo est spiritus contribulatus, nec despicit cor contritum & humiliatum) sed quòd testamentum Dei, promissio fides, maiora sint sacrificia.
Galat.3. Hoc etiam Paulus vult, cùm ait: Si ex lege esset hæreditas,
Roma.11. iam non ex promissione. Si gratia, iam non ex operibus.
Ibidem. Et quidem cùm adhuc inimici eius essemus, reconciliati
Ephe.2. sumus Deo, & gratia saluati: non ex operibus, quæ fecimus nos. Gratia enim præstat, vt verè pœniteamus, vt emendemus vitam. Propterea eos vult Deus congregari, qui ordinant testamentum super sacrificia, non contrà. Et hanc formam sequamur prædicando atque resipiscendo. Audiamus tubas has, & quem præsentem annunciant, eo modo quo dictum est, & decet, suscipiamus: susceptum apud nos conseruemus. Non negligamus oblatam gratiam, nec vel incredulitate vel impietate pugnemus contra eam. Cogitemus necessariam esse pœnitentiam, quæ firmatur in fide Iesu Christi, & hanc habere promissionem remissionis peccatorum innumeris exemplis confirmatam, ac remissis peccatis, Deum per fidem in cordibus nostris habitare, eáque regere, vt vltrà non demus locum peccato, ita, vt regnet in nobis, ac dominetur nostri. Tum hanc agnoscamus gratiam Dei nobis exibitam, quòd secundùm fœdus, quod pepigit in filio suo Domino nostro, velit nobiscum esse. Contrà etiam cogitemus horribiles animorum tenebras, vbi hæc lux mentes hominum non illustrat, nec diuini spiritus societate viuitur. Et hæc ideò diligentiùs cogitemus, vt teneamus quod habemus, ne alius accipiat coronam nostram. Amen.

IN FESTO NATALIS DOMINI. EVANG. LVC. II.

FActum est autem in diebus illis, Exijt edictum à Cæsare Augusto, vt describeretur vniuersus orbis. Hæc descriptio prima facta est à Præside Syriæ Cyrino. Et ibant omnes, vt profiterentur singuli in ciuitatem suam. Ascendit autem & Ioseph à Galilea, de ciuitate Nazareth, in Iudęam ciuitatē Dauid, quæ vocatur Bethleem, eò quòd esset de domo & familia Dauid, vt profiteretur cum Maria desponsata sibi vxore prægnante. Factū autē est, cū essent ibi, impleti sunt dies, vt pareret: & peperit filiū suū primogenitū: & pānis eum inuoluit, & reclinauit in pręsepio: quia non erat ei locus in diuersorio. Et pastores erāt in regione eadē vigilātes & custodiētes vigilias noctis super gregē suū. Et, ecce, Angelus Dñi stetit iuxta illos: & claritas Dei circumfulsit eos: & timuerūt timore magno. Et dixit illis Angelus: Nolite timere: Ecce enim Euāgelizo vobis gaudiū magnū, quod erit omni populo: quia natus est vobis hodie Saluator, qui est Dñs in ciuitate Dauid. Et hoc vobis signū: Inuenietis infantē pānis inuolutū, & positū in pręsepio. Et subitò facta est cū Angelo multitudo cœlestis, laudantiū Deū & dicentiū: Gloria in altissimis Deo, & in terra hoībus pax bonæ volūtatis.

EODEM FESTO EPISTOLA, TIT. II.

APparuit gratia Dei & Saluatoris nostri omnibus hominibus, erudiens nos: vt abnegantes impietatem & secularia desideria, sobriè, & iustè, & piè viuamus in hoc seculo expectantes beatam spem, & aduentum gloriæ magni Dei & Saluatoris nostri Iesu Christi, qui dedit semetipsum pro nobis, vt nos redimeret

ab omni iniquitate, & mundaret sibi populum acceptabilem, sectatorem bonorum operum. Hac loquere, & exortare, & argue *cum omni imperio. Nemo te contemnat.*

SERMO.



ATIVITAS Saluatoris nostri Iesu Christi totum mundum hodie illuminat: & tempus est, vt in nouæ lucis ortu mentiũ cunctarum diffusis nubibus, per gratiam fides gratam Deo nobísque vtilem germinet lętitiam. Res enim mali ominis in Christiano esset, hac tanta in solennitate, nouo non accendi gaudio, nec vllum de se grati animi præbere indicium. Iudæis, quicunque ille esset, & stultis gẽtibus iudicaretur iniquior, ferísq; immanior.

Ierem.8. Nam & gentes istæ festos dies suos magna cum lætitia cele-
Isai.1. brant: & ciconia, turtur, hirundo, & grus, eundo redeundóque, naturæ instinctu, non rationis imperio, tempus cognoscunt obseruántque: bos quoq; cognoscit Dominum suum, & asinus præsepe dominorum suorum. Ideóque fratres, vos ac memet vobiscum tantam vt natiuitatem, digna, hoc est, omni mentis diligentia cogitemus: admoneo atque exuscito.
Rom.13. Ecce enim propior nũc nostra est salus: surgamus à somno. Appropinquauit redemptio nostra: leuemus capita nostra.
Luc.21. Vetera transierunt: noua facta sunt omnia. Mortem fugauit
2.Cor.5. vita, mũdi principem Christus nostra deuicit iustitia: & quid multa, rex noster Deus decorem indutus est: fortitudine præ
Dan.9. cinxit se. Exulta ergo, & lauda habitatio Sion: quia magnus
Ioan.12. in medio tui sanctus Israël. Consurge, consurge: induere for
Psalm.92. titudine tua, induere vestimentis gloriæ tuæ Ierusalem. Sol-
Isai.52. ue vincula colli tui captiua filia, quia hæc dicit dominus: Gra
Gen.3. tis venundati estis, & sine argẽto redimemini. Gaudeat Adã pater, quia hodie ex semine eius processit, qui serpẽtis caput
Gene.21. conterat. Gaudeat multarũ parens Abrahã gentiũ, quia semen eius hodie cũ fœcunda omniũ gentiũ benedictione pro-
Psal.131. dijt. Exultet vir secundũ cor Dei Dauid, quia hodie fructum ventris eius Deus super sedẽ maiestatis ipsius posuit. Exultẽt Prophetæ, quorũ hodie vaticinia & desideria impleta sunt.
1.Ioan.2. Lætentur peccatores: ecce propiciatio eorũ aduenit. Lętẽtur debiles: ecce venit medicus. Gaudete pueri, gaudete virgines, gaudete matres, quia Deus hodie infans ex virgine matre natus est. Nullus sit sexus, nullũ genus hominũ, quod hodie no

uo nor

no non exultet gaudio. Omnibus enim datus est, qui omniū causa homo puer natus est. Sed quid vos, fratres, ex Dei mirabili infantia ad lætitiam exhortor, quos idipsum in sese experiri omninò persuasum habeo, quod in me sentio? Equidē sic in hanc omniū credētium solennitatē afficior, sic incredibili suauitate huius puerperij trahor, vt nec quod sentio, dicē do satis exprimere possim; & minùs videatur, quidquid de tanta lętitia sentio. Sed est, qui me, vt hanc meā dicēdi infantiam æquo animo ferā, suo exēplo monet, Isaias tantus Propheta, vt Hieronymi testimonio meritò Euāgelista dicēdus sit: qui cùm multa de hoc puero dixerat, plura dicturus, his sermonē abrumpit: Quis generationē eius enarrabit? Sed & Ioānes Baptista Domini, plus quàm Propheta, quo inter natos mulierū maior nō surrexit, hoc Christi natiuitatis calciamentū soluere indignum se iudicauit. Deniq; ipse etiā Angelus sanctarū nuptiarū Paranymphus ab virgine rogatus, quo modo istud fieret, quasi rem humanas cogitationes transcendentem dicturus, Spiritus sanctus (inquit) superueniet in te, & virtus altissimi obumbrabit tibi. Quod ergo Propheta non potuit, nec plus quàm Propheta, nec Angelus, quid est, quòd ego de tam admiranda natiuitate conor exprimere? Dicendum tamen aliquid est, neque tantæ solennitatis prætereundum est gaudium, si non pro rei maiestate, certè pro nostrarum virium tenuitate. Exultandum est, inquis: Audio. Quæ causa lætitiæ tanta. Nasci infantem nocte obscura, brumali sydere, reclinari in præsepio, non habere præ inopia locum in diuersorio, vt noua non sunt, (communissima enim nobis sunt generatio & corruptio) ita nec quicquam lætitiæ adferunt. Verum cùm hæc dicuntur, nostri nos potiùs ortus admonent, quàm huius festiuitatis causam exprimūt. In hac enim natiuitate omnia noua, etiam eximia; omnia plena lætitiæ: omnibus causa salutis æternæ. Nihil cum ea nostri ortus habēt commune. Nam qui hîc nascitur, Deus est: qui genuit, æternus & incomprehensibilis est: de qua nascitur, mater quidem est, sed & virgo est, ante partū in partu, & post partum: virgo est, inquam, & virgo permanet. Sine peccato cōceptus est, idémque sine vel dolore vel immunditia genitus est. Nascitur autem non suis tantùm sed omnibus: imò hoc ipso, ꝙ omnibus nascitur, omnes suos facit. Denique ipsa etiam paupertas infantuli nostrā egestatem mitigat, & facit, vt rectiùs

Isai. 53.

Luca 1.

toleremus creaturæ, quā videmus in creatore. Hæc causa sunt hodiernæ letitiæ & solēnitatis: quæ omnia angelus paucissi-
Luc.2. mis quidem verbis, sed verè tamen complexus est. Ecce, inquit, annuncio vobis gaudium magnum, quod erit omni populo: quia natus est vobis hodie saluator. Verè magnum gaudium, cuius prædicatores primi sunt Angeli: verè magnum, quia omni populo erit: imò nec omni populo tantùm, sed & Angelis ipsis. Neque enim per hanc natiuitatem homines solùm ad spem viuam renati, sed Angelorum quoque sedes vacuæ impletę sunt. Verè inquam, magnum, hodie enim natus saluator est. Saluator est, & natus est, & hodie natus est. Hodie ergo exultandum est, & omnibus exultandum est: quia saluator omnibus necessarius est, & omnibus natus est. Volumus & aliorum Angelorum testimonijs hūc esse saluatorem omnium addiscere? Gloriam illi in altissimis Deo canunt: & suæ pacem hominibus bonam volūtatem annunciant. Nēpè cœlum ille & terras, & qui inter vtrumque medius est, hominem saluauit. In cœlo, quæ Deo debebatur gloria, languescebat, ea parte, qua exciderant Angeli, & ne ex hominibus ea pars suppleta gloriam aliquādo sonaret, ita mundum Satan multiplici errore repleuerat, vt nemo, aut certè admodū pauci Deum scirent, & si qui nossent, haud tamē multa ab eo sibi pollicerentur. Ad hæc in illud peccatorum barathrum præcipitē deiecerat, vbi nō modò nulla pax esset, sed præter horro-
Ioan.17. rem, fugam à Deo, terrorémque nihil superesset. Verùm hodie veniens is, qui saluat, cùm patris nomen manifestauit ho-
Marc.9. minibus fratribus suis, fili (inquiens) remittuntur tibi peccata tua, in me pacem habetis, confidite, ego vici mundum, fe-
Ioan.16. cit, vt pace inuenta certatim homines pro sancta & bona volūtate cœlesti Deo patri gloriā deferrēt, voto, voce, & opere. Hanc gloriam ipsi cum patre Deo cōmunem viderunt Apo-
Ioan.1. stoli, cùm aiunt. Vidimus gloriam eius, gloriam quasi vnigeniti à patre, plenum gratiæ & veritatis. Non omnium est tantā vnigeniti Dei videre gloriā. Non viderunt ciues Bethlehē, etsi inter ipsos iaceret vagiens puer, quibus ne totus quidem hic mundus miserabilius quicquam continet. Ecce enim thesaurum omnia in se continētem ante oculos positum non susceperunt. Orta est illis primùm lux, & non viderunt solem. Data illis fuit vita, & ecce, manent in morte: quia nō credunt in vnigenitum Dei. Viderunt eū pastores, sed magna in pau-

pertate & humilitate. Inuenerunt (inquit Euágelista) infan tem pannis inuolutum, & positum in præsepio. Et quáquàm plenè ac perfectè eũ non viderunt pastores, nec tamen sic quidem videtur ab omnibus. Non videt eum in paupertate diuitijs superbus, non hospitio carentem, domum cõiungens domui, non plorantem, delitijs affluentibus exultans. Aut si viderunt, non tamen Christi cognoscunt gloriam, sed suam augent condemnationem & ignominiam. De quibus ipse Dominus: Nunc autẽ viderunt, & oderunt, & me & patrẽ meũ. *Ioan.15.* Longè & rectiùs & meliùs viderũt Apostoli. Viderunt enim nõ paupertatem eius tantùm, sed & diuitias, & gloriam: gloriam quasi vnigeniti à patre, plenũ gratiæ & veritatis. Vidimus, inquit Ioannes, gloriam eius, nõ mundi, quæ sicut dies præterit, sed stabilẽ firmámq;. Quæ illa? Quòd sit filius Dei, non adoptiuus sed naturalis, nec filius tãtùm, sed & vnigenitus, qui solus caperet amplissimam hæreditatem. Hunc vidimus plenum gratiæ paternæ, nimirùm & suæ, qui superemi nentes illas gloriæ suę diuitias venit primogenitus in multos fratres diuidere, non ex debito, sed pio miserationis affectu. *Ioan.1.* Vidimus & veritatis plenũ, qui ea, quæ se factũrũ datúrũmq; prædixit, cùm adhuc nobiscum esset, incepit atque perfecit. Et hanc gloriam non nos soli, sed & nubes Patriarcharũ Prophetaúmque ante nos vidit. Vidit (inquã) & voce & signis prænunciauit. Vidit eum Iacob, & Schilo, id est, fortunatum vocauit. Vidit Moyses, & magni Prophetæ nomen illi dedit. *Genes.49.* Deuter.18. Vidit Dauid, & vnctũ Domini, imò filium appellauit. *Psal.2.* Vidit Isaias, & multis nominibus decorauit: Esse cum *Isa.7.8.& 9.* Emanuelem, nobiscum Deum, fortem, spoliatorem, & velocem, prædatorem, admirabilem, consiliariũ, Deum, fortẽ, patrem futuri sæculi, principem pacis. Vidit eum Ieremias iustum Dominum & saluatorem: *Hier.23.* Daniel, sanctum sanctorum: *Dan.9.* Michæas, dominatorem in Israel, *Mich.5.* Ioel, Doctorem iustitiæ: *Ioel.2.* Malachias, Solẽ iustitiæ, *Malach.4.* Aggeus, desiderium gentiũ. Agg.2. Hi omnes cum Dauide dixerunt: Domine, non discedimus à te, viuificabis nos, & nomen tuum inuocabimus. *Psal.79.* Et cum Petro, Domine ad quẽ ibimus? verba vitæ æternæ habes, *Ioan.6.* apud te est fons vitæ, & in lumine tuo videbimus lumen. *Psal.35.* Trahe nos post te, curremus in odore vnguentorum tuorum, *Cant.1.* qui factus es nobis à Deo sapiẽtia, & iustitia, & sanctificatio, & redemptio. *1.Cor.1.* In horum cœtu inueniri nos necesse habemus: tali-

bus oculis opus est ad videndam huius infantuli gloriam. Nisi enim talem eum viderimus, qualis ab alijs visus est, & vi deri à nobis vult: solidum gaudium nostrum non est, fundamento carês corruet, nihil est. Solidum Abrahæ fuit gaudiũ, de quo Christus: Abraham (inquit) exultauit, vt videret diẽ meum: vidit, & gauisus est. Solida & Apostolorum fuit pro beatitudine lætitia, de quibus Dominus in Euangelio loquitur. Beati, inquit, oculi qui vident quæ vos videtis. Dico enim vobis; Multi Prophetæ & Reges voluerunt videre, quæ vos videtis, & non viderunt, & audire, quæ vos auditis, & non audiuerunt. Tantò ergo maiori desiderio in hanc saluatoris nostri natiuitatem attendamus, omnia dicta factáque, quantum eius pro tempore, próque nostra fieri potest imperfectione, in ipsa diligenter examinemus. Non deterreat animos à dili-

Propos. genti consideratione puerperij huius paupertas. Sed magis quoque ipsa vilitas, vitæ nostræ comprimat fastum. Sunt alia in ea: vt naturam rationémque nostram transcendẽtia: ita vehementer admiranda. Recens nati infantes nouas in mũdo speculantur & admirantur imagines, nos contrà im mũdum dudum nati, nouam huius supernaturalis natiuitatis admiremur imaginem. Tam enim noua nobis isthæc est natiuitas, quàm infantibus sunt mundi formæ. Diuus ille ac verè ex hac ipsa speculatione Beatus Cyprianus, non terræ molem, non firmamentum volubile, non lunæ vicissitudinem, aut solis cursum, nõ vices temporum, aut eiusmodi quid, admiratur: Sed miror (inquit) Deum in vtero virginis, omnipotentem in cunabilis, miror, quomodo Dei verbo adhærere potuit caro, quomodo incorporeus Deus corporis tegumentum induerit, miror in hac dignatione tanti dispendia tẽporis, cùm breui potuisset patrari negotium hoc, tantúsque labor abbreuiari, ad solùm Christi verbum, quemadmodum & solo verbo omnia creauit. In his meritò nos complectitur stupor, meritò

Abac. 3. cum Propheta dicimus, Consideraui opera tua Domine, & expaui, Talibus affectibus in hanc natiuitatem intendamus. Et ne nosmet multis remoremur ambagibus, ipsam Euangelij lectionem ad manus sumamus. In ea enim pulchrè ferè omnia describuntur, quæ ad iustã tanti negotij considerationem sunt necessaria. Est in ea ipsius Christi personæ descriptio: innuuntur tempus, & locus, & causæ omnes, ita omninò: vt si quis diligentiam in eã contulerit, omnia quæ sunt vel ad cõ-

firman-

firmandam fidem,vel ad vitam instruendam commoda,pulcherrimámq; vatũ legis antiquæ,& facti nouæ gratiæ consonantiam inueniat. Ac principiò quidem omnis gaudij nostri ratio adeóque beatitudo , in vera personæ Christi agnitione consistit:vt sine qua impoßibile sit, Deo gratificari. Ea ergo prima sit cura : vt certi aliquid de persona Christi constituamus. *Persona Christi.* Multa de Mesia narrant Iudæi, sed commonstrare personam,ac dicere,Hic est,non possunt. Iã inde à prima Mesiæ promisione,in re vnicè necessaria, tàm grauiter hallucinantes,maximo suo incommodo, se risui exponunt omnibus. Eua mox vbi primogenitũ peperisset,ipsum esse promissum illum rata,posedi (inquit) hominem per Deum. Sed fefellit eam opinio præceps. *Genes. 4.* Sic prædicante Ioanne,ipsum Mesiam esse Primores arbitrabãtur. Sed & horum opinionem vt falsam,Ioannes refellit. *Ioan. 1.* Posteà etiam exoriebantur,qui se Mesiam profiterentur : vt Theodas & Iudas quidam Galilæus. *Acto. 5.* Tandem iam templo vrbéque euersis,sub Adriano Impera. Cochab quidam exoritur,tanto cum populi applausu:vt huius freti tanquàm veri Mesiæ presentia,ipsis se rursus Romanis opponerent : vna internitione posteà omnes delendi. Nempè Christus saluator noster hunc suum honorem alteri non dabat. Tanti refert,certum aliquid de Mesia constituatur. At in Euangelio hoc,ipsi de cœlo Angeli nato saluatori testimonium perhibent. Stetisse enim iusta pastores,circumfulsisse claritate Dei timoréque magno timentes,cósque allocutum dixisse Angelum: *Luc. 2.* Nolite timere:ecce enim Euãgelizo vobis gaudium magnum , quod erit omni populo : quia natus est vobis hodie saluator,qui est Christus Dominus,in ciuitate Dauid: Et hoc vobis signum:inuenietis infantem pannis inuolutum,& positum in præsepio. Et subitò factam esse cum Angelo multitudinem militiæ cœlestis,laudantẽ Deum & dicentem: Gloria in altisimis Deo,& in terra pax hominibus , bonæ voluntatis . hæc , inquam , de Angelo militiáque cœlesti , nato Christo testimonium perhibente, Euangelista Lucas disertis verbis testatur. Postea stella duce à Magis cognitus,& adoratus fuit. *Matth. 2.* Et ipse demùm pater voce atque miraculis testimonium ipsi dedit , filium illum esse suum dilectum,&c. *Ioan. 1.* Imò nec vllum extat veteris instrumenti de futuro Mesia vaticinium, quod tempore carnis implendum, ipse non impleuerit. Tria autẽ præcipuè de eo vaticinia pre-

dicāt, futurum illum Deum & hominem: daturum esse tàm æterna & spiritualia quàm terrena, deniquè regnum ipsius nullo æuo terminādum. Hęc quidem in inuolucris & fascijs, præter hominem, humanis obtutibus non aspicimus: sed explicandi sunt pāniculi, qui sunt sacra scriptura. In Genesi Dominus, post acceptam statim damnationis cladem, promittit semen quoddam mulieris, quod aliquando serpentis caput contereret. Serpentis caput rectè intelligimus peccatum & mortem. In his enim diabolus serpens quasi principatum sui iuris posuerat. Hoc caput conterere, hoc est, peccatum auferre, & mortem comminuere, iustitiam & vitam largiri, solius Dei sunt opera, nullius vel hominis vel Angeli in potestate constituta. En vobis Christi Mesiæ deitatem ab effectu insinuatam. Vocatur autem semen, & semen quidem mulieris. Per semen, veritatem carnis humanæ indicans, & per hoc, quod dicit, semen mulieris, virginis matris integritatem astruens, patrem hominem ab hac generatione excludit. Simile quid, imò idem habet promissio Abrahæ. In semine tuo, ait Dominus ad eum, Benedicentur omnes gentes terræ. Semen est Christus, hic secundum, quòd Deus est, solus omnes gentes benedicit. Idem planè habet Dauid promisio, cui per Nathan in persona Dei dicitur, Cùm completi fuerint dies tui, & dormieris cum patribus tuis, suscitabo semen tuum post te, & firmabo regnum eius. Ipse ædificabit domum nomini meo, & stabiliam thronum regni eius vsque in sempiternum. Ego ero ei in patrem, & ipse erit mihi in filium. Deo cœlum sedes est, & terra scabellum pedum eius. Quis ei domum ædificabit? Is certè, qui & cœlo & terra maior est. Non ergo Salomon, sed Christus. Et hoc semen Dauid, filius Dei, habens regnum perpetuò duraturum. Dies me deficiet prius, quàm tales panniculi. In Dauide ad dexteram Dei sedere iubetur sacerdos secundùm ordinem Melchisedech. In Isaia puer nobis natus est, & filius nobis datus est. In Daniele tanquam filius in conspectu Dei offertur, & dantur ei à Deo omnia, potestas, honor, & regnum, potestas æterna. Apud eundem omnium pulcherrima scripta est Gabrielis concio de Mesia, quam non piget hîc asscribere: Septuaginta hebdomades abbreuiatæ sunt super populum tuum, & super vrbem sanctam tuam; vt consummetur præuaricatio: & finem accipiat peccatum: &

Genes.3. Genes.22. Psal.105. Isai.9. Dan.7. Dan.9.

catum: & deleatur iniquitas: & adducatur iustitia sempiterna: & impleatur visio & prophetia: & vngatur sanctus sanctorum. Tempus septuaginta hebdomadarum prædicitur: quarum vnaquæque non septem dierum, sed septem annorum spacium habet: finis etiam Sacrificiorum Iudaicorũ, & peccati, initium autem iustitiæ & sacrificij: cuius primus sacerdos esset sanctus sanctorum. Succedat angelicæ concioni Regis Nabuchodonosoris per Danielem ex spiritu Dei interpretata visio. Nam & ipsa testimonium nato saluatori perhibet. Vidit ille in somnis magnam & terribilem imaginem, ex aduerso contra se stantem: cuius caput aureũ erat, pectus & brachia argentea, venter & fœmora ænea, crura ferrea: pedes partim ferrei, partim fictiles erant. Rursus vidit lapidem de monte sine manibus decidere: qui cùm pedem imaginis fictilem tetigisset, tota imago corruit, omnibus, ex quibus conflata erat, in nihilum redactis. Explicata imagine in quatuor mundi monarchias, Babyloniorum, Persarum, Græcorum & Romanorum, Daniel subijcit: In diebus regnorum illorum suscitabit Deus cœli regnũ, quod in æternum non dissipabitur: ipsum verò comminuet & consumet vniuersa regna hæc: & ipsum stabit in æternum, secundum quod vidisti, quòd de monte abscissus est lapis, sine manibus, & comminuit testam, & ferrum, & æs, & argentum, & aurum. Hæc libuit aliquanto fusius commemorare: partim, vt intelligeremus, quàm varijs modis olim hanc Christi personam & alia insinuauerit Spiritus sanctus, & quàm homines in his rebus meditandis diligentes fuerint & industrij, quò sic & nostra exuscitetur socordia: partim, vt collatis inuicem, quod mox facturi sumus, & nos facturos esse antè promisimus, vatum sententijs, & nouæ gratiæ factis, fidem vestram confirmemus. Principiò ad Adam, ad Abraham, ad Dauid loquens, inducitur pater hunc filium in orbem nasciturum promittens. Quemadmodum & in Isaia alloquitur filium. Dedi te (inquit) in lucem gentium, vt sis salus mea vsque ad extremum terræ. Et: Ego suscitaui eum ad iustitiam: & omnes vias eius dirigam. Hic non hominum meritis, sed omnium miserijs commotus, audijt pauperum gemitum: qui perpetuò irasci pro iustitia sua, & damnationi obnoxios perdere poterat, recordatus est misericordiæ suæ, & veritatis suæ domui Israel. Vnde & Ioannes hũc patris

Dani. 2.

Pater.

Isaia. 49. & 45.

Causa.

Psal. 97.

Ioan.3. affectum prædicans, Sic Deus dilexit mundum (inquit) vt filium suum daret vnigenitum : vt omnis qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam æternam. Dilexit, & dedit: quia vt daret dilexit: & prior dilexit: & inimicos dilexit: vt hoc totum, quod humanæ saluti impensum est, Dei acceptum feratur dilectioni: cui & subsequens respondet donatio. Et hoc ipsum angeli volunt hodie, quorum vnus ait: Natus est vobis hodie Saluator. Vtique quibus saluator opus erat, de meriti firmitate quod glorientur, non habent. Tum quòd alij gloriam Deo in altissimis canunt, vtique Dei in hac natiuitate prædicandam docuerunt dignationem, non hominum gloriam. Huic ergo Patri primùm salutem nostram acceptā referamus: vt cui quoque ipse Christus sæpè gratias egit, tam de temporalibus quàm de spiritualibus bonis: nobis vt exemplum poneret. Considerata autem æterni Patris persona, in nostræ redemptionis munere, rectè & filij nascentis, & pro nobis homo facti persona consideratur: In quo duas easque diuersas res consideramus, diuinam naturam atque humanam. Vtranque duplici ratione: diuinam ideò, quòd non solùm ipse Deus est per se existens, sed etiam, quòd de hac sua diuinitate hominibus cômmunicat, & dat eos fieri filios Dei: humanam quoque, quòd ipse quidem verus homo, ratione assumptæ carnis, ipsam carnem hominis diuinitati suæ mirabiliter & ineffabili modo coniunxerit: sed & nobis in eadem carne rectum viuendi modum exemplo atque doctrina tra-
Gene.3. diderit. Diuina ergo in Christo natura antiquis variè inno-
Gene.22. tuit. Ipse Deus in Genesi personæ Christi attribuit opera
2.Reg.7. diuinitati propria: Ipse conteret caput serpentis. Rursus ad
Daniel.7. Abraham: Benedicentur gentes in ipso. Et ad Dauid: Stabi-
Dani.9.& 2. liam thronum regni eius vsque in sempiternum: Ero ei in patrem, & ipse erit mihi in filium. Data est illi omnis potestas: potestas æterna. In ipso implebitur visio & Prophetia: vngetur Sanctus Sanctorum. Confringet regibus terribilem imaginem, & collabi faciet. Similia dicta innumera sunt in Prophetis, quæ & ipsi deitatem & nobis ipsius deitatis communicationem tribuunt. Quibus respondent dicta huius Euangelij ; Natus est vobis hodie Saluator, qui est Christus Dominus in ciuitate Dauid. Saluator, Christus, Dominus, & alia dicta, declarant eum vnam esse in Deitate personam. Communicationem verò, quòd nobis na-

nobis natus sit hodie in ciuitate Dauid, ostendit. Sic ab Angelo, antequàm conciperetur in vtero, vocatus fuit Iesus, magnus, & filius altissimi. Sanctum, filius Dei. Addantur & aliorum ex Spiritu sancto testimonia. Elizabeth Mariam propter conceptum in vtero, Domini matrem vocat. Simæon quoque & Anna vaticinantur & confitentur de illo: Esse salutare Dei, lumen ad reuelationem gentium, paratum ante faciem omnium populorum. Et Ioannes post multa, quæ de verbo dixerat, tandem addit: Et verbum caro factum est, & habitauit in nobis: & vidimus gloriam eius, gloriam quasi vnigeniti à patre: plenum gratiæ & veritatis. Et: De plenitudine eius omnes accepimus. Dedit eis potestatem filios Dei fieri. Hæc nulli hominum competunt, quantumuis potenti atque sapienti. Nihil in huius comparatione sunt, Dauid Rex sanctus: Salomon sapiens: potens Nabuchodonosor: victoriosus Cyrus: gloriosus Assuerus: Magnus Alexander: diues Darius: inuictus Iulius: fœlix denique Augustus. Omnes simul inutiles facti sunt, omnes egent miseratione & gloria Dei: veréque illud Dauidis dictum est: Nolite confidere in principibus, in filijs hominum, in quibus non est salus. Non saluatur Rex per multam virtutem: & Gygas non saluatur in multitudine virtutis suæ. Alij Reges ab hominibus constituuntur. Sed Christus à Deo constitutus est Rex super Syon montem sanctum eius. Dabit illi Dominus sedem Dauid patris eius. Alijs non committitur regnum, nisi adultis. Christus etiam regis infans officia exercuit. Imperium eius super humerum eius. Antequam sciat vocare patrem & matrem, auferentur spolia Damasci. Mira res profectò. Infans est, & rex est: non loquitur, & per eum regnum æternum administratur. Ab initio Satan hoc regnum mendacio impetijt: ab initio Christus hoc regnum veritate defendit, non in sua tantùm persona, sed & in membris corporis sui. Omnibus æquè propinquus est: omnibus causa est salutis æternæ. Quotquot ante eum saluati sunt, in fidem venturi saluati sunt. Quotquot post eum venerunt, eandem per fidem, eiusdem salutis participes effecti sunt. Vt filios faceret Dei, natus & mortuus est, resurrexit, ascendit. Sed vt ex filijs iræ, filij fiant gratiæ, tria sunt necessaria: remissio peccatorum, donatio gratiæ, & saluatio. In natiuitate remissio peccatorum, originem sumit: consummatur in mor-

[Margin notes: I. Luc. I. — Luc. 2. — Ioan. I. — Psal. 145. — Psal. 32. — Psal. 2. — Luc. I. — Isai. 9. — Isaia. 8. — Effectus. — Rom. 5.]

te. Etenim mortuus est propter peccata nostra: & nisi natus fuisset, mortuus non esset. In resurrectione iustificatur homo, vt gratiæ fiat capax. In ascensione fundatur saluatio. Nam cùm ascendit, ostendit cur natus atque mortuus fuerit: & quòd ideo peccata remitteret, ideo gratiam donaret, ideò denique iustificaret, vt filios Dei faceret, docuit. Id Da-
Psal.102. uid vult, cum ait. Qui propitiatur omnibus iniquitatibus tuis: qui sanat omnes contritiones tuas: qui denique replet
Soph.3. in bonis desiderium tuum. Id quoque Sophonias vult. Ab-
Psal.84. stulit (inquit) Dominus iudicium tuum, auertit inimicos tuos: & ipse in medio tui. Rursus Dauid: Benedixisti Domine terram tuam, auertisti captiuitatem Iacob, remisisti iniquitatem plebis tuæ, operuisti omnia peccata eorum: mitigasti omnem iram tuam, auertisti ab ira indignationis tuæ. Iusto Dei iudicio maledicta fuerat terra: & diabolus in cathena delictorum captiuam trahebat non Iacob tantùm progeniem, sed & omnem Adæ posteritatem: detrudebátque omnes in barathrum, ad inimicos homini diabolos. Erat miserrima rerum vbique facies. Vbique ira, vbique Dei indignatio apparebat. Hinc contritiones & dolor super dolorem parturientes. In multa enim positus miseria homo, qui adiuuaret, habebat neminem. Vna enim omnium erat conditio: inutiles erant omnes: Miserans ergo misericors Dominus, non erat contentus se Deum esse patri æterno æqualem: sed pro bonitate sua voluit de suo communicare homini. Verùm iustitia obstabat: cui propter iniquitatem satisfaciendum erat. In carne luenda erat pœna per carnem commissa. Quid ergo? Vt (quod homini atque legi impossibile erat) homo de diuinitate communicaret, fit Deus homo: & in homine per ea quæ hominis sunt, passionem & mortem, transeundi ad ea quæ diuina sunt, docuit viam: simúlque obedientia sua iustitiæ satisfaciens, iram & indignationem auertit. Ablatum est itaque iudicium per eum, qui propitiatur omnibus iniquitatibus nostris: sanatæ sunt contritiones nostræ ab eo, qui replet in bonis desiderium nostrum. Vt ergo Vates priorum temporum Patris personam, vt diuinitatem filij essentialem, & gratiam eius multiformem, qua nobis de suo communicat, verbis atque signis insinuarunt: ita quoque hominem venturum esse Deum prædixerunt, tam consonanter atque constanter, vt nemo dubitare possit, fuisse eos, qui hæc ita va-

ita vaticinarunt & intellexerũt futura, afflatos imbutósque spiritu diuino. Itaque a multis Dei dicta de semine mulieris caput serpentis conterituro, non de alio, quàm de filio Dei & virginis matris Mariæ, sunt intellecta. Vbi non modò hoc promittitur, fore Christum verum hominem, verùm etiam à communi nobis gignendi ratione illius natiuitatem futuram esse alienissimam. nempè nullius hominis patris, sed solius matris secundum carnem fore filium. Qua in re diuina meritò præiudicatur dispositio, qua filius in triade illa sancta, factus est filius in humana natura: vt qui patrem Deum sine matre haberet in cœlis, haberet & matrem hominem sine patre in terris. Imò etiam supernaturalis Iesu Christi probatur natiuitas, vt quæ sine viri amplexu est: & sanctæ matris laudatur integritas. Rectè ecclesia canit: Talis partus decet Deum, &c. Voluptas hîc mihi esset, aliquantisper in huius Sacramenti ordinatione immorari. Sed & tempore intercludor, & rei magnitudo dicẽdi meam excedit infantiam. Quis autem generationem eius enarrabit? Tam enim hoc Sacramentum humanam excedit intelligẽtiam, vt ipse Deus, quotiescunque illud priscis illis temporibus vellet innuere, non tam verbis prædiceret, quàm figuris ac signis ostenderet. Hinc est illa præter naturam, & ideò admiranda Isaaci natiuitas: quæ & priorum parentum compensauit sterilitatem, & virginitatis Mariæ præfigurauit fœcunditatem. Hinc in Exodo rubus fumigans quidem, sed non comburens cernitur: & absque concupiscentiæ ardore concipiendus partúque virgineo edẽdus intelligitur. Sola virga Aaron germinat florem: & virgo innuitur paritura Christum. Et hic ipse lapis ille est sine manibus de monte abscisus. Hic Helizeus ille, sese suprà mortuum puerum contrahens, vt ipsi vitam redderet. Nempè, qui ipse incomprehensibilis est in sua natura, in exigui corpusculi sese contraxit materiam. De quo & Isaias loquens, iam futurum prædicit, vt virgo concipiat, & pariat filium: iam quasi factum asserens. Puer, inquit, natus est nobis, & filius datus est nobis. Et Euangelista in hoc Euangelio, Peperit, inquit, filium suum primogenitum, & pannis eum inuoluit, & reclinauit in præsepio. Et Paulus factum eum ex muliere asserit. Post nati Christi, Dei atque hominis considerationem, ipsum quoque tempus & locum huius Sacræ infantię (ne quid prætermittamus) videamus. Et de tempore

Gene. 3. *Exod. 3.* *Num. 17.* *Dani. 2.* *4. Reg. 4.* *Isaia. 7.* *Isaia. 9.* *Luca. 2.* *Galat. 4.*

Tempus. quidem multa in Prophetis ſcirpta ſunt. Dauid quidem tempus illud oportunū vocat, Pſal. 9. propterea fortè, quòd niſi veniſſet lux & ſermo, mundus mutus perijſſet in tenebris: de quo in Sap. 18. ſcriptū legimus. Dum medium ſilentium teneret omnia, & nox in ſuo curſu medium iter haberet, omnipotens ſermo tuus venit à regalibus ſedibus. Aut ideò oportunum tempus: quia vt tunc homo pro ſuo deſiderio adiuuaretur, non tantùm ipſius hominis tribulatio poſtulabat: verùm etiam Dei Opt. Max. beneplacitum ordinarat:
2. Reg. 7. ne videretur Deo repugnare, qui nō Dauid temporibus, ſed poſt eum liberationē inſtituerat. Sic per Nathan ad illum loquitur: Vbi impleti fuerint dies tui, ſuſcitabo tibi ſemen:
Dan. 9. Hic ædificabit nomini meo domū. In Daniele certum tem-
Gene. 49. pus ſeptuaginta hebdomadum abbreuiatur. In Geneſi, poſt ſceptrum de Iuda ablatum, & deſinātibus ducibus in Iacob, vanturum eum, qui mittendus erat, & ipſe expectatiò gentium, prædicitur. Quibus tempus natiuitatis Chriſti conſentit: vt ex Scripturarum, Hiſtoriarū atque Olympiadum ſupputatione intelligimus. Natus enim Dominus Ieſus, ſexta, aut, vt nonnulli habēt, ſeptima & ſexageſima ſeptimana. Qui fuit Auguſto annus 42. Olympiade 193. Et hoc vult Euangeliſta, cùm Auguſtti Cæſaris, & deſcriptionis, quam
Locus. primā Cyrenus præſes Syriæ fecit, tam diligenter meminit. Simili ratione etiam locus conuenit. Nam naſcenti Chriſto
Mich. 4. ortus locū Michæas deſignarat. Et tu Bethlehem terra Iuda, inquit, nequaquā minima es in principibus Iuda: ex te enim exiet Dux, qui regat populū meū Iſrael. Qui locus, & ſi aliter ab alijs ex Hebræo vertitur: locum tamen natiuitatis Chriſti apertè innuit. Et huic reſpōdet Euāgeliſta, cùm ait: Aſcendit autē & Ioſeph à Galilæa, de ciuitate Nazareth, in
Luc. 2. Iudæam ciuitatē Dauid, quæ vocatur Betlhehem: eò quòd eſſet de domo & familia Dauid. Quo Euangeliſtæ teſtimonio, non tantū ortus Chriſtophori, ſed & genus aſſeritur: vt etiam hoc ipſo firmiorē faceret fidem: vt ad Dauid factas repromiſsiones intelligētes, ipſum promiſſum Chriſtū, non ſolùm in ciuitate Dauid, ſed & in ſanguine ipſius quæramus & ſuſcipiamus. Hac ratione collatis inuicē Prophetarum dictis, & alijs veteris teſtamenti figuris, cū hiſtoria natiuitatis comprehenſa in Euāgelio, ipſa dicta Prophetarum clariora redduntur: & natiuitas fit ex tot vatū teſtimonijs illuſtrior.

Et vo-

Et voluit Spiritus sanctus in his testimonijs fidem nostram confirmare & illustrare: vt planè intelligeremus, hûc natum Messiam verè esse Christum Dominum: & verè credentes saluari per hûc solùm: nec esse alium Deum præter eum. Quod spiritus sancti institutum imitata mater ecclesia, primùm veteris testamenti Prophetiam de natiuitate in Ecclesia recensent: mox ex Apostolis lectionem de eadem adiungit: vt quod futurum erat illis, nobis completum esse intelligamus. Ipsa quoque Euangelistæ verba diebus à multis Cypriano, Augustino, Bernardo, & alij explicantur: omnia in eum finem, ne quid ad confirmandam fidem desit: & fides natiuitatis firmata, tantæ diuinæ dignationis generet admirationem, nostrásque mentes nouo quodam ac spirituali gaudio perfusas, deuota pietate ac pia deuotione in ipsum Deum accenderet atque transferret. Hoc igitur agamus, quod Spiritus sanctus monet, hortantur Angeli, & ipsa salutis nostræ ratio postulat. Exulet infidelitas, succedat officiosa credulitas: transeant vetera, fiant omnia noua, mens, lingua, & opera. Noua hæc enim natiuitas, nouos quærit affectus. Gaudeamus, quia nobis puer natus est, & filius datus est, sed ita, vt nos quoque rationabile lac sine dolo quasi modò geniti infantes concupiscamus: semper in animo voluentes, omnibus hunc puerum fuisse, esse etiamnum expositum: sed à paucis agnitum, à paucioribus rectè ac verè honoratum. Sic fiet, vt quod in alijs reprehendimus, in nobis corrigamus: & quod facto opus est, diligentiùs perficiamus, hoc est, gaudium nostrum plenum reddamus. Id nos ex animo facere concedat ipse natus Christus Dei virginísque filius. Amen.

DOMINICA PRIMA
POST NATALEM CHRISTI
EVANG. LVC. II.

ET erat pater & mater eius mirantes super his quæ dicebãtur de illo: & benedixit illis Simeõ, & dixit ad Mariam matrem eius: Ecce positus est hic in ruinã & resurrectionẽ multorum in Israel: & in signũ cui contradicetur. Et tuam ipsius animam pertransibit gladius, vt reuelentur ex multis

cordibus cogitationes. Et erat Anna Prophetissa, filia Phanuel, de tribu Aser: hęc processerat in diebus multis: & vixerat cũ viro suo annis septẽ à virginitate sua. Et hæc vidua vsq; ad annos octoginta quatuor, quæ nõ discedebat de tẽplo: ieiunijs & obsecratiõibus seruiẽs nocte ac die. Et hęc ipsa hora superueniẽs, cõfitebatur Domino, & loquebatur de illo omnibus qui expectabãt redẽptionem Israel. Et vt perfecerunt omnia secundũ legẽ Domini reuersi sunt in Galileam, in ciuitatẽ suã Nazaret. Puer autem crescebat, & cõfortabatur, plenus sapientia: & Gratia Dei erat in illo.

EPISTOLA GALA. IIII.

Dico autem quanto tempore hæres paruulus est, nihil differt à seruo, cùm sit Dominus omnium: sed sub tutoribus & actoribus est, vsq; ad præfinitũ tempus à patre. Ita & nos cũ essemus paruuli, sub elemẽtis mũdi huius eramus seruientes. At vbi venit plenitudo temporis, misit Deus filiũ suũ factũ ex muliere, factũ sub lege: vt eos qui sub lege erãt, redimeret: vt adoptionẽ filiorũ reciperemus. Quoniã autẽ estis filij Dei, misit Deus spiritũ filij sui in corda nostra, clamantẽ, Abba pater. Itaque iam non est seruus, sed filius: quòd si filius, & hæres per Deum.

SERMO.



Principio igitur diligenter considerandum est, quæ cui tempori attributa sit Euangelij lectio. Etsi enim initio non statim appareat causa, cur hoc ordine non alio, sint singulis dominicis diebus singula Euangelia deputata: consideratio tamen diligentior causam aperit, & instituti prioris Ecclesiæ propositum. Sicut in hoc quoque Euãgelio fit. Est in eo pulcherrima historia præsentati in templũ Christi: & hinc seuera quoque est adiuncta iusti Simeonis concio. Sed quia ipsa historia post natiuitatem pueri quadragesima tãdem die facta est, nec concio vatis illius pueritiam tãtùm, sed reliquum etiam carnis Christi tempus totum concernit: Ideò fit, vt mirari homines recipiant, cur, quæ quadragesimo tandem die circa puerum hunc facta sunt, tam citò, & quidem in ipsa octaua, pu-

sa octaua, publicè in Ecclesia legendo anticipentur. His ergo respondendum est: & ne corpus ipsum Christianę nostrę doctrinę confusum arbitrentur, ita ordinem ipsius doctrinę postulasse, demonstrandum est. Id quod non solũ de Euangelij, sed & de Epistolę lectione intelligendum est. Nam & ipsa eidem rei, cui Euangeliũ seruit, & illud explicat. Ecce enim, dũ totus Angelicæ vobis iubilo exultat orbis, dũ omnes in infantuli speciosa illa prę filijs hominũ forma oculos animósq; pascimus: dũ in tãti sacramẽti ineffabilitate, in quo tã ineffabili diuinæ bonitatis dignatione admirantes obstupescimus: sui semper nõ dissimilis incredulitas, hominũ mẽtes à iusta deuotione, ergáq; puerulum istum nostrũ, euge quàm pulchra pietate, quibus potest modis, conatur (atque vtinam frustrà conaretur) auertere. Quæ (inquit) tanta circa infantem deuotio? Si Christus est, cur Iudæi, quibus olim peculiariter promissus est, ipsum non recipiunt? Si Dei filius in humana natura est, cur, quæ Deus pater olim lege sancita voluit, hic infringit? Cur ad quę reliquos homines alligauit, ipse homo factus non custodit?

Hæc tam nefanda incredulitatis impedimenta, ne cuiusquam pietatem deuotionémque erga infantem Iesum remorentur, statim ab exordio Christianæ doctrinæ Ecclesia conatur expedire: atque ideò talem Euangelij lectionẽ publicè hodie legendam instituit, quæ vtrique quæstioni satisfaciat. Si quæris (inquit) cur Christus in humana forma sine honore externo iaceat, cur à suis non recipiatur: ecce tibi & Dei præscientiam, & Simeonis vaticinium. Sic positus est Christus, vt multis sit in resurrectionem, qui iacuerunt in tumulis: item in ruinam, qui sibi bellè videbantur stare. Deinde si quæris, cur legem soluat, à legis authore genitus? Ecce in templum præsentatus est puer, inquit Lucas. Quæ legis sunt legis sunt, efficit. Verùm quàm diu paruulus est, sub hoc tutore erit: vbi autem senuerit, vbi vir factus, (Paulus addit) hunc legis pedagogum aliquando non audierit, si in speciem contraierit: scito iam eum ampliùs non esse paruulum, sed virum: & impleto tempore à patre constitutum ipsum, iam à tutorum actorúmque lege liberatum esse. Est & alia anticipationis huius ratio. Nempè cùm quæ hactenùs de Christo per Angelos, Pastores atque alios dicta, omnia læta auditúque iucunda sint: soleántq; homines

lętis,ideſt gratia Chriſti abuti,facilè,inquam,ſuam ipſorum, perniciem peruertere: ideò addenda fuit ſeuerior Simeonis concio,quę & gratię abuſum in multis argueret,& eam,quę in Chriſto ipſo eſt,iuſtitiæ ſeueritatem,oſtenderet. Si (inquit Simeon) exultas fidelis anima,quia tibi poſitus ſit hic Chriſtus in tuam multorúmque reſurrectionem: ſi in tua iſthac lætaris fœlicitate;age,pereuntium quoque contemplare miſeriam. Idem qui tibi futurus eſt reſurrectionis lapis, erit alijs multis, & ijs quidē in Iſrael, offenſionis. Ecce his anticipationis huius Euangelij rationibus cōmemorādis, ipſam quoq; ſummā ipſius inſinuauimus. Oſtēditur in eo, Chriſti natiuitatē nō omnibus æquè profuiſſe mortalibus: ſed quibuſdā illā ſalutis cauſam, multis verò interitus occaſionē fuiſſe. Qua in re illud quoque conſiderandum venit: quomodò ſalutis cauſa alijs, quomodò etiam ruinæ alijs fuerit occaſio: idque ad noſtram eruditionem, ne & nos impingamus. Sunt prætereà in eo multa parænetica: vt, quòd in quaque perſona, Simeonis & Annæ, Chriſti deinde, poſtremò Mariæ & Ioſeph noſtrûm quenquam ſui commonefacit officij. De quibus omnibus, quantum Deus gratiæ dederit, ordine dicturi ſumus. Intereà, quod veſtri officij eſt, primùm, quæ dicentur, cum diligentia accipite: deinde cum timore veſtram ſalutem operamini: ne & nobis idem lapis reſurrectionis, fiat petra ſcandali. Nihil enim proderit ſcire, quòd & quomodò fuerit Iſraēli lapis offenſionis: niſi & cauerimus, ne in eundem eodem impingamus modo.

Ecce (inquit Simeon) poſitus eſt hic in ruinam & in reſurrectionē multorum in Iſrael, & in ſignum, cui cōtradicetur. Breuibus verbis horrenda malis, ſed iucūda pijs vatidico ſpiritu Simeon prænunciat. Principio itaque nouum non eſt, illo tempore infantiæ ſuæ, à Simeone dici CHRISTVM eſſe poſitum veluti lapidem ruinę & reſurrectionis. Lapidē enim eum, cùm Prophetæ prædixerunt, tum etiam Apoſtoli poſteà prædicauerunt. Dulcis eſt Dominus (inquit Petrus) ad
1.Pe.2. quem accedentes lapidem viuum, ab hominibus quidem reprobatum, à DEO autem electum & honorificatum, & ipſi tanquam lapides viui ſuperædificamini: domus ſpiritualis, ſacerdotium ſanctum: offerentes ſpirituales hoſtias, acceptabiles DEO per IESVM Chriſtum. Propter quod continet
Iſai.21. Pſal.117. Scriptura: Ecce pono in Siō lapidē ſummū, angularem, probatum, ele-

batum, electum, pretiosum: & qui crediderit in eum, nō confundetur. Vobis igitur honor credentibus: non credentibus autem lapis, quem reprobauerunt ædicantes. Hic factus est in caput anguli: & lapis offensionis, & petra scandali, his, qui offendunt verbo, nec credunt, in quo & positi sunt. Hāc Petri prædicationem de CHRISTO lapide placuit hic apponere: quia addita, multum lucis cōcioni illi Simeonis adfert, & testimonia Dauidis & Isaiæ citat. Quin & retrò nos mittit ad Christi verba, ipsa eadem Psalmi verba citantis, Matth. 21. & denique ad Pauli verba allegat, ex Isaia loquentis, Roma. 9. Etsi enim Simeon CHRISTVM hoc loco non nominet lapidem: certissimum tamen est, eum ad prædictos Psalmi 117. & Isaiæ vigesimi octaui respexisse locos; quo & Petrus & Paulus quoque posteà verba sua direxerunt. Lapis est ille in semetipso, hoc est, solidus, integer, firmus: in quo cōminuendo frustrà potentes atque sapientes suas vires exercere contenderunt. Nil valent in illum procellæ fluminum, cassa inundatio, ventorum turbines. Sed & inferorum portæ cedūt illi. Venit ad me princeps huius mundi (ipse ait) & in me non habet quicquā. Et ad discipulos: Confidite, ego vici mūdum. Steterunt reges terræ, & principes conuenerunt in vnū aduersus Dominum. Sed quid tandem? Qui habitat in cœlis, irridebit eos: imò reget eos in virga ferrea: tanquàm vas figuli confringet eos. Iudæi recusabant illum regem suum etiam dici. Sed in magno ipsorū fremitu Pilati manet inscriptio: nec quod à Deo ordinatè factum fuerat, scelesta manus immutare poterat: nimirùm, vt Isaias habet, lapis erat in hoc electus atque probatus.

Matth. 21. *Act. 4.* *Rom. 9.* *Ioan. 14.* *Ioan. 16.* *Psalm. 2.* *Ioan. 19.* *Isai. 28.*

Est prætereà lapis seu basis, asilum, refugium, petra, non erinacijs, sed omnibus ad ipsum confugientibus, molémque sui in ipsum construentibus. Venite ad me (ait) omnes, qui laboratis & onerati estis, ego reficiam vos. In mundo pressuram habetis, in me verò pacem. Qui sitit, veniat ad me, & bibat. Huic omnes prophetæ testimonium perhibent: remissionem peccatorum accipere, quotquot credūt in eum. Hic constitutus est Iudex viuorum atque mortuorū. Fundamentum aliud nemo potest ponere, præter id quod positum est, quod est CHRISTVS Iesus. Omnis qui crediderit in illum, non confundetur. Est enim in eo ædificata domus Domini, ciuitas sancta, porta cœli, Ecclesia Dei: & ex ipso quoque funda-

Matth. 11. *Ioan. 16.* *Ioan. 7.* *Act. 10.* *1. Cor. 3.* *Isai. 28.*

mentum & columna veritatis facta est aduersus flumina at-
Matth.7. que turbines. Hactenùs solida perstitit, & ne nunc quidem (quæ nostra in ipsius fundamentorum fundamenti promissionem fixa spes est) portæ inferorum aduersus eam præualebunt.
Matth.16. Est & angularis lapis Christus, duos in semetipso coniungẽs populos, soluens medium materiæ, quod est lex, iustificans Iudæos ex fide, & gentes per fidem, annuncians pacem cùm qui propè erant Iudæis, tum qui ab ipso longè recesserant, gentibus.
Ephes.2. Neque verò angularis tãtùm, sed & caput anguli est, qui & supremum digniorémque locum in spirituali
Rom.13. ædificio tenet. Nomen fortitus est super omne nomen, & nostræ salutis in spirituali ædificio causa & origo, principium at-
Apocal.2. que finis est: vt in Apocalypsi, Ego, inquit, sum Alpha & O, principium & finis. Et hanc lapidis huius soliditatem, alijs superædificatis lapidibus viuis communicatam, Simeon resurrectionem, Petrus honorem, dicunt. Nempè fine illo omnes sub dira pressi seruitute iacebamus inglorij. In ipso verò exurgimus hîc à spirituali morte, & post peractam huius vitæ fa-
Ioan.3. bulam surrecturi sumus in immortalitatis gloriã. Deus enim misit filium suum in mundum, non: vt iudicet mundum, sed
Ioan.10. vt mundus saluetur per ipsum. Ego, inquit, veni, vt vitam habeant, & abundantius habeant. Id quod effectus posteà docuit, & miserrimi peccatores, Matthæus, Zachæus, Magdalena, latro in cruce, Petrus, & alij in sua cõuersiõe experti sunt.

Addita sunt huic lapidi plura epitheta: vt, quòd sit probatus, electus, pretiosus. Sed de his fusius dicendi nũc locus non est. Pertinent illa ad significandam personæ CHRISTI excellentiam & præstantiam. Illud ad propositũ facit, à quo positus sit, & quomodò, & illud iam ipse qui posuit, indicat.
Isai.28. Ecce (inquit) pono in Syon lapidẽ, &c. Et ipse lapis: Ego cõ-
Psal.2. stitus sum à Deo Rex super montem sanctum eius. Dominus
Ephes.2. dixit ad me: Filius meus es tu: ego hodie genui te. Et Paulus: Deus illum constituit ad dexteram suam in cœlestibus, supra
Dan.2. omnem principatum. Daniel quoque in explicatione somnij Nabuchodonosoris de hoc lapide loquens, ipsum de monte sine manibus auulsum esse, testatur. Nimirùm per hoc insinuans, Christum, cùm à patre in mundum mitteretur, sine viri semine veram humani generis carnem assumpsisse. Id quod & Dauid in persona Dei patris innuit, cùm suum filium dicit, & hodie à se genitum asseuerat. Et hæc ipsa somnij il-

nij illius explicatio mirificè illustratur Simeonis Prophetia. Obscura enim sunt Danielis verba, quòd dicit, solutum iri de monte lapidem absque manuum labore, qui decidens, totam & vastam imaginem secularis potentiæ prostraturus esset, comminiturus, & in nihilum denique redacturus: Ipsum lapidem, humilem quidem multorum opinione, veruntamen surrecturum in magnitudinem montis, & vniuersam terram impleturum. Hæc, inquam, obscura valdè sunt: sed addita Simeonis concione, elucet vera & germana sententia: Christum ex solius Mariæ purissimo sanguine, spiritu sancto superueniente, carnem assumpsisse, eundem, quidquid sublime & egregium est in mundo, sua collisione humiliasse. Coloss.2. Luc.2. posteà subactis omnibus in montem excelsum succreuisse, & totam terram impleuisse, dominúmque omnium constitutum esse. De qua re scriptum legimus: Ascendo ad patrem meum. Ioan.20. Vado parare vobis locum. Ioan.14. Pater, quos dedisti mihi, volo, vt vbi ego sum, & illi sint mecum: vt videant claritatem meam, quam dedisti mihi. Ioan.17. Postquàm purgationem peccatorum propria virtute fecit, sedet ad dexteram maiestatis in excelsis. Hebr.1. Thronus tuus Deus in seculum seculi. Psalm.44. Sede à dexteris meis. Psalm. 109. Postula à me, & dabo tibi gentes, hæreditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ. Psalm. 2. Illi data est omnis potestas à patre. Matth.28. Imò & reliqua omnia tradidit illi Deus. Ioan. 17. & omne iudicium eius est. Ioan.5. Idipsum concio Simeonis vult, quæ positum esse hunc lapidē, scilicèt in ruinā & resurrectionē multorum in Israel cōmemorat. Et ita collatis his locis alter ab altero lumē accipit. Et Simeon quidē positus est, inquit: Daniel verò, sine manibus abscissus est. Rursus Simeō, in ruinā, inqt, multorū: Daniel, cōminuet & cōfringet statuā. Simeon tertiò, & in resurrectionē multorū: Daniel, creuit in mōtē magnū, & repleuit terrā, hoc est omnes ad se traxit, vndiq; ipse in medio omniū supremus.

Suprà autē licèt breuissimè, innuimus, quomodò lapis hic in resurrectionem multorum fuerit positus, & periucundum esset, omnium illum resurrectioni positum fuisse: vt nihil opus fuisset Simeonem duriùs aliquid vaticinari: liceretq; nūc nobis in resurgētiū per eū fœlicitate exultare tātùm. Sed fit nobis hîc idē, quod Ezechieli olim cōtigit. Expectabat is librum Ezech.2.

ſibi dari,in quo merum carmē deſcriptum eſſet.Verùm dum tale expectat,porrigitur liber,in quo non Carmē, ſed lamentatio & væ ſcriptum erat. Haud dubiè Deus nō cupit nos ſuæ iuſtitiæ denunciatione animis deijcere, mœroréque afficere: imò magis deſiderat, tales inuenire nos, in quibus ſeuerior animaduerſio locum non habeat,qui Euangelij ſermone, lætitia (quæ Euangelij natura eſt) perfundantur, non contrà exhorreſcāt.Sed quemadmodùm Ezechieli incumbebat, Iudæis multa de populi captiuitate:vrbis vaſtatione excidióque templi Dei, multa alia de multis calamitatibus prædicere atque minitari:Ita etiā hominum peruerſitas poſtulat, & quodammodò ſacræ ſcripturæ dictatorem Dei ſpiritum cogit:vt neceſſariò præter carmen & ſuauem Euangelij vocem etiam lamentationes & væ inferat. Habet ſcriptura beneficentię diuinæ annunciationem,id eſt carmen,ſed pro ea multi ingrati inueniuntur.Hi deplorandi atque lugendi ſunt,id eſt lamentatio. Sunt præterea alij,qui oblatam beneficentiā aſpernantur. In hos tanquā impios,ſempiternę damnationis formidabilis denunciatur ſententia,& hoc eſt vę.Si ab omnibus gratis animis ſuſciperetur Chriſtus:vt certè debet, & nobis neceſſarium eſſet:non vtique lætis illa permixta eſſent triſtia,nunc verò & illorum arguenda fuit ingratitudo, & horum prædicanda damnatio:vt omnis pręcidatur excuſatio. Nec tantùm Simeon,Dauid,Iſaias,Petrus aut Paulus, ſed ipſe etiā Chriſtus de malis, & eorū qui in ipſo ſcandalizarentur ruina,multa prædixit: tum etiam beatos pronunciat, qui non fuerint ſcandalizati in ipſo. Matth.11. Atque in hoc tanto omnium periculo diligenti conſideratione opus eſt: vt diſcamus iudicia Dei, ſi non intelligere: tamen ādmirari & ſuſpicere, & in propriæ ſalutis negotio ſollicitè agere: quæ eò commodant, promouere:quæ repugnant depellere. Naſcitur in mundum vniuerſitatis Dominus: & ecce, quàm paucis acceptus eſt?
Ioan.1. In propria venit, & ſui etiam eū non receperunt.In omnem
Pſal.8. terram exiuit ſonus Apoſtolorū:& tamen clamant Apoſtoli: Domine,quis credidit auditui noſtro?Iudęis promiſſus erat, Iudæis venit, & tamen quæ de ruina vaticinatur Simeon, de Iudæorum caſu intelligimus.Deus intentator malorum eſt: neminē ad mala ſollicitat:multò minus impellit.Clamat ille: Popule meus,quid feci tibi,aut in quo contriſtaui te:vt nega
Ioan.3. res ſaluatorem tuum? Dedit hunc filium ſuum:quod eſt,poſuit hunc

ſuit hunc lapidem: vt mundus ſaluaretur per ipſum: vt multi 1.Ioan.2.
qui lapſi ſunt, in illo reſurgerent, multi qui infirmi ſtant, in
ipſo niterentur. Ipſe enim propitiatio eſt pro peccatis totius
mundi. Sed multa tamen de offendentiũ in eum Iudæorum
ruina loquitur ſcriptura. Moſes omnium primus ipſos allo- Deuter.32.
quitur, de eo dicens: Deum, qui te genuit, dereliquiſti, & obli
tus es Domini creatoris tui. Hæccine reddis Domino popule
ſtulte & inſipiens? Nunquid non ipſe pater tuus, qui poſſedit
te, & fecit, & creauit te? Et Dauid in perſona Dei: Populus Pſal.17.
quẽ nõ cognoui, ſeruiuit mihi, in auditu auris obediuit mihi.
Filij autem alieni mẽtiti ſunt mihi, filij alieni inueterati ſunt, Iſai.65.
& claudicarunt à ſemitis ſuis. Quæſierunt me, inquit Iſaias, Iſai.6.
qui antè non interrogabant, inuenerunt, qui quęſierunt me.
Expandi manus meas ad populum incredulum, qui ad ira-
cundiam prouocat me ſemper. Et alibi apud eundem. Vade,
& dices populo huic: Audite audientes, & nolite intelligere,
& videte viſionem, & nolite agnoſcere. Excæca cor populi hu
ius, & aures eius aggraua, & oculos eius claude, ne fortè vi-
deat oculis ſuis, & auribus ſuis audiat, & corde ſuo intelligat,
& conuertatur, & ſatiem eum. Et erit vobis in ſanctificatio- Iſai.8.
nem, in lapidem autem offenſionis, & in petram ſcãdali dua-
bus domibus Iſrael, & in laqueum & in ruinam, habitãtibus
Hieruſalem. Et offendent ex eis plurimi, & cadent, & conte-
rentur, & irretientur, & capiẽtur. Hæc atque alia multa eiuſ-
cemodi Prophetæ de Iudæorum ruina locuti ſunt.

Et mirari quis hîc nõ immeritò poteſt. Deus poſuit hunc
lapidem, vtique ad ſalutem omnium, & nemo eſt, qui non ve
hementer beatitudinem expetat. Quomodò igitur fit, quòd
tam multi tã horrendè impingant & corruãt? Hîc iam quæ-
rendæ ſunt cauſæ tanti negotij. Prima, eáque omniũ grauiſsi
ma, eſt infœlix illa Deóq; cœlóq; inuiſa incredulitas. Id quod
diuus Petrus expreſsè affirmat. Vobis, inquit, honor creden-
tibus, non credẽtibus autem lapis, quem reprobauerunt ædi-
ficantes. Hic factus eſt in caput anguli, & lapis offenſionis,
& petra ſcandali his qui offendunt verbo, nec credũt, in quo
& poſiti ſunt. Incredulitas fecit Iudæos in Chriſtum impin-
gere, atque fortiter ab illo auerſos egit. Nam ſi credulitas
vnicum cũ Deo agẽdi paciſcendíque eſt mediũ, vtique per an
titheſin, qui incredulus eſt, in ſalutis offendit authorẽ, iuxta
illud: Qui incredulus eſt filio, nõ videbit vitã, ſed ira Dei ma-

net super eum. Hæc præcipuè Iudęos, in æternum damnauit. Id quod Paulus quoque asserens: Propter incredulitatem, inquit, fracti sunt rami. Roma. 11. Ex ea enim reliquæ secundariæ causæ noscuntur omnes. Noluisti, inquit Christus, ideò relinquitur vobis domus vestra deserta, auferetur à vobis regnum Dei, & dabitur genti facienti iustitias eius. Ex ipsa incredulitate natum est, nolle eorum. Quid enim vellent, quod non intelligunt? Sed scriptum est, Nisi credideritis, non intelligetis. Et quia ipsum Christum non crediderũt: multa in eo finxerunt, cur aduersus eum pugnandum iudicarent. Opinabantur Christum solenni pompa, regum sæculi huius more imperaturum esse. Sed quia nihil magnificum in ipso considerabant: quia paupertatem, humilitatémque tantummodò riespiciebãt: ideò contẽnebant. Nunquid, inquiunt, hic est filius fabri? Luc. 4. Christus Mesias cũ venerit, nemo sciet vnde sit: Atqui hũc scimus vnde sit. Ioã. 7. Et ipsi Apostoli, Nos, inquiunt, sperabamus: q̃a ipse esset redẽpturus Israel. Luc. 24.

Matth. 2. Ex incredulitate nascebatur & inuidia discipulorũ Ioannis, qui conqueruntur de hoc, quòd Ioanne Christus videretur præstantior. Verũ non volebat Christus metiri tantũ ex humana forma. Beatus, inquit, qui nõ fuerit scãdalizatus in me. Sed oculos fidei requirit, his videri atque agnosci vult, & põt, caro hîc nihil ꝓdest. Externa Christi forma scandalizati sunt multi, & retrò abierunt, inq; incredulitate sua occubuerunt. Ex incredulitate Herodis nascitur occidẽdi Christũ animus. Ex incredulitate erat, ꝙ Pharisæi in arguentẽ corripiẽtémq; scelera sua, mortis ignominia animaduertendum iudicarent.

Sap. 2. Venite occidamus iustũ: quia contrarius est operibus nostris: & gressuũ nostrorũ viã viã dissipat. Ex incredulitate cæcitas, quę ne pręstãtia eius facta intelligerẽt, impediuit; imò ne quẽ in Prophetis legebant, cor ãni viderent, cohibuit. Ex cæcitate blasphemia, qua diuina in Christo facta dæmoniorum asscribebant principi. Ex blaphemia odium: sicut Christus ait: Si non venissem, & locutus eis fuissem, peccatum non haberẽt. Si opera nõ fecissem in eis, quæ nemo fecit alius, peccatũ non haberent. Nunc autẽ viderunt, & oderunt, & me & patrem meum. Ex quo odio tãdem clamor & crucifigendi eũ ardor, & impœnitentia, quę est peccatum ad mortẽ, ad perditionem æternã & interitum. Porrò vbi eò demẽtię ventũ est: vt trucidato salutis auctore, euangelizantibus eam quę in ipso est pacem, cruen-

cem,cruentas manus inferre,sacrificium Deo arbitratur:nec adhuc quiescit natura salutis cupida:fit,vt quam in Christo aspernantur salutem,alibi quærant. Hinc in lege iustificari volunt,contra legislatoris mentē:qui ideò legem dederat,vt per eam quasi per pædagogum quendā ad Christū perducerentur:non,vt perpetuò in ea inhærerēt:sed vt veniēte legislatore Christo,ab ipsa,ad legislatorem progressum facerent.

Cum quibus Paulo in hodierna epistola negotiū est: dehortans eos ab opinione illa,qua sibi salutem in legis operibus permittebant: demonstrans postea, ipsis quidem opus fuisse lege,quamdiu sub lege fluctuantes,paruuli fuissent:verùm nunc viros factos,lege dimissa,in Christo salutem oportere quærere:deinde ostendens,ideo Christum factum fuisse sub lege:vt eos qui sub lege erant,redimeret:veréque liberos esse à lege,quos filius ita liberarit:vt iam non seruj legis,sed filij patris effecti essent cœlestis.Sed,inquit Paulus:promissio benedictionis data est ante legem.Hanc legem irritam & inanem factam esse,nusquam probabunt Iudæi.Vt ergo homines promissam benedictionē ante legē consecuti sunt sine lege:ita & post legem sine lege eā consequentur alij per fidē eandem Iesu Christi.Galat.3.Quibus sanè verbis,egregiè ac graphicè Paulus causam describit ruinæ istius populi. Id quod & alibi facit:Quicūque in lege iustificamini,à gratia excidistis: Christus vobis nihil ꝓderit,&c. Vobis,inquit,oportebat primū loqui verbū Dei:sed qm̄ repellitis illud,& indignos vos iudicastis æternæ vitæ:ecce cōuertimur ad gētes:sic enim nobis præcepit Dominus.Hæc,fratres,hodie de Iudęis audimus:& audientes quidē nō immeritò admiramur,& exhorrescimus istorū hominū insaniam,qui oblatā sibi in Christo salutē nō sint,vt æquū erat,& salus ipsorum postulabat: amplexi:qui coràm quem viderunt saluatorem,occiderunt, nec postea à tanto scelere tam graui oratione Pauli ad pœnitentiam conuerti potuerunt. Res est hæc digna miraculo, & quā omnes meritò exhorrescimus.Et omnes (vt quidē iudico) ad nosmet cogitamus:Quòd si ego illo tēpore vixissem, atque hāc Simeonis concionem de ipso audiuissem:vtiq; omni studio effecissem,vt mihi non in ruinam, sed in resurrectionem fuisset positus:aut rectè tam graui sermone Pauli ad resipiscētiam & animū redijssem.Sed vereor,ne vana sit hæc cogitationum humanarū præsumptio.Quomodò tūc fidem

habuissent adhuc humili forma in terris ambulanti, qui ne nunc quidem ipsi credũt à dexteris Dei in cœlis sedenti? Sed verum est quod loquimini: ostendite pietate in ipsum: ostendite in misera & afflicta eius membra comitate, mansuetudine, liberalitate. Quandiu hæc in vobis non apparent, quis vobis affirmantibus credet? Non Iudæis tantùm hæc prædixit Simeon, sed & nobis. Nam vt Iudæi lege sua, ita gentes philosophia, imò etiam ipsa lege in Christum impegerũt: atque adeò diuerso modo. Confidebant in operibus legis sine fide salutem se consecuturos esse Iudæi. Contrà inuenias, qui in nuda fide, sine vllis operibus, iustitiam sibi promittunt: hoc ipso Pauli sermone abutentes: quasi ab omni lege, ab omni etiam opere planè sint liberi: nec vlla esset cura Deo, quomodocunque viuant: quantis quantis peccatis enormiter innodati sint. Imò persuadent sibi, Deum non posse ipsis negare vitam: si modò Saluatoris sibi nomen tueri vendicaréque velit. Quid est impudentia, si hæc non est? Impudentissima, inquam, theomachia est: cogere Deum, vt sceleratis det, quod promisit iustis. Sed prædixit Simeon, futurum esse CHRISTVM quibusdam in resurrectionem, & multis quoque in ruinam. Clamat Christus, eos beatos esse, qui nõ fuerint scãdalizati in ipso. Vtique non præmonuisset, nisi futures esse præsciuisset: qui licèt contrario modo, tamen aliquo in ipsum impingerent. In vltima cœna Christus vnius tantùm Apostoli casum & ruinam prædixit: sed videte, quanta omnium sollicitudo? Singuli quærunt: nũquid ego sum Domine? nimirũ, sciebant se homines esse. Rectè Sapiens monet: Ne dixeris, peccaui, & quid accidit mihi triste? Cui non incongruè Paulus respondet. Ignoras ô homo, quantum benignitas Dei ad pœnitentiã te adducit? Secundũ autẽ duritiã tuã, & cor impœnitens, thesaurizas tibi irã Dei. Noli altũ sapere, sed time. Vide ne cadas. Beatus homo qui semper est pauidus. Non ita intelligẽdus, aut potiùs corrũpendus est Paulus. neque enim loquitur de lege naturæ, neq; de politicis, quas Christus confirmauit. Matth. 12. Roman. 13. Denique neq; à decalogi præceptis nos Christus absoluit: valent enim etiamnum Christi iussa: Si vis ad vitam ingredi, serua mãdata. Hoc fac, & viues.

Matth. 2. *Eccle. 5.* *Roman. 2.* *Roman. 21.* *1. Cor. 10.* *Prouer. 28.* *Matth. 9.* *Luc. 10.*

Hæc consideremus: & coniunctum saluti nostræ periculũ, rectiùs diligentiúsque ad animum reuocãtes cum timore & tremore salutem nostram operemur. Et quia non omnes ad suam salu-

ſuam ſalutem Chriſtum omnibus poſitum ſuſcipiunt: piorũ in hoc Euangelio ſequamur exempla. Hæc docere poſſunt nos, ne qua via in Chriſtum offendamus. Ecce vobis Mariam & Ioſephum, admirantes ea, quæ de puero dicuntur. Merentur id omnia dicta, quæ ſunt de Chriſto atque nobis: tam vbi proſpera, quàm vbi aduerſa denunciantur. Nouerat Dauid admirari Dei ſermonẽ: quo ſibi per Nathan promitti ſemen benedictũ intelligebat. Quis ego ſum Domine, inquit, & quæ domus patris mei: quia hucuſque me adduxiſti? Nouerat & eum admirari, & ſuſpicere: quo homicidij atque adulterij reus conuincebatur, Sed & reliqua Dei mirabatur omnia. Domine Deus noſter, inquit, quã admirabile eſt nomen tuum in vniuerſa terra? Quàm bonus Iſrael Deus his, qui recto ſunt corde? Idẽ Paulus nouerat: O altitudo diuitiarum ſapientiæ & ſcientiæ Dei. Quàm incomprehenſibilia ſunt iudicia eius, & inueſtigabiles viæ eius. Et Ioannes alios quoque ad admirãda Dei facta cõtemplanda adducit. Videte, inquit, qualem charitatẽ dedit nobis pater: vt filij Dei nominemur, & ſimus. Et denique Chriſtus ipſe cũ admiratione patri Deo gratias agit: quòd multa alijs oſtenderit, ab alijs abſconderit. Sed & aliud in Maria exemplũ eſt: nempe, etſi pia, etſi mater ſit, tamen crux ei prædicitur. Idque afflictos ſolatur: ne quis in afflictione deſperet, & ſe à Deo abiectum exiſtimet. Poſt parentes, ipſum quoque filium cõſideremus. Creſcit ille & confortatur: vt finis habet Euangelij. Creſcamus & nos. Cùm eſſem paruulus, loquebar vt paruulus, inquit Paulus, 1. Corint. 14: Petrus hortatur, vt aſsiduè creſcamus in gratia & agnitione Chriſti. Paulus flexis genibus orat Deum, vt per ipſius ſpiritũ fideles confirmentur corroborentúrq;. Eph. 3. Sed & Simeon & Anna cõſiderari volũt. Simeon perſonã gerit miniſtri eccleſiæ: Anna plebis. De illo dicitur, quòd à ſpiritu ſancto acceperit reſpõſum: non viſurũ ſe mortẽ, niſi prius videret Chriſtum Domini: quæ res oſtẽdit, tum quoque multos Chriſti aduẽtum expectaſſe ſecũdum promiſsiones Dei. Hic ergo benedicit. Et hoc officium ſacerdotale requirit. Sed vide quibus benedicat. Non diuitibus, ſed pauperibus. Hos nouerat ſaluandos eſſe à Domino. Pſalm. 71. tanquam ipſi Deo derelictos: Pſalm. 9. & quorum cauſa de cœlo aſpexerat, & in hanc terram venerat Chriſtus, Pſalm. 11. & 101. imò dignos hos benedictione Domini nouerat. Neque noua eſt be-

Matth. 11.

2. Cor. 3.

2. Pet. 3.

nedictio:diuites enim facit. Non suscipit personam hominis: nec margaritas ante porcos proijcit:nec sanctum canibus:sed benedictionem impertit egentibus. Et rectè contra morem sæculi Christū apud pauperes quærit atque inuenit, qui diuites plærunquè dimittit inanes. Deinde ostendit Christū non solùm misericordem esse, & in resurrectionem venisse:sed & iustum esse, & in multorum ruinam positum esse. Non blanditur diuitibus, non loquitur placentia, nō dimidiatum Christum prædicat. sed quod res est, totum declarat. Postea etiam in hac vita afflictiones, & gladios prænūciat: vt Paulus Acto. 14. 2. Timoth. 3. & Christus ipse, Ioan. 15.

Restat Anna pietate ac sanctimonia illustris fœmina. Hæc dum plebis personam gerit, inuenitur in templo: accurrit, astat: audit Simeonem, confirmat illius sermonem: gratias agit Deo: loquitur postea alijs quoque redemptionem Israel expectantibus de Christo. Voluit & alia in ipsa laudare Lucas: nimirum, quòd tanto tempore vixerat vidua: quòd totū illud tempus tam pijs exercitijs consecrarit, quòd non discesserit à templo: quòd die ac nocte seruierit Deo, ieiunijs atque obsecrationibus. Habent viduitas & virginitas suam eāmque eximiam laudem, cùm in Euangelio, tum etiam in Pauli epistolis, Matt. 19. Lucæ 2. 1. Cor. 7. 1. Tim. 5. quantumuis repugnent huius sæculi mores: non modò contra virginitatem viduitatémque, sed & contra ieiunia & orationes. Anna non in templo solùm, quod is locus requirit, fecit: sed & domi forísque erga omnes. Atque hæc sunt planè eiusmodi, quibus promeretur Deus, & certior fit cuiusque vocatio. Imò his medijs fit, ne in Christum verbo offendamus, aut in ipsum ad nostrām damnationem impingamus. Video adhuc multa superesse dicenda. Sed quis omnia simul & tam exiguo tempore? Gratia Dei nobiscum. Amen.

DIE CIRCVNCISIONIS DOMINI IESV EVANGELIVM, LVCAE. II.

POstquam consummati essent dies octo, vt circuncideretur puer: vocatum est nomē eius Iesus: quod vocatum est ab Angelo, priusquam in vtero conciperetur.

EPI-

EPISTOLA AD TIT. II.

APparuit gratia Dei saluatoris nostri omnibus:erudiens nos vt abnegantes impietatem, & secularia desideria, sobriè, & iustè, & piè,viuamus in hoc saeculo:expectantes beatam spem, & aduentum gloriae magni Dei, & Saluatoris nostri Iesu Christi: qui dedit semetipsum pro nobis:vt nos redimeret ab omni iniquitate & mundaret sibi populum acceptabilem, sectatorem bonorũ operum. Haec loquere, & exhortare, & argue, cum omni imperio. Nemo te contemnat.

SERMO.

EN rursus se nobis in sua pulchritudine speciosus ille forma prae filijs hominum conspiciendum exhibet: & quem pauculos ante dies virgo mater è caelo susceptum, carnísque indutum armatura, in hunc mundum pepererat, hodie obediens legi subditur, circunciditur: à lege liberaturus, Iesu nomen accipit. Res haec noua est: quòd qui non tenetur lege, istam legem sustinet: & benè in tanti facti nouitate, noua fiũt omnia, tempus, homo, mens, lingua, & opera. Primùm hodie Sancti illius ros sanguinis sterilem virtutibus mundum foecundat, renouat, plaudite. Olim Iano redeunti inani vanóque ludos edebant annuos. Precari illi inuicem solebant laeta, fausta, prospera. Prospera lux oritur, inquit vnus ex eorum Prophetis, linguis, animísque fauete. Nunc dicenda bona sunt bona verba dic. Lite vacẽt aures, insanáque protinùs absint Iurgia: differ opus liuida turba tuum. Salue festa dies, melió rque reuertere semper, A populo rerum digna potente coli. Sed nunc bifrons ille euersus est: nihil est, superstitionis errore discusso. Adest CHRISTVS Iesus, magnus, humilis: lux veritatis exorta est. Synceris ergo pectoribus, Christo lucéque tanta dignos triumphos agite. Agemus autem, si cor anteactae vitae non reprehendit nos. Nemo sit, fratres, qui non ipse sibi Ianum praestet: Respiciamus altero oculo in anteactae vitae mores: altero in futuro prospiciamus. Illic si quid indignum commissum est, si quid per torporẽ neglectũ est: hîc emendemus: corrigamus sedulò: fide moribúsque nouis omnia studeamus rependere. Equidem, ne quid vos defraudem, pro recepto more, próque nostra omnium & necessitate & vtilitate, omnia vobis mihíque laeta atque faustà

precabor:vt Iesu Christi pietas, quidquid hactenùs per omnem vitam commissum est, nobis clementer ignoscat: vtque totum reliquum vitæ nostræ in vera sui agnitione pijs moribus transigamus, de sua plenitudine donet.

Nec video, quib' verbis id melius effecero, pro loci huius atque rei dignitate: quàm eorú, quibus & populi salus cordi fuit, & qui Spiritu sancto locuti sunt.

Num.6. Sic Moses Israeli benedixit: Benedicat tibi Dominus, & custodiat te: ostēdat Dominus faciem suā tibi, & misereatur tui. Cōuertat Dominus vultū suum ad te, & det tibi pacem.

Sic Booz messoribus suis: Dominus vobiscum. Et illi: Benedicat tibi Dominus. Ruth.2.

Dauid: Dominus exaudiat te in die tribulationis: protegat te nomē Dei Iacob, Psal.19. Et: Deus misereatur nostri, & benedicat nobis. Illuminet vultū super nos: & misereatur nostri. Psal. 66. Et: Non faciat nobis Dominus secundum peccata nostra: neque secūdum iniquitates nostras retribuat nobis. Psal.102. Auxilium vobis sit à Domino, qui fecit cœlum & terram: & per totum Psal.120.

Iudæi Hierosolymis ad fratres in Aegipto: Benefaciat vobis Deus: & meminerit testamēti sui, quod locutus est ad Patres nostros: & det vobis cor omnibus, vt colatis eum, & faciatis eius voluntatē corde magno & volenti. Adaperiat cor vestrum in lege sua, & in præceptis suis: & faciat pacem. Exaudiat orationes vestras, & reconsilietur vobis: nec vos deserat in tempore malo. 2. Mach.2.

Paulus Romanis gratiā & pacem precatur: Rom.I. & alibi precatur, dicēs. Deus patientię & solatij det vobis idipsum sapere in alterutrum: secundū Iesum Christum: vt vnanimes vno ore honorificetis Deum, & patrem Domini nostri Iesu Christi, Rom.15. Deus pacis conterat Satanam sub pedibus vestris velociter: Rom.16.

Idē Corinthijs scribit: Gratia Domini nostri Iesu Christi, & charitas Dei, & communicatio Spiritus sancti, sit cùm omnibus vobis. Amen. 2. Corint.13.

Idem Ephesijs scribit: Pater Domini nostri Iesu Christi det vobis secundū diuitias gloriæ suæ, virtutem corroborari per spiritū eius in interiore homine, Christum habitare per fidem in cordibus vestris, in charitate radicati & fundati: vt possitis cōprehēdere cum omnibus sanctis, quæ sit latitudo,

& longitudo,& sublimitas,& profundum: scire etiam supereminentem scientiæ charitatẽ Christi: vt impleamini in omnem plenitudinem Dei. Ephe.3. Pax sit fratribus,& charitas cum fide, à Deo patre nostro & Domino Iesu Christo. Gratia cum omnibus, qui dililigunt dominum nostrum Iesum Christum in incorruptione. Amen. Ephe.6.

Idem ad Thess. scribit: Ipse Deus pacis sanctificet vos per omnia: vt integer spiritus noster, & anima, & corpus, sine querela in aduentu Domini nostri Iesu Christi conseruetur. 1. Thes.5. Idem Timotheo scribens gratiam illi & misericordiam & pacem, à Deo & Domino Iesu Christo precatur. 1. Timoth.2.

Alij Apostoli, vt Petrus & Ioãnes, non ita frequentes sunt benè precando: sed tamẽ graphicè & breuissimè id alibi compensant. 1. Pet.5. Apoc.1. & 22. cap.

Has formulas benè precandi ex Propheticis & Apostolicis scriptis collegi: & quicquid in ijs omnibus boni continetur, totum vobis ardenti voto precor: & officium meum hoc loco dignum impensurus, vt sit diuturnum opto, quod precor. Non deserat vos Dominus, aut leuiter benedictionem suam in vobis incipiat: sed cumulatè eandem ad vitam æternam consequendam in vobis perficiat: vt per annum placabilem Domino, Isaiæ 61. ad verum Iubilæum perueniamus. *Leui.25.*

Planè mihi polliceor, id quod non Ethnico exemplo, non praua consuetudine, non iniquo animo opto, sed ex Christi instituto, & Apostolorum hortatu cupio: vobis pariter atque mihi profuturum esse. Ipse enim Christus mandat, vt Apostoli quancunque domum ingrederentur, eam primùm salutarent, dicentes: pax huic domui. Et si quidem fuerit domus digna, inquit, veniat pax vestra super eam: Si autem non fuerit digna, pax vestra reuertatur ad vos. Cui Petrus sua hortatione respondet: Non reddentes, inquit, maledictum maledicto: sed contrariò benedicentes: qui in hoc vocati estis, vt benedictionẽ hæreditate possideatis. Quibus verbis cùm Christus tum Apostolus, efficaces esse huiuscemodi preces & salutaria vota in ijs, qui sunt digni, confirmant de quo posteà. *Matt.10.* *1.Petr.3.*

Et quidem placuit multas benedictionum formas huiusmodi proponere: partim, quòd certò sciam ita omnium nostrûm necessitates postulare: vt secundùm multitudinem dolorum nostrorum, Dei benedictiones multæ & magnæ læti-

ficarent animas nostras: partim etiam, quòd arbitrarer, hoc noui anni perquàm salutare initium fore: imò nō minimam totius anni fœlicis partem nasci, non ex opum affluētia, non ex amicorum turba, aut huiusmodi aliqua re: sed ex Dei benedictione cuncta bona procedere. Vulgus enim hominum vilibus rebus confisum, vbi nidum suum in altum posuerit: Abac. 2. cum diuite illo sæpè cogitat: Anima mea, habes multa bona posita in annos plures: requiesce, ede, bibe, epulare.
Iacob. 1. Sed aliter Iacobus concionatur. Omne datum optimum, & omne donum perfectum, desursum est (inquit) descendens à patre luminum: apud quem non est trāsmutatio. Fallax gratia, & vana pulchritudo: at quicunque timet Deum, ipse æternum laudabitur. Qui confidit in Domino, non commouebi-
Psal. 120. tur in æternum, qui habitat in Hierusalem. Montes in circuitu eius, & Dominus in circuitu populi sui. Si consistant aduersum me castra, non timebit cor meum. Si exurgat aduer-
Psalm. 26. sum me prælium in hoc ego sperabo. Qui sperant in Domi-
Isai. 40. no, inquit Propheta, mutabunt fortitudinem: currūt, & non laborabunt: ambulabunt, & nō deficient. Et Nahum: Bonus dominus, & confortans in die tribulationis, & sciens sperantes in se. Decem tribus Israel valdè humiliati sunt, eò quòd
2. Paralip. 13. in obuijs & momentaneis sperantes, dominum deseruerint: quia autem Iuda sperauit in domino, adiutor & protector eius fuit. Domini ergo sola benedictio veris bonis ditat: & fit, dum non cogitant homines: vnde, & quę diuitię veniant, & diuites faciant: vt nescientes etiam extremè sint pauperes, dum se diuites putant. Propterea vera illa bona tot benedictionibus à domino vobis precatus sum: idque eò libentiùs, quòd timeam, maximam vulgi partem non considerare, quàm veris bonis sint inopes: & quantam extremi mali causam in se habeant ea, quæ multi vera bona existimant. Horrendæ & iniquæ constellationes istæ in cœlo, signa tristia in mundo, infausta nobis minitantur: eóque meritò territant omnes. Non nunc de planetis, Marte, Saturno, verba facio: ab his nihil est periculi: nec metuendi nobis teste Propheta. Video autem omniū rerū humanarū diuinarūq; neglectum
Ierem. 10. atque interitū. Nusquam grata fides pietásque conspicitur, in cœlo aut in terra. Obscuratum est aurum. Non magni, non parui in suo loco subsistunt. Mutarunt habitum: confusa sunt omnia. Nemo suum satis facit officium: non princeps non po-

non populus,plurima desolationis imago nefandæ. Omnes *Psal.13.*
declinauerunt:non est qui faciat bonum. Maledictũ, & mendacium,& homicidium,& furtum,& adulterium,inundauerunt:& sanguis sanguinem tetigit. Propter hoc lugebit omnis terra. Ius est in armis. quò quis potentior, eò plura sacra legit, prophana rapit. Non hospes ab hospite tutus. Omnes hûc conspirasse videntur,vt pietatem cum fide exterminent. Hæc coniunctio,illa conspiratio multa mihi mala atque inauspicata præsagit. Perijt quicquid in tota religione pulchrum fuit,dominatur iniquitas. Omnium discordia totius minatur interitum Hæc tria nunquã hoc tempore potentiùs vbique sæuierunt. Et quid in his omnibus sperãdum, nisi quam Christus prædicit,desolatio? Domus super domum corruet. Ad hanc communem desolationem, aut certè irrecuperabilem calamitatem,siue euitandam siue declinandã,quid(oro) diuitiæ,potentia,amici,& si quid eius prętereà est,valebunt? Nûm in tibijs viri beneplacitum erit Domino? Nûm Rex aut Gygas per multam virtutem suam saluus erit? Nûm frater redimet? Imò diuitiæ,potentia, amici, causa sunt cuique sui exitij. Contra diuitijs potentia, amicísque imbellem, belligeratur nemo, facilè? Nil inuidia, multùm verò commiseratione dignum talis habet. Dementia ergo est, illinc pacem sperare, vbi nulla certa securitas. Ad agnoscendum ergo in solius Dei benedictione, veram & certam esse fœlicitatem positam, non in his ruinis, & vilibus pomorum: deinde ad euitandam certam calamitatem, & iustum dolorem ob miserandam confusionem conceptum leniendum: tot formas benedictionis collegi atque proposui. In ijs omnes inueniemus, quo quisque suum queat lenire dolorem.

Etsi enim omnium bonorum largitor sit Deus, in cuius manu sunt diuitiæ & honor:nobis tamen inprimis & maximè necessaria sunt tria quędam:nempè,gratia,misericordia, & pax. Nam ad Dei nostríque agnitionem,gratia prælucente nobis opus est:quæ etiam corda nostra ad veram pœnitentiam conuertit. Vt verò nobis peccata nostra remittantur: hoc nobis præstat misericordia. Deniq; vt remissis peccatis nostris, Deo cum bona conscientia seruiamus, idque omnibus diebus vitę nostrę:vt nihil hostile exteriùs timeamus: pax Christi interna,quæ exuperat omnem sensum, quã mundus

dare non poteſt efficit. Iam mihi videte, nũm his tribus, gratia, miſericordia, & pace, vehementer opus habeamus? Recenſuimus quæ nos præmant mala: & quàm nulla in tot malis pacis ſpes vſque affulgeat, nouimus: atque heu nimis verè intelligimus, ea ex gratiæ, miſericordiæ, atque pacis contemptu nata eſſe. In ijs qui auerſis oculis confeſſam fidem ſemel abnegant, iuſtus DEVS cæcitatem voluntariam alijs horrendis tenebris vindicat. Nota eſt hiſtoria Achab. Decipies
3.Reg.22. Achab cum ſuis falſis Prophetis, inquit Dominus ad Satanam: præualebis, egredere, & fac ita. Vtique, quia Achab, à Deo receſſerat, veros Prophetas repudiarat, merebatur maioribus tenebris inuolui: quas recedendo repudiandóque videbatur eligere. Deinde peccantes de anno in annum, pœnitentiam ſpreuimus: oblatam ſæpè à benigna Dei manu miſericordiam contempſimus. & quis meretur peccatum aggrauari, dum elongatur miſeratio. Sic denique turbis nunc ſunt plena omnia. fatemur, & ingemiſcentes conquerimur. Quæ cauſa? Pacem conſcientiæ per curioſitatem cupiditatémque amiſimus: & interioris hominis diſtractionem, ſequitur externarum rerum omnium confuſio. Videtis ergo quòd omnium malorum præſentium ſit cauſa, trium quæ dixi neceſſariorum amiſsio? Nunc ergo & illud conſideremus: quomodò ea ipſa tria in ſuprà poſitis benedictionibus nobis precentur. Et prophetæ quidem in genere precãtur nobis: vt Deus benedicat nobis: vt cuſtodiat, vt oſtendat faciem ſuam: vt conuertat & illuminet vultum ſuum, vt det pacem: vt exaudiat, protegat nos: vt miſereatur noſtri: vt det auxilium: benè faciat: aperiat cor noſtrum, & exaudiat oratiões noſtras: vt miſereatur & reconcilietur nobis: vt ſit ipſe nobiſcum, non faciat nobis ſecundùm peccata noſtra: non det in cõmotionem pedem noſtrum, nec derelinquat in tempore malo. Verùm Apoſtoli, maximè Paulus grauibus verbis, hæc ipſa tria, gratiam, miſericordiam & pacem, expreſsè diuerſis precatur. 1. Tim. 1. cap. Paulus hûc reliquas omnes benedictiones refert. Ad gratiá refert illud Rom. 1. 2. Cor. 13. Epheſ. 6. Ad miſericordiam verò, Rom. 16. 1. Theſ. 5. Denique ad pacem, Ro. 15. Epheſ. 3. & 6. Optimè verò 2. Cor. 13. hæc tria ſingula ſingulis in S.S. Triade perſonis attribuuntur. Gratia, inquit, Domini nonſtri Ieſu Chriſti, & Charitas Dei, & communicatio ſancti Spiritus, ſit cum omnibus vobis. Chriſto gratiam:
In ipſo

In ipso enim agnoscitur Diuinitas, quia splendor gloriæ & imago Dei est. Hæb. 1. Charitas datur, quia res creatas, quas condidit, perpetuò consensus connexu atque pace conseruet. Cõmunicatio S. Spiritus additur: q ipse resipiscẽtibus de suo emendationis propositum atque virtutẽ misericorditer largitur & præstat, vt qui peccatis à Deo lõgè recesseramus, pœnitentia ad ipsum redeamus, vnúmq; fiamus cum Deo: & fit suauis quædam inter vtrunque participatio: imò vt sit ipse Deus nobiscũ. Hic ergo tribus precibus seu votis, omnia nobis, quæcunque vel ad hanc vitam, vel ad futuram gloriam sunt necessaria, vtilia, & salutaria, impertiuntur: imò ipse Deus Emanuel nobis mittitur, donatúrque. Quòd si ergò Deus nobiscum, vtiq; nemo contra nos. Nam qui proprium filium donauit: quomodò non omnia bona simul cũ illo dedit? Sed neque mihi vobis ea precari, neque vobis ex meo voto sperare satis est. Curandum est sollicitè: ne vel donanti benedictionem, vel ipsimet ad nos venienti ponamus obicem. Pulsat nonnunquã diuina miseratio ostium nostrum, vt quę adfert bona donáque, inferat: sed multi non aperiunt: multi etiam repellunt: plurima pars indignos se reddunt. Horum conditio omnium miserrima est. Non, quòd nihil agant benedictiones: sed quod indignis dimissis, ad benedicentes redeant. Id quod Christus clarè testatur, cùm ait: Si fuerit domus digna, veniat pax super eam: Si autem non fuerit digna, reuertatur pax vestra ad vos. Et: Noluit benedictionẽ, & elongabitur ab eo. Certissimum est, nos nostra culpa sæpè salutem oblatam impedire. Non vult pius Dominus nostrã mortem: tantùm nos velimus vitam nostram. Vt in Isaia dicitur: Si volueritis, & audieritis me, bona terræ comedetis: quòd si nolueritis, gladius deuorabit vos. Christus paratus fuit vrbi Ierosolymorum benefacere: sed noluit illa vllo beneficio deuinciri. Vnde non obscurum est, cui imputandum sit, quòd dies annósq; minùs lætos agimus: non certè Deo, non fortunæ casibus, sed nobis ipsis. Imò verò tristissima omnia expectanda nobis adhuc sunt, nisi vitam morésque emendauerimus. Peccata vestra, inquit Ieremias, prohibuerunt bonum à vobis. Et Isaias: Iniquitates vestræ, inquit, diuiserunt inter vos & Deum vestrum. Adhuc ergo breuiter & illud considèremus: qua via & ratione agendum sit, vt Deus hunc nobis annũ bene fortunet. Id quod Paulus omniũ apertissimè do-

Rom. 8. *Math. 10.* *Isa. 11.* *Matth. 23.* *Ierem. 5.* *Isai. 59.*

cet. Gaudete fratres, inquit, perfecti estote, exhortamini, idipsum sapite: habete pacē, Deus pacis & dilectionis erit vobiscū. Ac si dicat: Precor vobis, vt Deus pacis & dilectionis sit vobiscum. Quòd si vota mea nolueritis irrita facere, si optatā vultis salutem, gaudete, perfecti estote, exhortamini, idipsum sapite, pacem habete. Videte, quot Paulus fruendi Dei demōstret media. Vult primùm: vt gaudeamus, idq́; propter acceptam gratiam. Verùm non sufficit, nisi animi istud gaudium noua vita suscipiat. Subijcit ergo, perfecti estote. His duobus comparatis, animi gaudio, & vitæ sanctimonia: aliorū deinde salus iuuanda est. Id vult, cùm addit: Exhortamini. Cæterùm omninò prouidēdum est, ne fidei vnitatem dissensio laceret. Ideò subdit: Idipsum sapite. Deniquè mutuis charitatis operibus inuicem deseruire debemus. Id admonēs, Pacem, inquit, habete. Quòd si fecerimus, Deus pacis & dilectionis erit nobiscum. Adhuc desiderati noui anni fœlix constituere vultis initium? Ostendam viam, hac incedite. Trium tantummodò
Iosu.1. dictorum perpetuò mementote, & velut appēsum quid ante oculos habetote. Primùm Iosue est, qui statim initio suscepti sui muneris ad omnes in vniuersum clamans, præcipiebat, parate vobis cibaria, quoniam post diem tertium transibitis Iordanem. Sit hoc omnibus nobis dictum. Iordanis, qui mortis
Eccle.7. figuram habet, transmittendus nobis est, velimus, nolimus.
Isai.22. Et quidem breui, post triduum. Hæc memoremus, & in æternum non peccabimus. Non dicamus: Edamus & bibamus,
1.Tim.6. cras, enim moriemur, sed preparemus nobis cibos, audiamus
Matth.6. verbū Dei, hauriamus fidē, cōcipiamus spē, crescamus charitate, locupletes fiamus in bonis operibus, thesaurizemus no
Luc.16. bis thesauros in cœlis, faciam⁹ nobis amicos de māmona iniquitatis. Hoc est futurę necessitati prouidere, parare cibaria.
Luc.13. Deinde similitudinē considerate sterilis arboris fici, quam ob sterilitatē paterfamiliâs succidi volebat. Verùm colonus: vt vno tantū adhuc anno mitteretur, impetrabat, ea lege, vt si post illud tempus transactum, & cultum diligentiorem, non ferret fructum, tum succideretur, & in ignem mitteretur.
Deuter.32. Nos sumus arbor illa infrugifera, dudum excidium meriti. Si acuero, inquit paterfamiliâs, vt fulgur gladium meum, & arripuerit iudicium manus mea, reddam vltionē hostibus
Ioan.2. meis: & his, qui oderunt me, retribuā. Sed Christus agricola pro nobis intercessit apud patrem: factus aduocatus noster, vnius adhuc

vnius adhuc anni tempus impetrauit pœnitentiæ nostrę. Minatur adhuc pater. Tacui (inquit) sed nō silebo. Ignoras, inquit Paulus, quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit? Secundùm autem duritiam tuam, & impœnitens cor, thesaurizas tibi iram in die iræ, & reuelationis iusti iudicij Dei.

Postremò illud Zachariæ dictum diligenter & sedulò cogitemus. Veritatem, inquit ille, & pacē diligite. Veritate nil meliùs, nil pace præstantius. Vtraque laborat miserè. Quæramus ergo vtrinque veritatem in doctrina, & pacem in vita, in conscietia. Haud dubiè is qui veritatis pacísque Deus est, sese ad nos inclinabit, & petita desiderata largietur desiderātibus. *Zach.8.* *3.Esd.4.* *2.Cor.13.*

Hęc volui auditores, primam concionis huius partem esse: vt & ego vobis officióq; meo pro loci huius dignitate ac consuetudine, non deessem, & vos quę vestræ salutis sunt, confide rarctis. Obtuli vobis multas & magnas benedictiones, ostēdi virtutem earum, & nostram omnium necessitatem, nec dubito Deū velle largiri. Tantùm videamus, ne obicē ponamus, & oblata dona à nobis pulsemus, spiritúmq; Dei adhuc magis contristemus. Quòd si quæ dicta sunt, ad commouēdum vos atq; melioris vitæ cōmone faciendū minora sunt, adhuc cum Isaia clamo: Si quis in vobis est timens Deum, & audiēs vocem serui sui, qui amputauit in tenebris, & nō est lumē ei? speret in nomine Domini, & innitatur super DEVM suum. Ecce vos omnes accedentes ignem, accincti flammis, ambulate in lumine ignis vestri, & in flammis quas succendistis. Cùm Dauide ad vnumquemque vestrum: Declina à malo, & fac bonū: quia Dominus amat iudicium, & non derelinquet sanctos suos: in æternum conseruabuntur. Iniusti punientur: & semen impiorū peribit. Illuminet Deus oculos nostros, ne obdormiamus in morte, ne quando dicat hostis noster se aduersus nos pręualuisse. Auferat Dominus à nobis cor carneū, & det nobis pacē. Nox præcessit, dies autē appropinquauit. Abijciamus ergo opera tenebrarū, & induamur arma lucis. Roma.13. Qui furabatur, iā non furetur. Ephes.4. Eratis aliquādo tenebræ, nunc autē lux in Domino. vt filij lucis ambulate. Ephe.5. Vetera trāsierunt: ecce facta oīa sunt noua. 2.Corin.5. Deponite veterē, qui corrūpitur, secundū desideria erroris, reuocamini autē spiritu mētis vestrę, induite nouū hominē, deponētes mendaciū, loqmini veritatē. Ephe, 4. Deponite *Isai.50.* *Psal.36.* *Psal.12.* *Ezech.36.*

omnem iram,indignationẽ,malitiam,blaſphemiam,turpem ſermonem,&c.Coloſſ.3.Adhuc,inquã,cum Moſe atque Ioſue morituris teſtificor & clamo, teſtes inuoco hodie cœlum & terram,quòd propoſuerint vobis vitam & bonum,benedictionem & maledictionem. Elige ergo vitam: vt tu viuas,& ſemen tuum,& diligas dominum Deum tuũ, atque obedias voci eius,& illi adhæreas. Ipſe enim eſt vita & longitudo dierum. Atque hæc de nouo anno dicta ſint.Porrò ſi cui hac parua videntur,& magis xeniolis donísque ſalutari vult,quã verbis, ne hunc quidem inanẽ & ſuo deſiderio ſpoliatũ dimittã. Accipiat ille in manus Euangelium hodiernum, paruũ illud quidẽ,ac vobis perbreue,ac perinde hoc ipſo nomine à Philoſophorum voluminibus valdè diuerſum , ſed amplũ virtute, magnum ſanè myſterijs.Eſt in eo modus vnicus,quo duę res longi temporis magníque momenti copulantur , nimirũ lex atque Euãgelium. Legis enim finis,principium eſt Euãgelij. Chriſtus Ieſus & legem in ſua circũciſione cõpleuit,& Euangelij ſalutẽ in ſuo nomine IESV exorſus eſt.Et hunc ipſum Ieſum omnibus gentium familijs,non homo, non Angelus, non creatura vlla,ſed ipſe diuum pater offert in donum,nullis meritis mũdi, ſed propria miſeratione atque dilectione ad tantam munificentiæ ſuæ largitatem motus. O donum,diuina & tanti patris munificentia dignum , nobis miſeris hominibus perneceſſarium. O Deus ô pater, quid eſt homo,cuius tanta liberalitate memor es? quem tanta gloria tantóque honore ab vnigenito tuo participato coronaſti? Quid tibi vis amplius homo? aut quid vltra requiris ſancta cupiditas? Nil cœlũ maius habuit, nil omnipotẽs pater chariùs in immenſo illo diuinitatis ſinu habuit. Nil hominibus gratiùs omniũ diuitiarum cœleſtis theſaurus deſuper effundere potuit.Imò in ipſo omnes theſauri atque diuitiæ paternæ effuſæ ſunt.
Pſal.101. Et hic quidẽ ad circũcidendum datur octo dierum infantulus,qui in principio terrã fundauit,cuius opera manuũ, cœlī
Hebr.1. ſunt.Et hæc ipſa peribũt,inquit ex Dauide Paulus, tu autem permanes.Omnes vt veſtimentũ, & velut amictum mutabis eos,& mutabuntur,tu autẽ idem ipſe es,& anni tui non deficient.Multa & magna myſteria in hac perſona conſideranda ſunt,quis & quomodò ſalutẽ operatus ſit.In hunc miſerè Iu-
Ezech.3. dæi hallucinati impigerũt,Nouerãt ſecundũ vaticinia illũ redempturum & cõgregaturum eſſe populũ, ſed ſe ſolos iſtum popu-

populum interpretabantur,& armorum copijs liberandum. Sed nec solis illis hoc beneficium promissum erat,aut cōpetebat:nec tale genus redēptionis Deus proposuerat.Pasione redēpturus erat,non populi regionúmque vastatione. Et eam quidem hodie exorditur,quando circūciditur. Vulnus in se accipit,nō alijs infligit,sanguinem proprium mittit, non alienum fundit.Lex quidem circūcisionis data fuit.Gene.17.sed Christus nō tenebatur lege.Duas námq; ob causas lata erat, altera vt populus Dei à gentibus discerneretur,altera:vt esset remedium cōtra culpam genitalem. Quòd ergo ad primam causam attinet,vtique Christo non erat opus discerni à gentibus. Quomodò enim Deus pater obliuisceretur Christi filij sui vnigeniti? Quomodò illum etiam non circūcisum non agnosceret? Deinde,neque per sese Christus peccatū admisit, neque ab alijs vllum contraxit. Illud enim sancta docet infantia:hoc verò & Dei patris diuinitas,& virginis matris euincit integritas. Et licèt omnes hominum masculos præceptū hoc ligauerit. Deut.27.minimè tamen ligauit eum,qui Deus fuit & homo,ipsiúsque adeò lator legis. Tulit ergo legē,qui non tenebatur lege.Cur ita? Audiamus Paulum.Vbi venit plenitudo temporis,inquit,misit Deus filium suum factum ex muliere,factum sub lege:vt eos qui sub lege erant, redimeret: vt adoptionem filiorum reciperemus. Hæc causa circūcisionis Christi est:vt nos à lege liberaret.Si ergo filius nos liberauit, vtique liberi sumus. Nec obstat,quòd qui octo dierum pueri circūciduntur inuiti,per alios patiuntur.Est ea quidem communis ratio omnium reliquorum infantiū. In hoc Iesu non verò sic. Nam ipse Deus cùm ipso adhuc in vtero matris absconditus fuit. Nihil illi vel inuito vel inscio accidit. Oblatus est,inquit Propheta:quia voluit. Nobis ergo,non tibi inseruiuit hac passione. A lege liberauit,filiorum in numerū & consortium nos recepit. Voluit autem & alia quædā hac ipsa circūcisione docere:Quòd esset Abrahæ verū semen,& ille Propheta, quem Moses prædixerat ex fratribus eorum oriundū. Deu.18.secundum hominem. Huius enim posteritatem lex illa ligabat. Voluit & veritatem carnis suæ demonstrare:voluit & Iudæorum declinare offensam & scandalum,ne causam illis præberet perditionis. Sed & nobis exēplum præbuit humilitatis & obedientiæ. Neq; verò ab hac vna tantū lege nos liberauit. Plura erant, quæ nos grauabant:vt Isaias liberato-

Genes.17. *Galat.4.* *Hier.31.* *Isai.53.* *Genes.22.* *Phil.2.* *A quibus.*

rem alloquẽs, ait: Iugum oneris eius, & virgam humeri eius, & ſceptrum exactoris eius ſuperaſti, ſicut in die Madian.
Iſai.9. Tria ſunt illa, quorum primum peccati, ſecundum mortis, tertium verò legis ſignificationem habet. Ampliùs ergo neque peccato in nos dominium, neque morti tyrannis, neque legi pœna eſt. Ac de poſteriori teſtantur ſcripta. Actor. 15. Roma.10. Vbi quidem, qui circũciſionem adhuc quaſi neceſſariam ad ſalutem credentibus imponere volebant, erroris conuincuntur, & pij à circunciſione liberantur. Verùm vt circũciſio externorum membrorum in Chriſto finem habuit, ita ſpiritualis quædam circunciſio in eodẽ incepit, qui & lumbos ſuccingi, & inanes cogitationes factáque iniqua præcidi, amputari, atque reijci voluit.

Hoc modo liberauit nos Chriſtus. Et quia multa ſunt veri
Iſai.7.& 8. ſaluatoris officia: Eſſe Deum nobiſcum, cum hoſte cõfligere, conſilio prodeſſe, robur addere, pacẽ reddere, idq; nullo non tempore, regnũ propagare, eáque Chriſtus quia omnia perfectè compleuit, meritò illi nomẽ impoſitum fuit Ieſu, quod eſt ſaluator. Verè enim ſaluum fecit populum ſuum à peccatis eorum, morte atque lege. Fuerunt quidem & alij Ieſus in veteri teſtamento: vt Moſi proximus ſucceſſor, qui magna virtute fortitudinéque præditus, fugatis hoſtibus terra Chanaan
1.Eſd.3. potitus eſt. Poſt Babylonicam captiuitatem, alter quidam Ieſus ſummus ſacerdos fuit, qui multum ad inſtaurandum templum contulit, opibus atque conſilio. Vterque licèt magna in populo effecerit: tamen poſtea defunctus eſt, & hunc quidem filium Ioſedech Zacharias poſtea indutum ſordidis veſtibus, id eſt, meticuloſa veſte vidit, & Satanam ſtantẽ à dextris eius. At Chriſtus æternùm viuit, nec vlla defectione vileſcit. Tu es ſacerdos in æternum. Illi figura tantùm venturi fuerunt & veri Ieſu. Illorũ alter dux, alter ſacerdos. At noſter Ieſus vtrũq; officium & perfectè exercuit. Dux ille in terrã Chanaan perduxit, noſter Ieſus in cœlũ. Sacerdos ille externũ templũ extruxit, Chriſtus cœleſte & ſpirituale. Meritò ergo Ieſus dici-
Geneſ.41. tur, quod eſt ſaluator. Sed & alij ſaluatoris nomẽ in lege accepérũt. Ioſeph Aegypti ſaluator fuit, tãtùm: quia prudẽter de frumẽto in annis ſterilibus, puidebat ſingulis. Verũ minimè gratis. Cogebãtur homines magno emere frumentũ: qua re etiã oẽs in Pharaonis poteſtatẽ redacti ſunt. Fuit & Othoniel ſaluator, & Aioth, & Barach, & Gedeõ, & Iepte, & Samſon, ideo, quòd

ideò, quòd his ducibus populus ab hoste vel tueretur rectius, vel omnino liberaretur. Qua ratione & Lotthi Abraham, & Saul Iabenitarum dici possent saluatores. Qui omnes etsi figura fuerunt Iesu venturi: multò tamen rectiùs modus saluã di per Christum, in Zorobabele & Gedeone exprimitur. Zachar. 4. Iud. 7. Illic enim ferè sine armis, & pauci multos in fugam egerũt. Solent alij milites sese armare ad bellum: Christus exinaniuit seipsum, & formã serui accepit. Alij arma & scutum accipiunt: Christus obedientia vsus est. Alij cædunt: Christus cæsus est. Eius liuore sanati sumus. Et ideò Isaias, vbi Christi redẽptionẽ describit, fore ait, sicut fuit in die Madian, quãdo nõ armis, sed diuina potentia hostes fugati sunt: Quò etiam Abacuc alludere videtur, vbi in Christi manibus cornua esse, describit: fortè crucis lignum transuersum significans. Atque hîc suspicienda nobis sunt Dei iusticia, qui cùm posset potentia sua vno momento hostem vincere, maluit tamen humilitate & protractu. Inditum est illi hoc nomen à patre: vocatum verò ab angelo tum primùm, paulò antequàm conciperetur, Luca teste. Alia quidem eius nomina nota fuerunt Patribus, vt multa sunt in Isa. 7. 8. & 9. capitibus. Dauid de magno nomine in Israele canit: sed cuiusmodi sit illud, nõ exprimit. Sed & in canticis fidelis anima de hoc nomine sponsum alloquens: oleum, inquit, effusum nomen tuum. Rectè naturam & virtutem olei huius exprimit: at nouissimis tandem temporibus effundẽdum, hoc est, disertè manifestandũ, indicat. Oleum lucernæ, cibo ac medicamini adhibetur. Iesu nomen dum prædicatur, lucet: dum cogitatione expenditur, nutrit: quando inuocatur, medetur. Prædicante illud Paulo, & quasi facem lucidissimã portante, nos ipsi lux facti sumus in Domino. Ephe. 3. Ipsum sua scrutatione & meditatione apud se cõcoquens Paulus, cætera omnia fastidit & nauseat. Phil. 3. Gal. 5. Quã verò ægris animis atque cõscientijs medelam adferat masticatũ, rectius opinor experiendo disci, quã dicendo potest intelligi. Et hanc quidẽ virtutem insinuat anima illa fidelis. Sed cuiusmodi sit, nõ exprimit. Interrogat de eo Moses, sed vox illi diuina respondet: Ego sum qui sum. Instillatum erat tantùm angelis: sed ab hominibus absconditum. Qua in re nostram consideremus fœlicitatem & periculum: fœlicitatem quidem, quòd priscis sæculis incognita nobis sint reuelata: periculum verò, si eo abusi fuerimus. Virtu-

Gene. 14.
1. Reg. 11.
Luc. 2.
Canti. 3.
Acto. 9.

tem etiam Ioannes describit, cùm ait: verbum caro factū est, &c. Nominat verbum, per quod omnia sunt condita. Et quis melior saluabit illo, qui cōdidit. Nominat vnigenitum Dei. Et quid vnigenito tanti patris deérit. Quid non dabit tanta gloria præditus? Plenus est gratia & veritate: quid in illo desiderabimus? De plenitudine eius omnes accepimus in via: quid nō dabit in vita? Hoc modo etiam Ioānes personā Christi describit, & optimè ei nomen IESV conuenire ostendit. Atque hæc ideò breuissimè libuit addere, quò maior in illud nomen nostra fiat fides & consolatio.

Hoc superest, non vt nude dicimus: Credo Iesum circumcisum esse, Credo Iesum nomine vocatum esse: sed erigenda est fides, quòd cuique nostrûm Saluator futurus sit. tantùm, si quemadmodum ille spontè legi se submisit: ita nos quoque erga mandata ipsius Iesu promptam obedientiam præstiterimus. Frustra ille Iesus vocabitur, ni talem ipse credideris: frustra circumcisus est, sanguinémque innocētem fudit, nisi exēplum quod reliquit, obedientia in alia præcepta secutus fueris. Videte ergo salutem nostram, considerate periculū. Mutetur cū nouo anno vitæ vetustas: mutetur in melius. Sic fiet, vt quæ Christus in nobis incepit, aliquando confirmet consummétque. Gratia eius nobiscum. Amen.

IN DIE EPIPHANIAE DOMINI EVANGELIVM, MATTH. II.

CVm natus esset Iesus in Bethlehem Iudæ, in diebus Herodis regis, ecce Magi ab Oriente venerunt Hierosolymam, dicentes: Vbi est, qui natus est rex Iudæorum? Vidimus enim stellam eius in Oriente, & venimus adorare eum. Audiens autem Herodes rex, turbatus est, & omnis Hierosolyma cum illo. Et congregans Principes Sacerdotū & Scribas populi, sciscitabatur ab eis, vbi Christus nasceretur. At illi dixerūt In Bethlehem Iudæ. Sic enim scriptum est per Prophetam: Et tu Bethlehem terra Iuda, nequaquam minima es in Princi-

Principibus Iuda. Ex te enim exiet dux, qui reget populum meũ Iſrael. Tũc Herodes clàm vocatis Magis, diligẽter didicit ab eis tẽpus ſtellæ, quæ apparuit eis: & mittẽs illos in Bethleém, dixit: Ite & interrogate diligenter de puero: Et cũ inueneritis, renunciate mihi, vt & ego veniens adorẽ eũ. Qui cũ audiſſent regem, abierũt. Et ecce, ſtella quã viderant in Oriente, antecedebat eos, vſque dũ veniens ſtaret ſuprà, vbi erat puer. Videntes autem ſtellã, gauiſi ſunt gaudio valdè magno: & intrãtes domũ inuenerũt puerum cũ Maria matre eius: & procidentes adorauerunt eũ: & apertis theſauris ſuis, obtulerũt ei munera, aurum, thus, & myrrhã. Et reſponſo accepto in ſomnis, ne redirent ad Herodẽ, per aliã viam reuerſi ſunt in regionẽ ſuam.

EODEM FESTO LECTIO, ISAIAE LX. CAP.

SVrge, illuminare Hieruſalem, quia venit lumen tuum, & gloria Domini ſuper te orta eſt. Quia ecce tenebræ operient terrã, & caligo populos: ſuper te autẽ orietur Dominus, & gloria eius in te videbitur. Et ambulabũt gẽtes in lumine tuo, & reges in ſplẽdore ortus tui. Leua in circuitu oculos tuos, & vide, omnes iſti cõgregati ſunt, venerũt tibi. Filij tui de longè veniẽt, & filiæ tuæ de latere ſurgent: tũc videbis, & afflues, & mirabitur, & dilatabitur cor tuum, quando conuerſa fuerit ad te multitudo maris, & fortitudo gentium venerit tibi. Inundatio Camelorum operiet te. Dromedarij Madian & Epha. Omnes de Saba venient, aurũ & thus deferentes, & laudem Domino annunciantes.

SERMO.



VLTA, fratres, diebus elapſis, & quidem huic tantæ rei dicatis conſecratíſque audiuimus de puero omnipotẽte Ieſu: Eſſe eum Saluatorem mundi, vnicum, expectatum, in lege atque Prophetis promiſſum: eſſe natum virgine Deóque, humilem & omnipotentem, paſtoribus annunciatũ, ſub lege

factum, secundum legem circuncisum, vocatum verò nomine Iesum. Etsi autem hæc vt magna, ita admiranda sunt & suspicienda: tamen nusquam apparuit, gentibus eum venisse. Nam cùm & in Iudæa natus, ex genere Abraham, Dauid genitus, Iudæis annunciatus, secundum Iudæorum morem circumcisus sit: ad solos Iudæos pertinere visus est. Et licèt illa gens non vt Saluatorem ipsum venerata sit, (quin ipse inter eos incognitus latuit) non tamen statim iude sequitur, ad gentes deriuandam à Iudæis repudiatam gratiam. Ideóque nec in natiuitate, nec in circuncisione eius vlli gentium vllũ collatum est ex eo gaudium. Sed verè factum est, quod Daniel cecinit: Esse in Iudæa notum Deum, & eius nomen magnificari in Israel. Verùm hodie primùm sese exerit: & qui in medio Iudeæ Iudæis aliquot diebus latuerat incognitus, spretus atque neglectus, nunc semet gentibus manifestum exhibet. Habet enim Euangelium, quòd Magi ab Oriente Hierosolymã venerint, stellæ ductu: inde Bethlehem peruenerint, de Michei vaticinio certi: inuenisse cum matre puerum, adorasse: apertísque thesauris suis eum & Deum adorando, & eundem regem: sacerdotem atque hominem, tribus & agnouisse & declarasse muneribus. Hæc sunt initia nostræ salutis, qui ex gentibus oriundi sumus. Non fuerunt hæc tanta mysteria planè cognita patribus. Nam etsi vocatio gentium, & hæc tanta misericordia ipsis præstanda, propheticis scriptis atque signis prædicta adumbratáque fuerũt: ea ipsa tamẽ scripta gentibus incognita apud solos Iudæos seruabãtur: & qui ea seruabant, nõ intelligebant. Prophetæ verò, quorũ erant vaticinia, tantam fidem apud incredulum populum non consequebantur, vt eorum dictis de gentium salute fuisset creditum. Qua re factum est, vt tanta hæc gentibus præstita misericordia, & præter gentium expectationem, & sine Iudæorũ opinione cælitùs acciderit. Vnde neque gentes aliquam à Iudæa expectabant misericordiam: neque Iudæi illas de gentibus promisiónes, quas legebant, valdè morabantur. Qua in re gentes quidem excusabiles sunt: verùm Iudæi accusantur negligentiæ: qui cùm legerent Deum ob repulsam Iudæorũ gentibus exhibiturum esse misericordiam, oblatam veritatem pietate maiori apud se non retinuerunt. Debebant enim perpendere, Deum suis donis ad ipsos tantùm alligatum nõ esse, nec euacuandam esse fidem Dei, propter incredulitatem suam. Et

ſuam. Et nos, fratres, legimus Biblia, in quibus ea quã hodie ſolemni ritu prædicamus miſericordiam, in gentium vocatione exhibitam, exarata quidem eſt: & tamen reliquias quoque Iſrael tãdẽ ſaluandas eſſe: poſſéq; fieri, vt is qui pro ſua iuſtitia naturales ramos excidit, inſitor etiã pro noſtra impietate extirpet. Eò igiť maior ſit hodie deuotio noſtra, eò ſit accepti doni diligẽtior cuſtodia: & ꝙ ſe Chriſtus gẽtibus Patribus noſtris hodie manifeſtauerit, ei immẽſas gratias agam⁹: & vt ſeipſum aliquãdo ſicuti eſt, oſtẽdat, ꝓcemur ardẽtiſsimè.

Verùm nunc ad rem. Eſt huic (quam feſtam colimus) diei nomen ab Epiphanijs inditum, hoc eſt, apparitionibus, non cuiuſlibet, ſed Domini, nec quibuſlibet: apparuit enim etiam Adamo poſtquam peccaſſet: verum tanto cum terrore, vt etiam appropinquante hoc fugeret. Gen. 3. Apparuit & Moſi atque Iſraeli, ſed quo omnium horrore, notum eſt. Exod. 20. Numer. 14. & 16. Apparebit etiam Chriſtus, ſed in iudicio extremo, cum impiorum omnium formidine: quando ignis in cõſpectu eius exardeſcet, & in circuitu eius tempeſtas valida. Pſalm. 49. Eſt autem hæc dies apparitionibus cõſecrata tribus præcipuè: nempe, quòd ſe decem & trium dierũ infantem, in matris ſinu Magis his contuendũ agnoſcendúmque exhibuit. Deinde, quòd patris Dei voce, poſt trigeſimũ annũ in baptiſmo, filius Dei corã omnibus audientibus declaratus ſit, & quidẽ talis, in quo ipſi Deo patri cõplaceat. Poſtremò, quòd ſe primo miraculo in Chana, omnipotentem creaturarũ Dominũ exhibuerit. Et meritò vna die has apparitiones Domini ſolenni ritu recolimus, quas vna die, licèt diuerſis inter ſe annis, factas eſſe credimus. Sed de ea quæ in Chana, & quæ in baptiſmo, aliàs dicetur copioſiùs: quòd ijs ſe non gentibus, ſed Iudæis manifeſtauerit. Nunc de prima dicamus, quæ & prima ordine eſt & præcipua: quia gentibus, cũ ipſius etiã cœli admiratione, facta eſt. Qua de re in Euangelio: cuius ſummã vno verbo cõtraham. Sunt in eo imagines duæ: altera fidei pietatíſque hominum Ethnicorum altera impietatis Herodis & Iudæorũ. Quarũ illa ad imitationem, hæc verò ad deteſtationem noſtram pertinet. Et hunc in finem omnia exempla referenda ſunt: vt euitando & imitando perfectus homo conſtituatur Deo. Sunt qui hîc magna voce varias quæſtiones moueant: Qui fuerint hi Magi: Quæ ſtellæ ſubſtantia: Quis motus:

Matth. 2.

Matth. 3.

Ioan. 2.

Vnde venerit: Quàm diu durauerit: Quò dinde peruenerit: Nûm alijs quoque hominibus apparuerit: Nûm his solis: Quem locum tenuerit,& id genus alia.

Nos hæc omnia otiosis ingenijs relinquimus, & ijs duobus quæ diximus, insistere volumus. Haud dubiè qui hæc iusta diligentia secum perpenderit, plurimùm is fructus reportaturus est. Principiò Euágelista statim exordio huius Euangelij ipsam natiuitatem Christi repetit. Cùm natus esset Iesus in Bethleém Iudæ, inquit. Cur ita; Vt suo non desit officio: vt si quis fortè superioribus diebus istis, natiuitati Iesu recolendæ consecratis, minus attétus fuerit, hac repetitione excitetur tandem adhuc. Nil maius in cœlo est: nil nobis magis necessariú isthac natiuitate ex diuina benignitate collatú est. Nemo ante natum Christ ú, tantum Dei amorem, erga humanum genus sperauisset. Verú, inquit Ioannes, in hoc apparuit charitas Dei in nobis: quoniam filiú suum vnigenitú misit Deus in mundum, vt viuamus per eum. Prædicabatur ante hanc natiuitatem pax, & non erat pax: atque ideò pacis angeli sæpè fundebant lachrymas, ac si dicerent: Domine, tot sæcula prædicamus pacem, nec vsquam illa apparet. Nemo credet deinceps Euangelizantibus nobis. Hanc ergo humanitatem atque benignitatem nati Saluatoris Euangelista in memoriam repetitione illa reuocat. Nimirùm factam natiuitaté suo malo negligeret, quæ promissa tot suspirijs, fuit à pijs veteris testamenti expetita.

Et certè Magi hi nostri quanquam Lucæ vocem non audirent, aliundè moniti, hanc natiuitaté suo bono minimè neglexerunt. Magi dicuntur ab Euágelista, haud dubiè sapientes ingenio: opibus diuites: viri certè graues & clarissimi: multum alieni à pastoribus Iudaicis, neglectæ nimirú conditionis hominibus. Verú neque hic sapientia, neque opes valent quicquá. Paulus eos Describés, homines appellat, sine Deo, sine Christo, in múdo, alienatos à côuersatione Israel, & hospites testamantorú, promissionis spé non habentes. Ephe. 2. Et hi nó tres tantú ideò: quia tria munera obtulerunt, sed si tot solú fuerút. Aut ideò dicútur, vt tres gétes per tres Noe filios natos significarét côuersos ad Dominú. Viderút hi stellam Christi in Oriente, & stellæ illius ductú secuti, venerunt Hierosolymá. Ibi nec regis tyranni crudelitaté timét, nec sacerdotú verentur malitiá: sed magis animis, qué lógis itineribus quæ-

tibus quæſierant, inueſtigant. Poſteà accedente Micheę teſtimonio de loco ortus Chriſti, ac regis voce accepta, pergunt: coniunctiſque ſtella præeunte, & Prophetæ dicto confirmante, tandem eò vbi puer erat, perueniunt, eúmq́; adorant, muneribus honorantes. Primùm paratam huius gentis voluntatẽ Euangeliſta inſinuat. Siue enim Chaldęi fuerunt, & ſtella nuncupatorio ipſorum Deo monſtrante, ſiue nepotes Balaan, ſtella quam ille orituram ex Iacob prædixerat, monente profecti ſunt: certè cupidos Saluatoris eos fuiſſe, longo itinere teſtantur: multis ſanè in hoc præferendi fidelibus. Etſi enim eos à Deo tractós internè nemo dubitare queat: tamen quòd tam paratis tantiſque animis, tam citò ſtellæ ductũ ſequuntur magnæ pietatis exemplum eſt. Neque enim vllis hominibus verè petentibus ſalutem pater ſuam trahendo operam negat. Et ſtella his regis qualitatem neutiquàm ſatis poterat exprimere. Nam ſi ne locũ quidẽ certò demonſtrauit: quomodò cætera & maiora docuit? Sed guttulã hi tantúmodo diuinæ gratiæ atque illuminationis habuêre. Qua nos facilitate vehementer arguunt, quibus tot flumina gratiæ ſuppetunt. Haurietis aquas in gaudio Saluatoris, inquit Iſaias. Nimirũ aquam remiſsionis peccatorũ. De quo Zach. Aquã veritatis, torrentẽ fortitudinis: ex quo gratia auxilij & protectionis ſcaturit, torrentẽ amoris: vnde liquor deuotionis & deſiderij, denique fontẽ vitæ. De quo Pſal. 37. Profectò quanto plus donorũ accipimus: tantò plus eniti ad omnẽ pietatem debebamus. Non vna nobis ſtella, ſed innumeræ lucent: & in his præcipuè lux illa mundi, quæ illuminat omnẽ hominem *Ioan. 8.*
venientem in hunc mundum. Hæc ſuper nos orta eſt, vt eam *Ioan. 1.*
ſequentes, non ambulemus in tenebris, ſed habeamus lumen *Ioan. 9.*
vitæ, imò qui non vident, videant. Denique, vt illuminet eos *Iſai. 9.*
qui in tenebris & in vmbra mortis ſedẽt, ad dirigẽdos pedes *Luc. 1.*
eorũ in viã pacis. Hæc cauſa luminis, quod ſequentes, rectè facimus, & Magorũ horũ imitatione dignum. De quo poſteà.

Non illos ſumptus magnitudo, non itineris lõgitudo deterret: non periculũ ab Herode, cuius faciem viderunt mutatam hoc nouo nuncio, eos deijcit. Sed quẽ inſpirante Deo luce téque ſtella didicerant, intrepidè regem Iudæorum confitentur. Corde credentes ad iuſtitiã ore confeſsi ſunt ad ſalu *Rom. 10.*
tem non ignorantes illud Chriſti, etſi nondũ ſcriptum eſſet: Omnis qui confitebitur me coram hominibus, confitebor &

ego eum corã patre meo qui in cœlis est: qui autem negauerit me corã hominibus, negabo & ego eum corã patre meo qui in cœlis est. Denique Hierosolymam venientes in vrbem primariam, nusquam Christum inueniũt: sed nec quenquam vident vel audiunt, qui de nato rege aliquid sciat aut loquatur. Vbiq; hîc de Christo, & altũ silentium. Quis hîc cœpto non desisteret? At pergunt illi magnis animis, tantùm vnico Micheę loco, quẽ summi Magistratus frigidè effuderãt, nonnihil confirmati. Quos posteà tamen vrbem exeuntes, stella, quã viderant in Oriente, magno ipsorum gaudio pręcedens ad Christum adducit. Quale hîc gaudium sancta cõsecuta est perseuerãtia? Magna illa tentatio fuit in vrbe: sed vide, qua consolatione, quo gaudio, constantes eorum mẽtes Deus ex alto confirmet? Postremò intrantes domum, inquit Euangelista inuenerunt puerũ cũ Maria matre eius. Mira res. Cui stellæ obsequuntur & ministrant, ex ignoto tuguriolo puer matris pauperculę filius apparuit. Sed ne sic quidẽ sancta constantia deijcitur. Quid enim? procidentes, inquit Euãgelista, adorauerunt eum, & apertis thesauris suis obtulerunt ei munera, aurum, thus, & myrrham. Quis hîc eloqui posset virorum istorum ingens gaudium? Quanta cum animorum exultatione primos in infantem fixerunt intuitus? Quanta cum diligentia omnia scrutati sunt ex virgine matre? quod tẽpus conceptus Dei, quis ordo, partus, & alia. Quanta cum verecũdia, imò qua exultatione hoc virgo intuita est, & audiuit? Quàm suaues, quàm blandos risus infantulus edidit? Quàm ægrè viri posteà ex hoc casto puerperio auulsi sunt? Et hæc tam multa támq; ingẽtia Matthæus paucis tantùm verbis insinuat. Nos verò adhuc diligentius istorum fidem atque pietatem intueamur. Fidem & confitendo apud Herodẽ, & adorando in tugurio ostendunt: pietatẽ verò in omni hac actione commonstrarunt. Vbi est, inquiunt, qui natus est rex Iudæorum? Regem natum appellant, & quidem Iudæorũ. Paucis verbis valdè multa complexi sunt. Multũ diuersus est rex Christus à regibus terræ. Hi nascuntur quidem ex regibus, sed non ipsi reges: regnũ hîc in mundo, postquã diu nati fuerunt, ab hominibus accipiunt. Aeq; miseri ac cęteri mortales nascũtur. Deinde quẽadmodũ regna sua hîc accipiũt: ita hîc
Isai.9. decedẽtes, mũdo relinquũt atq; resignant. Christus verò im
Luc.2. periũ totius secũ attulit in mundũ, & regni eius nõ erit finis.

Postre-

Posttemò alios reges omnes Apostolus ministros Dei ap- Roma.11.
pellat. Populus enim cui illi præsunt, non ipsorū, sed Dei est. Sapi.6.
Et ipsi imperiū, nō vt Domini, sed vt serui administrāt. Non
dominabor vestri, inquit Gedeō, nec dominabitur in vos fi-
lius meus: sed dominabitur Dñs. Iu.8. Sed Christus propriū Ierem.18.
populū habet. Sicut lutū in manu figuli, sic vos in manu mea,
inquit Dñs in Hiere. Vocatis me magister & Dñe, & benè di Ioan.13.
citis. Sum etenim. Et pater ad filium: Postula à me, & dabo ti Psalm.2.
bi gentes, hæreditatem tuam: & possessionem tuam, termi-
nos terræ. Et filius: Data est mihi omnis potestas in cælo & in Matth.28.
terra. Tui erant, & tu mihi eos dedisti. Hinc Ioānes: In pro- Ioan.16.
pria venit, & sui eum non receperunt. Dedit semetipsum, in- Ioan.1.
quit Paulus, pro nobis, vt mundaret sibi populum acceptabi Tit.2.
lem. Rectè ergo hi fecerunt, quòd natum regem cōfessi sunt.
Rectè etiam Dauid hortatur: Venite adoremus, & procida- Psal.94.
mus ante Deum, quia ipse est Dominus Deus noster: nos au
tem populus eius, & oues pascuæ eius. De quo populo Pru-
dentiùs canit: Gaudete quidquid gentium est, Iudæa, Roma
& Græcia, Aegypte, Thrax, Persa, & Schytha: Rex vnus om
nes possidet. Laudate vestrum principē omnes beati & perdi
ti, viui, imbecilli, & mortui: iam nemo posthâc mortuus. Cō-
fessi sunt regem, vt Dominum procidentes adorauerūt. Hæc
fides certa, firma, illuminata, viua atque efficax fuit. Certa
quidē & ex illuminatione Dei interiori, & ex stellæ ductu ex-
teriori. Firma, quia licèt sæpè tentata fuerit, constans tamen
perseuerauit. Illuminata, quia quæ oculus carnis non vidit, si
dei intuitus perspexit. Viua denique, tot tantísque laboribus
exerta. Iter arduum fecêre, diligenter humiliterque procu-
buêre, deuotè adorauêre, & prōpti fuerunt in adoratū, muni
fici, offerētes illi aurum tanquā regi, thus tanquā vero Deo,
& myrrham tanquā pro nobis morituro. Quæ omnia cùm Hebr.11.
non fuerunt in eo oculis carnis huius exposita: fide certè, hoc
est, substantia rerum sperandarum, & argumento non appa-
rentiū, ab ipsis sunt cōprehēsa. Magna fides Petri dicētis: Tu Matth.16.
es Christus filius Dei viui. Magna fides Chananeæ clamātis:
Et catelli edūt de mensa dominorū suorū. Magna fides Cētu Matt.15.
rionis, cū diceret: Domine, non sum dignus vt intres sub te- Matth.8.
ctum: sed tātùm dic verbum & sanabitur puer meus. Magna Luc.23.
deniq; & latronis fides cū orat: Domine memento mei, dum
veneris in regnum tuum. Verùm Magorum fides illos om-

nes vincit: qui præter stellam viderunt nihil: præter Micheæ dictum de eodem nihil audierunt. Illi verò & docentem cum authoritate audiuerunt, & miracula operantẽ viderunt, idq; longo tempore. Quia verò Christus illorum fidem diuersis præmijs remunerauit, quid his Magis præstitisse credendus est? Laudat inprimis Centurionis fidem, quãdo miratus eam dixit: Amen dico vobis, non inueni tantam fidẽ in Israel. Sed quid addit? Dico autem vobis, quòd multi ab Oriente & Occidente venient, & recumbent cũ Abrahã, Isaac & Iacob, in regno cœlorum: filij autem regni eijcientur in tenebras exteriores; ibi erit fletus & stridor dentium. Vbi disertè declarat, & quàm gratã habeat hominũ Ethnicorum fidem, vt potè ex paruis initijs eximiã: & quàm indignè ferat filiorũ regni, hoc est Iudæorum incredulitatẽ: dubio procul in hæc ipsa huius Euangelij facta respiciens. Quis non miretur Iudæorũ æternis fletibus stridoribúsque vlciscendam perfidiam? In medio ipsorum nascitur Christus, ex ipsorum sanguine. Audiunt natum esse regem, quẽ tot annos expectarent. Nihil tamen mouentur. Cõmota est quidẽ vniuersa ciuitas, sed non in Deum suum: sed cum Herode ad malũ, & si posset, ad pueri regísq; proprij internitionem. Non sunt excusabiles de impietate in suum regẽ, quibus regis aduentus, & locus, & tempus, & modus, & denique nihil non, prædicta fuerunt. Ipse quoque in mundum veniens, dixit, se non venisse, nisi vt quæreret saluarétque oues, quę ex domo Israel perijssent. Sed & suis interdixit, ne in viam gentium abirent: & gentibus veluti canibus, Iudæorum, quasi filiorum, panem dare non esse licitum, aliquando affirmauit: & tamen alia dixit atque fecit, vt omnem huic populo excusationem præcideret. Manent etiamnũ sententiæ Christi: Lapidas eos qui ad te missi sunt, occidisti, noluisti. Quid ergo fratres? Nunquid genti perfidæ improperium improperabimus (vt cum Psalmista dicam) eius? Facilimum quidem id nobis fuerit: sed nullo nostro commodo id fecerimus. Paulus cùm in hoc ipso argumento versaretur, super altitudinem sapientiæ & scientiæ Dei exclamat. Quis cognouit sensum Domini, inquit, aut quis cõsiliarius eius fuit?
Roma. 11. Verè dictum est: Iudicia domini abyssus multa. Præciduntur rami naturales, vt inserantur peregrini. Eijciuntur filij: accumbunt alieni. Hoc illud nimirũ iudicium Dei est, de quo legimus Esai. 6. Psalm. 68. Roman. 11. nempè, quòd illis dedit Deus spi-

Deus spiritum compunctionis: oculos, vt non videant, & aures, vt non audiant, vsque in hodiernum diem. Fuit hæc Iudæorum auersio multis retrò seculis præfigurata in geminis illis Esau & Iacob, quorum ille ab isto primogenituræ benedictione debiti fraudabatur: in duobus Iudæ filijs, quorum alter manum ex vtero matris extendens, mox alteri locum dans, eandem retrahebat: in vellere Gedeonis: postulãs enim hîc signum, per quod cognosceret, nûm Deus secum esset, ponebat vellus sub dio. Consurgens diluculò, videt cecidisse rorem, sed in solum vellus, terra circum quaquaque sicca persistente. Altero mane planè contrario modo reperiebat: terram rore madentem, vellus siccum. Nimirùm, vt vellus rorem altero mane non habuit, habuit terra: ita Iudæi gratia cœlesti excæcati sunt: at easdem gentes beatè eadem irrigauit. In qua tamen figura non modò Iudæorum auersio, verùm etiam gentiũ adumbrata fuit vocatio. Cuius & illud figura fuit altare, quod Dauid in hominis Ethnici Iebusæi Areuna area mandante Deo construxit. Res admiranda sanè. Nunquid enim nõ habuit Dominus Hierosolymis sumptuosa palatia? Quãta cũ deuotione suam quisq; ciuiũ vrbis illius magnificæ domum illi vsui consecrasset, dedicasśetq;? Quantus honos vel ipsius regis arcis fuisset, si in ea Dominus arcã suam requiescere paululum voluisset? Sed hunc honorem ad hominis Iebusæi non domum, sed aream transfert. Vt nulla de bobus, ita nec vlla de isto altari Deo fuit cura: sed significanter ostendit, diuinæ gratiæ inter gentes locum esse præparandum. Eiusdẽ figura fuit Naamani Syrij curatio. Is quodq; homo Ethnicus fuit, plenus lepra: consilio tamen puellæ cuiusdam captiuæ obsequens, ad Helizeum proficiscitur mundandus. Mundatur ille à longinquo veniens, in Iordane, qui flumen erat Iudææ. Iudæi proximè Iordanem commorantes leprosi ipso flumine mundati non sunt. Sic quam Iudæi in medio sui habebant, CHRISTI gratia, non ad salutem vsi, sed ad perditionem sunt abusi. Sed videamus, quomodò illud ipsum factum mundati Naamani, etiam hodierni festi figura fuerit, & non tantùm vocationis gentium in genere. Puella Naamano prædicat esse virum DEI in Iudæa Helizeum ad quem si se reciperet, certò curaturus esset. Magis nostris stella in Oriente de Christo verò Propheta in eadem Iudæa annunciat. Sed vt ille, ita hi quoque ad obsequendum

Gene.27. *Gene.38.* *Psalm.17.* *Iud.7.* *2.Reg.24.*

diuino instinctu commoti sunt. nempe, sine quo nec puella nec stella persuasisset. De vtroque ad salutem necessariò scriptura loquitur. Roma. 10. Fides ex auditu est, auditus per viā eius. Puella & stella quodā modo verbi Dei psonā retulerūt.
Ioan.6. Nemo potest venire ad me, nisi pater meus traxerit eū, verba
Ibidem. sunt filij. Cuius & illa: Omnis qui didicit à patre, venit ad
Hier.31. me. De quo Deus ipse. Hier. 37. promisit, missurum se de spiritu suo, legémque suam in visceribus hominum esse scripturū. Sequitur ergo Naaman suadentem puellam, sequūtur magi lucentem stellam. Vtrobique ad actionem illam prompta inuenitur facilitas. Nullus vel sumptus, vel laboris, vel itineris longinqui metus. Verùm in vno magi nostri Naamanum superant: quòd hic tam facilè verbis Prophetæ lotionem iubentis irascitur. Quasi, inquit, nō essent meliores aquę Damasci, Iordano. Verùm magis (vide) quot impedimenta repugnāt? Veniunt hi tandem in Palæstinam, sed stellæ priuātur ductu: mox vrbem ingressi, altum vbique in Iudęa regiáque vrbe de rege Christo silentiū. Tandem quàm nulla in Christo regia maiestas? Nihil tamen mouentur. Vt Naamā, ita magi in Iudæa sanantur: etsi hi non de lepra, sed de animorum morbis. Vt Naaman, ita magi cum laude Dei, ad propria redeunt. Hæc collatio ostendit, cùm præsentis Euangelij historiam, tum etiam gentium vocationem præfiguratam fuisse. Et cer
Rom.19. tè Iudæi vtriusque facti figuras legebant. Addamus figurarum vmbris expressa Prophetarum dicta, sed breuiter, ac primùm de Iudæorum. Hæc graphicè Paulus ex Prophetis recitat.
Isai.1. Isaias clamat pro Israel. Si fuerit numerus filiorum Israel sicut arena maris, reliquiæ saluæ fient. Et: Nisi dominus Sabaoth reliquisset nobis semen, sicut Sodoma facti essemus, & Gomorrhæ similes. Similes loci sunt Hierem. 3. Ezechiel. 16. Thren. 4. & 3. Mich. 7. quibus locis apertè eorū auersio insinuatur & cæcitas.

Eadem diligentia etiam gentium vocatio prædicta est. Psal. 85. Omnes gentes quascunque fecisti, venient, & adorabunt coram te Domine, & glorificabitur nomē tuū. Psal. 71. Coram illo procident Aethiopes, & inimici eius terrā lingēt, & quæ sequuntur. Lege Psal. 2. 28. 44. 46. 65. 71. 85. 97. 132. Num. 14. Implebitur gloria mea vniuersa terra. Isai. 49. Dedi te in lucem gentium: vt sis salus mea vsque ad extremū terræ. Isa. 40. Omnis caro videbit salutare Dei. Isa. 55. Omnes sitiē-

tes ve-

tes venire ad aquas. Ioel. 2. Omnis, qui inuocauerit nomē Domini, saluus erit. Ex his scripturæ testimonijs confirmatur, quòd etsi præcipuè promissiones de futuro Messia Iudæos videantur respicere, salus tamen Iesu Christi ad gentes quoque pertineat. Vnde Iudæos alloquens, Vobis oportebat primùm loqui verbum Dei, inquit, sed quoniam repellitis illud, ecce cōuertimur ad gentes. Sed & quēadmodum in veteri testamēto Dominus, ita etiā in nouo similitudinibus & expressis verbis, Iudæorum ruinā, & gentium salutē prędixit. Auferetur à vobis regnum Dei, & dabitur genti facienti iustitiam eius. Idē parabola vult eorum, qui in vineā diuersis temporibus missi, æqualē mercedem acceperunt, & alijs locis multa similia. Matth. 9. Ioan. 6. & 7. Luc. 2. Roma. 9. & 10. Ephes. 2. Idem ostendunt exempla Eunuchi, Aethiopis & Cornelij. Cōfirmatis verò hisce scripturis, nihil Iudæorum inuidia oberit. Nos scimus Christum angularem esse lapidē: & in se vult vtrúque populum superædificari. Id certè sine nostra inuidia eis licebit: tantùm, ne inuidendo nobis, sibijpsis officiant.

Relictis autem Iudæis, nostra nobis salus curæ sit. Id quod ipsum quoque hodiernum festum atque magorum exēplum vult. In hoc enim hæc dies festa solenni ritu peragitur: vt non simus oscitantes. Ideò cùm hoc tum alia exempla proponuntur: vt ad similia facta excitemur. Et hodie Propheta clamat: Surge, illuminare Ierusalem: quia venit lumen tuū, & gloria Domini super te orietur. Tā multos hæc Prophetæ vox atq; magorum exemplum excitauit ad vitę pietatem. Illi vni stellę crediderunt: nos omnibus dictis diffidimus. Illi surrexerunt, & profecti sunt, nos dormitamus. Illi reliquerunt propria, alijs nos immergimur. Illi perseueranter, quod inceperunt, perfecerūt: nos in omni opere bono lāguemus & deficimus. Illi intrepidè Christum confessi sunt, & adorarunt: nos contra Deum pugnamus. Illi suis thesauris Christi inopiam sublęuarunt, nos nostra in delicijs dilapidamus. Illi Deo monente per aliam viā reuersi sunt ad patriam, nos veterem nequitiæ collocamus semitā. Et quid multis? Nusquam apparet vel scintilla auitæ fidei virtutísque. Quis credat nos illorum sanguine genitos. Quis putat eandem nos, quam ipsi, colere fidē? Multi multa de fide déque iustificatione hominis disputant? Quomodò acqratur, cuius hoc sit muneris, Deínc an nostri: Quomodò cōseruetur, soláne fide, an verò etiā operib⁹: Quo-

modò amittatur, aut rursum recuperetur. Sed meminisse oportebat, non disputando, sed in Christi fide benè viuendo, 2.Corinth.6. perueniri ad patriam. Restat ergo: vt cùm Paulo dicã: Exhortamur vos in Domino dilecti fratres, ne in vacuum gratiam Isai.49. Dei recipiatis. Ait enim: Tempore accepto exaudiui te, & in die salutis adiuui te. Ecce nunc tempus acceptabile, nunc dies Ioan.9. salutis. Operandum currendúmque est sedulò. Venit nox, in-Ioan.12. quit Christus, in qua nemo operari potest. Et: Ambulate, dum lucem habetis: vt non vos tenebræ comprehendant.

DOMINICA PRIMA

POST EPIPH. EVANG. LVC. II.

ET cùm factus esset (Iesus) annorum duodecim, ascendentibus illis in Ierosolyma, secundum consuetudinem diei festi, consummatisque diebus, cùm redirent, remansit puer IESVS in Ierusalem; & non cognouerũt parẽtes eius. Existimãtes autẽ illũ esse in comitatu, venerũt iter diei, & requirebãt eũ inter cognatos & notos. Et nõ inuenientes eũ, regressi sunt in Ierusalẽ, requirentes eũ. Et factum est post triduũ, inuenerũt eũ in tẽplo sedentẽ in medio Doctorũ, audientẽ illos, & interrogantẽ eos. (Stupebãt autem omnes qui eum audiebãt, super prudẽtia & responsis eius.) Et videntes admirati sunt. Et dixit mater eius ad illũ: Fili, quid fecisti nobis sic? Ecce pater tuus & ego dolẽtes quærebamus te. Et ait ad illos: Quid est, quòd me quærebatis? Nesciebatis: quia in ijs quæ patris mei sunt, oportet me esse? Et ipsi nõ intellexerunt verbum, quod locutus est ad eos. Et descẽdit cum eis, & venit Nazareth, & erat subditus illis Et mater conseruabat omnia verba hæc in corde suo. Et Iesus proficiebat sapientia, & ætate, & gratia, apud Deum & homines.

EADEM DOMINICA EPISTOLA ROM. XII.

OBsecro itaque vos fratres per misericordiam Dei: vt exhibeatis corpora vestrã hostiam viuentem, sanctam, Deo placentem, rationabile Dei obsequium vestrũ. Et nolite conformari huic sæculo, sed reformamini in nouitate sensus vestri: vt probetis, quæ sit volũtas Dei bona, & beneplacens, & perfecta. Dico enim per gratiam quæ data est mihi, omnibus, qui sunt inter vos, non plus sapere quàm oportet sapere, sed sapere ad sobrietatem, & vnicuique sicut Deus diuisit mensurã fidei. Sicut enim in vno corpore multa membra habemus, omnia autem membra non eundem actum habent: ita multi vnum corpus sumus in Christo, singuli autem alter alterius membra in Christo Iesu Domino nostro.

SERMO.

MVLTA nobis hactenùs de Christo sermo patefecit diuinus. Posito enim fundamento iuxta Dei Opt. Max. promissa atque Prophetarũ oracula, necessariò & esse & credi vnum aliquem omnium Messiam atque seruatorẽ demonstrauimus. Consequenter ostensum est, hunc seruatorem nõ esse alium præter Christum Iesum, Dei patris atque virginis matris filium. Cuius quidem redemptio, non tam ad corporum (quãquàm & illa vt creauit semel, ita perpetuò seruat) quàm ad animarum salutem: nec Iudæorum modò, sed & gentium quoque salutem pertineat. Quorum primum in ipsa natiuitate, alterum in circuncisione, tertium verò in Epiphanijs audiuimus. Verùm nunc de postremò adhuc nonnihil dicendum, priusquam ad præsentis diei lectionẽ transeamus. Neq; enim in Epiphanijs licuit de tribus illis maximis apparitionibus Domini pro rei dignitate & nostra necessitate dicere; sed in ea tantùm versabatur sermo, quæ facta est magis, decimo & tertio die post ipsam infantuli natiuitatem. Reliquiæ manebãt duæ, altera, qua patris voce, ac spiritus sancti præsentiã filius Dei dilectus declaratur: altera, qua ipse in Cana, Galilææ oppido, aquã in vino, solo nutũ conuertendo, se suámque manifestauit gloriam. De hac postrema verò dicetur ordine, Dominica sequenti. De media hîc, & quidem breuissimè. Eam certè vt rẽ magni momenti, omnes quatuor Euãgelistæ conscripserunt. Matth. 3. Marc. 1. Luc. 3. & Ioan. 1. c. Tunc ve-

nit Iesus à Galilæa in Iordanem ad Ioannem: vt baptizaretur ab eo,& quæ sequuntur. Et mox: Baptizatus autem Iesus confestim ascendit de aqua. Et,ecce, aperti sunt ei cœli, & vidit spiritum Dei descendentem sicut colúbam, & venientem super se. Et,ecce,vox de cœlis dicens: Hic est filius meus dilectus,in quo mihi complacui. In eandem sententiam Marcus atque Lucas scribunt. Ioánes verò fusiùs eadé omnia recitat. Vnde nemo miretur eandem ipsam manifestationem in ipsa octaua (vt vocant) Epiphaniæ publicè in ecclesia pro concione recitari. Vult enim ecclesia:vt hæc historia nota fiat, vt res maxima,& diligenti consideratione digna. Submittit se ergo Iesus Ioannis manibus,interiùs mundans ac corda purificás, exteriùs abluitur. Hoc ingens quoddam humilitatis exemplum est,arguens humanos fastus. Non vehemẽter pudeat, qui videt atque intelligit,Christum Iesum humili specie inter reliquam turbam promiscuá ad baptisma, Ioannis accedere, inter peccatores procúbere,lauacrum flagitare? Deinde cœlum baptizato aperitur. Quid hoc est? Nimirùm primi hominis superbia cœlum clauserat, sed Iesu humilitas, idé reserat,
Ioã.10.& 14. aperit,atque nobis fratribus suis patefecit aditũ. Quare ostẽdit id,quod postea dixit, se esse ostium vitæ cœlestis, ianuam Paradisi,viam patriæ,Dei & hominum mediatorẽ. Vox insuper patris testificantis auditur:vt tutò illi nosmet concredere mus,qui Deo patri ipsius testimonio,tá charus atq; dilectus. Adhæc spiritus sanctus super ipsum visibili specie cóspicitur, ad declarandam Christi præcellentiam:quòd ipse caput nostrum, gratiæ donum non ad mensurá accipiens, sed plenus gratiæ & veritatis,de plenitudine sua omnibus accipientibus
2.Cor.1. cómunicet. Imò verò hæc omnia in baptismo Christi accidêre:vt certificaremur, quòd Deus nobis quoq; simulátq; regenerationis lauacro tingimur,cœlú aperiat,filiorum suorú loco nos habeat, spiritum sanctum, salutis pignus, hæreditatis æternæ arraboné,qui in nobis clamet: Abba pater,& nostro spiritui testimonium reddat, quòd sumus filij Dei, donet.
Ephes.1. Ideò ipse aqua abluitur:vt demõstraret se nostra peccata in se trástulisse,& aquis,sui sanctissimi corporis contractu sanctificando,vim regenerandi homines contulisse. Tanta nobis secúda illa Christi apparitio cósiderãda pponit. & mirabor, si cui vestrú frustrà hęc ppósuisse videbor,quę tá fidé nostrã cõfirmare, & mores instruere possint,nó minori credẽtiú vtilitate,quàm

tate,quam ea quæ in Epiphanijs de prima,& sequenti proximè Dominica,de tertia Christi manifestatione audiuimus, atque audituri sumus. His ita præmissis,vt ordo doctrinæ nō confundatur,ad Euangelium huius diei transeamus.

Est in eo pulcherrima historia Christi atque parentum eius. Prima in eo describūtur Christi dicta atque facta. Omnes nouas res inuestigamus.etsi enim in alijs multis torpemus & neglıgēter agimus:tamē si quid noui afferat,accurrimus, cupidissimè illûc omnes sensus visum auditúmq; intēdimus, pro nostra animi leuitate,etiā si res sint valdè prophanę atq; inutiles. Cur non in rebus magni momēti,nósque in primis concernentibus,pro fide pietatéque nostra eandem diligentiam cū fructu plurimo præstamus? Admirata est hæc omnia,& cōseruauit ea in corde suo virgo mater.hanc sequamur. Sed dices: Affectus maternus in filium attentus fuit. Rectè. Sit nobis fratrū affectus in fratrē:quando etiā Iudæorū principes atq; doctissimi hæc ipsius facta dictáq; cū summa admiratione perpēderūt:etsi nullus orationis splēdor atque apparatus appareat vsquam. Aliorum regū verba atque facta Parasyti Gnathonésque coloribus ornāt,& sæpè videtur esse,quòd non est. Contrà,Christi facta atque dicta,quæ in fronte non promittūt,in recessu cumulatè præstant. Quòd si eum in humilitate sua & corona,quā eum mater eius coronauit,hactenus contemplati sumus(neque enim sine fructu nostro infantiam eius vidisse nos arbitror)nunc porrò pueritiam eius consideremus. Idque eo diligentius,quòd de infantia eius non ipse quidem , sed Angeli , Prophetæ, Stella, Magi,Simeon, Anna,atque nonnulli alij,multa recensuēre, hodie verò ipsemet verbis atque factis declaret. Infantem hactenus & vagientem,& plorantē vidimus & audiuimus (nā & à pastoribus,& a Magis puer,in Aegyptum auectus, indéque reductus est) nunc puerum & eum quidem admirabilem admiremur,hoc est,credendo amplectamur, sequendo imitemur.

Audiuimus autē eū statuto tēpore cū parentibus Hierosolymam ad diem festum venisse:ibi in medio doctorū,in templo,& audiuisse multa,& interrogasse,summa omnium admiratione:amissum à parētibus,quæsitum & inuentū fuisse: facti sui rationē reddidisse,ex patris & volūtate & auctoritate:verū descēdisse cū parentibus,morem eis gessisse in omni-

bus:in multis denique profecisse. Hæc, inquam, Euangelista lectione hodierna de Christo,eiusque parētibus conscripsit. Principiò de facti huius occasione quæramus,deinde de ipso facto, posteà quid nobis in ea doctrinæ repositum sit, videamus.

Exod.23. Et de occasione quidem legimus ter Iudæos quotannis cō uenisse Ierosolymis,iuxta præceptū Mosi,qui ait: Ter in anno apparebit omne masculum tuum coram Domino Deo tuo. Idque non vbilibet,sed in Hierosolymis:vbi arca,& altare,& sacrificia,& cæremoniæ. Erant autem tria festa: primū azymorū,quod nos Pascha dicimus:alterū solennitas messis primitiuorū,quod nos Pentecosten: & solennitas electionis, quæ est in exitu anni. Hoc præcepto omne masculinum tenebatur. Et licèt graue illud esset,præsertim longius ad Hierusalem commorantibus,vtilitate tamen sua istam facilè compensabat difficultatem. Conseruabatur istis annuis comitijs doctrinæ atque cultus consensus:vt nec recepta obliterarentur,nec noua importarentur. Etsi enim Sacerdotes atque Leuitæ dispersi in omnem Iudæam legem docere & cultus conseruare debeant,vt in Malachia est,cap.2.alius tamen alio rectius legem & intelligere & docere potuit. Vnde sæpè abusus & dissensio. Vt ergo docti pariter atque indocti formā earū rerum,quæ sunt inter Deū & homines,ab vnius adeóque supremi loci consensu sumerent imitarentúrque, vndequaque

Galat.2. illuc confluunt. Quem morem Paulus quoque imitatus,eundem ad locū,at in dispari religione,se confluxisse testatur, vt Euangeliū suū cū alijs Apostolis conferret:ne fortè in vacuū

Matth.6. curreret, aut cucurisset. Non minus nobis necessaria sunt eiusçemodi comitia. Primū enim,et si Christus clauso cubiculi cuiusque ostio orandū esse doceat:hoc dicto tamē Spiritus

Psalm.31. sancti dictum non eleuat,qui in Dauide in Ecclesia magna confitendum esse Domino commonstrat. Iuuat enim videre multos,qui idem nobiscum erga Deum faciant. Sæpè etiam aliorū exemplis excitamur,vt quod facimus,diligentius exequamur. Tum ipsa Dominicæ orationis series ostendit,non vnum,nec pro vno aliquo orare,sed in commune. Et quid vetat,quò minus fiat coram multis,quod institutū est fieri pro omnibus? Et certè faciliùs flectetur omnium Dominus,quando si non omnes,saltem multos simul orantes cœlitùs aspicit. Deinde non valent quorundā excusationes,quas prætende-

rc so

re solent homines lucē fugientes, & in angulis latitātes. Ipse mihi lego, domi oro, meditor, inquiunt, non mihi necessaria concio est: ipse afflatu spiritus cœlestis doceor, erudior, cōfirmor. Sed, fratres, vereor eiuscemodi homines valdè dolere capite, nec esse apud sese, dum de se dicant, quę planè cum ipsorum vita pugnant. Non est illa, quam falsò prætendunt, latitandi causa. Nam & Diua genitrix Spiritu sancto plena fuit: quo imbuta, haud dubiè, sancta, docta, erudita, cōfirmatáque fuit. Verùm nunquid ideò Ierosolymam ad diem festum nō ascendit? Afflatus numinis Angelorúmque colloquia, Iosepho rara non fuerunt, vt secundum quæ longo tempore, sua, Mariæ, ipsiúsque pueri res instituebat: sed nūquid ideò latebras quærit? Nūquid angelorum responsa prædicat? Profectò, si tantopere vt nūc, cū tanto stomacho à multis fit, nemo vel deierāti fidē habuisset. Et quæ insania est, hæc sperare creditū iri? Quod quisque prout somnium meminit suum, Dei veritatem nouo spiritu allatam iactitat. quando apertissimū est, ab eo vsque tempore quo publicæ atque frequentes conciones esse desierunt, quò festa cōmunia cū contemptu Dei nostræque religionis spreta sunt, in innumeras penè sectas fidem dilaniatam esse. Vbique error, vbique hæresis, vbique schisma. Nec adhuc vsquā finis apparet. Optimè ergo Deus isti populo illa trium festorum lege consultum voluit: quæ etsi quibusdam satis fuit grauis, paucorum tamē difficultatē omniū vsu atque cōmodo cōpensauit. Optimè à parentibus Iesúque filio factū est, qui præcepto Dei tam vtili tantáq; cū alacritate, tam prompta obedientia paruerunt. Sunt & nobis eiuscemodi leges de obseruatione festorum dierū præscriptæ. Sed heu miserrimam Christianismi cōditionem, in quo nullius ferè legis quātumuis saluberrimæ respectus habet: in quo pulcherrimarū rerum neglectus immanem secum trahit vastitatem. Atque hæc de occasione Christi facti dicta sint.

Huius ergo legis auctoritate Christus cum parentibus atque mille alijs Ierosolymam proficiscitur: illis in templo, in medio doctorum, quos cum omnium admiratione & audiebat & interrogabat, inuenitur: asserens, illa quæ illic faciat, esse patris sui, & oportere, vt sit in illis. Posteà surgit, & cum parentibus domum reuertitur, ipsisque obedit. Nempe puer omnipotens atque omnium sapientissimus ad duodecimum vsque annum diuinitatē suam celauit, quā paulu-

lum exertá,mox solita humilitate tegit. Voluerunt haud dubiè Euangelistæ hæc prima facta atque dicta describere,vt intelligeremus ex ijs,quid cuique Christiano in primis factu sit necessariũ. Nam si ne sic quidem homines sibi temperant, quin omnia bona opera & negligant,& vt inutilia derideát: quid facerent,si in Christo nullorum bonorũ exempla extarent? Nõ,quòd ante duodecimum annum nõ etiam benè & fecerit & dixerit multa(quid enim Dei sapientia tanto tépore à dicẽdo operandóque abstineret?)sed quòd hæc opera vt publicè facta,ita omnibus extent imitanda: imò quòd ipse Christus eadem in quolibet homine pio principiò omnium operetur. Certissimum autem est & toties veteribus cantatum,omnem Christi vitam & actionem,nostram esse instructionẽ:& ideò necessariò in eam respicimus. Quid ergo Christus his factis atque verbis voluit? Hoc ipsum,vt modum iustificationis nos doceret,hoc; inquam, quomodò ex Adami, iræque Dei filijs,Dei fiát filij. Necessaria doctrina, in primis verò hac tẽpestate,in qua ad vacuũ vsque ea de re disceptat: cùm alij iustificationẽ fidei nudæ,alij è diuerso eandẽ tribuát operibus vim:hi sæpè,vt quando nimium operibus tribuunt, Christi meritis iniuriam inferant, De qua re etiam præcedenti sermone de Magis loquentes,nõnihil locuti sumus. Illi licèt Christum iam inuenissent, non tamen putabant, nihil quod agerent,superesse. Sed iudicabant, tantæ gratiæ Dei, qua in ipsius agnitionem peruenissent, referendas esse gratias:eóque se suáque omnia ipsius ministerio nuncupant. Et Christus infans nihil legitur fecisse dixisséue:verùm puer factus incipit facere & dicere grandia. De Magorum quoq; vita ante Christi agnitionem nihil scribitur. Quid ita? In Christo nihil valent præcedentia baptismũ facta,nec obsunt. Accedentes enim baptisma,non interrogantur de præteritis: Nũ præcepta Dei seruarint,num hæc atque illa præstiterint:sed, num credant. Cuius fidei respectu baptisma confertur, peccata remittuntur,& homo iustificatur,non præcedentibus meritis. Quòd si tum subitò emigrandum esset,illa eadem fides ad beatam vitam consequendam sufficeret,etiam sine consequentibus bonis operibus. Sed alia ratio eorum est,qui suscepto lauacro superstites manent. Illic enim omninò requiritur,vt in omni bonorũ operũ genere sese homines exerceant. Nuda fides non sufficit:sed ea quæ prætereà charitatem operatur,va-

ratur,valet. Hanc doctrinam Christi exemplum confirmat. Mox enim vbi puer ille factus esset,apertis verbis,quid facto opus esset,declarat. Nesciebatis, inquit, quòd in his quæ pa- Ioan.4. Ioan.9.
tris mei sunt,oportet me esse? Et postea: Meus cibus est,vt faciam voluntatem patris mei. Me oportet operari opera eius, qui misit me,donec dies est. Non descendi de cœlo vt faciam Ioan.6.
voluntatem meam,sed patris. Calicem quem dedit mihi pa- Ioan.8.
ter,non vis,vt bibam illum? Si hæc de seipso Christus dicit, quid putamus à nobis quoque post conceptam fidem exigi? Ideò enim talem se mundo exhibuit primū,vt ostenderet,se eundē planè in nobis exhiberi velle. Exhibuit se occupatū in ministerio patris,& testatur ita oportere:vult vt & ipsi tales nosmet exhibeamus,vt portem᷒, & glorificemus Deū in cor- I.Corint.6.
pore nostro:quia non vt nobis,sed vt Deo viuamus, mundo mortui sumus. Id quod Paulus etiam in hodierna Epistola monet. Obsecro,inquit,fratres, per misericordiam Dei, vt Corint.5.
exhibeatis corpora vestra hostiam viuentem, sanctam, Deo Roma.12.
placentem,rationabile obsequium vestrum. Ob Dei ministerium reliquit parentes,vt quod postea fecit,alijs persuadeat. Qui patrem aut matrem amat plus quàm me,non est me di- Matth.10.
gnus:& qui amat filium aut filiam super me, non est me dignus. Item: Si quis venit ad me, & non odit patrem suum, & Luce.14.
matrem,& vxorem, & filios, & fratres, & sorores, adhuc Gene.12.
autem & animam suam,nō potest meus esse discipulus. Hac de causa Abrahamum ad ministerium obedientiæ vocans, terra eius,& de cognatione, & de domo patris sui exire iu- Psalm.44.
bet. Quem & Dauid secutus,ait: Audi filia,& vide,& inclina aurem tuam,& obliuiscere populum & domum patris tui,& concupiscet rex decorem: quoniam ipse est Dominus Deus Acto.3.4.
tuus. Et Christum secutus Apostolus. Oportet,inquit,Deo magis obedire quàm hominibus. Id quod antea etiam præstiterant omnes,quando dicūt: Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te. Hæc omnia sacræ literæ testantur de eo, quod Christus fecit:non in alium finem,quàm vt intelligamus,quid Christiano homini in primis sit necessariū. Quapropter & postea tanta cum grauitate suasit docuitque quod antea fecit. Posset etiam summa eius in hoc facto atque dictis sapientia deprehendi. Sed sufficiat de ipsius facti natura & ratione dixisse hæc.

Declarata verò rei substātia,nūc ad alia progrediamur. Et

primò doceamus, cur isto tempore suam diuinitatem manife stare inceperit. Volebat homo diaboli secutus consiliũ à sum mis telam salutis texere, sed infœlicissimè. Cùm enim in Dei sublimitatem inhiaret stultus affectator, similis factus est iu mentis insipientibus. Nẽpè, homini Satan inuidebat locum, vnde ipse pulsus erat. De quo Christus: Videbam, inquit, Satanam, sicut fulgur de cælo cadentem. Christus ergo, qui hominem veram semitam docturus esset, & sciret hominẽ prioris vulneris meminisse, ne nullã apud seductum antea fidẽ mereretur, contrario modo cũ ipso agere incipit, pulsáq; superbia sublimium affectatrice, humilitatem subrogat. Ideóq; ad annum duodecimum silet atq; latet. Et postea docet, ꝙ qui se humiliauerit, exaltandus foret. Et: Nisi conuersi fueritis, & efficiamini sicut paruuli, non intrabitis in regnum cœlorum. Annum verò agens duodecimum, multas ob causas ostendere voluit sibi earum rerum, quæ ad Deum patrem suum pertinerent, curam gerendam: Dei negotia transigenda: honorémque eius in terris prouehendum esse. Primò, vt illi in fide confirmarẽtur: qui ex eo, quòd ex Pastoribus, Magis, Simeone, Anna, & alijs audierant, spem aliquam hunc puerũ Messiam esse, conceperant. Si enim ad tricesimum vsque ætatis annum planè latuisset, præcedentis rumoris opinio dissoluta fuisset. Deinde & illud ostendit, quanto desiderio teneatur perficiendi ea, quæ ad hominum salutem & Dei pertinerent gloriam. Vnde posteà ait: Baptisma habeo baptizari, & quomodò coarctor, donec perficiatur? Desiderio desideraui hoc

Luc. 22. Pascha manducare vobiscum. Et ita sanguinem quoque, antequàm sicariorum cruentæ manus vulnera infligerent, mittit. Tertiò, ideò quoque in ea quæ patris sunt, erumpit, vt doceat non esse differendum, quicquid vel ad Dei gloriam, vel ad hominum salutem conducat. In quo procrastinatores maximè arguuntur. Vt enim placet Deo promptus hominum in eiuscemodi res animus (id quod præmio etiam dignũ ducit) ita procrastinatio vehementer displicet. Veluti exemplo illud de instaurando Dei templo docet, Agg. 1. cap. Et Christus monet: Primùm quærite regnum Dei & iustitiam eius. Hilarem datorem diligit Deus. Quartò ideò etiam tam citò in ijs quæ patris sunt, occupatur, vt Pontificum negligẽtiam argueret. Illi enim debebant pro officio, & poterant per ætatem istis rebus operam dare. Sed semet pascebant, non oues, vt in Pro-

vt in prophetis, maximè Ezechiele videre est. Et Christus po- Ezech.34.
steà dicit: Si hi tacuerint loquẽtur lapides. Qualis lapis Pau- Math.21.
lus fuit, qui dicit: Væ mihi, si nõ euãgelizauero. Et tales etiã- 1.Cor.6.
num esse, vehementer conduceret. Nunc Iudæorum pontifi
ces negligentia magis, quàm Paulum euangelizandi cura re
ferunt. Ergo & se hoc Christi facto coargui intelligant, &
negligentiam studio resarciant. Quintò & maximè Christus
puer in ijs quæ patris sui sunt, occupatur, vt suo exemplo iu-
uentutem instruat: quæ adeò sæpè à rebus diuinis abhorret,
vt sibi vitio verti existimet, si sese ijs exerceat: in alijs interim
studiosissima. Sed quid Christus? Vnum (inquit) est necessa- Luc.2.
rium. Bonum est homini, vt iugum Domini ab adolescentia Thren.3.
portet. Si Aethyops mutauerit pellẽ suã, & vos poteritis be- Ierem.13.
ne facere, cũ didiceritis malũ, dicit Dominus. Hę sunt causę,
cur Christus puer 12. anno. diuinas res admirabiliter tractet.

Hîc noua quæstio oritur ab illa diuersa: Cur tam citò ab
incepto desistat. Et nec hoc suo caret mysterio. Sunt duo ho-
minum genera in Ecclesia: alterum eorum, qui laborem suf
figiunt demandatũ, vt Ionas: alterũ eorum, qui sese ad non
commissa ingerunt: qui rumpi volunt, nisi loqui concedatur, Iona 1.
vt Heliu. Vtrumque autem genus Christus isto suo facto ar-
guit. Citò incepit, vt laborem fugientes corriperet: mox sese Iob.32.
abscondit ad tricesimum vsque annum, vt vocationem expe-
ctandam esse doceat, nec falcem mittendam in messem alie
nam. Aut ideò surgit, & abit cum parentibus, quibus & obe-
dientiam præstat, vt doceat, post diuinarum rerum occupa-
tiones, à Dei dilectione ad homines, dilectionis & humanita
tis officia, esse transcendendum. Atque in his omnibus Chri
stus omnes nos alloqui videtur, commonefacere, & dicere:
Exemplũ dedi vobis, vt quemadmodũ ego feci, ita & vos fa- Ioan.13.
ciatis. Restat, vt breuissimè reliqua etiam absoluamus. Non
videtur Christus imitandus in eo, quòd matrem deseruit, &
contristauit. Sed nec illud obiter transeundum est, cur ita sit
factum. Certum enim est, diuina dispensatione ita factum es-
se. Sed causæ latent. Non volens contristauit, nec tristem du-
riùs æquò affatur. Res plena misterio est. Nam vt in Christo
eximium studium erga res diuinas docemur, quòd magnam
cæterarum curã non admittit: ita in Maria quoque quædam
proponuntur cõsideranda. Haud dubiè magnus dolor men-
tem piam inuasit, ob amissum filium & Saluatorem: etsi non

ipſius culpa abeſſet. Subduxit autem ſeſe ab ea clam, vt magis in illa ſanctum deſiderium ſui accenderet: vt nobis exemplum in ea relinqueret, quo doceremur, exhibitæ gratiæ munera magni æſtimare, eáque conſeruare: vt quo maiora dona accipimus, tantò etiam maiori cura inuigilemus. Cura enim & humilitate in rebus concredititijs opus eſt. Qui ſtat, inquit Paulus, videat ne cadat. Tu fide ſtas: noli altum ſapere, ſed time. Beatus homo qui ſemper eſt pauidus. Si enim Maria filium, quo nec cœlum nec terra maius quicquam habet, amiſit: vtique, quicquid gratiæ à Deo ſemel cõfertur homini, ab homine amitti poteſt. Et amittitur nõ in Bethlehem, aut Nazaret, vbi eorum domicilium, ſed in vrbe primaria, vbi opes, diuitiæ, honores, luxus, & gaudia carnis habitant, vt Moſes ait: Incraſſatus eſt dilectus, & recalcitrauit: incraſſatus, impinguatus, dilatatus, reliquit Deum factorem ſuum. Et contrà: In tribulatione ſua manè conſurgent ad me: Venite, & reuertamur ad Dominum.

1.Cor.10. *Rom.11.* *Pro.88.* *Deuter.32.* *Oſeæ 6.*

Sed diuerſa ratione Chriſtus ab impijs recedit. A pijs ſeſe ſubtrahit ad breue tempus, & cũ fructu piorum, vt de Maria dictum eſt, & in Iob, Tobia, Dauid, & alijs, videre eſt. Auertiſti faciẽ tuã à me, ait Dauid, & factus ſum conturbatus. Sed quid addit? Ad te clamaui, inquit, & exaudiſti me. Id quod etiamnum pij omnes experiuntur. Verùm ab impijs manifeſtè & cũ ſonitu recedit. Vos, inquit, reliquiſtis me, & ego reliqui vos. Abſcondã faciem meam ab eis, & conſiderabo nouiſsima eorũ. Non audiuit populus meus vocẽ meã, & dimiſi eos ſecundũ deſideria cordis eorũ. Notũ eſt, quanto cũ horrore legamus Iudæorũ excidiũ. Et quid illud erat, niſi ſignũ deſcendentis ab eis Ieſu? Et hæc quidẽ de præſentia Ieſu, non qualibet, ſed amica & conſolatoria intelligi volumus. Alioqui etiã apud impios ſæpè eſt, ſed nullo cũ fructu eorũ, & vt minimè ipſi volunt. Ego ſum, ego vidi, inquit in Propheta. Hæc feciſti, & tacui. Exiſtimaſti iniquè, ꝙ ero tui ſimilis: arguam te, & ſtatuam contra faciem tuã. Amiſimus ergo Chriſtum? abſcondit ſe Ieſus à nobis? Sequamur Mariã & Ioſephũ per tridui illud iter. Quæramus illũ mẽte, lingua, manu: omnes neruos extendamus, quouſque inueniamus. Sed quæris, vbi illũ quærã? vbi inueniam? Audi Euangeliſtã: Quærentes eum inter cognatos & notos, non inuenerunt. Nihil hîc cognatio valet, nihil ſanguis de Chriſto reuelat. Eſt Chriſtus vbique, &

Pſalm.29. *2.Paralip.13.* *Deute.32.* *Pſalm.80.* *Pſal.49.*

vbique, & vbiq; inueniri poteſt. Qui abſcōdit, ipſe eſt, & qui aſcēdit ſuper omnes cœlos: vt adimpleret omnia. Ego cœlum & terram, inquit, impleo. Paſtores eum inuenerunt in ſtabulo. Ibidem & Magi. Elizabeth in domo ſua propria, in vtero virginis: Saulus in via Damaſci: peccatrix in menſa Phariſæi: latro in cruce. Vbiq; ergo præſens, ſed quærētibus cū in tempore opportuno cū fide. Nam ad Iudæos loquens ſeueriſsimè ait: Quæritis me, & non inuenietis: & quò ego vado, vos non poteſtis venire, & in peccato veſtro moriemini. Cōpendio inuenitur in Ieruſalē, in eccleſia. Hæc enim promiſsionē eius præſentiæ habet: Ego vobiſcū ſum omnibus diebus vſq; ad cōſummationē ſeculi. Illic Maria quęſiuit, quē anima eius dilexit, & inuenit. Quęramus & nos, ſed ſimili cōtritione, parique dolore. Beati enim qui lugēt, quoniā ipſi cōſolabūtur. Quamuis cū fide & ſpe. Nō dicamus cū Cain: Maior eſt iniquitas mea, quā vt veniā merear: ſed dicamus cū fideli anima: Vbi requieſcis, vbi paſcis in meridie? Quæramus diligēter cū ſollicitudine non pigra. Nō dicamus: Peccaui, & quid acidit mihi triſte? Altiſsimus eñ patiēs eſt redditor. Petamus, vt detur nobis: pulſemus, vt aperiatur nobis: quæramus, vt inueniamus. Surget eñ Chriſtus: domū nos comitabit, nobiſcū deget, & morē geret. Volūtatē eñ timentiū ſe faciet, inquit Dauid, & deprecationē eorum exaudiet, & ſaluos faciet eos. Nec ſatis ſit quæſiuiſſe eum inueniſséq;, ſed inſuper cauēdū eſt, vt inuēto fruamur: idq; Marię exēplo. De qua Euāgeliſta Maria inquit, cōſeruabat omnia verba hæc, cōferens in corde ſuo. Et nos cōſeruemus verba, & quæ alij de illo dicūt, & quæ ipſe de ſeipſo. Nec dicta ſolùm, ſed & facta.

Epheſ.4. *Math.2.* *Luc.1.* *Act.9.* *Luc.7. & 23.* *Ioan.8.* *Matth.28.* *Math.3.* *Gen.4.* *Canti.1.* *Eccl.5.* *Luc.12.* *Pſal.146.*

Hæc de factis dictiſq; Ieſu 12. ann. pueri, proponere viſum fuit operæpretiū. In quibus nō ipſius tantū perſonæ facta videmus, vt, ꝙ Ieroſolymā aſcēdit, illic relictis parētibus in templo rebus ſe patris ſui occupar, & quod facit, patris authoritate defendit: poſteà deſcēdit cū parētibus, & eis morē gerendo creſcit: Sed Mariæ etiā exēplum & Ioſephi conſiderātur: qui & ipſi Ieroſolymam aſcendunt, poſt redeunt, cúntq;, donec amiſſum filium inueniant: inuenti verò facta atque verba conſiderant. Omnia hæc vt imitemur, Paulus in hodierna Epiſtola monet. Primò parētes atque Ieſus Ieroſolymam aſcendunt. Ibi, quæ Dei ſunt, maximè exequitur: totus diuinis rebus occupatur. Idem Paulus ſuadet. Obſecro vos *Rom.12.*

fratres,inquit,per misericordiā Dei.Magno hîc studio Paulus rem agit.Sciebat alios tractare vt cerā, alios vti duriusculos malleo sermonis concutere.Sed eos qui non saxea,sed planè adamantina corda gerebant,nō nisi hircino sanguine,qui est Christi Iesu, poterat frangere. Cū eiusmodi hominibus nunc agit:atq; ideò eis misericordiam proponit.Vt exhibeatis,inquit,corpora vestra hostiā viuentem,sanctā, & Deo placentem,rationabile obsequium vestrū, & quæ sequuntur.Ergo quod Christus suo exemplo, hoc Paulus sermone hortatur Deo seruire,nosmet totos Deo consecrare mēbra nostra, quæ sunt super terram mortificare.Post hęc Christus descendit cum eis:parentes quærunt eum, & inuentū secū deducūt: Christus obedit:illi obseruāt.Et quid hæc omnia vtrobique, nisi quod Paulus de officijs membrorū disputat? Nimirùm Maria & Ioseph parentū officia, Christus verò liberorū exercuerunt.Quid in omni Rep.laudabiliùs, quā quéq; suum facere officiū?Quid Christo parentibúsq; eius decētiùs?Quid præsentibus rebus cōuenientiùs & magis necessariū?Vtinam hæc Christi parentūq; eius exempla sequeremur?maximè iuuentus,quæ nimiū(dolor)ab eius generis exemplorū heroica imagine recessit. Ob iuuētutis enim vitia Baptismus apud Anabaptistas malè audit:ob peruersitatem morū omnis ætatis, ipsa religio Christiana passim lapidatur. Nec illa baptismi,nec verò Religionis culpa est. Culpa est aduocationis: & ipsa peruersitas istā sibi contumeliā conciliat. Vbiq; hoc Scri-
Prou.22. ptura annūciat:Stultitia colligata est in corde pueri:virga di-
Prou.13. sciplinæ fugabit eam.Qui parcit virgæ,odit filium.Filiæ tibi
Ezech.7. sunt?serua corpus illarū, & non ostendas hilarem faciē tuam
Ephe.6. ad illas.Vos patres educate vestros in disciplina & correptio-
Thob.4. ne Domini.Hoc Tobias facit.Fili,inquit, omnibus diebus vitæ tuæ in mēte habeto Deū:& caue,ne aliquādo peccato consentias.& prætermittas præcepta Dñi nostri. Idē & nos oēs faciamus:& breui videbimus Ecclesię redeūtē fœliciter.Amē

DOMINICA SECVNDA POST EPIPHANIAM EVANGELIVM IOAN. II.


ET tertia die nuptiæ factæ sunt in Chana Galileæ:& erat mater Iesu ibi, Vocatus est autem

& Iesus & discipuli eius ad nuptias. Et deficiente vino, dicit mater Iesu ad eum: Vinum nō habent. Et dicit ei Iesus: Quid mihi & tibi est mulier? Nōdum venit hora mea. Dicit mater eius ministris: Quodcunque dixerit vobis, facite. Erant autem ibi lapideæ hydriæ sex positæ, secundùm purificationem Iudæorum, capientes singulæ metretas binas vel ternas. Dicit eis Iesus: Implete hydrias aqua. Et impleuerunt eas vsque ad summum. Et dicit eis Iesus: Haurite nunc, & ferte Architriclino: & tulerunt. Vt autem gustauit Architriclinus aquam vinū factam, & non sciebat vnde esset, (ministri autem sciebant, qui hauserant aquam) vocat sponsum Architriclinus, & dicit ei: Omnis homo primùm bonum vinum ponit, & cùm inebriati fuerint, tunc id quod deterius est. Tu autem seruasti bonum vinum vsque adhuc. Hoc fecit initium signorum Iesus in Chana Galileæ, & manifestauit gloriam suam, & crediderunt in eum discipuli eius,

EADEM DOMINICA EPISTOLA, ROMAN. XII.

Fratres, habentes donationes secundùm gratiam quæ data est nobis differētes: siue prophetiam, secundùm rationem fidei: siue ministerium, in ministrando: siue qui docet, in doctrina: qui exhortatur, in exhortādo: qui tribuit, in simplicitate: qui præest, in sollicitudine: qui miseretur in hilaritate. Dilectio sine simulatione. Odientes malum, adhærentes bono: Charitatem fraternitatis inuicem diligentes, honore inuicem præueniētes. Sollicitudine non pigri, spiritu feruentes, Domino seruientes, spe gaudentes, in tribulatione patientes, orationi instantes, necessitatibus sanctorum communicantes, hospitalitatem sectantes. Benedicite persequentibus vos: benedicite, & nolite maledicere. Gaudete cum gaudentibus, & flete cum flentibus: idipsum inuicem sentientes: non alta sapientes, sed humilibus consentientes.

SERMO.



VPERIORIBVS duobus proximis sermonibus, quomodò primò atque secundò filium suum pater in mundo manifestauerit, dictũ est. Nam & stella admirabilis illius ortus núcia, in Oriente visa, cum insolita luce motúque, & infantem natum esse Deum, & locum tanti partus obsequentibus contestata est atque demonstrauit sapientibus. Et tricesimo pòst anno super baptizatum Iesum conspicientibus iuxta Iordanem multis, vox patris de filio dilecto testificantis mandantísque audita, & visibili in specie inuisibilis spiritus cœlestis, super eundem filium humanis aspectibus visus est. Hodie verò ad tertiam manifestationem diuina procedit maiestas, & quem anteà stella Deúsque in cœlo patefecit, hîc se nunc

Ioan. 2. propria virtute manifestat in terris per miraculum. Hoc fecit initium signorum suorum IESVS, inquit Euangelista, & manifestauit gloriam suam. Quæ illa gloria? Quòd sit filius DEI viui, ipse Deus, qui à pauperum partibus stat, qui in omni necessitate auxiliari potest & vult, qui nostram quoque tribulationis aquam in iucunditatis sempiternæ vinum transmutat, omnia aduersa facit leuia, siue illa animum, siue corpus, seu cæteras res nostras infestent, ac denique totum hominem, quantus quantus est, soluat. Hæc, inquam, gloria CHRISTI est, quàm miraculo hoc ipso manifestauit. Sed quia ideò manifestauit: vt in eũ credamus (frustrà enim ipse manifestat se, nisi in eum nos credamus) ideò quotquot hîc conuenimus, nobis hanc gloriæ manifestationem seruire cogitemus: & vt finem suum in nobis consequatur diuina potẽtia, sollicitè studeamus. Nam & fidem hęc manifestatio nostram confirmat, consolationémque inspirat, & imitationem postulat: vt quod in Christo capite videmus, in nobis quoque membra eius exhibeamus. Oportet enim; vt triplici testimonio quisque nostrûm commendetur: primò stellæ, hoc est fidei: secundò, per vocem patris, hoc est, conscientiæ coram Deo spectatæ: tertiò, operum propriorum coram mundo. Ita enim Christus primùm stella, deinde patris voce, posteà ac tertiò, proprio facto innotuit, & filius Dei comprobatus est. Et nos si miraculo fidem magis confirmauerimus, & proprijs operibus pietatem declarauerimus; sic Christum imitati erimus, & perfectam Epiphaniam absolueri-

ſoluerimus. Hac ratione hoc Euangelium ſuperioribus reſpondet: hæc Chriſtianæ doctrinæ harmonia eſt: hæc nunquàm ſatis laudata rerum eccleſiaſticarum diſpoſitio.

Primò igitur nos quæ ad miraculi naturam pertinent, videamus: vnde fidei robur accedit: poſteà pietatis exẽpla quæramus in Chriſto atque matre, poſtremò etiam de allegoria nonnihil dicemus, ſi per tempus licuerit.

Optimè ergo atque ordinatiſsimè Chriſtus cùm ſe toti orbi inſinuaturus eſſet, negotium inſtituit, dum in ſcænam proditurus, non ſtatim maieſtate ſua fulgens, ſed in humilitate latens, alijs de ſua gloria teſtificandi munus permittit. Præter enim, quòd ſemel tantùm duodecim annorum puer in templo ſui ſplendoris ſcintillulam quandam oſtendit, quam & ſtatim cõſuetudo humilitatis cinere operit: nihil in ſeipſo præter hominem oſtentat. Sed teſtificantur de latente potentia alij: Lux cœleſtis in nocte, Angeli, deinde ſtella in cœlo, Magi ab Oriente in Iudæam vſque, & in templo, Simeon, Anna, Ioſeph, Maria, & alij quoque, priuſquàm natus: vt Zacharias, Eliſabeth, Ioannes adhuc in vtero, poſteà in baptiſmo, idem præcurſor, & patris vox, atque ſpiritus ſancti *Ioan.1.*
viſio. Horum teſtimonia præmittit, antequàm aliquid ipſe *Matth.3.*
magni faciat. Vt ſcilicet Salomonis dictum eluceat, laudet te *Prouer.27.*
alienus, & non os tuum, & ne poſteà offenderentur Iudæi, audituri dicentem: Ego ſum lux mundi, qui ſequitur me, *Ioan.6.*
non ambulat in tenebris: Ego ſum reſurrectio & vita: Ego *Ioan.11.*
& pater vnum ſumus: Si quis ſitit, veniat ad me, & bibat. *Ioan.10.4.*
Vnde manifeſtum eſt, quàm iniquè Iudæi Chriſto obiecerint: Tu de teipſo teſtimonium perhibes: teſtimoniũ tuum *Ioan.8.*
nõ eſt verum: Abraham mortuus eſt, & Prophetę, & tu dicis: Si quis ſermonẽ meum ſeruauerit, mortẽ non videbit in æter *Ioan.10.*
num: Nunquid tu maior es patre noſtro Abraham, qui mor *Ibidem.*
tuus eſt? Quem teipſum facis? Et: Non de bono opere lapidamus te, ſed de blaſphemia, & quia tu homo cùm ſis, facis teipſum Deum. Etſi enim Chriſtus multos teſtes præmiſiſſet, tamen veluti falſum de ſe teſtificantẽ, dictis impetunt. Quibus *Ioan.8.*
rectè ipſe reſpondet: Et ſi teſtimonium perhibeo de meipſo, *Ibidem.*
verum eſt teſtimonium meum: quia ſolus nõ ſum, ſed ego, & qui miſit me, pater. Et: Si ego glorifico meipſum, gloria mea nihil eſt: eſt pater meus, qui glorificat me, quẽ vos dicitis: quia Deus noſter eſt, & non cognouiſtis eum. Et: Vos miſiſtis ad

Ioan.5. Ioannem, & testimonium perhibuit veritati. Ego autē habeo testimonium maius Ioanne. Opera quæ dedit mihi pater, vt perficiam, testimonium perhibent de me. Debebāt certè hæc Christi verba improbam aduersariorum maledicentiam cōprimere, quemadmodum præmissa de ipsius diuinitate, multorum testimonia credentibus omnibus fidem facere. Et quidem has duas ob causas tam multa testimonia Christus præmisit, antequàm ipse prodeat. Quem etiā, vti pulcherrimum rei grauissimæ ordinem, in proponendis doctrinæ Christianæ capitibus ecclesia actenùs sequuta est. Id quod manifestū fiet, si voluerimus ea, quæ ab aduentu vsque hûc vbique in credentium cœtu lecta decantatáque sunt, memoria repetere. Prophetarum enim oracula de Christo venturo audiuimus, deinde Angeli ad Mariam & Ioseph diuinitùs allata respōsa, postea, quæ in ipsa natiuitate dicta factáque sunt. Deniquè in templo ipsum & audiuimus & vidimus. Postremò etiam tria illa patris spiritus sancti & Ioannis testimonia accesserunt, Quibus omnibus hoc, quod modo tractaturi sumus miraculum, additur. Omnia verò in eum finem: vt pijs fides fiat de Christi diuinitate, & obturetur aduersariorum fidei os impium. Nunc ergo, quòd de miraculorum natura institueramus, exequamur.

Certum est: miracula facere (quæ verè eiusmodi sunt) soli
Psal.70. Deo rectissimè conuenire. Tu es Deus qui facis mirabilia, in
Psal.71. quit Psalmista. Et: Deus Israel, qui facit mirabilia solus. Et:
Psal.138. Mirabilia opera tua. Sunt quidē omnia opera Dei in vniuersum mirabilia, si rectè in ea intenderimus, quæ vel creando olim fecit, vel creata seruando facit etiamnum. Vt quod in vitibus conceptum ex imbribus succum solis operatione vertit in vinum, miraculi sanè naturam habet. Quēadmodum & illud, quòd quotānis ex vno aliquo grano graues producit aristas, & quòd tanto tēpore aquis omnibus posuit terminū, ne transgrediātur fines suos, omniáq; alia, quę nunc enumerare opus non est. Et merebātur ista, vt & suspiceremus & reuereremur, laudaremúsq; eū, qui facit ea solus. Sed quia non animaduertit ea mens humana pro dignitate, & ex perpetuitate iudicat esse naturalia, nec posse aliter fieri: ideò pius parēs, cū quos semel creauit, subtractis alimētis nō vult perdere, & tā homines in consideratiōnē & admirationē sui studet erigere, minùs vsitata profert: vt tandē vel specialitas rerū ad considera-

ratio-

rationem conditoris excitaret, quos non poterat generalitas. Ná quia, quod semper operatur in vitibus, assiduitate viluit: Ecce Christus sine vitibus aquam conuertit in vinum: quia nemo mouetur ex frumenti omnis generis prouentu, ex paucis panibus idem Dominus multos simul saturat: quia deniq; nemo perennem maris stationem miratur, ideò ipse qui condidit mare rubrum, diuisit in diuisióes, & suo populo siccum transitum præbuit. Nemo olim solis mirabatur cursum: sistere ergo gradum iubet Deus, tempore Iosue: vt cuius volubilitatem intendebat nemo, eius moram considerarent omnes, mirarentur singuli. Qua in re & Dei commendatur benignitas, & humana accusatur iniquitas. Etsi enim Christus eadé qua pater potentia iam mortuis vitam, iam ægrotis sanitaté, iam sanis mirabiliter pastum præberet, iam etiá cæcis visum redderet: vt omnes se ab ipso, vitam, sanitatem, sui conseruationem, & quæ ad sensus pertinent, habere intelligerent, perpauci tamen ista considerant, nec multum ergò Christo tribuũt, dum (vt nostro æuo fit) à Dei dextra auellitur, & quasi eandem cum patre in seipso potentiam non haberet, nouus mediator libellis supplicibus, patrem vt oret, conuenitur. Quemadmodum autem in veteri, ita & in nouo Testaméto diuina maiestas miracula sua (quæ hoc nomine communiter censemus) in ijs rebus ostendit, quæ quodammodò naturæ creaturarum repugnant. Fame laborantes, sine victu ferè conseruauit. 3. Reg. 17. alios siccos seruauit in aquis. Exo. 14. alios saluos in igne. Dan. 3. alios inter feras gaudétes. Dan. 6. alios in hostium medio sine periculo. 4. Reg. 6. Triduo perseuerantes paucis panibus exsaturauit Christus, in aqua saluté expectantem, sine aqua sanauit. Dæmoniacum se in ignem præcipitantem, verbo restituit, liberauit, luto cæci nati oculos aperuit, mandato solo mortuos in vitam reuocauit. Ideóque in multis incredulis aliqui tamen pij eandem in Christo quam & in Deo patre nouerant potentiam, confessi sunt. Vt Nicodemus ait: Scimus, quia à Deo venisti magister, & nemo potest hæc signa facere, quæ tu facis, nisi Deus fuerit cum eo. Et cæcus: Nisi esset hic à Deo, non poterat facere quicquam. Sicut etiam in hoc ipso Euangelio de Discipulis scriptum est; Crediderunt in eum Discipuli. In hoc tamen nouæ legis miracula à veteris populi mirabilibus differunt, quòd multa illic plerumque iram DEI significabant: vt cùm cœlitùs dela-

Ioan.6. *Ioan.3.* *Ioan.9.* *Ioan.2.*

Genes.19. ipso igni quinque vrbes consumptæ sunt, in mari Aegyptij de
Exod.14. leti, terre hiatu Dathan & Abyron absorpti, & similia. Non-
Numer.6. dum erat ira patris nati placata supplicio. At in nouo testamento Christi miracula patris amorem & misericordiam declarant. Ideóque hæc miracula commodant hominibus, non obsunt, adeò, vt cùm discipuli ignē de cœlo postulaturi erāt, qui ingratos consumeret, ipse Christus corripiēs eos, diceret:
Luc.9. Nescitis, cuius spiritus sitis. Filius hominis non venit animas perdere, sed saluare. Atque hæc de miraculis veteris atque noui Testamenti per collationem dicta sint.

Nunc ad hypothesin. A Christo huius Euangelij miraculum factum est. Id verò quale sit, nunc videamus. Et primò quidem vbi factum sit: qua occasione, apud quos. In Galileæ vico initium signorum suorum Iesus fecit.
Matth.4. Cuius causam Matthæus exprimens: Vt adimpleretur, in-
Isai.9. quit, quod dictum est per Prophetam dicentem: Terra Zabulon, & terra Nephtalim, terra maris trans Iordanem Galileæ gentium: populus qui ambulabat in tenebris vidit lucem magnam: habitantibus in regione vmbræ mortis lux orta est eis. Fecit autem statim postquàm fuisset baptizatus, & paterna voce filius Dei declaratus: vt ostenderet, non sine causa tot tantáque potentiæ suæ testimonia
Matth.5. præmissa fuisse: nec quàm Deus pater mundo lucernam accenderat, diu celari posse sub modio: sed efficacem & operosum esse spiritum sanctum, vbicunquè sit. Fecit in nuptijs, ad quas fortè propter affinitatem inuitatus cum matre & Discipulis venerat: vel propter fidem deuotionémque sponsi atque sponsæ, qui sibi ob Christi præsentiam multò lætio-
2.Reg.6. res hymenæos persuasêre. Vt Dauid domus suæ auctio-
Luc.19. nem ex arcæ Domini præsentia promittebat, & vt Zacheus, cùm Christum hospitio susciperet, spiritualibus bonis locupletatus fuit. Fecit non clam, aut coram solis discipulis, sed palam, non in vasis, quæ ad vini vsum pertinēt, sed in hydrijs, quæ soli aquæ destinatæ fuerant. Non parum, sed multum aquæ vertit in vinum, ne quis suspicaretur subesse fallaciam. Nec Discipulis implendarum hydriarum dat negotium, sed ministris nuptiarum. Ipse ne quidem attingit hydrias. Fecit optimùm vinum. Id quod non ipse, non Discipuli, sed Architriclinus affirmat, etiā cum indignatione, & ita, vt certum sit, meliùs vinum istas non habuisse nuptias. Nimirùm: vt

mirùm:vt perfecta esse opera Dei intelligeremus, Sed cur initium miraculorũ fecit eiusmodi?Cur ab aqua in vinũ trãsmutanda incipit?Maximè hoc miraculum inseruiebat proposito eius,qui in Apocalypsi loquitur:Ecce noua facio omnia. *Apocal.21.* Omnia lætiora facturus venerat:& totius orbis Christiani omnem tristitiam in gaudium cõmutare proposuerat.quasi diceret:Adeste mortales,considerate homines:Hactenus conscientias vestras aqua amarissima turbat:vertam aquam illã in vinum:& amaritudo illa vini inducet dulcedinem. In me inuenietis requiem animabus vestris: in me pacem habebitis. *Ioan.16.* Venite ergo omnes ad me,ego reficiam vos. Clamastis cum *Matth.11.* Dauid:Saluos fac nos Deus,quoniam intrauerunt aquæ vsq; *Psalm.68.* ad animas nostras.Ecce,per me tristitia vestra vertet in gaudium:& quod in præsenti est momẽtaneum & leue tribulationis vestræ,supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operabitur.Sæpè aliàs aquã mutatam legimus. Sub *2.Corin.4.* Mose amara aqua in dulcem:sub Helizeo degener & sterilis *Exod.15.* in limpidam & fertilem commutata est.Sed & in Aegypto versa est in sanguinem. Christus in Euangelio varia loquitur de aquis:Dare se nobis dulcem gratiæ suæ aquam.Si quis,inquit,sitit,veniat ad me,& bibat.Et:Qui venit ad me,nõ esuriet:& qui credit in me,nõ sitiet in æternum.deinde & fertilem præbere vndam,de qua ad Samaritanã loquẽs,Qui biberit,inquit,ex aqua,quam ego dabo ei,non sitiet in æternũ; sed aqua quã ego dabo ei,fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternã.Hæc duplici aqua si rectè vsi fuerimus, tandem & tribulationis nostræ,& afflictionum aquã,vertit in æternæ fœlicitatis vinum.Qualem gustauerunt Paulus & Ioannes,Rom.8.2.Cor.4. Coloss.3.1.Ioan.3.Verũ si suaui & fertili abusi fuerimus,ipsa quoque in sanguinẽ nobis iræ & æterni vertitur supplicij.In hūc ergo finẽ Christus aquã vertit in vinũ,vt testaretur se nobis benè velle,& affuturum semper plena manu.Quæ consideratio vehementer nõ solùm fidem cõfirmat,sed & cõsolationẽ erigit,& spẽ fulcit. Et quidẽ hac ipsa potissimùm ratione verorum miraculorum natura,à falsis & nothis miraculis secernitur.Commodant vera miracula:obsunt, aut certè nihil prosunt falsa. Hæc ostentationi seruiunt inani: illa Dei gloriam, hoc est filio Dei vnigenito propriam, Ioan.1.diuinitatem,bonitatem,misericordiam,veritatem,iustitiam,sapiẽtiam manifestant,cùm verbũ eius cõ- *Ioan.7.* *Ioan.6.* *Ioan.4.*

firmant,fidem,spem,charitatem in hominum pectoribus accendunt.Et nos igitur cōsiderato hoc ipso miraculo,in Christo & virtutem & voluntatē benefaciendi fide intelligamus: quòd pro diuinitate sua,velut figulus lutū,omnia in sua manu habeat,Hier.18.qui dixit,& facta sunt:qui mādat,& creata sunt,Psal.148.pro bonitate & misericordia sua pauperum afficiatur cura: pro veritate sua præstet quæ promisit,vt in Ezechiele 34.cap.loquitur.Ego ipse requiram oues meas,& visitabo eas.Et in Isaia 51.ca.Ego ipse cōsolabor vos.Et iterū:Ego ipse qui loquebar,adsum.Isa.52.pro iustitia remunerer pios:vt hîc in nuptijs facit.Et in Matthæo ꝑmittit:Amē

Matth.10. dico vobis,quicūque potū dederit vni ex minimis istis,calicē aquæ frigidæ,tantùm in nomine discipuli,non perdet mercedem suam:pro sapientia denique sua omnia in tēpore oportuno faciat,vbi humana præsidia nulla amplius sunt,& periclitari sine ipso necesse.Vt in nuptijs,non statim à principio cōuiuij vinum propinat,sed vbi de vini inopia mater conqueritur.Ecce hoc modo considerato miraculo,fit,vt Christus per se quidē speciosus forma præ filijs hominum,Psal.44.adhuc amabilior fiat in operibus, & sui desiderio plures accendat, qui semper cum ipso esse velint.Matth.17. Luc.5.10. Marc. 7.Hæc cogitemus,& sciamus ipsum esse auxiliatorem in tempore oportuno:& si nobis fuerit visus moram facere:tamen nostra ipsi committamus,qui oportunum tēpus nouit,quod humanæ rationi plerunquè est ignotum. Et ita præsentes ærumnas rectiùs toleremus.

Sed de dictis eius etiam in hoc cōuiuio aliquid videamus, priusquàm ad pietatis exempla perueniamus.Vnus idémque Christus est,qui hîc & loquitur,& operatur:ac quidquid ab ipso proficiscitur,gratum atque charum est: imò quia propter verborum eius confirmationem ipsam narrantur,non verba propter facta,ideò magis quàm facta nos afficiunt verba. Sunt hîc quædam dicta,quæ ad euersionem fidei sanctæ,ab Iudæis, Ethnicis atque hæreticis, iniquè & facilè in prauum sensum solent torqueri:& quibus simplicioris in-

Ioan.2. genij nullo labore possunt à fidei norma seduci. Quid mihi & tibi est mulier:Christus matri loquitur.Simile quid superiori dominica audiuimus.Pater tuus,ait Maria,& ego,do-

Luc.2. lentes quærebamus te.Ecce,inquiunt fidei aduersarij, Christus matrem mulierem dicit:& ipsa mater Iosephum fatetur filij pa-

filij patrem. Cur ergo virginem dicitis? His ergo respondendum est. Nec est, cur hîc nos torqueamus. Paulus Apostolus nodum facilè soluet in hodierna Epistola, vbi monet habentes donationes prophetiæ, eas secundum fidei rationem impendere. Vbi hoc certè vult, vt prædicationes & scripturæ sanctæ interpretationes ad fidei normam fiant, & ita factas, demú valituras. Principiò igitur omniú, de indubitato fidei fundamento quæramus: hoc inuento, secundum hoc omnem scripturam interpretemur. Est autem fidei nostræ fundamentum: Christus natus est ex Maria virgine. Quemadmodú ab æterno à Deo patre sine matre est genitus: sic in tempore, ex virgine matre, sine homine patre est natus. Id declarant aliæ Scripturæ tàm veteris quàm noui Testamenti. Illic Isaias testatur virginem concepturam & pariturá nobis filium. Hìc ipsi virgini roganti: Quomodo fiet istud, quoniam virú non cognosco? Angelus respódet: Spiritus sanctus superueniet in te, & virtus altissimi obumbrabit tibi. Et ad Iosephum cogitantem dimittere virginem prægnantem: Ioseph filij Dauid, inquit Angelus, noli timere accipere Mariam coniugem tuá: quod enim in ea natum est, de Spiritu sancto est. Huic Scripturæ fundamentú fidei nostræ cófirmanti, reliqua Scriptura est coaptáda: et si quid illi aduersari videbitur, illîc captiuemus intellectum nostrum, & cogitemus, alium eius sensum esse, quem non ratio dictat, sed Spiritus sanctus inspirat. Aut enim ijs verbis, Pater tuus & ego quærebamus te, alia significatio, quá quæ prima fronte apparet, inest: aut si id nó est, & in reliquis Scripturæ locis rectè intellecta illa verba pugnant.

Isai.7. *Luc.1.* *Matth.1.*

Aut ergo fidei fundamentum infirmum est, & hæc verba: Ego & pater tuus dolentes quærebamus te, natiua, vt hæretici volunt, significatione accipienda sunt: aut certè alius verborum istorum sensus est, & manet fidei fundamentum firmum. Sed Paulus non vult esse infirmum, sed immotum fidei fundamentum, ne, si in vno aliquo vacillaremus, de reliquis omnibus mox dubitaremus. Stante ergo fidei fundamento, alius necesse est hic verborum sensus sit. Et ita profectò est. Neque enim patris nomen eum tantùm significat, qui genuit filium secundum naturam ex suo corpore: sed eú quoque, qui docet, erudit, & instruit. Hac significatione Heliam patrem suum appellat Helizeus: & Naamanum quoque serui suum patrem dixêre. Sed & Magistratus patres

4.Regum.2. *4.Regum.5.*

dicimus,& eos,qui nostri curam gerunt, educando,regẽdo. Et hac ratione Ioseph Domini Iesu pater rectè dicitur, à quo & ipse magna cura & sollicitudine educat⁹ est. Vide, hoc pacto si illud: Pater tuus & ego dolentes quærebamus te: acceperimus, nihil fidei fundamento aduersabitur.

Quanquam hæc sentẽtia alijs quoque modis defendi possit. Nam quibus alioquin sanctissima mater verbis vti debuisset? Omnes sciebant Iosepho ipsam esse desponsatã: ab omni-
Leuiti.20. bus putabatur Ioseph istius pueri pater. Quòd si dixisset non esse patrem, tanquã adulteram lapidassent: idque ex legis decreto: aut certè contra vulgi opinionem affirmanti credidisset nemo. Aut cur non debebat hoc illud virginitatis suæ celare Sacramentum mater, cùm suam deitatem, quam cũ patre habebat communem, ad tempus celauerit filius? Propria laus sorduisset: & relinquenda erat suo tempore mundo opinio sua. Sic, quòd hîc Christus dicit mulierem, in veritate non pugnat cum fidei fundamento, etsi ita videatur. Manet fidei fundamentum, & cum eo congruens vocabuli Mulieris significatio quærenda est. Cur ergo nõ virginem vocat Christus, quæ virgo erat? cur non matrem, quæ erat mater? Facilis est responsio. Si virginem dixisset, ambitionis de se suísque præbuisset suspitionem. Etiam tunc destinati fuerant Apostoli atque Euangelistæ, qui suo tempore matris virginitatem cũ iusta grauitate ab hominũ opinione essent vindicaturi. Nec
Exod.20. puduit eum matris suæ, qui & seuerissimè præcepit in honore
Deuter.27. parentes haberi, & immorigeris pœnas iustissimas decreuit. Sed mulierem non hîc matrẽ dicit, vt orituris hæreticis viam occluderet. Iam tum enim præsciebat, quosdam falsò docturos, ex matre principium sui sumpsisse, & nihil habuisse, aut fuisse, priùs, quàm ex matre natus esset homo. Hos ergo hic corripit, Quid mihi & tibi est mulier: asserens se aliquid habere, quod ex matre nõ sumpserit. Deinde etiam hoc docuit, nullam habere partẽ naturales parentes in nobis, sicubi cœlestis patris negotium agendum fuerit. Quid tibi & mihi mulier? quasi dicat: Gessi morẽ hactenus, vt filius matri: verùm quod nũc instat, patris declarãda voluntas est: nec quod mones, possum ex te, sed ex patre. Quo & nos docemur, parẽtes
Exod.20. honore afficere, iuxta præceptum legis, & Rechabitarũ exem
Hierem.35. pla, quos Hieremias celebrat: sed & Dei causa eodem postpo
Luc.14. nere atque relinquere. Si quis venit ad me, inquit Christus, & non

& non odit patrē,& matrē, &c. Et Moſes: Qui patri ſuo & matri ſuæ dixit: Neſcio vos: & fratribus ſuis, ignoro illos, &c. Regia igitur hic incedamus via: nec cum Manichæo Mariam Chriſti matrem negemus: nec ſub horum Chriſti verborum non intellectorum prætextu, parentibus debita honorē atq; officia ſubtrahamus. Atque hæc de dictis Chriſti in his nuptijs videre & interpretari viſum eſt operæ pretium, ne quis vel à fidei tramite deuiet, vel impietatis ſuæ prætextum fruſtrà quærat. *Deuter.33.*

Reliquum eſt, vt & pietatis intueamur exempla. Neque enim fide tantú cōfirmamur: verumetiá pietate informamur hoc miraculo. Non eſt genuinum Chriſti capitis membrú, quod dum caput ipſum in labore videt, ipſum, quaſi acta trāſ acta ſint omnia, in vtranque aurem dormire velit. Nō ſic Paulus, qui licèt gratiam Dei cōſequutus eſſet, electus eſſet, & fidem multis laboribus ab Hieroſolymis Illyricú vſque annunciaſſet: adhuc tamen non arbitratur ſe cōprehēdiſſe aut perfectum eſſe: ſed ſequor, inquit, ſi quo modo comprehendá, *Roman.1.* in quo & comprehenſus ſum à Chriſto Ieſu: quæ retrò ſunt, *Philip.3.* obliuiſcens, ad ea verò quæ ſunt priora, extendēs me ipſum, ad deſtinatú perſequor, ad brauium ſupernæ vocationis Dei in Chriſto Ieſu. Nō ſic Petrus, qui cùm docuiſſet omnia no- *2.Pet.1.* bis donata eſſe diuina virtute quæ ad vitam & pietatem pertinent, ac monuiſſet, propter pretioſa, quibus conſortium diuinæ naturæ accepturi ſumus, fugere eius, quæ in múdo, eſt, concupiſcēriæ corruptionē, Vos, inquit, omnē curam ſubinferentes, miniſtrate in fide veſtra virtutem, in virtute autem ſcientiam, in ſcientia autem abſtinentiam, in abſtinentia patientiá, in patientia pietatem, in pietate autem amorem fraternitatis, in amore autem fraternitatis charitatem. Et mox. Quapropter fratres ſatagite, vt per bona opera certá veſtrá vocationem & electionem faciatis. Hæc enim facientes non peccabitis aliquando. Sic enim abundanter miniſtrabitur vobis introitus in æternum regnum Domini noſtri & Saluatoris Ieſu Chriſti. Fundamentum haud dubiè hi quoque Apoſtoli poſuerunt, quod eſt Chriſtus Ieſus, lapis pretioſus, electus & probatus, quem ipſe Deus poſuit in fundamentis ſpiritualis Syon. Sed vide, obſecro, quanta diligentia ſuperædificent? Poſita fide, eáque in Chriſtum Ieſum confirmata, charitatē ſuperſtruūt, charitatē inquā, Dei & proximi, Nuni- *Iſai.1.*

rum edocti ab ipso Cristo Ioan.13.15. Id quod ipsum quoq; Ioannes apostolus facit 1. Ioan.6. & rursum Paulus in Epistola hodierna, Rom.12. vbi docet nos multa dona accepisse à Deo: vt ea distribuamus in proximo. Optimè. Ita enim ædificantes, pulcherrimã in sublime extruxerũt Ecclesiæ domum, vsque ad cœlum pertingentẽ. Ideóque nemo miretur hodie omnes fieri deteriores, & ad pietatem frigidiores, domúmque ab Apostolis rectè ædificatam, non modò non surgere amplius, sed dirui potiùs atque collabi. In causa enĩ est, quòd multi nunc in locando fundamento tantùm occupatiores sunt, docentes scribendo dicendóque, quę nobis pater in Christo bona exhibeat: verùm vsum bonorum eiusmodi non docent. Qua re fit, vt præter nudã fidem, ideóque inanem, nemo sit, qui animi cogitata extendat. Verùm si cui pietas salúsque cordi est, neglectis cum sua inani fide architectis istis, hûc adsit, & Christum ipsum superstruentem cõsideret atque imitetur: sumátque pietatis exempla quædam ab ipso Christo, quædam à matre, quædam à sponso atque sponsa. Inuitatus & vocatus ad nuptias Christus cum discipulis venit, ipsásque nuptias sua præsentia & honestas fecit, & diuite miraculo ornauit atque ditauit. Primùm docemur hoc ipso, matrimonium aliquam dignitatem consequi: quod genus vitæ alioquin sine hoc atque similium exemplis nonnihil vilitatis & molestiæ habet. Sed Christi præsentia & munificentia ostendit, Deum non aspernari coniugatos, sed opitulari legitimè coniunctos, contra Tacianos, qui connubia Cristianis dicebant esse inhonesta. Sed & hoc considerari oportet, Christum, quamuis nuptias has rogatus inuiserit,
1.Cor.7. virginem mansisse: sicut & mater ipsa talis perseuerauit. Etsi
Genes.2. enim ipse Deus matrimonium author sit, tamen excellentioris gratiæ est virginitas. Id quod in Paulo videre est. Ne quis ex eo quòd Cristus interfuit nuptijs, existimet matrimoniũ magis virginitate, seu etiam viduitate Deo placere. Quod verò inopiam vini Christus releuat, ostendit, ipsum esse, cui
Psal.9. dicitur: Tibi Domine derelictus est pauper: orphano tu eris
Psalm.17. adiutor. Et de quo alibi: Desiderium pauperum exaudiuit Dominus: præparationem cordis eorum audiuit auris tua.
Psalm.112. Humilia respicit. Consolatur ergo Christus coniuges, maximè in paupertate degentes: & sua munificẽtia ad similia exeitat diuites. Deinde mater Iesu depingitur in nuptijs, non à

leuitate, sed

leuitate, sed à sollicitudine, qua afficitur erga pauperes. Et licet dare ipsa quod deerat, non posset: ostendit tamem affectũ commiserationis, & cupit prodesse. Nõ dicit sicut Cain, nunquid custos sum fratris mei? Sed scit Deum vnicuique de proximo suo mandasse. Eccl. 16. Ideo ait: Vinum non habet. Deinde ad ministros: Quodcũque dixerit vobis, facite. Nec solùm à commiseratione laudanda est, sed & à prudentia: cũ ministris de obedientia præcipit, ne immorigeri munificentiam Christi impediant. Tertiò, in sponso atque sponsa etiã & horum amicis exẽpla sunt pietatis. Nempe, quòd præsentem Christum in suis nuptijs cupiunt, cum fide & grauitate illud vitæ genus auspicantes. Quo arguitur nostri æui leuitas, vbi nulla fides, nullus timor Dei in nuptijs fere vllis considerari potest. Arguitur & ambitio & auaritia corũ, qui magnos, & diuites tãtũ inuitãt: & cõsideratur Dei iustitia in eo, ꝙ pauper Christus inuitatus, lętũ nuptiarũ prȩstat exitũ. Cõtrà, cũ nũc nuptiæ sine Christo veróq; Dei timore, cũ crapula & leuissimo gaudio celebrãtur: permittit Deus vt omne reliquũ coniũgij tẽpus cũ inedia & mœrore toleretur. Hæc sunt ergo exẽpla pietatis, quæ cõsiderata faciunt vt qd fide appreh̃edimus miraculũ, quatũ licet pietate imitemur. Promiserã & allegoriã enarrare. Habent certè hæ nuptiæ significationẽ eius quæ inter Christũ & Ecclesiã est matrimonij, imò inter diuinã Xp̃o & humanã in naturas. Fit duorũ in matrimonio vnũ corpus: Idẽ in Christo. Et hæc cõiunctio facta est nõ primo aut secũdo legis naturalis aut scriptæ die, sed tertio, hoc est, gratiæ. Facta est aũt in Chana, hoc est, zelo, nẽpe filij Dei amore. In ea sex hydriæ impletæ aqua mutantur in vinum: Omnium patrum per sex mundi ætates tristitia in Christo vertitur in gaudium. Et hoc vinũ ministri Architriclino gustandũ offerunt, quando Apostoli Deo, quicquid boni operatũ per ipsos fuerit, asscribunt. Celebrantur autem hæ nuptiæ vsque ad illud tempus, dũ replemur ab vbertate domus Christi in secula benedicti. Gratia Dei nobiscum. Amen. *Gene. 6.*

DOMINICA TERTIA
POST EPIPH. EVAN. MAT. VIII.

CVm autẽ descẽdisset de mõte, secutæ sunt eum turbæ multæ: & ecce leprosus veniens, adora-

bat eũ dicẽs, Domine, si vis, potes me mundare. Et extendens Iesus manum, tetigit eum, dicẽs: Volo mundare. Et cõfestim mũdata est lepra eius. Et ait illi Iesus: Vide nemini dixeris: Sed vade, ostẽde te sacerdoti, & offer munus tuũ, quod pręcepit Moyses in testimoniũ illis. Cũ autẽ introisset Capharnaũ, accessit ad eũ Cẽturio, rogãs eũ, & dicẽs: Domine puer meus iacet in domo paralyticus, & malè torquetur. Et ait illi Iesus: Ego veniã & curabo eum. Et respõdens Centurio, ait: Domine nõ sum dignus, vt intres sub tectũ meũ: sed tantũ dic verbũ, & sanabitur puer meus. Nã & ego homo sum, sub potestate cõstitutus, habẽs sub me milites: & dico huic vade, & vadit: & alij veni, & venit: & seruo meo, fac hoc, & facit. Audiẽs hæc Iesus, miratus est, & sequẽtibus se dixit: Amẽ dico vobis, non inueni tantã fidẽ in Israel. Dico aũt vobis, ꝙ multi ab Oriẽte & Occidẽte veniẽt, & recũbent cum Abrahã, & Isaac, & Iacob, in regno cœlorũ: filij autem regni eijcientur in tenebras exteriores: ibi erit fletus & stridor dentium. Et dixit Iesus Centurioni, Vade, & sicut credidisti, fiat tibi. Et sanatus est puer ex illa hora.

EADEM DOMINICA EPISTOLA, ROMAN. XII.

Nolite esse prudentes apud vosmetipsos: nulli malum pro malo reddentes: prouidentes bona, non tantũ coram Deo, sed et iam corã omnibus hominibus: Si fieri potest, quod in vobis est, cum omnibus hominibus pacem habentes. Non vosmetipsos defendẽtes, charissimi: sed date locũ iræ. Scriptum est enim: Mihi vindictã, & ego retribuam dicit Dominus. Sed si esurierit inimicus tuus, ciba illum: si sitit, potum da illi. Hoc enim faciens, carbones ignis congeres super caput eius. Noli vinci à malo, sed vince in bono malum.

SER-

SERMO.



DVO nobis præstantia miracula hæc Euangelica proponit lectio. Et iucundum est eadem legere: iucundius verò si licuisset, vidisse: sed omnium iucundissimum, etiamnum intelligere, quid ijsdem Christus voluerit. Sæpè aliàs miraculorum Christi fit mētio: de quibus certa aliqua doctrina tenenda est, vt sciamus vsum atq; finē eorū. His enim cognitis, intelligemus necessitatem eorum illo tempore. Sunt autem quasi sigilla, quæ Christus verbis suis appendit, vt omnibus fides fiat, Christi verba, Dei verba esse. Quemadmodū & seculi huius principes suas literas proprijs sigillis consignant: non quia incertæ illæ sint, sed vt homines sigilla aspicientes, inesse scriptis literis principis voluntatem certò intelligant. Etsi enim nomē illic legatur principis, imò licet principis appareat manus: subesse tamen potest suspicio, vel ab alio quopiam sub principis nomine esse dictatas literas, vel imitatione literarum esse exaratam imaginem. Appensis verò sigillis, nulli relinquitur locus dubitandi.

Appendit autem Christus certa & propria sigilla, hoc est, diuinitatis opera, quæ nullus hominum potest facere. Quis enim aliâs in rebus omniū grauissimis illi habuisset fidem, præsertim cùm ipse summa cum humilitate appareret? Rectè igitur ait opera sua de se testificari. Possunt quidē homines nouas doctrinas confingere, filij Dei nomen vsurpare, à Deo missos se dicere, imitantes patrem suum diabolum, qui ab initio Dei æqualitatem affectauit: possunt & ipsi multa in nouas formas mutare. vt Magi in Aegypto, auxilio Satanæ: sed nihil possunt eo quo Christus modo. Omnia virtute verborum efficere atq; posse, solius Dei sigillum est, quod præter eum nemo sibi vsurpare potest. Hoc sigillum Nicodemus vidit Christi verbis appensum. Propterea palàm confitetur, & ait: Scimus, quia à Deo venisti magister scimus, quia verax es. Simile quid etiam cæcus natus confessus est. Ioan. 9.

Ioan. 10. *Ezech. 28.* *Exod. 7.* *Ioan. 3.*

Iam si quæratur: Si sunt sigilla, cur desierunt? Respondeo: Fuisse necessaria initio nascentis Ecclesiæ, quousq; Euangelium in possessionē veritatis assurgeret, & de eius certitudine in mundo constaret. Nunc verò, quia vbiq; creditū est Euangelio, esse illud verbum Dei indubitatum: sufficiunt meritò olim per Christū atque Apostolos ipsi adhibita miracula,

Chriſti veſtigia imitantes,aſcendant atque deſcendant,ſe de- *Rom.1.*
bitores agnoſcant doctis ſimul & indoctis, ita de Sapientia
Dei inter perfectos loquantur,vt tamẽ interim lactis imper- *1.Cor.13.*
fectis exhibendi non obliuiſcantur. Hoc enim eſt aſcendere,
quod eſt, ſapientibus fidei ſcripturarúmque myſteria ſubli-
mia altiùs repetenda commendare. Hoc eſt deſcendere,quod
eſt,infirmis condonare, & imperfectos ſufferre. Sic Paulus *Roma.15.*
hortatur. Debemus (inquit) nos firmiores, imbecillitates in-
firmiorum ſuſtinere,& non nobis placere. Et: Si quis præoc- *Gala.6.*
cupatur in aliquo delicto, vos, qui ſpirituales eſtis, inſtruite
huiuſmodi in ſpiritu lenitatis. Docturus ergo Chriſtus ſubli
mia Apoſtolos, aſcenderat in montem. Hic verò inertis pi-
græque ad aſcendendum turbæ recordatur, beneficẽtia quo-
que ac miraculis meliorum admonet,& ad cœleſtium bono-
rum deſiderium attrahit. Vnde rectè ſubiungit Euangeliſta:
Sequutæ ſunt eum turbæ multæ. Fit enim vt trahatur benefi
centia,qui ſermonibus flectitur nullis. Docemur autem de-
ſcenſu Chriſti etiam in genere omnes, non ſatis eſſe per ora-
tionem & meditationẽ aſſurgere in Deum, niſi & beneficen-
tiã opẽ laturi proximo deſcenderimus. Mandauit enim Deus *Eccle.17.*
cuilibet homini de proximo ſuo. Et Ioannes tale nos man- *1.Ioan.4.*
datum habere teſtatur,vt qui diligit Deum, diligat & proxi-
mum. Et Paulus vult quidem loqui nos lingua,magis autem *1.Cor.14.*
vult vt prophetemus: proptereà, ꝙ qui loquitur lingua,non
hominibus,ſed Deo loquatur: verùm qui prophetat,homini
bus loquitur ad ædificationẽ. Et hæc prima eſt conſideratio
deſcenſus Chriſti.

Quòd ſi adhuc libet conſiderare, inueniemus etiam alia.
Quid enim eſt deſcẽdiſſe Ieſum de mõte,niſi de cœlo ad nos
veniſſe: & Paulo teſte,cũ in forma Dei eſſet,humiliaſſe ſemet *Philip.2.*
ipſum,& patri vſq; ad crucis mortẽ obediuiſſe? Enumerat au
tem Apoſtolus eo in loco quinq; gradus huius deſcẽſus. Pri-
mus eſt,quod ait: Non rapinã arbitratus eſt,vt Lucifer, Iſai.
14. eſſe ſe æqualẽ Deo. Secũdus: Exinaniuit ſemetipſum. Ter
tius: formam ſerui accepit. Quartus: factus obediens vſq; ad
mortẽ. Quintus: obediens vſq; ad crucis mortẽ. Admirabilis
iſte deſcenſus eſt,in quo Dominus omniũ: minor fit angelis, *Pſalm.8.*
& qui cœlũ continebat,pro nobis pauper factus eſt. Pro no- *2.Cor.8.*
bis inquã. Nam hãc cauſam ipſe in Iſaia aperit: Spiritus Do- *Iſa.61.*
mini ſuper me,eò ꝙ vnxerit me. Ad euangelizandũ pauperi-

bus misit me,&c. Omnes peccaueramus,eóque ipso paupe-
Psal.129. res eramus. Si iniquitates obseruaueris Domine,inquit Da-
Psal.130. uid,Domine quis sustinebit?Et non intres in iudicium cũ ser
uo: quia non iustificabitur in conspectu tuo omnis viuens.
Tales in hoc Euangelio depinguntur Leprosus & Cẽturio.
Ille extra ciuitatem pauper erat, hic in ciuitate in propria do
Isai.1. mo malum cernebat.Et de nobis testatur Isaias: A planta pe-
dis vsque ad verticem capitis non est sanitas in nobis. Magni
atque parui peruerterunt vias tuas. Non ideò vel dignitas ge
neris,vel rerum opulentia,vel scientia, cõmunes calamitates
à nobis impediunt. Perrũpunt illæ mœnia arcésque fortes,ni
Ierem.5. dósque in sublimi positos. Cùm nullum virum in plateis in-
uenirem, inquit Ieremias, qui faceret iudicium, & quære-
ret fidem,& diligeret disciplinã,tunc dixi:Forsitan pauperes
sunt,& stulti,ignorantes viam Domini.Ibo igitur ad optima
tes,& loquar eis:& ecce,magis hi simul confregerunt iugum,
ruperunt vincula.Ea fuit omnium cõditio, estq; etiãnum ho
die,sine Christo,adeò,vt hanc secũ meditatus, nõ possit non
dolere & ingemiscere super multa & magna calamitate filio-
Isai.61. rum Adæ. Sed Christus in Propheta testatur,se missũm esse
ad Euãgelizandũ pauperibus, & vt medeatur cõtritis corde.
Et hæc natura est Euangelij:vt cũ miserias humanas ostẽdit,
exhibeat nobis etiam Christum,qui leuat miserias.Et hæc se
cunda atque allegorica descensus Christi meditatio est: quæ
cùm causam descensus Christi recenset, consolatur nos in no
stris miserijs,siue ex Iudæis,siue ex Gentibus credentes. Oc-
currit enim illi primũ leprosus, postea Centurio. Etsi autem
hanc prærogatiuam habeat Iudæus leprosus:vt qui prior ac-
cesit, prius sanetur:non tamen serui Gentilis impedit salutẽ.
Leuit.13. In eo autem leprosus Iudæorum personam gerit, quòd quẽ-
Num.27. admodum leprosi ex lege de lepra conuincebantur, iudica-
bantur,&excludebantur: ita & Iudæi per legem de peccato.
Maledictus enim omnis,qui non manserit in omnibus verbis
legis huius.Sed ostendere lex lepram atque peccatum potuit;
sanare & tollere non potuit.Descendit Christus,& per Ioan-
Ioan.1. nis iudicium: Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi,
Ioan.6. innotescit:& occurrunt illi multi, restãtes eum habere verba
vitæ æternæ,eóque se ab eo non recessuros.

Sed quomodò leprosus accedit? Adorauit & petijt:per il-
lud ostendens se propriã agnoscere infirmitatẽ:per hoc verò,
fidem suam

fidem suam in omnipotentiã ac bonitatem Christi, declarãs. Ex propriæ infirmitatis agnitione venit humilitas, omninò necessaria ijs, qui cum Deo vtiliter agere constituunt. Humilibus enim dat gratiam. Luc. 18. In ijs requiescit spiritus Domini. Isai. 66. Horum contrita corda Deus minimè despicit. Psal. 50. Nec minùs necessaria fides. Accedentẽ enim ad Deũ oportet credere. Heb. 11. & impossibile est sine fide quicquam apud Deũ obtinere. Vtranquè leprosus ostendit: humilitatem in adorando, fidem in inuocando. Nõ desperat propter infirmitatem desperatã, sed cogitat Christum omnipotẽtem esse, & posse saluare, si velit, & expedire nouerit. Vtrunquè laude sua non caret: eum qui non habet merita, de salute non desperare, & qui habet, nihil præsumere. Contrarium in vitio est, Id quod exempla demonstrant Caini & Pharisæi. Genes. 4. quorum ille propter desperationẽ arguitur: hic propter præsumptionem reijcitur. Neuter de ea se recipit, quæ velut certissima cum Deo agendi media hic leprosus ostendit. Ostẽdit autem non gestu tantùm, sed voce etiã, vt intelligatur seriò id cupere, quod corporis gestus præ se fert. Domine (inquit) si vis, potes me mundare. Breuis oratio, sed rotunda, & ea in se cõplectens, quæ in absolutissima ad Deum oratione requiri possunt. Primũ enim requiritur: vt Christus credatur posse. Vana enim est oratio, vbi de adorati dubitatur potẽtia. In manu tua cuncta sunt posita, nec est qui resistat voluntati tuæ, Mardochæus olim dicebat. Deus solus est, & nemo auertere potest cogitationes eius. Oĩa quæcunque voluit Dñs, fecit, in cœlo & terra. Voluntati eius quis resistet? Deindè potẽtiæ additur volũtas. Si vis, inquit, quasi diceret: Per te stat, si voles, facies, voles autẽ, si expedire mihi iudicaueris. Vult autẽ Christus voluntatẽ suã notã esse hoĩbus. Propterea se daturũ promittit desiderata petẽtibus. Luc. 11. Mat. 6. & Deus se patrem nostrũ vocat. Sed licèt possit atq; velit dare, cogi tñ non vult. Vult vt nostrã petitionẽ & voluntatem in ipsius beneplacito concludamus. Et hoc rectiùs faciamus, suo exemplo monet. Pater, inquit, si possibile est, transeat à me calix iste. Nõ mea voluntas, sed tua fiat. Non est illi tempus aut modus præscribendus. Qui estis vos, inquit Iudith, qui tentatis Dominum? Nõ est iste sermo, qui misericordiã prouocet, sed potiùs, q irã furorémq; excitet atq; accendat. Tenẽda est ergo cũ leproso firma sentẽtia: nihil velle, quod non ad nostrã faciat salutem,

Luc. 18.

Hest. 13.
Iob. 23.
Psal. 134.
Rom. 9.

Matth. 26.
Iudith. 8.

etiam si expectando flagellandóue contrarium velle humanę
Amos 3. rationi videatur. Non est malú in ciuitate, quod Dominus
Prouer.3. non fecerit. Flagellat omnem filium, quem recipit. Tertium,
quod in oratione absoluta requiritur, est ordo petitionis: vt
Matth.6. potiora prius petamus. Primùm quærite regnum Dei, & iu-
Ibidem. stitiam eius. Et hoc vult forma precationis à Christo pręscri-
ptę. Prius illic dicimus, Adueniat regnum tuum. postea verò, Panem nostrum quotidianum da nobis hodie. Et hîc necesse est cogitare, quòd Christus non solùm corporalia, sed & spiritualia largiri posit, nec venisse eum tãtùm: vt corporibus mederetur, sed etiã, ac multò magis: vt sanaret vulnera conscientiarum. Cogitandum est & illud, quòd spiritualia bona sint
Luc.7. nobis magis necessaria, quàm corporalia. Qua ratione Magdalena ante omnia curat: vt internè curetur. Quartò ad orationem pertinet: vt ex affectu procedat ardenti. Nec tantùm tribuendum clamori, quantum deuotioni. Nouit enim Do-
Psal.9. minus etiam corda orãtium, iuxta illud: Præparationem cordis exaudiuit auris tua. Et: Prope est Dominus omnibus inuo[illegible]ntibus eum in veritate. Quintò: vt orãtis sint manus pu-
Isai.1. ræ, sine sanguine. Cũ multiplicaueritis orationem, non exaudiam, inquit Dominus: manus enim vestræ plenæ sunt sanguinum. Hæc omnia in leprosi illa quantumuis breui oratione comprehẽsa intelligimus. Est igitur in hoc ipso imago depicta, quomodò, & à quo, cùm animæ salutem, tùm corporis necessaria petenda sint: nempè à Christo, per fidem, per agnitionem & confessionem peccati, per orationem veram. Nam quòd hæc ipsa sint certa consequendæ gratiæ diuinæ media, ipse Christus facto respõdit atque verbo. Facto quidem, cùm manum extendit, & tetigit procumbentem leprosum: verbo, quod ait: Volo, mundare. Id quod Euangelista testatur: Confestim mundata est lepra eius.

Quo in facto & Christi bonitatem summæ potentiæ coniunctam, & fidei genuinæ ac viuæ meritum intelligimus.
Rom.11. Paulus alibi vult: vt reformemur in nouitate sensus nostri: vt
Ezech.18. probemus quæ sit voluntas Dei bona. In Ezechiele Dominus de sua voluntate testatur: Nolo mortem peccatoris, sed
Ierem.29. vt conuertatur, vt viuat. Et in Ieremia: Cogito cogitatio-
Ioan.6. nes pacis, & non afflictionis. Christus in Euangelio: Hęc est voluntas patris mei: vt eum qui venit ad me, non eijciã foras.
I.Tim.2. Et Paulus testatur: Deus vult omnes homines saluos fieri,

Hæc er-

Hæc ergo non esse promissiones inanes, aut verba nuda, hoc Christi factum testatur: Hanc igitur voluntatem Dei probemus Paulo monitore. Probemus autem reformati in nouitate sensus: hoc est, aliter quàm antea, de Christo iudicemus. Primùm in aduersis cogitemus, dum flagellat nos, etsi nobis videatur repugnare: tamen vitam esse in voluntate eius: & bonum esse nobis: quia humiliauit nos. Psal. 118. Eóque nõ deijciamur animis. *Psal. 29.* Deinde in secundis consideremus, quicquid nobis læti accidit, id nõ nostris meritis, sed diuina procedere dignatione. Illic discamus, non elatè, sed humiliter de nobis sentire, fidem confirmemus in eum, qui ait: Inuoca me in die tribulationis, & eruam te: *Psal. 49.* Clamabit ad me, & ego exaudiam eum: cum ipso sum in tribulatione, eripiam eum, & glorificabo eum. *Psal. 90.* Et quemadmodum scriptum est, Quicunquè honorificauerit me, glorificabo eum: *1. Reg. 2.* ita in hoc etiã leproso: vt exaudiatur & saluetur, fidei præstat meritũ. Sicut alibi Christus, Nihil inquit habẽti fidẽ, impossibile. *Matth. 17.* Respõdent enĩ factis ac verbis leprosi, facta atque dicta Christi: Ille procedit: hic adigit. Ille ait: Si vis, hic respõdet: volo. Ac si dicat: Insignẽ in me ostendis fiduciam, insigne aliquid tibi ex me continget. Integrè me confessus es: integrũ te sanabo. Nihil hæsitasti in fide tua, nec ego salutem tuam integram differam. Hæc ergo via modúsque cum Deo agendi, hoc est, & consequendæ & conseruandæ gratiæ est. Adorauit leprosus: tetigit Christus. Rogauit æger, & cùm voluit medicus, sanatus est leprosus.

Iam verò quẽ sanauerat, præceptis diuinis instruit, ne quis per mediatoris sanguinẽ purificatis, nihil cũ salutaribus mandatis esse negotij iudicet. Vide, inquit, nemini dixeris: sed vade, ostende te sacerdoti, & offer munus tuum, quod præcepit Moses in testimonium illis. *Matth. 8.* Sunt autem triplicia mandata. Primò nos instruit Christus, idq; suo exemplo, ne quã benefactis nostris laudẽ humanã aucupemur. Quia enim Dei est, quod facimus boni atq; æqui, qui in nobis operatur bonam voluntatem, gratiámque suppeditat: vt eam in opus conferamus, meritò ipsi etiam omnis laus defertur. Vide, inquit, nemini dixeris: Sint omnibus ignota benefacta nostra, si fieri potest, præterquã illi, cui præstatur beneficium. Ablegat eum deinde ad sacerdotẽ. Primũ, vt legi satisfieret, quæ sacerdotibus authoritatẽ iudicandi de lepra dederat: & ne videretur legẽ trãsgredi, & sibi eã vẽdicare authoritatẽ. Deindè fit hoc: vt *Leui. 13. 14.*

etiam inclaresceret miraculum, & sacerdotum approbatione à præstigiorum suspicione vindicaretur. Tertiò denique, vt nos admoneret, non semper vtendum esse cōcessa libertate, sed & infirmiorum habendam esse rationem. Vt Paulus:
2.Cor.10. Omnia mihi licent, sed nō omnia expediunt. Omnia quidem munda mundis, sed malum est homini, qui per offendiculum
Rom.14. manducat. Si esca scandalizat fratrem meū, non manducabo carnem in æternum. Postremò etiam ideò ad sacerdotē ablegat mundatum: vt ostēderet, maiorem lege & superiorem venisse, qui quos lex exclusisset, sua virtute in contubernia pristina assereret, simúlque demonstraret, esse sacerdotium Christi multò differentius & excellentius sacerdotio Iudaico. Tertiò ac postremò ait: Offer munus tuum, &c. Idq; ad gratitudinem spectat: quasi dicat: Credidisti in me, sanatus es ex me. Conditionis tuæ pristinæ memor esto. Authori sanitatis tuæ perpetuò gratias refer. Habemus ergo, quod initio etiam dixi, in hoc Euangelij miraculo primo, quod nobis Christum depingat, quòd bonus atque omnipotēs sit, quòd verba eius, verba vitæ æternæ sint. Habemus etiā, quod nos in mutuam charitatem accendat.

Sequitur secūdum miraculum, quod & ipsum eiusdem est generis. Primùm enim declarat, non genus, nō honores, non diuitias quicquā posse, quò minus communes miseriæ & calamitates etiam potentissimas aulas perterrent: deinde verè di
1.Ioan.5. ctum esse ab Ioanne, fidem in Iesum Christum, esse victoriā, quæ vincit mundum, hoc est, concupiscentias, persecutiones atque miserias. Id quod Centurionis exemplo docetur. Tertiò, eundem nobis Iesum describit aquè ad omnes benignum atque potentem. Sed hæc omnia ordo historiæ pulchrè docebit. Nunc illud vidēdum, quomodò cōciliari possit ea quæ in
Matth.8. speciem erronea videtur dissonantia, quòd Matthęus scribit,
Luc.7. ipsummet Centurionem venisse ad Iesum: Lucas verò, seniores Iudæorum ab eo missos fuisse ad Dominum. Certè infirmior hęc est ratio: vt ideo quisquā hominū titubet, nedum rectè ob eā Iulianus & Porphyrius à fide defecerint, Euāgeliū reiecerint, & euāgelistas cōuiciis pſciderint: vt quinō per oīa consentiant, sed singuli de suo aliquid peregrini immisceant. Primū enim, nō illud erat Euangelistarū propositū, historias curiosius narrare, sed solúmodò Euāgeliū Iesu Christi cōscribere. Etenim vbi res Euangelij veras attigêre: vt sunt diuinitas, nati-

tas,natiuitas,vita,paßio,mors,reſurrectio, aſcenſio Chriſti, & futurũ iudicium:pulchrè ſibi conſtant,nec in minimo diſſentiunt.Sed quæ iniquè accuſatur veritas, Euangelio nihil officit.Pugnantia nulla eſt vſpiam:ſed & ipſa varietas Euãgelium cõfirmat,nõ eneruat.Si enim vlla eſſet cõtrarietatis pugnantia,conciliari nõ poſſet.Et ſi ipſis etiam verbis & ordine vbique idem referrent,colluſio quædã Euangeliſtarum non iniquè iudicaretur ſubeſſe,& non veritatis oratio. Nunc verò,cũ eandẽ rem alijs,atque alijs verbis & ordine recenſent, omnis colluſionis exploditur ſuſpicio.Hæc firmiter tenenda eſt regula.Dum in grauißimis fidei articulis cõſentiunt Euãgeliſtæ,circunſtantiarum varietas ipſis rebus nihil officit.Id quod in hoc ipſo etiam miraculo videre eſt.Vterque Euangeliſta teſtatur,Chriſtum abſentem in ſanando ſeruo Centurionis ſuam potẽtiam atque bonitatem declaraſſe.Quid hîc oberit,Centurionẽ,aut per ſemetipſum,aut per alios Chriſti auxiliũ petijſſe,credere?Quãquã fieri poteſt,vt primùm per alios Chriſtũ ſolicitauerit,poſtea verò quàm vidit ſerui periculum ingraueſcere,ipſemet ad ipſum venerit. In quo certè nihil eſt,quod fidei,aut etiam rationi repugnet.Hæc eò prolixiùs recenſui,ne quem moueat circunſtantiarũ huius miraculi varietas.Nunc ad rem.In Centurionis perſona duo conſideranda ſunt:Primùm genus,deinde factum.Genere quidem fuit Ethnicus,à fide Iſrael ſecundũ ſanguinem alienigena.Id quod inde colligi poteſt,quòd Iudæi ab ipſo miſsi dicebant: Diligit gentem noſtram:& quòd Chriſtus ſe tantam Luc.7.
fidẽ in Iſraël nõ inueniſſe aſſeruit.Ergo queãdmodum in Leproſo Iudæos,ita in Cẽturione Gẽtes ſaluãdos intelligimus. Sed Iudæi primùm,poſteà Gẽtes.Id quod Dominus in Propheta promiſerat.Parum eſt mihi,vt ſis mihi in ſeruũ,ad ſuſcitandas tribus Iacob,& feces Iſraël conuertendas. Dedi te Iſai.45.
in lucem gentium,vt ſis ſalus mea,vſque ad extremum terræ. Sic Iudæi hîc petunt,vt Chriſtus homini Ethnico beneficiũ præſtet.Et Paulus concionatur: Vobis Iudæis oportebat pri- Acto.13.
mũ loqui verbũ Dei:ſed quoniã repellitis illud & indignos vos iudicaſtis æternæ vitæ,ecce conuertimur ad Gentes.In factis verò Centurionis duo præcipuè cõſideranda: quorũ alterum eſt fides,alterum charitas.Fides in eo primùm , quòd acceſsit.Niſi enim credidiſſet,nunquam acceſsiſſet. Acceſsit autẽ totus,corpore & animo:vt quòd generis propinquitate

non habebat, integra accesſione compẽſaret. Tum etiam maior in illo fides elucet, quòd non, vt alij, ſeruum ſuum in lectulo ad Chriſtum deportarit. Tertiò & maxima fides in eo ſplendet, quòd nihil petit: tantùm neceſsitatem ſuam Chriſto aperit. Domine, inquit, puer meus iacet in domo paralyticus, & malè torquetur. Sed omniũ præſtãtiſsima eſt illa fides, ex qua iſti labiorũ fructus prodierũt. Domine, inquit, nõ ſum dignus, vt intres ſub tectum meũ: ſed tantùm dic verbũ, & ſanabitur puer meus. Perfecta enim fides primũ hominem deijcit in ſui cõtẽplatione: at eadẽ mox rurſum erigit in gratiæ diuinæ conſideratione, Exemplo ſunt & alij, vt Dauid. Pſalm. 6. 85. & 129. vt Iob. 9. & Paulus, Rom. 8. Hæc fides omniũ in Iſrael facilè vincebat fidem, vel ipſius Chriſti teſtimonio. Nã & Iairus pro filia orat: ſed præſentem petit filiæ mederi. Matth. 9. Et Nicodemi fides minor eſt: qui ſingulis penè verbis Chriſto fidem derogat. Quomodò, inquit, poſſunt hæc fieri? Ioã. 3. Magna fides Marthę: ſed hac quoq; Cẽturionis minor. Si fuiſſes hîc, inqt, frater me⁹ nõ fuiſſet mortuus. Ioã. 11. Sed nec Apoſtoli tantã fidẽ oſtẽderũt, cũ ſollicitos de panibus obiurgat Chriſtus, Matt. 16. timidos in mari corripit, Matt. 6. ipſum etiã Petrũ reprehẽdit, dicẽs: Modicæ fidei quare dubitaſti? Mat. 14. Et poſtea vix potuit eis perſuadere, expedire illis ſi abierit. Ioan. 16. Adeò nihil abſentẽ poſſe arbitrabãtur. Quartò, inſigne charitatis exemplũ in hoc Centurione nobis expreſſum eſt, quòd ſerui ſui calamitate motus fuerit: quòd eũ nõ multorũ Dominorũ more cõtẽpſerit aut abiecerit, vt pleriq; oẽs alios ſe inferiores æſtimãt, ſed in pre-
Luc. 7. tio habuerit. Id quod Lucas teſtatur, Seruus, inquiẽs, erat illi
Luc. 18. pretioſus. Multũ Phariſæo illi diſsimilis. Cogitabat ſe quidẽ ſerui illius eſſe Dominum, ſed tamẽ ſe quoque habere Dominum: & fruſtrà ſe tanti Domini expetiturum eſſe clementiã, qui in ſeruum hominem ſibi natura ſimilem eſſet immitis.

Hunc igitur affectum ſuo deſiderio fruſtrari Dominus non vult. Et mirum, quàm ſit paratus ac facilis erga hominem, quantumuis Ethnicum, niſi in omnes homines clariſsima eſſet ipſius benignitas. Non petierat Centurio vt præſens ſanaret: tamen Chriſtus, Veniam, inquit, & curabo eum. Nimirum oſtendit ſe nullius perſonam, dummodò ipſe ſibi
Acto. 10. non deſit, reſpuere: & plus daturum, quàm ſperemus, aut pe-
Iſai. 63. tamus: & citius exauditurum, quàm clamemus, vt in Iſaia dicit: An-

cit: Antequam clament, ego exaudiam. & Christus: Scit pater vester, quia his omnibus indigeatis. Erigimur autem hoc dicto in spem misericordiæ Christi, quòd cùm videmus eum tam paratum esse: ergo hominē Ethnicum, confidamus etiā nobis illum adfuturum. Deinde etiam nostri officij admonemur, & corripitur nostra inclemētia atque μαλακία, qui quorumlibet ægrotorum præsentium teneriter abhorrescimus, nec visitamus infirmos. Postremò etiam fidem Centurionis hoc dicto voluit elicere: vt quam ipse cordiū scrutator in eo latere nouerat, omnibus palàm proponeret. Sicut & Abrahæ & Chananeæ fidem iubendo & differendo elicuit: quæ nobis incognita latuisset, nisi per Christum eruta fuisset. *Matth.6.* *Gene.22.* *Matth.15.*

Nam quòd eam ob causam sese venturum ad Centurionē promiserit, quò Centurionis fides erueretur, & sibi quātoperè talis fides placeat, quàm contra incredulitas displiceat, declaret: id certè sequentia verba demonstrant. Non, inquit, inueni tantam fidem in Israel. Dico autem vobis, quòd multi ab Oriente & Occidente venient, & recūbent cum Abrahā, Isaac, & Iacob, in regno cœlorum: filij autem regni eijcientur foràs, in tenebras exteriores: ibi erit fletus & stridor dentium. Grauissima hæc est filij Dei de Iudæis querela: post tot miracula & promissiones ipsis factas, vinci tamen credulitate ab Ethnicis, qui sine Deo, sine Christo & promissionibus fuerant, ac propterea ab ipsis Iudæis præputium dicebantur. Et coniuncta est querelæ huic seuerissima interminatio. Filij regni, inquit, eijcientur forás, in tenebras exteriores. Erant ipsi filij regni: quòd ipsorum esset lex, & promissio, & testamentum, & adoptio filiorum. vnde & primogenitum filium eos vocat. Sed eijciendi erant é regno in tenebras exteriores. Secundum multitudinem impietatum eorum expelle eos, inquit Dauid, quoniam irritauerunt te Domine. Et ipse Dominus: Vos estis mihi onus: ideò proijciam vos à me. Meritò in tenebras eijciuntur, qui lucem oderunt, & auersati sunt, vt Christus ait: Venit lux in mundum, & dilexerunt homines magis tenebras quàm lucem. Per tenebras autem exteriores has Christus intelligit æternam condemnationem. Hanc præcedūt internæ tenebræ, & excæcatio, de qua Isaias dixit: Excæca cor populi huius, & aures eius aggraua, & oculos eius claude: ne forte videant oculis suis, & auribus suis audiant, & corde suo intelligant. Has tenebras sequitur fletus *Ephe.2.* *Matth.8.* *Roman.9.* *Exod.4.* *Psalm.5.* *Ierem.23.* *Ioan.3.* *Isai.6.*

& ſtridor dentium. Quemadmodum enim Dei agnitio gaudium & ſecuritatem affert: ita contrà, ignorantiam Dei mœror & metus comitantur. Horrendæ enim tenebræ ſunt, mentis excæcatio & incredulitas. Hæc prædixit Chriſtus: nos iam in Iudæis completa videmus. Sed gratiſsima eſt laus fidei in Centurione, & addita promiſsio, quæ propriè pertinet ad Gentium vocationem. Sicut & illa: Et alias oues habeo, quæ
Ioan.10. non ſunt ex hoc ouili, & illas oportet me adducere. Et quod
Ioan.12. Ioannes habet, Chriſtum non tantùm pro gente moriturũ,
Iſai.2. ſed vt filios Dei, qui erant diſperſi, (puta in omnibus terris &
Iſai.43. populis) congregaret in vnum. Et in Iſaia: Fluent ad eum om
Iſai.60. nes gentes, & ibunt populi multi. Et iterum: Ab Oriente adducam ſemen tuum, & ab Occidente congregabo te. Et, filij tui de longè venient, & filiæ tuæ de latere ſurgent. Ad illas promiſsiones Chriſtus hîc reſpicit, & vult innuere, iam adeſſe tempus, vt fiat tandem, quod tot retrò ſeculis fuerat promiſſum. Qualis autẽ recubitus ille ſit, indicat Paulus, vbi ait,
Ephe.6. Sanctis Apoſtolis reuelatum eſſe, gentes eſſe cohæredes, & cõcorporales, & comparticipes promiſsionis in Chriſto Ieſu. Hoc eſt recumbere cum Abraham, conſortem eſſe promiſſionis Abrahæ alijſque Patribus factæ, cúmque Abraham & cæteris membrũ eſſe ſpiritualis corporis Chriſti. Quo quid præſtantius & beatius eſſe poteſt? Expreſsè additum eſt, recubitum hunc in regno cœlorum eſſe futurum. Olim enim patres per fidem Abrahæ quieſcebãt in ſinu Abrahæ, vt de Lazaro legimus. Nondum enim regnum cœlorum apertũ erat. At Chriſtus reſerauit illud, ſicut in prima concione ſua dicit: Pœnitentiam agite: appropinquat enim regnum cœlorum. Fidem ergo atque charitatem cùm leproſi tum Centurionis imitemur: vt quem prædixit recubitum in regno cœlorum, conſequamur per Ieſum Chriſtum, cui laus in ſæcula. Amen.

DOMINICA QVARTA

POST EPIPHANIAM EVANGELIVM. MATTH. VIII.

ET aſcendente Ieſu in nauiculã, ſecuti ſunt eũ diſcipuli eius: & ecce motus magnus factus eſt in mari, ita vt nauicula operiretur fluctibus. Ipſe verò dormiebat. Et acceſſerũt ad eũ diſcipuli eius, & ſu-

& ſuſcitauerunt eum, dicẽtes: Domine, ſalua nos, perimus. Et dicit eis Ieſus: Quid timidi eſtis modicæ fidei? Tunc ſurgens imperauit ventis & mari: & facta eſt tranquillitas magna. Porrò homines mirati ſunt, dicentes: Qualis eſt hic, quia venti & mare obediunt ei?

EADEM DOMINICA EPISTOLA, ROMAN. XIII.

NEmini quicquã debeatis, niſi vt inuicẽ diligatis. Qui enim diligit proximũ, legẽ impleuit. Nam, Non adulterabis, Non occides, Non furaberis, Non falſum teſtimonium dices, Non concupiſces, & ſi quod eſt aliud mandatum, in hoc verbo inſtauratur: Diliges proximum tuum ſicut teipſum. Dilectio proximi malum non operatur. Plenitudo ergo legis eſt dilectio.

SERMO.



BREVIS illa quidem, quam nunc pertractandam ſuſcepimus, Euangelij eſt lectio, ſed quæ vbique ferè Euãgelij natura eſt, multis ac magnis rebus grauida. Cõplectitur enim hiſtoriã ſuauiſsimã ſimul & ſcitu vtiliſsimã. Et hæc ipſa hiſtoria imaginem Catholicæ Eccleſiæ nobis ob oculos ponit. Oſtendit enim quis ſtatus Eccleſiæ fuerit inde ab initio, quis etiamnum ſit, & vſque ad cõſummationem futurus expectetur. Qui ergo Chriſtiano nomine cenſemur, rectè facimus, ſumma diligẽtia in Chriſti capitis noſtri facta dictáque attendentes. Et qui Eccleſiæ ciues ſumus, neceſſariò totius Reip. curſum intuemur, vt ex præteritis & præſentia moderemur, & futura prouidè expectemus.

Quòd ergo ad hiſtoriam, triplex genus eruditionis propoſuit Chriſtus in hac nauigatione. Primùm enim ipſius proponitur philanthropia, qui nõ in vno loco tantùm morbis medetur, ſed paſsim: non expectat, donec rogetur, ſed ipſe offert ſeſe, atque ſalutẽ. Multos enim in Capharnaũ ſanauerat, nũc mare tranſmittens Gerazenorum regionem petit, hominẽ *Matth. 8.* illic multis dæmoniorum legionibus liberaturus. Non laborem, non pericula fugit, nõ ſordes ægrotorum horret. Nimirum *1. Corint. 13.* hæc illa charitas, quæ non quærit quæ ſua ſunt, ſed quæ proximiorum rationem habet, & horum ſalutẽ quærit. Quo

certè necessariæ vigilantiæ exemplo imprimis eos reprehensibiles ostendit, qui ipsius Christi Apostolorúmque vices in terris gerentes, in Cathedris, ignaui fuci in morem, supini dormitant: qui suum tantummodò fastum, genium, voluptatem & auaritiam curant: immersi penitùs mundi honoribus oues Christi planè negligunt: suæ ipsorum salutis obliuiscuntur: qui non sunt solliciti, qua ratione collapsam Ecclesiam instaurare, irruentes lupos arcere, oues Christi ipsis cōcreditas seruare velint, & vt vno verbo dicam, qui nihil communi totius Christianæ Reip. periculo mouentur. Et his nō minus reprehensibiles sunt in promiscua multitudine, quos nulla suæ ipsorum salutis cura tangit: quos pudet pigétque, vel semel tantùm in anno pedem mouere, religionis fideíque causa. Quando enim quæ aliorum salutis sunt quærent, qui propriam negligunt? aut quomodo proximum diligent, qui seipsos odio habent & perdunt? Vtrunque igitur genus hominum, & ij qui prę sunt, & hi qui subsunt, in Christi Seruatoris hùc illùc eūtis & regnum cœlorum prædicantis exēplum respiciant. Illi quidē, vt cogitent, se quoque alijs debere, quod in Christo factum intelligunt: hi verò, vt sciant turpe ęsse propriam salutē desidia negligere, cuius causa Christus tantum laboris atque periculi exantlauit. Quòd si cui hoc Christi exemplum vel partum est, vt eo non moueatur: aut excellentius est, vt se illud assequuturum subdubitet, aut ad se nihil pertinere asseueret: is Christi exemplo concionan-
Roam. 15. tem Paulum in hodierna Epistola audiat. Nemini (inquit ille) quicquam debeatis, nisi vt inuicem diligatis. Qui enim diligit proximum, legem impleuit. Vult Paulus, vt sine intermissione proximo cōmodemus: qui præsunt, & qui subsunt, suæ salutis curam habeant. Ordinata enim charitas à seipsa incipit. Et exprimit naturā charitatis, quæ semper debetur proximo, quantumuis sæpè & semper proximo sit exhibita.
Psal. 1. Sicut Dauid in descriptione hominis iusti. Et erit tanquam lignum, inquit, quod plātatum est secus decursus aquarum: quod fructum suum dabit in tempore suo: & folium eius nō defluet. Arbor productis semel atque iterum fructibus non quiescit, nec se putat officiùm suum fecisse sed vescētibus hominibus ex iam antè editis fructibus, ipsa parat se, vt denuò det fructus suo tēpore. Talis arbor Christus fuit, qui cùm in vrbibus multos fructus edidisset, & hoīes iā editis videret fœliciter vti,

liciter vti, pergit, & in mari ad edendos denuò fructus se parat. Tales ergo erimus & nos, magni atque humiles. Si Pauli ad charitatis continuum studium adhortantis vocem audierimus, & CHRISTI exemplũ sequuti fuerimus. Et hoc primum eruditionis genus hæc Christi nauigatio complectitur.

Iam secundò ad alia quoque nos hortatur hoc nauigatis exemplum. Sæpè sese subduxit à turbis. Et maximè triplicia habuit suffugia. Iam enim in desertum cũ discipulis suis secedit: *Mar.6.* iam montem cõscendit: *Math.5.8.* iam etiam, vt in hoc Euãgelio, nauim ingressus legitur. Quibus omnibus ad similia erudimur: vt si forte in mundo pacem cõscientiæ cõsequi nequimus, secedamus in desertum seu solitudinem pœnitentiæ, tollamus *Math.11.* iugum Christi super nos, & inueniamus requiem animabus nostris. Si verò mundus nos oderit, montem conscendamus *1.Paralip.20.* precationis, rerúmque diuinarum contemplationis. Nam vt alia omnia nos fallat, hoc residui habemus, vt oculos nostros ad cœlum attollere audeamus, & Deum deprecari. Hoc est montem conscendere. Tertiò, si noluerimus cum mũdo pessum ire, cũ Christo in nauim nos subducamus, hoc est, in Ecclesiam sanctam Catholicam. Extra hanc enim certa vbique perditio est. Id quod arca diluuij lõgè ante præfigurauit. Nauim igitur ingressus, ortáque tempestate, dominum se maris atque turbinum declarat.

Quo quidem facto nostram fidé excitat atque confirmat, quòd sit non terræ cœlique solùm, sed & maris dominus: vt ex vera fide illi dicere possimus: Tu dominaris potestati maris: *Psalm.88.* motum autem fluctuum eius tu mitigas: ideóque saluos nos fac Deus, quoniam intrauerunt aquæ vsque ad animam nostram. Et quod sequitur: Eripe me de luto, vt non infigar: *Psal.68.* libera me ab ijs qui oderunt me, & de profundis aquarum. Non me demergat tempestas aquæ, ne absorbeat me profundum: neque vrgeat puteus super me os suum. Et hoc iam tertium eruditionis genus in hac CHRISTI, vt dictum est, nauigatione propositum. Quorum primum ad proximi charitatem, alterum ad nostram disciplinam, tertium ad fidem in CHRISTVM pertinet.

Dicamus iam de totius historiæ mysterio. Est illa certè figura sanctæ atque Catholicæ Ecclesiæ, quæ multis & grauibus tentationum persequutionúmque tempestatibus quatitur, nunquàm tamen mergitur: idque non ex suis ipsius viri-

bus: sed illius præsidio qui in ea habitat. Et quod Christus verbis posteà edixit: In mundo pressuram habebitis, in me verò pacem, id nunc hoc ipso facto demonstrare voluit. Consolatur itaque nos hæc imago ecclesiæ, & facit, vt eò libentiùs maneamus in Ecclesia, confidentiúsque perseueremus, quàm tumuis sæpe tristis vi deatur illius imago. Sed res collatione fiet illustrior. Rectè enim Ecclesia Catholica comparatur nauiculæ. Nam si incredulorum numerositatem respiciamus, exiguus sanè piorum cœtus est. Nolite timere pusillus grex:
Luc.12. Pauci sunt electi: Filius hominis veniés, putas inueniet fidem?
Matth.20. Satis ampla hæc in medio fuit nauicula, cùm ad omnes or-
Luc.18. bis plagas sese porrexit: sed principium eius angustū fuit, sicut nunc finis eiusdem deficientibus Asia, Aphrica, magnáque Europæ parte contractior est, & contractissima sub finem mūdi futura expectatur, CHRISTO dicente: Tunc
Matth.24. duo erunt in agro vno, in vna domo, vnóque adeò in lecto: vnus tantùm assumetur, & alter relinquetur. Verùm licèt parua sit, nec magna adeò in ea securitas ingruente præsertim tempestate sperari potest. tutiorem tamen locum Adæ familia vniuerso hoc in mundo non habet. Primùm, quia gubernator in ea est, & peritus & sollicitus, ipse nimirum Deus. Ec
Psal.120. ce non dormitabit, neque dormiet, qui custodit Israel. Secun
Hebr.1. dò, ministri & remiges sunt in ea impigri, quia deputati ad ministerium eorum, qui æternæ beatitudinis consortium sunt assecuturi. Tertiò, certum est, in hac sola quantumuis exigua cymba, omnes electos ad cœlestem patriam peruenisse, quotquot ante nos illùc peruenisse credimus: nec vllum periisse, qui in ea manserit. Quartò, habet robustissimum malum nimirùm domini Iesu crucem: quam etiam inimica nobis aëria potestas refugit, quòd in ea princeps tenebrarū cladem accepit. Quintò, velum in ea est latum iuxta atque magnum, ipsa fides Christianorum: qua & totus mundus superatur, & aura spiritus sancti mitissima suscipitur, & per omnium errorum periculorúmque trāsuersos spiritus rectâ ad æternam in veritate tendimus patriam.

Vt autem nauis Ecclesię, ita etiam tentationum ac aduersi
Psalm.68. tatum similitudinem habet aqua. Saluum me fac Deus, quo-
Psal.17. niam aquę (inquit Dauid) intrauerunt vsq; ad animā meam. Et rursus: Dominus assumpsit me de aquis multis, hoc est, tri
Isai.8. bulationibus. Et Isaias: Dominus adducet super vos aquas flumi-

fluminis fortes & multas, Regem Assyriorum. Nec sine causa tentationes assimilantur vndis. Quicquid enim homines in aquæ periculo aut iamiam submersuri experiuntur, cogitant, loquuntur, faciunt, sperant, ac metuunt: hoc ipsum experimur, cogitamus, loquimur, facimus, speramus denique atque timemus. Id quod pulchrè nos docet Apostolorum periculum. Principis nemò nescit præsentiùs esse periculum hominibus in aquis, quàm in terris: quòd terra, non aqua, hominis proprium est elementum. Nec vllum animal sine periculo in alieno elemento degit. Quòd ergo Apostoli in aquis erant, seu in alieno, per se satis habebat periculi. Accedit ventorum vis atque turbo, cui nec resistere, quam nec fugere poterãt. Ad hæc qui opem ferret, nemo aderat: & super hæc omnia Christus dormit. Multa hîc expertos esse Apostolos, plurima cogitasse, dixisse: omnia tẽtasse quis dubitat? Aderant iam desperationis prænuncij, metus ac fidei imbecillitas, idq; in corporis tantùm ac cõmuni periculo, CHRISTO præsente. Et quid futurum erat CHRISTO absente, & in priuuato animæ periculo? Si illud in Apostolis, quid in nobis? Si in extremo periculo tantùm timoris & anxietatis, quid in scelerum conscientia? in doloribus mortis? in districti iudicij terrore, Inferníq; horrore? Hîc certè fateamur necesse est, omnia fieri, quæ de Apostolis ante diximus. Prima cogitatio est de alieno elemento, quod stabile fundamentum non habet. Quis dabit mihi pennas, sicut columbæ, inquit quidam multo periculo septus, & volabo, & requiescam? Deinde & alia cogitatio succedit: quòd vbiq; certa sint interitus indicia; vt cum Ieremia dicere possit: Aspexi terram, & ecce vacua erat & nihili: & cœlos, & non erat lux in eis. Vidi montes, & ecce mouebantur, & omnes colles conturbati sunt. Intuitus sum, & non erat homo: & omne volatile recessit. Tales sunt cogitationes eius qui in graui tentatione versatur. Tertiò quoque nullum effugium sperari potest. Sententiam meam, inquit Iob, circunsepsit. Et denique quod omnium grauissimè tentationes onerat, ipse Deus dormire videtur. Et hîc demùm dicere primum est: Timor & tremor venerunt super me: & cõtexerunt me tenebræ. & cum Iob: Destruxit me vndique, & pereo. Ecce clamabo vim patiens, & nemo audiet, vt hostẽ me suũ habet Deus: Simul venerunt latrones eius, & fecerunt sibi viã per me. Tales sunt cogitatio-

Psalm. 54. *Ierem. 4.* *Iob 19.* *Psalm. 54.* *Iob 19.*

nes dictáque eorum, qui in graui tentatione sunt constituti. Et sine Christo mergi atq; perire proximum est, vt Cain & Iudas Sed consolatio quærenda est in Christo: vt Adam audiens promissionem seminis futuri, erigitur. Ideò autem hęc longius enarrare libuit, vt dum aquas ad tentationes, nauim ad Ecclesiam conferimus: Apostolorum in naui, & omnium in Ecclesia pericula atque tentationes consideremus. Et habet hæc consideratio suam quoq; vtilitatem, quantûuis insuauis & aspera. Parit enim sollicitudinem & prudentiá: vt in rebus secúdis, cogitemus de aduersis, & perpetuò cogitemus de Deo. Deinde ad orationem impellit ardentiorem & frequentiorem, vt dicamus: O Domine, non inducas me in tentationem. Tertiò etiam falsam securitatem pellit eorum, qui sibi videntur fœdus percussisse cum morte, & cũ inferno pactum fecisse, nec cogitant, omnem huiusmodi securitatem similimam esse statuæ, quam Nabuchodonosor vidit, quæ facilè corruit, quòd testeo pede innitatur. Atque vtinam omnium métes huiusmodi cogitatio subeat. Videmus quotidiè ferè nonnullos grauissimè tentari, & tantùm nõ in extremá desperationem deijci. Et vnde hoc? cur Deus permittit?

Math.6. *Isai.28.* *Dan.6.*

Cur. Sanè, iudicare quenquam temerè nolo, multò minùs præsumptuosè occulta Dei scrutari. Sed tamé scio diabolo nonnunquàm concedi viros etiã sanctissimos tentandi, vt in Iob videre est, & Paulus de seipso testatur. Cõtrà verò nõ me fugit, ex Dei permissiõe homines ob peccata in eiuscemodi inextricabiles tentationes incidere, vt in Saule videre est, qui propter animi sui impietatem, non modò spiritus sancti iacturam faciebat, verùm etiam diabolo affligendus tradebatur. Sanè non parua tam multorum malorũ causa est vtręnostræ impietas. Ob hanc Deo permittẽte prolabimur. Vos dereliquistis me, inquit, & ego dereliqui vos. Quot inueniuntur homines, qui pecudum instar prorsus impiè viuunt, non Deum cogitãt, animas negligunt, verbũ Dei nũquã audiũt, nunquã orant, nullis Sacramentis vtuntur? Verùm vbi consequendi conseruandiq; spiritus sãcti, abigendi verò maligni media respuuntur, quomodò Satan non omnem ibi potestatem suam exercebit? Non frustrà toties ad fidem, ad Sacramentorum participationem exhortamur: nõ sine causa Christus morti iam vicinus suos & orare & vigilare iussit.

Iob.1. *1.Cor.12.* *1.Reg.18.* *2.Paralip.3.* *Matth.26.*

Vnde. Videmus totum Christianum orbem horrendis infestari moti-

motibus esseq; alijs exercitio, alijs exitio. Sed quemadmodũ tẽ, estas illa & turbo huius Euangelij nõ ex seipso, aut ex causa naturali aliqua obortus erat, sed ex voluntate & imperio eius, qui producit ventos de thesauris suis, qui cõturbat profundum maris, sonum fluctuum eius, quò discipulis metum incuteret, metus eos ad orãdum adduceret, oratio autẽ eum moueret ad operandum miraculum, miraculum homines ad fidem adduceret, adductos confirmaret: ita sanè quos nũc videmus atq; ipsi adeò experimur motus, fortuitò euenire nemo sanus dixerit. Ipse Deus vel immittit tentationum flagella, vel permittit mala, vt faciat inde bona: non vt exterminet, sed vt sanet & viuificet. *Psal.134.* *Psal.64.*

Et certè, quod diligenter animaduerti oportet, tum maximè tentationes ingruunt, vbi maximam nobis pollicemur securitatem: & contrà, vbi vehementior tentatio, ibi propinquior liberatio. Id quod omniũ piorũ exempla demõstrant. Securi nauim Apostoli intrant, & ecce subita tempestas. Deiecti animis ob tempestatem, & ecce repentina & tranquillitas magna. Adam securus in Paradiso delicijs fruitur oblatis, & ecce diabolus mulieri loquitur. Contrà, eiectus ex paradiso promissionis consolatione erigitur. Israel in Aegypto in maxima tranquillitate viuebat, & ecce mortuo Iosepho surgit alius Pharao, qui non nouit Ioseph. Contrà, de perpetua seruitute tristibus, adest liberator Moses. Dauid in regem vnctus fortunã sibi putabat benignissimam, sed ecce statim agminibus malorum inuoluitur: ex quibus omnibus prҫter expectationem liberat eum Dominus. Talis natura maris est, cùm placidissimum videtur, maximas tempestates minatur. Talis est & mundi huius cursus: qui cũ maximè videtur tranquillus, subitis & inopinatis concitatur motibus. Adeò non est integrũ, vel Catholicæ Ecclesiæ in vniuersum, vel cuiquã pio priuatã aliquã diuturnã in hac vita sperare trãquillitatẽ. Quod sciẽtes, sapiẽtes erimus, si sic vixerimus, vt nulla quantumuis nobis in hoc mundo videatur inopinatã aut inexpectata aduersitas. Iacula enim præuisa minus feriunt: & pulchrũ est prudentia mitigare, quod omninò nõ licet effugere.

Duo aũt sunt, quæ huiusmodi motus nobis faciũt horribiles: quorũ alterũ falsa quędã securitas, alterũ incredulitas est. Et illi quidẽ mũdi huius cultores: huic etiã pij sæpè obnoxij sunt. Vtrunq; aũt hoc Euãgelio refutatur. Nam cũ videmus

incautos Apostolos tantis præter expectationem & spem inuolui tempestatibus, nos cōtinuæ sollicitudinis admonemur, sicut scriptū est: Beatus homo qui semper est pauidus. Tum & fidei credulitatísque commonemur, quòd Christum tam citò sine difficultate ventis atque mari imperare cernimus. Ac de altero quidem aliquanto copiosiùs dicendum est, eò ꝙ dū in huius mūdi mari viuimus, tēpestatibus sumus expositi, & licèt præuideamus: tamen non semper liceat declinare.

Prouer.28.

Imò verò quicunq; Christū confitendo sequimur, hoc imprimis cogitare habemus, quod res est, nēpè nos esse in mari cū Christo, & multis aduersitatibus esse expositos. Mundus gaudebit, vos autem plorabitis & flebitis. In mūdo pressurā, in me verò pacem habebitis. Prædixit hoc veritas: testatur & Paulus: Per multas, inquit, tribulationes oportet nos intrare in regnū cœlorū. Errāt ergo qui cū res secūdæ sunt, libēter se Christianos & Euāgeliū profitentur, quasi ob exigui tēporis quietē CHRISTI scholā subintrassent. Vult enim vt se sequuturi, abnegent semetipsos, & tollant crucem suā, & ita sequantur. Et duobus discipulis principatus terrenos appetentibus, respōdit de calice bibēdo, non de tēporaliter imperādo. Posito hoc fundamēto, quòd oporteat nos hic in mūdo per multas tribulationes ire, nec possimus effugere, cogitandum est, qua ratiōe mitigari possint aduersa. Ac principiò omniū cogitādum est, ne Christus in nobis dormiat. Dormit autem in nobis, quādo fides in nobis fluctuat, charitas frigescit, deuotio deficit, dormit, inquā, cū nos ipsos in periculis nostris videt dormitare, stertere, ignauos esse ac supinos ad nostram ipsorum salutem, & præcipuè primores ecclesiæ. Huiusmodi ergo veternum excutere ante omnia necesse est. Sæpè enim causa est motuum somnus Christi in nobis. Nam etsi ipse qui non dormitat neque dormit, aliquando nobis videatur dormire, iste tamen somnus nihil nobis obedit: quando non vt amittat, sed vt conseruet & probet, sępè quasi nō aspiciat nos, nec sciat, tacet, aut se subtrahit. Deindè in naui positi, in ipsa manendum est, veút fluctuet, manendum est, inquam, cum quietè & pace, sine turbis. Meminerimus, non classem esse, sed nauiculā, in qua si multum rixari ac tumultuari voluerimus, facilè nauicula euerteretur, etiamsi nullus ventus aut procella eam impetat, quātò magis id futurū est in tā valido vēto atque vndis? Quòd si qui rixātur, suo maiori periculo id faciunt. Ne-

Ioan.16.

Acto.14.

Matth.16.

Matth.20.

ciunt. Nemo propterea exiliat, nemo ex ecclesia deficiat. Si qui enim exilierint, in certam sese perditionem immergunt. Laboremus potius, obluctemur pro viribus, pro sua quisque vocatione. Cogitemus Christum, qui omnium rerum imperium in manu sua habet, nobiscũ esse in ea. Certissimũ enim est, quòd primus ipse eã ingressus est ante discipulos: hi ipsum secuti sunt. Quòd ingressus sit legimus, quòd nobiscum cum ea manere velit, & legimus, & credimus, quòd in ea nobiscũ sit, toties experti sumus. Quòd autem inde decesserit, quòd nos sua præsentia illic destituerit, nusquàm legimus: & propterea credere non possumus, nec debemus. In ea qui manet, is certè in adiutorio altissimi habitat, in protectione Dei cœli commoratur. Ad has propriè promissiones pertinent: Cùm ipsa sum in tribulatione, eripiã eam & glorificabo eã. *Psal.90.*
Ego vobiscum sum omnibus diebus, vsque ad consummationem seculi. *Matth.28.* Non turbetur cor vestrum, neque formidet. Cre *Ioan.14.16.* ditis in Deum, & in me credite. In me pacem habebitis. Noli *Psal.47.* timere Israel: quia meus es tu, & ego tecum ero. Quæ sunt ergo istæ naues aliæ, quæ mihi dicunt: Ecce hic est Christus, ecce hic est? Quomodò enim credam quia illic est? Ostendant, quando illuc venit, quid ibi fecerit. Quomodò, inquam, credam, cùm ipse præmonuerit ne credamus? Nolite, inquit, credere, nolite exire. Quòd verò in hac nauicula sit, dictis atque factis ostendit. Cur exirem? à quo trepidabo? Si consistant ad *Psal.26.* uersum me castra, non timebit cor meum. Si exurgat aduersum me prælium, in hoc ego sperabo. Si ambulauero in medio vmbræ mortis, inqnit Dauid, non timebo mala, quoniam tu *Psal.22.* mecum es. Magna profectò consolatio pijs est, scire, quòd Deus sit nobiscum. Et quòd toties animum in tentationibus despondemus, hæc causa est, quòd de Christi præsentia dubitamus. Vnde fit: vt impleatur in nobis, quod in Iob legimus: *Psal.35.* Propter multitudinem calumniatorum clamabunt, & eiulabunt propter vim brachij Tyrannorum, & non dixit, vbi est Deus, qui fecit me? Quasi dicat: Tentati clamant, sed non ili cò exaudiuntur. Contemnunt enim Deum, & nullam nostri curam habere putant: cùm tamen tot támque euidẽtia signa exhibeat suæ præsentiæ, in omni tribulatione & pressura nostra. Rogas, quæ illa signa & argumenta sint?

Primum est, quòd condidit nos. Nõ dixit (inquit) vbi est *Iob 35.* Deus qui fecit me? Si nos Deus creauit, quomodò nos in ten-

tatione derelinquet? Alterum diuinæ præsentiæ est argumen
Iob.35. tum, quòd dat carmina in nocte (intellige) quarũdam auiũ. Cùm enim nox formidabilis sit, cùm propter tenebras, tùm propter alioqui illud silentiũ, auium cantus formidinem hac quodammodo pellit. Vnde & in nocte, hoc est, tẽtatione Deus hominem non deserit. Tertium argumentum est diuinæ præ
Iob.35. sentiæ, ratio homini indita. Docet nos, inquit Iob, super iumenta terræ, & super volucres cœli erudit nos. Ratio enim se cernit inter hominem & bruta, secundum quam homo creatus est ad Dei similitudinem. Et quomodò non erit, vbi tam viuam suæ imaginem impressit: vt sese homo contẽplans nunquam non recordetur Dei creatoris sui, & apud ipsum sit? Cùm ergo tot signis Deus se nobiscum in nauicula esse testetur: cur non in ea apud ipsum perseueramus, etiamsi mundus ideò nos odio habeat, quòd ipsius bona voluntate à mundo se
Ioan.17. creti sumus? sicut ipse ait: Verba mea seruauerunt, & credide-
Ioan.15. runt in me, propterea odit eos mundus. Et: Si de mundo fuissetis, mundus quod suum erat, diligeret: nunc quia de mundo nõ estis, sed ego elegi vos de mũdo, ꝓpterea odit vos mũdus.

Sed inquis, quomodò manebo apud ipsum? Respondeo: Fides præstat, vt toti feramur in ipsum, nec sinit nos ab ipso auelli. Quamobrẽ Christus arguit discipulos, qui ad alia præsidia cogitationibus ferebantur, aut certè etiam dormiẽtem seruaturum esse eos à periculo minus rectè credebant. Quid timidi estis modicæ fidei? quasi dicat: Verè credentibus tanta non adest timiditas. Timidi estis, sed cur id, nisi quòd fidei vestræ id suadet imbecillitas? Habet enim fides, nihil incommodaturum ijs qui cum Christo sunt quodlibet periculum. Et hanc ipsam fidem haurire licet, cùm ex verbo tùm ex miraculis ipsius. Et cùm exigua discipulorum fides reprehẽditur hoc dicto: quid timidi estis modicæ fidei? necesse est nos in nobis corrigere, quod in illis tanta cum seueritate videmus corripi.

Verùm fides radicata in homine quacunque ex causa, dũmodò vera & genuina est, pulcherrimos ramos profert: securitatem mentis, & veram inuocationem. Et his ramis genuina fides secernitur à notha, seu (vt verius dicam) à præsumptione. Genuina enim fides in tentatione persistit: & eos in quibus est, mirabiliter fulcit & sustentat: qualem Christus hic
Matth.26. in Apostolis desiderat. Verùm minus genuina labascit in persecutione: vt in Petri asseueratione, & sequenti statim negatione cla-

sione clarum est, Et si enim Petrus antea pronunciasset. Tu es Christus filius Dei viui, tamen hanc fidem non fuisse radicatā vero ac solido fundamento postea euentus docuit. Si enim radicata fuisset, intrepidè vt antea, Christum confessus fuisset, securus mente Christum inuocasset: nec dubitasset se seruatum iri, etiam si in hac confessione occumberet. Sed timet, & ad precandū non accenditur. Sic in hac nauigatione etiam inquietas suas mentes produnt, nec verè orant, horrore præsentis periculi concutiuntur, non credunt, quòd possit etiam dormiens corporaliter saluare. Ideò excitant eum, quasi potentiam diuinam impediat à sua virtute somnus humanus. Talis erat & Marthæ fides, quæ putabat, si adfuisset Christus, non potuisse mori fratrem, sed absentiam Christi causam fuisse mortis in fratre. Qualis & illius fides erat, qui pro absentis filiæ salute supplex factus; Veni, inquit, impone illi manum. Et; Descende priusquàm moriatur. Quasi absens non potuisset sanare. Hæc fidei imbecillitas in his arguitur: vt nos discamus rectè in ipsum credere: & quantumuis nulla appareant humana præsidia, securis mentibus impauidos esse, & posita q; timiditate, verè inuocare, nec desistere ab oratione, etiamsi non statim exaudiat. Nec nostrâ multum refert, quibus animis hæc orandi formula ab ipsis Apostolis prodierit: sed quia fidei congruit rectè intellecta, ea vti in similibus periculis possumus, credentes ipsum absentem: vt præsentē, posse suppetias supplicantibus ferre. *Matth.16.*

Hæc sunt quæ in hoc Euangelio consideranda & meditanda nobis proponuntur, philanthropia Christi, qua omnibus benè facere desiderauit, quòd aliquando secedendum sit ex mundi turbis, quòd ipse sit, qui potestatem maris habeat & venti; deinde, quòd tota ecclesia subiecta sit cruci & ærūnis, idq; sic ordinante Deo: & quòd cuique sua tentatio & aduersitas maneat, quàm Deus vel immittit, vel permittit, nunc ob probationem, nunc etiam ob peccata: vt vel duris moniti resipiscamus. Denique cùm natura sit contraria & repugnans quasi malo: vt in Apostolis videre licet, nos si nō licet prudentia declinare aut penitus effugere aduersitates, quomodo debeamus ea mitigare, quid in ipsa tentatione cogitandum faciendúmque sit, quæ summa est consolatio, hîc docemur. atque hæc omnia ideo: vt assuescamus, dū in hoc mari viuimus, multa patienter & cum spe perferre, quousque tandem illuc

peruenîamus, quo nulla aduersitas appropinquat. Quo nos ducat is, qui in hoc Euangelio in nauim discipulos pręcessit, Iesus Christus in secula benedictus. Amen.

DOMINICA QVINTA POST EPIPH. EVAN. MAT. XIII.

CVm autem turba plurima cõueniret, & de ciuitatibus properarent ad eum, dixit per similitudinem: Exijt qui seminat, seminare semẽ suum: & dum seminat, aliud cecidit secus viam, & conculcatum est, & volucres cœli comederunt illud. Et aliud cecidit suprà petram, & natũ aruit: quia non habebat humorem: Et aliud cecidit inter spinas, & simul exortæ spinæ suffocauerũt illud. Et aliud cecidit in terram bonã, & ortũm fecit fructũm centuplũ. Hæc dicens clamabat: Qui habet aures audiendi, audiat. Interrogabant autem eum discipuli eius, quæ esset hęc parabola. Quibus ipse dixit: Vobis datum est nosse mysteria regni Dei: cæteris autem in parabolis: vt videntes nõ videant, & audientes non intelligant. Est autem hæc parabola: Semẽ est verbũ Dei. Qui autẽ secus viam, hi sunt qui audiunt: deinde venit diabolus, & tollit verbũ de corde eorũ, ne credẽtes salui fiant. Nã qui suprà petrã, qui cũ audierint, cũ gaudio suscipiunt verbũm, & hi radices nõ habent: quia ad tempus credunt, & in tẽpore tentationis recedunt: Quod autem in spinas cecidit, hi sunt, qui audierũt, & à sollicitudinibus, & diuitijs, & voluptatibus vitæ euntes suffocantur, & nõ referunt fructum. Quod autem in bonam terram, hi sunt, qui in corde bono & optimo audientes verbum, retinent, & fructum afferunt in patientia.

E A-

EADEM DOMINICA EPISTOLA, COLOSS. III.

INduite vos ergo sicut electi Dei, sancti, & dilecti, viscera misericordia, benignitatem, humilitatem, modestiam, patientiã: supportantes inuicem, & donantes vobismetipsis, si quis aduersus aliquem habet querelam. Sicut & Dominus donauit vobis, ita & vos. Super omnia autem hæc charitatem habete, quod est vinculũ perfectionis: & pax Christi exultet in cordibus vestris, in qua & vocati estis in vno corpore: & grati estote. Verbum Christi habitet in vobis abundanter, in omni sapientia, docentes & commonẽtes vosmetipsos, in psalmis, hymnis & canticis spiritualibus, in gratia cantantes in cordibus vestris Deo. Omne quodcunque facitis in verbo aut in opere, omnia in nomine Domini nostri IESV Christi, gratias agentes Deo, & patri per ipsum.

SERMO.



QVOD sit optimi doctoris in Ecclesia officium, scire permultum refert: vt & ipsi quid sibi incumbat, & auditores quid ab ipsis expectare debeant, sciant. Ignorato autem officio, aut illi minùs quàm deceat, præstarent: aut hi plus quàm oportet exigerent. Sed Christus in hoc Euangelio duo præcipua doctoris officia præstat: & suo exemplo successores, vt idem faciant, hortatur & admonet. Nempe, non solùm admonendi sunt homines, vt quæ pia, iusta ac sancta sunt faciant: verumetiam præmonendi, vt quæ mala futura sunt, sedulò ac diligenter caueant. Idem Paulus fecit, cùm se testatur nihil prætermisisse eorum quæ ad salutem auditorum pertineãt. Sed omnium absolutissimè Christus id præstitit in hoc Euangelio: cuius in docẽdo fidem sequutum est Apostolorum in inquirendo studium. Et quis miretur, recto omnia processisse ordine, tanto studio ac fide auditoribus atque doctore consentientibus? Præstemus idem nos: qui docent, docendo & præmonendo: qui audiunt, inquirendo & obtemperando; & quidem in hoc ipso Euangelio. Tale equidem est illud, vt summam & doctoris & auditoris requirat diligentiam: quòd in primis hæc nostra tam turbata respiciat tẽpora. Proponit enim nobis in parabola eius, non modò quod nos hoc tempore infestat, verũetiam egre- Act. 20.

giè adumbratur in ea vniuersus status totius Catholicæ Ecclesiæ omniũ temporum,hoc est, initium, progressus atque finis:ita planè,vt ex hac sola parabola liceat cognoscere,qualis fuerit,qualis nũc sit,& deniquè qualis tandẽ ad extremũ vsq; futura sit.Nempe bonitas Dei declaratur & Satanæ malitia.Et illius quidem bonitas in hoc,quòd bonum semen seminando prodesse cupiat huius verò malitia,quòd zizaniũ seminando obesse laboret. Et ideò in vna parabola hæc duo tam diuersa proponuntur,vt & Deus propter bonitatem suã glorificetur,& diaboli insidiæ machinæque euitentur.

Totum igitur Reip.Christianæ regnum contemplantes, multa in eo & horrenda mala cõsideramus,in verbi Dei pariter cursu atque omniũ penè factis.Miratur summus ille philosophus,cũ bonus sua natura sit Deus,nec possit ab eo quidem præter bonum aliquid procedere:vnde tãtà mala in hominum vita?quæ causa sit tot malorum?Et nos non immeritò miraremur de tantorum malorũ causa,nisi ipse Christus eam hoc Euangelio reserasset.Etsi enim maxima pars hominum in Deum stomachantur, rebus sinistrè cadentibus, aut ipsis delinquentibus,acerbiue aliquid experiuntibus,& quasi ipse causa sit malorum, illud (vt quidam interpretantur)illi
Iob.7. occinant:Peccaui,quid faciam tibi ô custos hominum?quare me posuisti contrarium tibi,& factus sum mihimetipsi grauis?cur nõ tollis peccatũ meum?& quare non aufers iniquitatem meam?etsi,inquã,malũ zizaniámque alij Satanæ, quasi nos omninò & planè extrà culpam essemus,impingãt:ad cor tamen redeuntes,& Deum,qui non creauit malum,ab hac opinione vindicare,& nosmet hac in parte,quòd nihil nisi nobis dormitantibus Satanas possit, accusare æquum est.Qua in re & Deo suus honos vindicatur,malitia Satanæ præuidetur,& nos cautiores reddimur.

2 Nam quòd ad Deum,in hoc Euangelio pulchrè assimilatur homini,qui seminauit bonum semen in agro suo.Bonum semen quod sit,ipse Christus explicat,vbi ait:Bonum semen, hi sunt filij regni.Et quomodo illos seminauit,& bonum semen ex illis fecit,nisi per bonum verbum suum?Voluntariè,
Iacob.1. inquit Iacob,genuit nos verbo veritatis.Ex adam sumus mali natura,& zizania:& si speciẽ habemus tritici ex creationis ratione.Et queadmodum ager nisi colatur, merã zizaniam germinat:ita filij Adæ,nisi à Christo renati fuerimus,inutiles her-

les herbæ sumus. Multa de virtutibus, tanquã boni agri optimis fructibus scripserunt Ethnici. Sed quia ex Christi semine ortum non habuerunt, inanes paleæ iudicatur. Sed Deus seminauit bonũ semen, vt scriptũ est: Vidit Deus cuncta quæ fecerat, & erant valdè bona. Quòd si omnia secundum creationis vigorem mansissent bona, mala vnde essent? Deus neq; mortẽ neque peccatum fecit, multò minus mendaciũ & errorem. Lux est, & tenebræ in eo sunt nullæ. Aliúde ergo mors, peccatum, mendacium, error, tenebræ. Imò adeò Deus eiuscemodi lolij nihil seminauit, vt morte, mendacio, erroribus, per peccatũ in bono semine permixtis, ac tenebris obscuritatis omnibus, rursus demitteret iustitiã: quæ morte & reliquis zizanijs sublatis, lux esset omni homini in hunc mundum venienti, bonũmque vt semel seminauerat semen, suæ integritati restitueret, & illud fructus produceret, & huius vitæ, & vitæ æternæ, quemadmodum Christus ipse ait: Aquam quã ego dabo bibituro, fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam. Non ergo Deus inimicus homo ille est: quia bonũ ipse semen seminauit, & bonos fructus expectat: ideóque imprè illi tribuitur mali causa: ad quam impietatem meritò mens Christiana exhorrescit. *Gene.1.* *Sapi.2.* *2.Ioan.1.* *Ioan.1.* *Ioan.4.*

Alius ergò quærendus est homo inimicus, qui sit autor lolij tam perniciosi. Et quis ille? Audi veritatem ipsam. Inimicus (inquit) qui seminauit zizania, est diabolus. Et Salomon testatur, quòd inuidia diaboli mors introierit in omne genus humanum. Rursus Christus eum dicit homicidam esse ab initio, & mendacem, imò patrem mendacij. Zizania repugnat bono semini, mors vitæ, mendacium veritati. Quoties ergo diabolus piorum actus vel impedit, vel falsis opinionibus deprauat: quoties, inquam, Euangelicam veritatem vel omninò rapit, vel adulteratione corrupit; toties zizanio suo bono semini officit. Ac de deprauatione actuum pij clamant: Persecutus est inimicus animam meam: Humiliauit in terra vitam meam. Collocauit me in obscuris sicut mortuos seculi. Et: Vsquequò obliuisceris me in finem? Vsquequò auertis faciem tuam à me? Quandiu ponã cõsilia in anima mea? Vsque quò exaltabitur inimicus meus super me? Et Paulus: Infœlix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? Hos gemitus ediderunt pij, dum vident nunc se ab actibus pijs impediri: nunc etiam, quæ piè fecerant, falsa opinione depra- *Matth.13.* *Sapient.1.* *Ioan.8.* *Psalm.142.* *Psalm.12.* *Rom.7.*

uariaq; que inimici hominis studio atque importunis sollicitationibus. De verbi verò zizania loquitur parabola illa Lucæ 8. Ipsi enim spiritus mali sunt volucres illæ cœli, quæ bonum semen iactum aut totum comedunt, aut seminantis laborem quacunque possunt ratione, impediunt. Nunc turbos ventorum concitat, hoc est, bella, persecutiones, calamitatésque infert, quibus impeditur fructus Euangelij: nunc etiam varias inanésque cogitationes causat: vt verbi semen incogitantibus pereat: nunc curas seculi ingerit: nunc (quod omniũ periculosissimum est) ipsum semen callida & fucata interpretatione adulterat, & ad varias cupiditates desideriáque detorquet. Adeò laborat Satan, vt bonum semen seminantis Dei paternam ac bonam volũtatem impediat, expectationémque de nobis fallat. Scit enim nõ nisi bono verbo Dei bonos filios regni fieri: & horũ bonitatẽ ex rectè factis tanquã fructibus meriti. Proinde vtrumq; vitiat, & semen, & fructus seminis.

Neque hoc nunc solùm nostris temporibus cœpit studiũ (quanquam non sine causa videri possit totum hoc æuo infœlicissimo repullulare, tãquam in nequitiæ messe, quidquid vnquam lolij seminauit) sed iam inde ab initio, quàm primum Deus bonum semen in hunc vniuersitatis agrum ad imaginem suam hominem condendo seminasset, eodem studio atque audacia pestiferum illud lolium (nostri fundi calamitatem) in alienum agrum immisit. Dederat homini condito verbum suum Deus. quod fructificare potuisset boni, & quod iam acceperat conseruationem, & æterni apprehensionem. Sed venit inimicus homo: zizania insperit: suggerit aliud verbum vero cõtrarium: per quod cœpit homo dubitare, esséťne Deo potius habenda fides, an verò Satanæ. Dubitationem sequitur inobedientia: inobedientiam variæ erumnæ, miseriæ, mors. Hoc primùm puro tritico Satan admiscuit lolium. Rursus exhibita promissio de venturo semine Christo, in qua paucis fides venturi Christi permãsit. Et hoc ipsum lolium erat. Et Mosi tempore, quoties, quàm bonum semen seminauit Deus? Sed quibus artibus lolium illud suum insperfit inimicus? Iam suo ipsius digito in tabulas lapideas legis suæ semen exarabat Deus. Intelligebat hoc inimicus homo:
Exod. 31. & cũ videret se nõ posse deformare quod digitus Dei sculpserat, vituli aurei adoratione Mosen, vt tabulas atque scripta proijceret, commouebat. Faciebãt bonũ sementem Samuel,
Da-

David, Elias, Ezechias, Iosias, & alij: sed quod contrà studiū in Pseudoprophetis corrumpendi seminis boni, deprauādæ doctrinæ? Ipse filius Dei, veritas vera, optimū in propria persona sementem faciebat. sed nec hic cunctatur inimicus homo: quoties illi obijcit, Scriptum est? Et licet hic semen quod cupiebat, deprauare non poterat: alibi tamē errorē & mēdacia spargit: mox sectas atque schismata: deinde superbiā, auaritiam & alia scelera subinfert: denique & bella, seditiones, cædes multiplicat. Videte ergo, quàm non sit nouum, quod nostro deploramus seculo. Ab initio mendax est diabolus, ab ipso infœlix lolium: & nunquam tantum tritici seminauit Deus, quin semper lolium vel superarit, vel æquarit multitudine triticum. Nec aliud dum hic mundus stat, sperare possumus. Impietate maior pars semper minorem superabit, vsque ad diem exustionis. In diluuio octo tantùm animæ inueniebantur, quas sua misericordia deus dignas iudicabat. In Sodoma atque Gomorra ne decem quidem iusti inuenti sunt. *Gene.7.* *Gen.19.*
Abrahæ temporibus duabus tantū familijs vera fides cōtinebatur. De quo tot gemitus piorū prodierunt: Saluū me fac, quoniam defecit sanctus: quoniam diminutæ sunt veritates à filijs hominum. Prophetas tuos occiderunt gladio, inquit Elias, & ego derelictus sum solus: & quærunt animam meā, vt auferant eam. Et Ieremias, Quis, inquit, dabit capiti meo aquam, & oculis meis fontem lachrymarum: & plorabo interfectos populi mei? Quis dabit me in solitudine diuersorum viatorum: & derelinquam populum meum, & recedam ab eis? quia omnes adulteri sunt, & cœtus præuaricatorum. Michæas queritur sibi accidere, quod ijs, qui in autumno colligunt racemos, & vix botrum inueniunt. Perijt sanctus de terra, inquit, & rectus in hominibus non est. Et denique Isaias, Si fuerit populus tuus Israel sicut arena maris, inquit, reliquiæ conuertentur ex eo. Hæ querelæ ostendunt infœlix Satanæ lolium plurimam dominici agri partem semper occupasse: quas recensere volui, ne quis nostri æui Zizaniam quasi nouam rem admiretur, vel ideò Ecclesiam non esse curæ Deo arbitretur. *Psalm.11.* *Ierem.9.* *Ibidem.* *Mich.7.* *Isai.10.*

Sed licet Zizaniā qualis sit, & eius autorem intelligamus quis sit, nunquid ideò stomachandum est, & diabolo succensendum? Vt hoc faciamus, nec mandatum nec exemplum legimus. Hæc enim natura, hoc ingeniū est Satanæ: nec potest

ille sui similis non esse. Quid ergo? Nunquid satis est scire Satanam lolium seminasse, & tantorũ malorum causam esse? Nunquid, si omnem nostræ perditionis culpam in ipsum reiecerimus, satis nosmet apud Deum excusauimus? Nõ puto. Enimuerò prædictum est Satanæ ingenium quale sit, ita planè, vt Apostolus clarè edicat: Non ignoramus cogitationes
2.Cor.2. eius. Transfigurat se in angelum lucis, inquit, & adeò rectè sese insinuat sub aliena specie, vt diceres ipsum esse Deũ, ipsi-
2.Cor.11. úsq; ductum esse sequẽdum. Ita fascinauerat oculos mẽtésq;
Ioan.10. cùm Iudæorum tùm Ethnicorum, vt miseri arbitrarentur se obsequium præstare Deo, si quos pios trucidarent & occiderent. Sic etiamnum sese apud imperitos insinuat callidè. Suadet auaritiam, vsuram, sed sub prudentiæ pallio: pellicit ad superbiam, sed sub tituli dignitatisq; prætextu: ducit ad luxum & crapulam, sed sub Christianæ libertatis velo. Et hæc ipsius natura insinuatur, cùm Christus dicit, venisse hominem inimicum cũ sua zizania dormientibus hoĩbus. Homines enim noctæ dormiunt. Et Satan noctu venit, ne agnoscatur: eóq; obscuritatem induit. Et Iob dicit eum in secreto calami esse, ne manifestetur. quia si vt per se est, veniret, tantus esset eius horror, vt nemo ipsum admitteret. Ideò in obscuro latet, & alieno velo sese hominibus insinuat.

Aptissimè ergo Christus in parabola addit tempus illius. Dormientibus hominibus, inquit, venit inimicus homo, & superseminauit zizania in medio tritici. Et quid vult Chri-
Matth.13. stus his verbis, nisi quòd nostra plerumq; culpa tantum potestatis Satan in agro Dominico exerceat? Grauis certè etsi tacita comminatio hæc est socordiæ somnolentiǽq;, eorum maximè, quibus tanquam speculatoribus domus Israel cura
Ezech.33. cõmissa est. Speculatorẽ te dedi domus Israel. Si quis tua negligentia perierit eius sanguinem de manu tua requirã. Hoc illud est, quod nos omnes tangit. non modò quos Ecclesijs Pastores præposuit Dominus; sed & quibus singulæ domus atq; familiæ cõmissæ sunt. Ideóq; hic mihi diutiùs aliquãto insistendum est, si fortè excitari officium fecerint suum pastores atq; patresfamilias. Et ipsis quidem Apostolorum temporibus fuit quibusdam & reprehensa est isthæc socordia seu
Apoc.2. negligentia. Sic enim spiritus Dei quendam alloquitur: Scio opera tua, & laborẽ, & patientiam tuam, &c. Sed habeo aduersum te pauca, quòd charitatem tuam primam reliquisti.

Memor esto

Memor esto itaque vnde excideris,& age pœnitentiã,& prima opera fac. Et ad alium: Scio opera tua, quia nomen habes quòd viuas,& mortuus es. Esto vigilans, & confirma cætera quæ moritura sunt. Et mox: Si ergo non vigilaueris, veniã ad te tanquã fur: & nescies qua hora veniã ad te. Et ad tertium: Scio opera tua, quia neq; frigidus neq; calidus es. Et mox: Incipiã te euomere ex ore meo. Sed post Apostolorũ tempora grauior hic somnus atq; negligẽtia fuit: factũq; est, quod de Israele scriptũ legimus: Seruiuit populus Dño cũctis diebus Iosue & seniorum, qui longo post eum vixerunt tẽpore, & nouerant omnia opera Dñi, quæ fecerat cum Israel. Illis autẽ mortuis surrexerunt alij, qui non nouerunt Dominum, & opera quę fecerat cum Israel: fecerũntq; filij Israel malum in conspectu Domini. Talis etiã post Apostolos cõditio erat Ecclesiæ languescente spiritu: somnus & ignauia robur sumpserãt. Id quod omnes historiæ testantur. Eò plus & occasionis & loci inimicus homo suæ inuenit zizaniæ. Quid enim si nauis subuertatur dormiente nauclero? Nemo miratur, si stertente pastore lupus ouem surripiat, gregémq; dissipet. Somnus & inertia etiã in rebus externis suum incõmodum habent. Per agrũ hominis pigri transiui: & ecce totũ operuerant spinæ. Egestatem operata est manus remissa. Vsquequò dormies piger? Paululùm dormies, paululũ conferes manus tuas, vt dormias? & veniet tibi quasi viator egestas: & pauperies, quasi vir armatus. Et quidẽ in rebus externis negligentia paucorum paucis officit, & resarciri potest negligentiæ damnũ: in spiritualibus rebus non itẽ. Nõ enim per negligentiã perditę animæ vlla diligẽtia reuocari possunt ad salutem. Et vt vnius hominis diligentia plurimis cõmodat; ita vnius etiam negligentia pereunt multi. Propterea Christus atque Apostoli diligẽter ad vigilantiã hortati sunt. Vigilate, inquit, Christus, & orate, vt non intretis in tentationẽ. Beatos etiam seruos illos pronunciat, quos cũ venerit Dominus, inuenerit vigilantes. Et Petrus, Sobrij estote, inquit, & vigilate in orationibus vestris, Idque ideò, quòd aduersarius noster tanquàm leo rugiens circuit, quærens quem deuoret. Et Paulus: Hora est iam nos de somno surgere, Nunc enim propior est nostra salus, quàm cùm credidimus. Et: Exurge qui dormis, & exurge à mortuis: & illuminabit te Christus. Et: Nõ dormiamus sicut cæteri, sed vigilemus, & sobrij

Apoc. 3. *Ibid.* *Iud. 2.* *Prou. 24.* *Prou. 10.* *Prouer. 6.* *Matth. 26.* *Luc. 12.* *1. Pe. 5.* *Rom. 13.* *Ephe. 5.* *1. Thes. 5.*

Psal. 4. simus. Et in veteri testamento Dauid: Filij hominũ vsque quò graui corde? Talibus vbiq; dictis ad vigilantiã cohortamur. Et quid ita? Vt scilicet vigilanti semper in nostras animas tan quàm prædam inhianti diabolo resistamus vigilantes.

Et quomodò Deũ mali causam affirmare audemus, qui, dum necesse est vt veniant scandala & mala, normam cauendis malis præscripsit? quomodò, inquã, nosmet excusabimus de zizania, quæ vix certè immitti potest sine nostra culpa: aut certè si immittitur, si vigilaremus, radices tamen nullas agere potest? Omnis nobis adempta est excusatio. Nam quòd nobis dormiẽtibus inimicus homo superseminauerit zizaniã, audimus. Ad hæc prædicta sunt zizania copiosissimè his nouissimis temporibus exoritura. Hoc scientes, inquit Petrus, quòd
2. Petr. 3. venient in nouissimis diebus in deceptione illusores, iuxta proprias conscientias ambulantes, dicentes: Vbi est promissio aut aduentus eius: Ex quo enim patres dormierunt, omnia sic perseuerant ab initio creaturæ. Latet enim eos hoc volentes. Et: Erunt in vobis magistri mẽdaces, qui introducent sectas perditionis: & eum qui emit eos Deum, negant, superducentes sibi celerem perditionem. Per eos via veritatis blasphemabitur, & in auaritia fictis verbis de vobis negociabuntur. Et Paulus, Ego scio (inquit) quoniam intrabunt post di-
Act. 20. scessionem meam lupi rapaces in vos, non parcentes gregi. Propter quod vigilate, attendite vobis & vniuerso gregi, in quo vos Spiritus sanctus posuit Episcopos, regere Ecclesiam
2. Thim. 3. Dei, quam acquisiuit sanguine suo. Et ad Timotheum scribens. Hoc, inquit, scito, quòd in nouissimis diebus instabunt tempora periculosa: & erunt homines seipsos amantes, cupidi, elati, superbi, blasphemi, parentibus non obedientes. Hos deuita. Tu verò permane in ijs quæ didicisti, & credita sunt tibi, sciens à quo didiceris. Videte, hoc modo Apostoli nobis zizaniã hominis inimici depinxerũt, prędixerũt, & vt caueamus monuerũt. Ad hæc Paul. adhuc monet, vt induamur ar
Ephes. 6. maturã Dei, vt possimus stare aduersus insidias diaboli. Quoniã nõ est, inquit, nobis colluctatio aduersus carnẽ & sanguinẽ: sed aduersus principes, & potestates: aduersus mũdi rectores tenebrarũ harũ, contra spiritalia nequitiæ in cœlestibus.

Quum itaque tam multifariam admoniti sumus, & tam clarè nobis res futuræ sunt prænunciatæ: non est vt diabolo indignemur. Nos ipsi incusandi sumus, quòd nocentissimo

spiritui lo-

spiritui locum damus ad perturbandum omnia. Christus in nullum alium quàm in nos & inertiam nostram trāsfert culpam. An non res est plena horroris, præsertim pastoribus, primatibus, & patribusfamiliâs, quòd in extremo iudicio accusandi sunt tanquàm ij, quorum culpa omne istud zizanium inspersum est & natum, quod nunc in ecclesia tam dēsum apparet, siue doctrinam, siue cultum, siue vitam respicias? Si ipsa zizania in extremo die per angelos colligenda, & in ignē mittenda est, quæ suæ naturæ dissimilis esse non possit: qui tandem sententia ferientur, qui vt immitteretur illa, causa sunt, imò ipsi zizania? Sed timeo me nihil querelis effecturum.

Agite ergo, plenus est ager Domini zizanijs adulteratum est verbum Domini: & qui generantur ex eo, non filij sunt regni, sed exitij æterni: quotidie ipsorum vita ex impietate robur accipit, & latè ramos expandit. Non est huius temporis ire & colligere zizaniam, in fasciculos, & in ignem mittere. Ne fortè, inquit Christus, colligentes zizaniam, eradicetis simul & triticum. Scimus, quid dictum sit animabus sub altari vindictam sanguinis sui postulantibus: Modicum tēpus expectandum est: nondum completi sunt conserui & fratres eorū. Sinite vtráq; crescere, inquit Christus, vt manifestius ex suis fructibus cognoscatur zizania. Non quidem sic intelligi vult, ne Magistratus gladio in scelera animaduertat: sed q̃ nō sit cuiusq; professionis id facere. Et vult tolerari ád tēpus eos qui zizaniā fide vitáq; referūt. Qua in re summa Dei prædicatur patientia, q̃ tardus procedit ad suppliciū. Ignoras ô homo, quoniā benignitas Dei ad pœnitentiā te adducit? Nihil tamen est, quur sibi blandiantur impij, veluti securis ipsis liceat in impietate viuere. In tempore messis (inquit Christus) dicam messoribus: Colligite primū zizania, & alligate ea in fasciculos ad comburendū. Impius ad diem malū differtur. Ille dies in lucem proferet quæ nunc abdita putantur. Tota impiorū cohors est veluti grex quidā pecoris ad victimā & occisionē destinati. Pro fortunæ blādientis mensura erit supplicij horror. Non dicant ergo peccauimus, & quid accidit nobis triste? altissimus est patiens redditor. Nō dicāt miseratio Dñi magna est: multitudinis peccatorū meorū miserebitur. Misericordia enim & ira ab illo citò proximāt, & in peccatores respicit ira illius. Non tardent conuerti ad Dominū, & ne differāt de die in diem: subitò enī veniet ira illius, & in tem-

Math. 13.
Apoc. 6.
Rom. 2.
Pro. 16.
1. Cor. 4.
Ierem. 12.
2. Mach. 6.
Eccl. 5.

pore vindictæ disperdet eos: quãdo filius hominis mittet angelos suos, & colligent de regno eius omnia scandala, & eos qui faciũt iniquitatem, & mittent eos in caminum ignis. Ibi
Matt. 13. erit fletus & stridor dentium.
Ibid. Interim nos seruos sequamur huius Euãgelij. Primò quęramus: Domine, nonne bonũ semẽ seminasti in agro tuo? Vnde ergo habet zizania? hoc est, admiremur vndẽnã tanta malorũ lues in Ecclesiã fluxerit. Deprehẽdemus nimirũ eius rei Deũ non esse authorẽ, vt à quo iam inde ab initio omne bonũ profectũ sit: imò deprehendemus diabolũ quidẽ illius zizanij satorẽ esse, sed tamẽ per nostrã negligentiã. Hinc occasionẽ nacti, cũ nobis ipsis expostulabimus, & corã Deo nos accusabimus: imò nosmet iudicabimus, vt non iudicemur à Domino. Secundò, vehementer nobis displiceat, quicquid in Ecclesia prauũ atq; iniquũ est: idq; recta intentione, nõ propter dispendiũ aliquod corporale, quod nonnulli solũ timẽt: sed ꝙ nomẽ Dei prophanatur, Ecclesia labefactatur, & multa hominũ milia corpore atq; anima miserè pereũt. Hunc in modũ Paulo displicebat zizaniũ, quod in medio Corinthiorũ reperiebatur, idq; vehemẽter augebatur. Timeo, inquit,
1. Cor. 12. ne fortè cũ venero, nõ quales volo inueniã vos: ne fortè contentiones, æmulationes, elationes dissensiones, detractiones, murmurationes, & alia id genus zizaniarũ inter vos sint: ne iterũ humiliet me Deus apud vos, & lugeã multos ex ijs, qui ante peccauerunt, & non egerũt pœnitentiam super immũditia quam fecerũt. Et ad Philippẽses scribẽs de eadem zizania queritur. Multi, inquit, ambulant, quos sæpè dicebã vobis, & adhuc flẽs dico, inimicos crucis Christi. Talis erga triticum bonum affectus sit omnium oportet.
Tertiò hãc displicentiã sequatur querela ad Christũ, qui
Psalm. 73. verus est paterfamiliâs: vt Dauid, Vt quid Deus, inquit, repulisti in finẽ? iratus est furor tuus super oues pascuæ tuæ? Vsq; quò Deus improperabit inimicus? irritat aduersarius nomẽ
Psalm. 78. tuũ in finẽ? Quãta malignatus est inimicus in sancto? &c. Memor esto congregationis tuæ quã possedisti ab initio. Venerũt gẽtes in hæreditatẽ tuã, polluerũt templũ sanctũ tuũ. Vsquequò Dñe irasceris in finẽ, accẽdet velut ignis zelus tuus? Ne memineris iniquitatũ nostrarũ antiquarũ: citò anticipẽt nos mĩæ tuæ, quia pauperes facti sumus nimis. Vide, hoc pacto Dauid Deo de zizania inter populum Dei orto cõquerebatur. In-

batur. Interim tamẽ ingenuè cõfitebatur eã peſtẽ ipſis ob ipſorũ peccata obuenire. Idẽ nos quoq; faciamus. Nã qui communibus Eccleſiæ calamitatibus non tãgitur, verus & ingenuus Chriſtianus nõ eſt. quales, heu, plurimos núc inuenies, quos nihil mouet, quid in Eccleſia rectè vel ſecus geratur, modò illorũ quæſtui nihil decedat. Sed hi ſerui in Euãgelio ſtatim vt zizaniã animaduertunt, ad Dñm accurrunt, & de vitio ſeminis quærũtur. Quartò, etiã Deũ Opt. Ma. rogemus, vt ipſe Eccleſiã ſuã purgare dignetur ab omni zizania, errore, mendacio, peccato: deinde fideles operarios in ipſius meſſem mittere. Poſtremò cũ intelligimus quanta Eccleſiæ calamitas ſit propter illud loliũ, & quanti laboris bonũ ſemen à zizaniorũ conſuetudine contagióq; illæſum ac genuinũ ſeruare: in poſterũ vigilantiores ſimus. Quòd ſi aduerſarius noſter nunquàm nõ peruigil in noſtrũ exitiũ excubat, certè neque nos odio addictos eſſe oportebit. Et quò ille violẽtiùs & crudelius ſæuit, hoc magis bonarũ rerũ ſtudio intẽti eſſe debemus. Nõ imitemur ignauũ vulgus, nõ remittamus manus pedẽſue, vt multi inertes, qui nihil operæ adhibere cogitant, donec ipſo progreſſu temporis in melius omnia mutẽtur. Id quòd iniquè factũ eſt. Pro noſtris verò quiſque partibus adlaboremus neceſſe eſt. Si neq uimus zizaniã ſine tritici detrimento penitùs tollere, ſaltẽ hoc agamus noſtra ſedulitate & cura, ne diabolus zizaniã zizaniæ ſuperaddat & cumulet. Satis iam plus ſatis fratres, ſatũ eſt malorum. Quòd ſi nihil nos mouent cõmunia mala, quæ núc ante oculos cernimus, eò ꝙ nidũ noſtrũ putamus in alto poſitũ, vt nõ poſsit nos malũ attingere: ſaltẽ futura cogitemus. Duo Chriſtus Euangelio addit nouiſsimè tandẽ vẽtura: quorũ alterũ bonorũ, alterũ malorũ eſt. Tũc fulgebũt iuſti ſicut ſol. Primò, nihil in eis nigroris reſidebit. Secũdò, ſplendebunt, ac nitore quodam admirabili clari erũt. Habẽt enim & in hac vita ſuã lucẽ: ſed quia ſub cruce ſunt, nõnulla in eis nigredo manet, cũ lachrymis olim ab oculis eorũ abſtergẽda. Et licèt hîc filij Dei ſint, nondũ tamen apparet quid futuri ſint. Tertiò ſplendebũt, nõ ſicut luna, ſed ſicut ſol. Illa enim viciſsitudinẽ habet, hic verò perpetuitatẽ. Hæc nobis etiã promittũtur, & nobis futura produntur, ſi pij fuerimus, & nõ modò in nobis zizaniæ locum non dederimus, verumetiã alijs, vt benè faciãt, occaſio fuerimus. Sicut in hodierna Epiſtola Paulus monet. Induite vos, in- *Apocal. 21.* *1. Ioan. 3.* *Colo. 3.*

quit, sicut electi Dei, sancti & dilecti, viscera misericordiæ, benignitatem, patiētiam, &c. super omnia autē hæc charitatem habere, quod est vinculū perfectionis, & pax Christi exultet in cordibus vestris. Et: Verbum Christi habitet in vobis abūdanter. Et certè oportebat nos id sedulò diligētérque facere, tantę promissionis adducti magnitudine. Quòd si nec sic quidem, quod nostri est officij facere delectat, si minor est incōprehensibilis promissio, quā vt bonū esse semen velimus studeamúsque, agite, quæ mala malos maneant, cogitate. Tunc (inquit Christus) mittet filius hominis Angelos suos, & colligent de regno eius omnia scādala, & eos qui faciunt iniquitatem, & mittēt eos in caminū ignis. Ibi erit fletus & stridor dētium. Prædictū est, quòd in omnes impios certò futurū sit: & is qui prædixit verax & omnipotens est, & faciet: vt nec pij proposita promissione fraudentur, nec impij denunciatam pœnam euadānt. A qua nos clemens conseruet, tueatur & custodiat, qui nos bonum semen sui agri, hoc est, filios regni, & non zizaniam inextinguibili flamma comburendam esse voluit, Iesus Christus in secula benedictus. Amen.

Dominica sexta post Epiphaniam Euangelium. Math. 11. Confitebor tibi pater Domine cœli & terræ. Sermo vnus tantùm in Homiliario. Ex quo is sumi potest, & in Epitomen inseri.

DOMINICA SEPTVAGESIMAE EVANG. MATT. XX.

Simile est regnum cœlorum homini patrifamiliâs, qui exijt primo mane conducere operarios in vineam suam. Conuētione autem facta cū operarijs ex denario diurno, misit eos in vineam suā. Et egressus circa horam tertiam, vidit alios stantes in foro ociosos, & dixit illis: Ite & vos in vineā meam, & quod iustum fuerit dabo vobis. Illi autem abierunt. Iterum autem exijt circa sextam & nonam horā, & fecit similiter. Circa vndecimam verò exijt, & inuenit alios stantes, & dicit illis: Quid hìc statis toto die ociosi? Dicunt ei: Quia

nemo nos conduxit. Dixit illis: Ite & vos in vineã meam. Cùm sero autem factum esset, dicit Dominus vineæ procuratori suo: Voca operarios, & redde illis mercedem, incipiens à nouissimis vsque ad primos. Cùm venissent ergo qui circa vndecimam horam venerant, acceperunt singuli denarios. Venientes autem & primi, arbitrati sunt, quòd plus essent accepturi. Acceperunt autẽ & ipsi singulos denarios. Et accipientes murmurabant aduersus patrẽfamiliâs, dicentes: Hi nouissimi vna hora fecerunt, & pares illos nobis fecisti, qui portauimus pondus diei & æstus? At ille respondens vni eorũ, dixit: Amice, nõ facio tibi iniuriam. Nónne ex denario conuenisti mecum? Tolle quòd tuum est, & vade. Volo autem & huic nouissimo dare sicut & tibi. Aut non licet mihi, quod volo facere? An oculus tuus nequam est: quia ego bonus sum? Sic erunt nouissimi primi, & primi nouissimi. Multi enim sunt vocati, pauci verò electi.

EADEM DOMINICA EPISTOLA, I. COR. IX. ET X.

NEscitis, quòd ij qui in stadio currunt, omnes quidem currunt, sed vnus accipit brauiũ? Sic currite: vt comprehendatis. Omnis autem qui in agone contendit, ab omnibus se abstinet, & illi quidem vt corruptibilem coronam accipiant, nos autẽ incorruptam. Ego igitur sic curro, non quasi in incertum: sic pugno, non quasi aërem verberans. Sed castigo corpus meum, & in seruitutem redigo, ne fortè cum alijs prædicauerim, ipse reprobus efficiar. capit. 10. Nolo enim vos ignorare, fratres, quoniam patres nostri omnes sub nube fuerunt, & omnes mare transierunt, & omnes in Mose baptizati sunt in nube, & in mari. Et omnes eandem escam spiritalem manducauerunt, & omnes eundem potum spiritualem biberunt. Bibebant autem de spiritali, consequente eos Petra. Petra autem erat Christus.

SERMO.



AEPE aliâs dixi atque etiam nunc dico: Optimè meritos esse de ecclesia maiores nostros, qui pro sua in Deum pietate, & salutis multorum sollicitudine, tanta industria diligentiáque, tàm accuratè omnia disposuerunt, vt & nulla circa fidem obreperet erroris confusio, & in religione Christiana
1.Cor.14. ad pietatem nulla deesset occasio. Neque enim Apostolico præcepto, quo omnia decenti ordine in ecclesia fieri iubētur, tantùm obediuerunt, sed multis etiam ad pietatē occasionem dederunt. Nec dubito, quin si nostri seculi homines illorum mētes rectiùs cōsiderassent, & quę nunc ordinis benè in ecclesia constitūti ruptionē sequatur omnium ferè confusio intelligerent, non sint sese aliorum expositurì risui, imò rectiùs de aliis benè merentibus iudicarent, & pios non conturbarent,
Galat.5. & iudicium effugerent. Quanta enim industria maiores nostri omnia disposuerunt? Ecce vel ea solùm quæ hodie in ecclesia agimus, Præter enim consuetū nomen Dominicæ dici, hodie etiam Septuagesimæ nomē recurrit. Redeunt nuper se positæ v... pullæ, intermittitur vsitata ecclesijs nostris læta
Matth.20. cantio Halleluiah. Omnia tristitiæ speciem habēt. Ad hæc sic
1.Cor.5. Euangelica lectio cum Epistola conuenit: vt hîc ad certamen & cursum, illîc ad hortemur ad laborē. Et licèt hoc solùm aliquid gaudij præ se fert, ꝙ post certamen & cursum brauium, post laborē datur denarius: tamen quā illud tristitiæ multum habet, ꝙ æqualis merces datur & his qui vna hora tantùm laborauerunt, & qui totius diei pondus portauerunt & æstū? quàm grauis Euangelij epilogus, primos fore nouissimos, & nouissimos primos? Ad designandā tristitiā, Euangeliū, Epistola, vestes, cantus, & omnia hodie consentiūt. An fortè hæc fortuitò ita cōuenire dicemus? An obiter consuetudinē hanc in ecclesiam irrepsisse iudicabimus? An vti abusus è medio tollenda erunt? Nemo sanæ mentis hoc vnquam dixerit. Agitè ergo, quid hæc sibi velint omnia explicemus: quid designent, quidue à nobis exigāt, perquiramus. Principiò igitur, qua ratione huic diei nomen Septuagesimæ inditum sit, videamus.

Totius anni tempus in quinq; partes diuisum est in ecclesia: ideò, quòd sicut in legitimo matrimonio quinque accidunt: ita etiam in ea quæ inter Deum atque hominem est coniunctione, quinque contigerūt. In matrimónio primum est pro-

est procuratio. Secundum, stipulatio. Tertium, nuptiarum dispositio. Quartum, ipsæ nuptiæ. Quintum, fructus coniunctionis. Omnia hæc in Dei atque hominis coniunctione fiūt. Neq; enim ipse Deus dubitat hac similitudine vti: vt in Osea scriptum est. Sponsabo te mihi (inquit) in sempiternum, & sponsabo te mihi in iustitia, & iudicio, & in misericordia, & miserationibus, & sponsabo te mihi in fide. Atque iuxta hanc promissionem Christus Iesus saluator primùm sibi associauit nostram naturam: deinde etiā de suo spiritu nobis impertiuit. Et omnia illa quæ in matrimonio accidunt, seu fieri cōsueuerunt, in hac cōiunctione sunt. Nam ab Adam primo ad Christum vsque, tempus procurationis erat: quo multa de futura Christi atque ecclesiæ coniunctione trāsacta sunt. In conceptione facta est vtriusque naturæ stipulatio. A baptismo ad resurrectionem vsque nuptiarum facta est dispositio. At resurgens celebrauit nuptias. Misso verò & cōcepto spiritu sancto, cœpit ecclesia Deo nouos parere homines. Ecce his quinque partibus totum illud nostræ redemptionis mysteriū concluditur. An non autem quælibet pars digna est, quæ sæpè & multum cogitetur? Hanc ergo ob causam totius anni tempus in quinquè partes diuisum est: vt quælibet pars suo tempore in ecclesia & doceatur, & consideretur. Primam ergo partem aduentus Christi refert, in quo & promissiones diuinæ, & suspiria, vota, petitionésque piorum hominū recensentur, quæ omnia vtrinque collata sunt quasi procuratio quædam. A natali Domini vsque ad hanc diē stipulatio celebratur, hoc est, nostræ carnis in Deum assumptio, & ipsius bonorum participatio. At hodie nuptiarum dispositio initium sumit, quando non solùm quomodo spōsus Christus sese ad nuptiarum illa crucis solennia præparauit: verūetiam hoc docetur, quæ nostra requiratur honestas vitæ ac mundities fidei, qui non modò ad eas nuptias vocamur, verūetiam ipsi membra sponsæ efficimur. Et quia de procuratione & stipulatione hactenùs à prima aduentus Dominica audiuimus: tùm de nuptijs atque admirandæ huius coniunctionis fructibus, Resurrectionis, Ascensionis atque Pentecostes solemnijs post hanc quam modò auspiciamur, Septuagesimam, futuris, tractaturi sumus: hîc tantùm de nuptiarum dispositione seu præparatione placuit sermonem habere: vt & quæ sponsi sit ad istud negotiū, quæq; nostra ad idem debeat esse diligentia curáque, consi-

Ose. 2.

deremus & discamus. Vtrunque autem Euangelium & Epistola, & vestes & cātiones, abundè satis docent. Proindè quòd ad sponsum, tria consideranda sunt pręcipuè. Principiò, cuiusmodi bona sponsæ suæ largiatur, deinde quales cōuiuatores, & vnde, quo etiam tempore, per quos vocet & inuitet: postremò, vbi has nuptias celebret. Et hæc quidem omnia Euangelium cum annexa Epistola habent. Euangelium enim denarium diurnum testatur à patrefamiliâs per procuratorem dari. Epistola verò (siue mercedem siue donationem dixeritis) brauium appellat. Et in denario isto nō modò vniuersalis corporum resurrectio eorúmque cum animis glorificatio, verūetiam qualitas quodammodò æternæ vitę pręsentatur. Nam omnibus operarijs in hac vinea idem denarius datur: & omnibus qui in hanc vineam vocati laborauerunt, eadē vitæ æternæ retributio dabitur, quantum ad essentiam fœlicitatis, non quantum ad diuersitatem mansionum. Sed hoc peculiare habet denarius, quòd imaginem Regis repræsentet: & qui hunc habet, Regis imaginem habet. Homines quoque ad imaginem & similitudinem Regis Regum conditi sumus: sed peccato deformes facti, ipsam imaginem amisseramus. Reddita verò imagine Dei Regis, quam simillimi Regi efficimur, hoc est, Iustitiam originalem recuperamus amissam. Iam verò, quemadmodum denarius iste non secundum qualitatem & pondus operis datur: sic etiam brauium, non luctantium ob vires, aut currentium propter velocitatem proponitur, sed pro Domini liberalitate promittitur. Atque hîc nobis innuitur, vt intelligamus, cui vitæ æternæ donum acceptum ferre debeamus. Nihil enim est aliud vita æterna, quàm gratuita corporis animæq; plena sine admittendi timore ex ipso Deo tanquàm summo bono profecta fœlicitas. Hanc ipse Deus promisit per filium, pij omnes tot suspirijs appetierunt, credimus atque expectamus omnes. Propter hanc CHRISTVS omnia fecit, seséque in mortem ignominiosam pro nobis tradidit. Ideóque si præstantiam eius non capimus, quo pretio filius ipse Dei eam præ-
1.Cor.6. parauerit atq; coëmerit nobis, cogitemus. Vnde Paulus hortatur dicens: Empti estis pretio magno, glorificate & portate Deum in corpore vestro. Et hoc primum in Christo considerandum est. Nunc secundum peruestigemus: nempè cuiusmodi cōuiuatores, & vnde, quo etiam tempore, per quos vocet. Et si au-

eet: Etsi autem æqualis merces detur inæquali modo ac tem-
pore operantibus, & pro sua voluntate Deus misereatur cui *Exod.32.*
vult, nec ideò Iudæi, qui sudarunt in lege tota die, aliquid cõ
tra Gentes, qui vndecima venientes vna hora laborarunt, ha
beant quod cum suo fructu obmurmurent: tamen apertè hîc
indicatur non nisi operantes ad remunerationem vocari. Pa-
ter enim familiâs procuratori ait: Voca, non otiosos, non de- *Matth.20.*
sides, sed operarios. Ideóque nemo ad percipiendam opera-
riorum mercedem vocatur, nisi qui operatus fuerit. Duplex
enim vocatio est: altera ad laborem, altera ad mercedem.
Nemo quidem negauerit, nos sine præcedentibus meritis
ad gloriam regni vocatos esse. Nam cùm Christus ad vocan
dum misit Apostolos, nullius meriti meminit, sed ait:
Qui crediderit & baptizatus fuerit, saluus erit: verùm si hinc *Marc.16.*
quis velit corrigere, nihil referre, qualem post vocationem
vitam viuamus, sicut nihil obfuit prior vita, nec profuit ad
salutem: nihil aliud egerit, quàm si cum ratione insaniat.
Nam vt omittam quòd iuxta parabolam hanc operarij tan-
tùm ad mercedem vocantur, & quòd in stadio currendum, *1.Cor.9.*
in arena luctandum est: ipsa iudicis futuri sententia satis per
se intellecta hoc apertè demonstrat, & benè agentibus post *Matth.5.*
vocationem manere regnum paratum, & malis, non ijs mo-
dò qui mala egerunt, sed & illis qui benè agere recusarunt,
manere ignem perpetuum. Quemadmodum etiam alibi se
venturum esse dicit reddere vnicuique secundum opera sua.
Atque hæc duo diligenter consideranda sunt. Primùm nos *Matth.16.*
pro nullo nostro opere bono vocari, nec referre quam vi-
tam antea viximus, abluente nos baptismate ab omni im-
munditia, & sanctificante nos sanguine immaculati agni
Christi: deinde, non modò occludi illam patriam malè agen- *Exod.14.*
tibus, sicut quondam ex omni numero populi Iudaici duo
tantum Iosue & Caleph in promissam terram introducti *Ioan.14.*
sunt: sed vnicuique etiam pro qualitate operis manere remu
nerationis gloriam, vt Christus in Ioanne testatur, in pa-
tris sui domo mansiones multas esse. Sicut & Romani olim
pro cuiusque factis diuersa honorum insignia conferre so-
lebant, vt sunt coronæ Triumphales, Ciuicæ, Obsidiona
les, Murales, & id genus alia. Ideóque non cum impijs di- *Sapient.2.*
cendum esse: quòd transitus vmbræ sit tempus nostrũ, eóque *Ioan.12.*
fruendum esse bonis quæ sunt, & creaturis tanquam in iu-

uentute vtendum esse, celeriter edendum bibendúmque esse:cras enim moriendum esse:sed magis cum Paulo dicen-
1.Cor.7. dum esse: Tempus breue est, eóque qui vxores habent, sint
Galat.6. tanquam non habentes. Et, Dum tempus habemus operemur bonum, nec deficiamus, quousque dicatur nobis, vt re-
Apocal.4. quiescamus à laboribus nostris: Opera enim sequi nos. Tales enim paterfamiliâs habere vult. Nam si otium in ijs etiam arguit, qui necdum conducti à quoquam, aut ad laborem in vineam vocati fuerant: quàm graue piaculum erit in ipsa vinea laboris tempore otio torpere? Sed & vnde vocauerit operarios, videamus. Inuenit stantes in foro otiosos, & à foro
1.Corin.7. vocauit in vineam suam. Quanquam autem Paulus monet, vt qui emunt, sint tanquàm non possidentes: & qui vtuntur
Forum. hoc mundo, tanquam non vtantur: tamen hîc per forum non intelligimus eum locum vbi huiuscemodi rerum commercia fiunt, quæ sunt ad vitam hanc tuendam necessaria: sed forum ipsum Mundum dicit. In hoc iniquitas, iniustitia, circumuentio, mendacium, plurimæ peccandi occasiones sunt: hîc pietatis semper sunt feriæ, semper à iustitia ociatur,
1.Ioan.2. & Ioannis Apostoli testimonio: Quidquid hîc est, aut concu
1.Ioan.5. piscentia carnis, aut concupiscentia oculorum, aut super-
Ioan.14. bia vitæ est: adeóque totus mundus in maligno positus est. Quia ergo princeps in eo Diabolus est, nec ipse mundus nouit CHRISTVM, nec illius gaudio, nisi Dei inimicus effi-
Ioan.17. citur: (Nam non est charitas Dei in illo qui mundum dili-
Iacob.4. git: & nemo potest duobus dominis seruire:) ideò Deus ele-
1.Ioan.2. git suos de hoc mundo, vt non sint de hoc mundo, sicut
Matth.6. nec ipse est de mundo. Hinc ergo Paulus ait: CHRISTVS
Ioan.15. tradidit semetipsum pro nobis, vt eriperet nos de nequam
Ioan.17. hoc seculo. Et: Apparuit gratia Saluatoris nostri, erudiens
Galat.1. nos, vt abnegantes impietatem & secularia desideria, &c. Et
Tit.2. Petrus testatur, quòd vocati simus à DEO propria virtute & gloria, vt fugiamus eius quæ in mundo est concupiscen-
2.Pet.1. tiæ corruptionem. Et quid multa? quando vbique Scriptura clamitat, non solùm quòd mundus forum illud sit de quo Dominus vocauit suos: verumetiam quòd omnes quotquot cum hoc mundo interierint, damnationi æternæ sint obnoxij. Denique cùm constat operarios vocari è mundo in vineam, breuiter videamus quæ sit isthæc vinea: vt postea quo tempore, & per quos vocet, liceat colligere. Equidē vt vinea sole per-

ſole perpetuóque labore conſeruatur, fructum verò vberrimum profert: ita inuenio quodammodò Eccleſiam non niſi aſsiduo Dei patrisfamiliâs ſole, & vocatorum ad ea officia laboribus curáque coli: cultam verò & operarijs fructum immarceſsibilẽ, & trãſeuntibus odorẽ afferre ſuauiſsimũ. Hinc ſemper cœtus ille credentium, qui ſole gratiæ ad fructificandum ſimul & rore humectatus incenditur, vinea domini dicta fuit. Vt in Iſaia, domus Iſrael vinea domini Sabaoth dicitur: & Ieremia vnea plantata & electa vocatur. Et dauid orat Dominum, vt reſpiciat & viſitet vineam, quam plantauit dextera ſua. Atque hinc Chriſtus ſeſe veram vitem, Apoſtolos verò palmites dicit. Quo & ipſo rurſus monemur operari & benefacere. Nam omnẽ palmitem in ſe non ferentẽ fructũ bonum, excidi vult, atque in ignem mitti. Hæc ipſa alibi alijs atque alijs nominibus ſignificatur, vt in Ioanne ouile dicitur. Paulus domum Dei, Ioannes ciuitatem ſanctam de cœlo deſcendẽtẽ dicit. Chriſtus ipſe, cùm fluctuantibus alibi Apoſtolis, vento atque aquis ſedatis tranquilla facit omnia, naui comparat. Omnia eiuſmodi, quæ ſine labore non conſtant, ouile, domus, ciuitas, nauicula. Et Paulus ait, vnicuique noſtrũ datam eſſe gratiam, ſecundũ menſurã donationis Chriſti, coóperari ad ædificationẽ domus ſanctæ. In hanc ergo vineã vocamur. Non autẽ vno aliquo tempore, ſed ab Adã primo vſque ad conſummationẽ iſtæc perdurat vocatio. Vocamur autem per ipſum patremfamiliâs, qui ſecundũ huius parabolæ verba quinquies exiuit conducere operarios in vineã ſuam. Dicitur autem exire: non vt hominum more locali motione hâc atque illâc obambulet, cui cœlum ſedes eſt, & terra ſcabellum pedum eius, quíque cœlum & terrã adimplet: ſed quòd alibi atque alibi ſe præſentem minus magiſque exhibet per verbum ſuum atque opera. Vnde Dauid, cùm ait: Deus cùm egredereris in conſpectu populi tui, cùm pertranſires in deſerto; non hoc dixit, quòd ipſe Deus egreſſus ſit, aut in deſerto tranſierit: ſed quòd in deſerto præſentem ſeſe gratia ſua eſſe per externa & inuſitata opera oſtẽderit. Hinc Iſaias cùm Chriſti in impios animaduerſionem deſcriberet, Dominus (inquit) ſicut fortis egredietur, ſicut vir præliator ſuſcitabit zelum. Etſi autem ſæpe ſe Deus in creaturis ſuis patefecit: quinquies tamen præcipuè exiuit, hoc eſt, ſe exhibuit præſentẽ & patefecit. vt doceret nos, ſe eſſe eũ qui noſtrã vbique ac ſem-

Iſai.5.
Ierem.2.
Pſalm.79.
Matth.20.
Ierem.23.
Iſai.66.
Pſalm.67.

per operetur salutem. Primo mane igitur exiuit, quando for matis omnibus ad creandum hominem terram disponebat,
Gene.1. dicens: Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram. An non autem hominem, cùm omniú creaturarum illi potestatem dedit, quasi in vineam eum misisse videtur? An nó
Gen.2. etiam de denario diurno cum ipso conuenit, qui obedienti vitam, inobedienti verò mortem pollicetur & prædicit? Secun
Gen.6. dò, multiplicatis per orbem hominibus, & præualente omniũ ferè iniquitate, vidit Deus malitiam eorum, statuítque delere eos. Id quod per Noë prædicauit futurum. Et hic secũdò exiuit: cùm iustitiã suam in præuaricatores, misericordiã verò erga Noë eiúsque familiam exercuit. Et quid hic aliud fecit, nisi quòd operarios in vineam suam conduxit, iustitiã & misericordiam ostendit? vt Noe cum posteritate memori propter ostensam iustitiam timerent, propter misericordiam
Gen.12. verò ipsum diligerent. Tertiò quoque exiuit, hoc est, quando rursus malitia hominum abundaret, non omni quidem populo, sed Abraham sese manifestauit, cum eóque paciscitur,
Gen.18. fœdúsque iniJt. Scio (inquit) quòd præcepturus sit filijs suis & domui suæ post se, vt custodiant viam Domini, & faciant iudicium & institiam, & adducat Dominus propter Abraham omnia quæ locutus est ad eum. Quartò, cùm iam Abrahæ filij in Aegypto inter Idolatras habitarent, penéque ad impietatem deuoluti, originis sui obliti essent, iterũ
Exod.7. exiuit Deus: partímque suam seueritatem per inauditas & horrendas plagas mundo ostendens, partim benignitatem suam per varia beneficiorum genera exhibens, suos operarios
Deut.10. rios in vineam suam misit. Id quod Moses apertè testatur: Et nunc Israel, quid est quòd Dominus Deus requirit abs te, nisi vt in iustitijs eius ambules, ipsúmque diligas? Quintò denique, cùm iam circa vndecimam esset, & mundi appropinquaret vespera, multi adhuc è Gentiũ populis starent ociosi: iterum & postremùm exiuit, patefaciens se per vnigenitum filium suum, qui & splendor virtutis suæ, & figura substantiæ paternæ est: exiuit (inquam) conducere operarios in vi-
Hebr.1. neam suam. Hæc est (inquit) voluntas patris mei, vt omnis
Ioan.6. qui videt filium, & credit in eum, non pereat, sed habeat vi-
Ioan.3. tam æternam. Sic Deus dilexit mundum, vt filium suum vni-
Luc.19. genitum daret in mundum. Et: Venit filius hominis quærere & saluum facere, quod perierat. Ecce toties & his modis

Deus exi-

Deus exiuit, hoc est, mundo se patefecit. Iam verò quod in
vniuersum egit erga omnes, idem agit in parte ad singulos.
Quid enim sunt in homine diuersæ ætates, Infantia, Adole-
scentia, perfecta seu virilis ætas, Senecta prima, & (quæ est de
crepitorum) secunda, præter quinque horas, quibus Deus
Opt. Max. exiens nos in vineam suam vocat? Quanquam alij
alia atque alia in distribuenda hominis ætate vtantur diui-
sione. An non Prophetæ aliqui ex ipsa etiam materna aluo *Isai. 48. 94.*
vocatos sese à Domino & extractos fatentur? Et hîc diuina *Psal. 21. 70.*
pietas cõsiderari potest, quæ se in omnes omnium ætates ex-
tendit, omnes ad se vocat, nec quicquam ad summam diligen
tiã reliqui facit, cùm hos ad se blandis inuitat verbis: Ite (in-
quiens) & vos in vineam meam: alios, hoc est, tergiuersantes
duriusculè increpat: Quid (inquiẽs) hîc statis tota die ociosi?
An ignoratis tempus acceptũ hoc esse exauditionis? ingruere *2. Corin. 6.*
noctem in qua nemo operari potest, non intelligitis? Non *Isai. 49.*
ociantur neque dormitant hostes vestri: sed in his omnium *Ioan. 9.*
crudelissimus circuit sicut leo rugiens quærit quem deuoret, *1. Pet. 5.*
quid dormitis pigri? Clamitò ego tot iam annos: Venite ad *Psalm. 4.*
me qui laboratis, & onerati estis, vt inueniatis requiem ani- *Prou. 6.*
mabus vestris: sed non vultis venire, vt vitam habeatis. Quo- *Matth. 11.*
ties volui congregare filios tuos subalis, sicut gallina congre- *Ioan. 5.*
gat pullos suos, & noluisti? His (inquam) verbis singulis ho- *Matth. 23.*
ris paterfamiliâs nos ad vineam suam vocat, ad laborem inui
tat. & quod malum, semper post tot clamores in foro tamen
ociosos offendi aliquos? Exiuit ab initio creationis, & voca-
uit vsq; in hãc horã. & quómodò tã est exiguus operariorũ
numerus? cur tãta turba in foro pereũtiũ? Deniq; quã multi
inter operarios ipsos desides? quã multi alienæ fœlicitatis in-
uidi? Agite ergo, cũ Christus ꝓ sua liberalitate currẽtib⁹ cer
tãtibusq; tãtũ brauiũ oĩbus ꝓposuit: cũ denario æternæ bea
titatis nostrã hãc inopiã pulsare paratus est, tãtũ vt ꝓ inerti
ocio in vineã aliquẽ & quidẽ exigui tẽpis laborẽ subeamus: cũ
tanto tẽpore oẽs à foro ad se vocat, nec quales antè fuerimus
adeò ad nostrã iniuriã curat: quæ nostra nunc dispositio seu
præparatio esse debeat, perquiramus, & porrò cogitemus.
Huius enim nos admonent cũ Euangelium & Epistola, tùm
ipsum nomẽ Septuagesimæ. Et Euangeliũ quidẽ indicia Dei *Matth. 20.*
imperscrutabilia semper ob oculos veluti appensum quid ha-
bere monet, cũ in eo Christus qui nescit mẽtiri, ipsa veritas,

apertis verbis prædicat, nouissimos fore primos, & contrà, primos nouissimos. multos denique esse vocatos, paucos verò electos. Et quid vult hæc sententia, nisi vt cogitemus qui
Prou.28. olim fuerimus, quíque nunc & vbi simus? Eóque cum magnó timore & sollicitudine nostrá saluté operemur. Beatus enim qui semper est pauidus. Quòd si ignoramus qui olim fuerimus, ecce tibi ipsum Septuagesimæ nomé Ideòem huic dici Septuagesimæ nomé antiquitùs inditũ fuit, vt totum Mũdi huius tẽpus in septẽ ætates diuisum perscrutemur, an sit in vlla ætate, in vlla gente, qui non ipse miser & miserabilis aliorum possit succurrere miseriæ. Hunc (inquã) in vsum septem Dominici dies ad ipsam vsque Passionis Dominicam singuli suũ tempus habent: vt per omnes ætates mundi rerũ omnium casus ortúsque examinantes, omniúmque miseriã considerantes, nosmet humiliemus, & salutem nostram vni Christo Iesu Seruatori nostro, pro nobis diram mortem passo acceptã feramus. Hodie ergo hoc est, prima die Dominica totum illud tempus quod est ab Adã vsque ad Noẽ cõsiderandum proponitur. Secunda dies Dominica à Noẽ ad Mosen numerat. Tertia à Mose ad Dauid. Quarta à Dauid ad captiuitaté Babilonicam. Quinta à captiuitate Babylonica vsque ad Christum. Sexta à Christo ad consummationẽ seculi. Et hîc tãdem per mediatoris sanguinem hostis nostri potestas confracta est, nobísque data libertas. Septima autem requiei est, vbi Lætare nostrũ personabimus perpetuò. Hîc ergo considerandum, quòd in prima ætate non modò nemo fuit omnium qui succurrere posset, verumetiam quòd in ea initium omnis mali factũ est, causáque cum mortis ne-
Psalm.17. cessitate orta est. Hîc omnium vox fuit: Circundederunt me gemitus mortis, dolores inferni circũdederunt me. Et, Tibi,
Psalm.9. doíe, derelictus est pauper: Orphano tu eris adiutor. Et hæc cogitatio optima meditãdæ passionis Christi præparatio est. Quia non intelligetur bonum illud, nisi priusquàm nos illo eguerimus. omninò intellexerimus. Quanquam & ideò Septuagesima dici potest, quod cùm adhuc in mundo sumus, secundùm decem præcepta, vitam nostrã dirigere necessum habemus, & septem impedimentis remora nobis inijcitur, vt cum maiore difficultate id præstemus. Quemadmodum disertè simul & piè D. Bernardus differit, vbi miseræ huius vitæ ærũnas deflet, quæ numero & mẽsura opus habeat, eámque bea-

que beatam vitæ consuetudinem expetit, vbi sine numero sine mensura largiantur abundanti & superefflu̧enti, imò sine omni modo. Quando inquit captiuitas nostra finietur, quæ tot annos ab initio mundi protéditur? Quando liberabimur à seruitute ista? Quando restaurabitur Ierusalem sancta? Vtique completa hac Septuagesima, quæ ex denario & septenario constat, propter decem præcepta quæ accepimus, & septem impedimenta, quibus ab obedientia mādatorum retardamur. Sunt autem impedimenta: corpus, vitia, fortuna aduersa & secunda, ignorantia: Satan, falsi fratres. Ecce quibus verbis pius vir Septuagesimam hāc, hoc est, humanam miseriā defleuit. Haud dubiè Dauid idipsum respexit, quando ait: *Psal.136.*
Quomodò cantabimus canticum Domini in terra aliena. Et Paulus: Non habemus hîc manentem locū. Quamdiu enim *Hebr.13.*
in hoc corpore sumus, peregrinamur à Domino. Cùm ergo *2.Cor.5.*
humilitatis & sollicitudinis hæc nos admoneant, nēpè lapsus Adæ, ac nostræ miseriæ: certè quæ Christus in euangelio de admiranda illa vicissitudine loquitur, plus augent humilitatem & sollicitudinē. Nam etsi ab illa miseria liberati sumus, nec quicquam noceat lapsus Adæ: tamen quia tot exempla sunt eorum qui liberati quidem sunt, sed libertate rectè vsi non sunt, eóque à gratia exciderunt, brauium cuius causa libertatem acceperunt, non apprehenderunt: multa humilitate hîc opus est. Huius etiam pullæ vestes nos admonent, & intermissum Halleluiah. Imò Paulus in epistola hodierna sic curramus hortatur, vt apprehendamus, cuius causa in arenā hanc descendimus: tum alibi, vt bonum facientes nō deficiamus, neque efferamur, aut murmuremus. Hęc ad nostrā præparationem pertinent, quæ si præstiterimus, rectè nunc Septuagesimam celebrabimus, & passionem futuro tempore rectiùs & maiori cum fructu meditabimur.

DOMINICA SEXAGESIMAE EVANGELIVM, LVCAE VIII.

DIxit (Iesus) per similitudinem. Exijt qui seminat seminare semen suum. Et dum seminat, aliud cecidit secus viam, & conculcatum est, & volucres cœli comęderunt illud. Et aliud cecidit

ſupra petram, & natum aruit, quia non habebat humorem. Et aliud cecidit inter ſpinas, & ſimul exortæ ſpinæ ſuffocauerunt illud. Et aliud cecidit in terram bonam, & ortum fecit fructum centuplum. Hæc dicens, clamabat: Qui habet aures audiendi audiat. Interrogabant autem eum diſcipuli eius, quæ eſſet hæc parabola. Quibus ipſe dixit: Vobis datum eſt noſſe myſterium regni Dei: cæteris autem in parabolis, vt videntes non videant, & audientes non intelligant. Eſt autem hæc parabola: Semen eſt verbum Dei. Qui autem ſecus viam, hi ſunt qui audiunt: deinde venit diabolus & tollit verbum de corde eorum, ne credentes ſalui fiant. Nam qui ſupra petram, hi ſunt qui cùm audierint, cum gaudio ſuſcipiunt verbum: & hi radices non habent, quia ad tempus credunt, & in tempore tentationis recedunt. Quod autē in ſpinas cecidit, hi ſunt qui audierunt, & à ſollicitudinibus, & diuitijs, & voluptatibus vitæ euntes ſuffocantur, & non referunt fructum. Quod autem in terram bonā, hi ſunt qui in corde bono & optimo audientes verbum retinent, & fructum afferunt in patientia.

EADEM DOMINICA EPISTOLA, II. CORIN. II.

Libenter ſuffertis inſipientes, cùm ipſi ſitis ſapientes. Suſtinetis enim ſi quis vos in ſeruitutem redigit, ſi quis deuorat, ſi quis accipit: ſi quis extollitur, ſi quis in faciem vos cadit. Secundū ignobilitatem dico, quaſi nos infirmi fuerimus in hac parte. In quo quis audet (in inſipientia dico) audeo & ego. Hebræi ſunt, & ego. Iſraelitæ ſunt, & ego. Semen Abrahæ ſunt, & ego. Miniſtri Chriſti ſunt, & ego: vt minùs ſapiens dico, plus ego: in laboribus plurimis, in carceribus abundantiùs, in plagis ſuprà modum, in morti-

mortibus frequenter. A Iudæis quinquies quadragenas plagas vna minùs accepi. Ter virgis cæsus sum: semel lapidatus sum: ter naufragiũ feci: nocte & die in profundũ maris fui: in itineribus sæpe, in periculis fluminũ, periculis latronũ, periculis ex genere, periculis ex gẽtibus, periculis in ciuitate, periculis in solitudine, periculis in mari, periculis in falsis fratribus: in labore & ærũna, in vigilijs multis, in fame & siti, in ieiunijs multis, in frigore & nuditate: præter illa quæ extrinsecus sunt instãtia mea, quotidiana sollicitudo omniũ Ecclesiarũ. Quis infirmatur, & ego non infirmor? quis scãdalizatur, & ego non vror? Si gloriari oportet, quæ infirmitatis meæ sunt gloriabor. Deus & pater domini nostri Iesu Christi, qui est benedictus in secula, scit quod non mentior. Damasci præpositus gentis Aretæ Regis custodiebat ciuitatem Damascenorum, vt me comprehenderet, & per fenestram in sporta dimissus sum per murum, & sic effugi manus eius. cap. xij. Si gloriari oportet, non expedit quidem. Veniam autem ad visiones & reuelationes Domini. Scio hominem in Christo ante annos quatuordecim (siue in corpore, siue extra corpus nescio, Deus scit) raptum huiusmodi, vsque ad tertium cœlum. Et scio huiusmodi hominem (siue in corpore, siue extra corpus nescio, Deus scit) quoniam raptus est in paradisum, & audiuit arcana verba, quæ non licet homini loqui. Pro huiusmodi gloriabor, pro me autem nihil, nisi in infirmitatibus meis. Nam etsi voluero gloriari, nõ ero insipiẽs. Veritatem enim dicam. Parco autem, ne quis me existimet supra id quod videt in me, aut aliquid audit ex me. Et ne magnitudo reuelationum extollat me, datus est mihi stimulus carnis meæ, angelus satanæ, qui me colaphizet: propter quod ter Dominum rogaui, vt discederet à me, & dixit mihi. Sufficit tibi gratia mea: nam virtus in infirmitate perficitur. Libenter igitur gloriabor in infirmitatibus meis, vt inhabitet in me virtus Christi.

SERMO.



SVPERIOR sermo non solũ Dei Opt. Max. vel in vocãdis hominibus indefessum studiũ, vel in remunerando liberalitatẽ, (quod Euãgeliũ & Epistola) verũetiã nostrã egestatẽ, & sine Christi Seruatoris nostri passione miseriã, (quod Septuagesimæ nomẽ ac reliquæ illius diei ceremoniæ voluerũt) docuit. Quinquies cũ exijt, quinquies, hoc est, in omni æta-

te mundi atque hominis vocauit, laborem brauij coronæque præstantia proposita mitigauit, laborantes suo exilio iuuit, atque remunerauit: imò quicquid ad nuptiarũ spiritualium solennitatem petinet, præparauit, nósque in diuinitatis suæ societatem nostræ carnis suscepta imbecillitate adgregauit. Nos verò iræ filij extra paradisum expulsi, ipsi miserabiles & miseri, & in Deum eramus contumeliosi, & in homines inuidi: nulláque melioris conditionis vsquã apparebat spes, nulla expectatio, nisi Dei vocãtis, assumentis & remunerãtis interuenisset benignitas. Id quod prima ætas mundi, quæ est ab Adam ad Noe vsq; tẽpora, satis perspicuè docuit. Adam cum sua coniuge & peccati dederunt causam, & peccati portauerunt pœnam. Noe cum domo sua tota, alijque id genus homines, etsi Deum haberent propitium: tamen tàm non potuerunt vel se vel alios ex maledicto liberare, vt opus non habuerint in promissum Seruatorem prospicere, cúmque expectare omnes. Idem negotium præsens hic sermo tractabit, vt omnes intelligant quàm sine Christo nihil simus, & quàm ille nihil quæ ad benè beatéque viuendum nobis necessaria iudicantur, prætermiserit. Principio igitur quoad nomen Sexagesimæ, deinde ꝙ ad Euangeliũ discutiamus. Et Sexagesimæ quidẽ nomẽ ideò huic Diei est inditum, vt nos illius temporis quod est ab Noe vsque ad Mosen admoneat. Est enim hoc tẽpus, si à futuræ beatitudinis sabbato numeraueimus, veluti sexta ætas totius æui, quo cum hominibus Deus egit atque acturus est. Quanquam autem in hac ætate abundantiori quodam modo semen verbi sui is qui seminat seminauerit, & iam homines ex ephebis excesserint: nemo tamen omnium inuentus est, qui lapsum genus mortalium erigere, & suæ dignitati restituere posset. Nam Noe, Abraham, Isaac, Iacob, Ioseph, & alij pietatis certè illustria testimonia habent.
Gen.7. Ad Noe ipse Deus loquens, Te inquit, inueni iustum coram me in generatione hac. Ad Abraham verò etiam Gen
Gene.23. tes dicunt: Princeps Dei es apud nos. Ad Isaac etiam Abime
Gene.26. lech ait: Vidimus tecum esse Dominum. Iacob ab Aegypti
Genes.47. Pharaone benedicitur. Ioseph saluator mundi pro sua prudentia dicebatur. Omnes testimonio pietatis celebrati sunt, omnes DEO victimas obtulerunt, sed nemo verè saluare potuit: factúmque est, quemadmodum Propheta quidam in
Ezech.14. Dei persona postea dixit de Ierusalem. Si (inquit) Noe, Daniel &

niel & Iob fuerint in ea, Viuo ego, dicit Dominus Deus, quia filium & filiam non liberabunt. Imò vox Dei omnes terrebat, qua spiritum suum Deus non permansurum esse in homine in æternum, ac se quòd hominem fecisset pœnitere, apertè demonstrat. Etenim in hac hominum miseria cũ nullus præsens Saluator in omnibus nationibus & populis appareret, in venturũ olim Mesiã prospicere iubebantur, quemadmodum promisiones Abrahæ factæ clarè demonstrant: In semine tuo benedicentur omnes gentes. Id quod Patres & Prophetæ illius temporis non ignorantes, varijs appellationibus semen illud promissum, id est, Mesiam designarunt: quæ tamen omnia in futurum respiciunt. Omnium autem apertisimè Iacob, Non auferetur, inquit, sceptrum de Iuda, & dux de femore eius, donec veniat qui mittendus est: & ipse erit expectatio gentium. Quibus verbis hominum non suæ tantùm ætatis, sed omnium seculorum desiderium de futuro tunc, sed nunc exhibito mediatore & seruatore, expresit. Atq; hac ratione huic diei Sexagesimæ nomen inditum esse nemo ambigat. Facit autem eo, vt Christi Domini & Seruatoris nostri pasio & mors diligentiùs rectiúsque considerentur, vt quibus sine æternum miseris esse oportuisset: & vt tanti beneficij præstantia agnita, mentes nostræ ad gratias redemptori persoluendas accenderentur. *Gene.6.* *Gene.22.* *Genes. 49.*

Nunc porrò de Euangelio sermonem habeamus, in quo, vt suprà etiam monui, & Christi in nostræ salutis negotio studiũ, & nostra miseria atque peruersitas proponitur. Quorum quàm sit necessaria cognitio, ex eo licet colligere, ꝙ singulari quadã acclamatione Christus omnes auribus audiendi præditos, vt audiant cohortatur. Equidem & mihi hanc acclamationem necessariam esse iudico: eóque vt digito Dei reseratas & ad audiendum & ad obediendum aures animósque habeatis faciles, & hortor, & opto. Voluit autem Dominus parabola, hoc est, disimilium rerum collatione hîc vti, multis rationibus. Cùm enim Prophetis mos fuerit, non modò eo genere orationis, verùmetiam alijs quibusdam externis rebus vti, ad ea rectius inculcanda, quæ vellent omnibus persuasa (vt Ieremias cum laguncula sua testea fracta, idémque cùm catena lignea, Ezechiel capillorum suorum in tres partes diuisione, alijque alijs atque alijs rebus fecerunt, vt in Osea videre est:) Christus, vt ostenderet eodem se quo Pro- *Rationes cur Christus parabolis sit vsus.* 1 *Ierem.15.* *Idem 5.* *Ezech.5.* *Ose.1.*

phetæ spiritu sancto loqui, parabolis vti voluit, maximè cùm
Psal.77. ita futurum esse olim per Psalmistam in persona Dei vatici-
2 natum fuerat. Deindè vt hominum ruditati ac simplicitati in
seruiret: vt quéadmodum ad omnes etiam plebeios hæc perti
nent, ita ab omnibus etiam intelligerentur. Vt Paulus testa-
1.Cor.1. tur Deo non displicuisse per stultitiam prædicationis creden
1.Cor.3. tes saluos facere. & ipse Corinthijs non solidum cibum, sed
lac potum dedit, contra eos, qui tum demùm egregios se
Euangelij præcones autumant, quãdo nil nisi quadrupedan-
tia, & ne ab ipsis quidem intellecta verba sonant. Sed & ideò
parabolis vsus est: vt auditoribus inquirendi & interrogandi
occasionem daret. Quemadmodum huius Euangelij propo-
Luc.8. sita parabola discipuli faciunt. Denique etiam, vt certa quæ-
3 dam mysteria ab indignis & impijs absconderet. Id quod hîc
Ibid. quoque vult, cùm ait: Vobis datum est nosse mysteria regni
Matth.7. Dei, cæteris verò in parabolis. Non enim conuenit sanctum
4 dare canibus, aut porcis margaritas. Postremò etiam hac ra-
tione parabolis vsus est, vt externis rebus homines admone-
ret, in ipso etiam externo labore salutem & cogitare & ope-
rari. Voluit enim omnibus tergiuersandi excusandíque om-
nem præcludere viam. His (inquã) rationibus Christus cùm
hîc tum alibi parabolis ad populum locutus est, adeóque ipsi
hoc genus orationis vulgare fuit: vt Euangelista testetur sine
Mar.4. parabolis nihil ferè eum locutum fuisse. Suum ergo studium
in nostræ salutis negotio, nostrámque in eo peruersitatem po
pulo propositurus, seminantis seminísque similitudinem in-
Luc.8. fert. Exijt (inquit) qui seminat seminare, semen suum.
Seipsum homini sementem facienti confert: Semen verò ver-
bo Dei assimilat. Magna sanè vtrobiq; similitudo: & pulchrè
in multis conueniunt verbum Dei cum semine, & sementem
faciens cum Deo. Qua de re postea dicemus. Tria autem hîc
Christus sibi tribuit. Primò, quòd exijt: deinde, quòd semina
uit: tertiò, quòd non alterius sed suum semen seminauit.
Quæ tria perspicuè eius pro nostra salute studium indicant.
Nam cùm exire & seminare laboris sunt, tum seminis no-
tatio pretiosæ rei impensam significat. Exijt ergo qui semi-
nat. Mirabilis sanè hic est Dei exitus. Nouo enim modo
Ioan.16. & admirando exiuit. Exiui (inquit) à patre, & veni in mun-
dum. Volumus scire quomodò exierit à patre, in cuius sinu
ab æterno est? Paulum de hoc exitu loquẽtem audiamus: Qui
(Chri-

(Christus) cùm in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo, sed semetipsum exinaniuit, formam serui accipiens, in similitudinem hominum factus, & habitu inuentus vt homo, humiliauit semetipsum. Quemadmodum enim agricola rus abiens, manet quidē agri domúsque Dominus, sed viliori habitu indutus ad laborem sese accommodat: ita Christus integra diuinitatis natura manente, ipse Dominus omnium cùm in huius mundi agrum sementem facturus descenderet, specie non qualis in se erat, sed qualis nostri causa factus fuerat, apparuit. Et quomodò agricola sæpè quidem exit, sed non semper vt seminet, (aliquando enim vt aret, vt tribulos excidat, zizaniam euellat:) ita Christus sæpè ab initio mundi exiuit. Exijt enim, cum nefanda impiorum hominum scelera diluuio excìdit. Exijt, quādo Sodomam & Gomorrhā pro merito euulsit è medio, aut potiùs vt stipulas incendio conflagrauit. Verùm carnis nostræ sacco indutus venit, non vt iudicet mundum, sed vt saluetur mundus per ipsum: venit (inquam) quærere & saluum facere, quod perierat. Si quando in veteri lege exiuit, valdè peregrino habitu apparuit semper, quòd Deum nemo videre posset. Verùm in noua lege apparuit nobis in filio, qui est imago substantiæ eius, & splendor gloriæ: in quo tanta abundantia sese infudit & exhibuit diuina claritas: vt non liceat alienum patrem fingere, quàm est filius. Id quod ipse testatur ad Philippum loquens. Qui videt me (inquit) videt & patrem meum. Et: Ego & pater vnum sumus. Quamquàm igitur exire Deum, de apparitionibus illis diuinæ præsentiæ in veteri lege intelligi possit: propriè tamen CHRISTO nihil aliud est exiuisse, quàm carnē assumpsisse. Verùm Dei filium humanam carnem assumpsisse, cuiusmodi diuinæ voluntatis & affectus erga nos indicium sit, & alibi dictum esse sæpè, & intelligimus omnes: aut si non consideramus, nec cogitamus, pro deploranda incuria sumus reprehensibiles. Quòd si fortè cui parum videtur isto modo exijsse eum qui seminat, quòd inutilis non fuerit hic exitus cogitet. Ideò enim exiuit, vt seminaret, & quidem pretiosum & proprium semen. Vt autem intelligamus quid sit seminare, veritate interprete semen verbum Dei esse accepimus. Neque miremur verbum Dei tam exiguæ rei conferri. Nam nec exigua res est semen, quantumuis tale videatur: &

Phil.2. *Genes.6.* *Genes.19.* *Ioan.3.* *Luc.19.* *Exod.33.* *Heb.1.* *Ioan.14.* *Ioan.10.17.*

multa sunt in quibus semen & verbum Dei conueniunt. Quemadmodum enim semen nostræ sustẽtationis & alimoniæ initium est, ita & verbum spiritualis vitæ nostræ conseruatio est, & vt misso vel non misso in terram semine, fructus magna vel nulla spes est, ita etiam vbi vox verbi Dei sonat, magna fructus spes est & expectatio contrà, vbi non sonat. Id quod Dominus in veteri atque nouo testamentis ostendit.
Isai.55. In veteri quidem, Verbum (inquit) meum, quod egredietur
Matth.21. de ore meo, non reuertetur ad me vacuum. In nouo autem
Luc.13. vt quod ficui folia quidem, sed nullum fructum habenti ma-
Matth.7. ledixit. Tum, quòd in parabola arborem non ferentem fructum excidi mandat, & omnem arborẽ eiuscemodi excidendam & in ignem mittendam, ab ipso etiam patre prædicit.
Ioan.19. Sunt & alia multa, in quibus verbum & semen conueniunt, quę hic breuitatis studio pretereo. Nec semini tãtũ, sed multis etiam alijs rebus confertur verbum Dei. Ducuntur autem
Matth.13. eiuscemodi collationes plerũquè ab effectibus. In Matthæo cõfertur grano sinapis, quod queãdmodum illud minimum est omnium seminum, & missum in eam succresit firmitatẽ:
Rom.1. vt volucres cœli nidificent in eo: ita verbũ Dei vile quidẽ aspectu primo videtur, sed credentibus virtus est ad salutem. Fermento autem, quòd vt fermentum totam massam peruadit, ita verbum totum hominem à quo susceptum est, in se rapit. Thesauro, quòd veras posſidenti diuitias confert. Vnde CHRISTVS beatos pronunciat, qui audiunt & custodiunt illud. Eadem ratione & margaritæ comparatur. Sagenæ verò, quòd isto ex peccati profunditate in lucem veram attrahamur, & in littus immortalitatis ducamur.
Ioan.4. In Ioanne dicitur fons aquæ viuæ in vitam æternam saliẽtis. Nempè, quòd viuificantem habeat virtutem, voluit innuere. Id quod in eodem quoque testatur. Venit (inquit) hora, in qua omnes qui in monumentis sunt, audient vocem filij Dei,
Idem 5. & qui audierint, viuent. Idem Petrus ad Christum loquens
Idem 6. ait: Verba vitæ æternæ habes. Nimirùm, quòd ipsius est
Ioan.1. verbum, qui verbum ipse substantiale patris est, quòd Ioannis testimonio, nostráque omnium fide lux atque vita est hominum.
Psal.77. minum. Dauid ipsi vim liquefaciendi attribuit, idq; fide-
Cant.3. lis in Canticis anima professa est. Anima (inquit) mea li-
Ioan.15. quefacta est: vt dilectus locutus est mihi. Christus & Paulus
Ephes.5. ipsi purificandi vim tribuunt. Rursus Dauid lumen & lucernam pe-

cernam pedes atq; oculos illuminãtem dicit. Christus ignem *Psal.118.18.*
in terram missum dicit. Et duo in Emaus hoc ipso se suáque *Luc.24.*
corda accensa fuisse fassi sunt. Moses panis dicit habere virtu *Deuter.8.*
tem, quo ex ore Dei prodeunte homines viuant. Christus ci- *Ioan.16.*
bum non pereuntem, sed in vitam æternam manentẽ esse ait.
Isaias in persona Dei aquam sitim extinguentem, & bona *Isai.55.*
terræ appellat. Rursum Paulus gladium spiritus vocat. Da- *Ephes.6.*
uid virtutem sanandi ipsi tribuit, cùm de Deo loquens ait: *Psal.106.*
Misit verbum suum, & sanauit eos. Id quod & Centurio *Matth.8.*
professus est. Domine (inquit) dic verbo, & sanabitur puer *Luc.2.*
meus. In hoc verbo Simeon obdormire voluit: hoc deniquè *Matth.25.*
inter bonos & malos diuidet, cùm sua immutabili sententia
bonos in vitam, malos adiudicabit in gehennã. Dies me defi-
ciet, si singula enumerare voluero, quę huius seminis, hoc est,
verbi Dei præstantiam indicant, de quo Isaias breuissimè, sed *Isai.1.*
verissimè ait: Nisi Dominus reliquisset nobis semen, sicut
Sodoma & Gomorrha fuissemus. Quãquàm in alium finem
isthæc dicat Propheta Euangelicus. Hoc modo natura atque
virtute seminis verbi Dei considerata, facilè est, non modò
quid sit, sed & quale sit, & cuiusmodi beneficium, quòd Chri
stus exijt hoc suum semen seminare, cognoscere. Dauid certè
& Moses, & Baruch, & Paulus, alijq́; egregiè hoc diuinæ di-
gnationis beneficium prædicarunt. Dauid quidem sic canit: *Psal.147.*
Lauda Ierusalẽ Dominum, qui annũciat verbũ suum Iacob,
iustitias & iudicia sua Israel. Non fecit taliter omni nationi,
& iudicia sua nõ manifestauit eis. Moses verò, Hæc est (inqt) *Deuter.4.*
sapiẽtia vestra, & intellectus corã populis, vt audiẽtes vniuersi
præcepta hæc, dicant: En populus sapiens & intelligens, gens *Idem 5.*
magna. Et iterum: Audi Israel, Dominus Deus noster pepi-
git nobiscum fœdus in Oreb: Facie ad faciem loquutus est no
bis de monte, in medio ignis. Baruch etiam, Beati (inquit) *Baruch.4.*
Israel sumus, quoniã quæ Deo placẽt, manifesta sunt, nobis.
Deniquè Paulus omnium magnificè, Multifariè (inquit mul *Hebr.1.*
tísque modis olim Deus loquẽs in patribus, nouissimè diebus
istis locutus est nobis in filio. Videtur autem Paulus sic argu-
mentari: Si seminasse semen suum, hoc est, verbum suum per
Prophetas multis modis prædicasse Deum, summa laude di-
gnum est beneficium: quale est, quòd his nostris temporibus
nobis loquutus est in proprio filio? Certè tantũ est Christum
prædicauisse: vt Abrahã, qui cũ Deus familiariter loqui con-

Luc.10. fueuit, vehementer desiderauerit vnum diem Christi videre: quemadmodum & alij Reges & Prophetæ voluerũt audire, sed non audierunt. Cùm autem eximia hæc sunt diuinæ bonitatis indicia, quòd exijt & seminauit Christus: tum verò auget bonitatem illam, & illustriorem reddit, quòd suũ semen Ioan.12. seminauit. Vt enim Christus substantiale verbum est Patris, ita quæ ipse ad nos loquitur, sua propriè sunt respectu nostri. Ioan.7. Quãquàm enim. Christus alibi sæpè dicat, verba quæ loquitur, non sua esse, sed patris, à quo sit missus: tamen non hoc di Ioan.10. xit, ꝙ non sunt sua, sed quòd habeat ea propriè sua cũ patre, cum quo vnũ est: hoc est, quòd sua sunt, quatenus Deus cum patre vnus est, non sua, quatenus homo tãtùm est. Et per hoc duo innuit, primùm præstantiam verbi Dei, sicut enim à magno nõ nisi magnum proficiscitur: ita etiam à Deo nil nisi diuinum expectandum est, hoc est, summa illa diuina maiestate dignum. Et hoc dicit, vt verbum Dei veluti magnũ aliquod & à Deo profectum bonum admiremur & in pretio habeamus, nec leuiter aut iocosè illud vsurpemus. Deinde etiã ideò suum dicit, vt adimat humanam arrogantiã, ne quasi nostro merito debeatur prædicati verbi beneficentia, superciliũ ducamus, aut efferamur. Et hæc quidem de Christi in nostræ salutis mysterio studio atque affectu dicta sint: quòd exijt & seminauit suum semen gratuita benignitate, hoc est, quòd voluntatem patris notam fecit, viã salutis verbo atq; exemplo mõstrauit. Prius autẽ quàm ad alterã Euãgelij huius partem veniamus, quæ nostram socordiam & peruersitatẽ negligentiámque declarat, dicendum est aliquid de eo, quod Christus Luc.8. ad Apostolos ait: Vobis datum est nosse mysteriũ regni Dei, cæteris autem in parabolis, vt videntes non videãt, & audientes non intelligant. Sunt enim qui hæc audientes, miras blasphemię voces effutiãt. Si (inquiunt) fides & diuinarum vera cognitio donum Dei est, nec eam omnibus ex æquo participat, quid de nobis conqueritur? quis eius voluntati resistere potest? quis hæc nisi dãte illo habere potest? cur vt credamus: Rom.11. vt agnoscamus & saluemur non largitur? Sunt hæc certè Dei scientiæ & sapientiæ abscondita altitudo, quam ipse etiam Paulus vt incomprehensibilia vehementer admiratur. Sed voces illæ Apostolica authoritate comprimendæ sunt. O homo (exclamans Paulus ait) quis es qui respõdeas Deo? Nunquid dicit figmentum ei qui se finxit, quid me fecisti sic?

An non

An non habet potestatem figulus luti ex eadem massa facere aliud quidem vas in honorē, aliud verò in contumeliā? Quod ergo Christus hîc ait: vobis datum est, ostendit ea quæ ad regnum Dei pertinent, humanæ rationi manere abscondita, quatenus cœlitùs non manifestantur. Regnum enim Dei spiritale est, ratio verò humana externa tantùm & cum difficultate quadam cognoscit. vt ad Petrum Christus: Caro & sanguis nō reuelauit tibi, sed pater meus qui est in cœlis. Et Paulus testatur sapientiam Dei absconditam esse, & neminē principum huius seculi eam cognouisse: sed nobis reuelatam esse eam à Deo per spiritum. Ideóque orans petit, vt hominum mentes impleantur agnitione Dei: quòd ratio nostra minus sufficiens sit, & superna ad eam rem illustratione indigeat: quòd nemo nisi illuminatos diuinitùs oculos habeat, mysteria regni Dei verè intelligat. Id quòd Christus consequenter vult, cū cæteros in parabolis quæ Dei sunt audire, demonstrat. Cui simile est illud in Mose, Vidisse quidē Israelem oculis suis signa illa portentáque ingentia quæ fecit Dominus. Sed (inquit) non dedit vobis Dominus cor intelligēs & oculos videntes, & aures quæ possint audire, vsque in præsentem diem: & quòd Paulus de Deo loquēs ait: Cuius vult miseretur, & quē vult indurat. Verū ne quis hîc offendat, suámque iniquitatē Deo impingat, aut iniustitiæ eum, qui solus iustus est, & cuius viæ veritas sunt, arguat: ecce duas, imò plures causas Christus in Matthæo refert, cur Deus huic det, alteri non det. Qui (inquit) habet, ei dabitur, & abundabit: qui autem non habet, & quod habet auferetur ab eo. Ac si dicat: Omnibus veræ ac cœlestis doctrinæ rudimenta pro mea beneficentia obtuli: Iudæis per legem loquutus sum: Gentibus sapientiam & intellectum, vt per creaturas creatorem possent agnoscere, dedi. Qui his donis meis rectè, non ad malitiam vtuntur, vt maiora præstem me commouent: abutentibus ipsa etiā quæ dedi rudimenta subtraho. Ecce tibi causam cur alijs det, alijs non det. Fides fidem, & incredulitas incredulitatem suscitat: & Deus quidem vt opus aliud alio remunerat, ita peccatum peccato compensat. Exemplo est Abraham, qui primæ voci Dei credens, tantam fidē postea consequutus est, vt Scriptura teste, contra spem in spem crederet. Cōtrà, gentes quia iis quæ Deus manifestauit, abusi sunt, quia commutauerunt veritatē Dei in mendaciū: traditi sunt in desideria cor-

Matth.15. *1.Cor.1.* *Ephe.1.* *Deuter.29* *Roman.9.* *Matth.13.* *Gene.17.* *Roma.4.* *Roma.1.*

dis sui, in immunditiam: traditi sunt, inquã, in paſsiones igno miniæ, mercedem, quam oportuit, erroris sui in ſemet ipſis re cipientes. Deinde & alias cauſas cæcitatis huius Christus ex
Iſai.6. Iſaia enumerat. Verba autẽ Prophetæ hæc ſunt: Audite au- diẽtes, & nolite intelligere: & videte viſionẽ, & nolite cogno- ſcere: Excæca cor populi huius, & aures eius aggraua, & ocu- los eius claude: ne fortè videat oculis, & auribus ſuis audiat, & corde ſuo intelligat, & conuertatur, & ſanem eum. Voluit autem Propheta tres differentes cauſas cæcitatis ſiue ignorã tiæ illius enumerare. Nam prophetam non imprecari vt fiat quod futurum erat, ſed futura certo Dei iudicio annunciare, notum eſt ex ſimilibus locis. Quẽadmodũ Dauid etiã multa quæ multo pòſt tẽpore futura erãt, quaſi iam tum facta fuiſ- ſent, ex infallibili futurorũ cognitione prædixit. Primam igi tur cæcitatis cauſam, hoc eſt, cur Deus aliquibus hominibus regni Dei myſteria non det, enumerans, Obſtina(inquit) cor populi huius. Obſtinationẽ verò hanc non Dei indurationẽ,
Zach.7. ſed hominum peruicacia fieri. & Zacharias, & Dauid, & Iob teſtes ſunt locupletiſsimi: Cor ſuũ poſuerũt vt adamantem, ne audirẽt legem. Prodijt quaſi ex adipe, id eſt, nõ ex ignorã-
Pſalm.71. tia aut imbecillitate, ſed ex pertinaci malitia iniquitas eorũ.
Iob.15. Cucurrit aduerſus Deum erecto collo, & pingui ceruice ar- matus eſt. Secunda cauſa eſt, quòd ait: Aures eius aggraua.
Pſalm.57. Hoc Dauid ſic refert: Furor illis ſecundũ ſimilitudinẽ ſerpen tis, ſicut aſpidis ſurdæ, & obturantis aures ſuas, quæ nõ exau- diet vocẽ incantantium, & veneficij incantantis ſapienter. Vt
Matth.26. Caiphas ſciſsis veſtimentis Christum eſſe filium Dei audire noluit: vt cæteri etiam Iudæi, cùm Stephanus de Ieſu & aper-
Acto.7. to cœlo diceret, aures ſuas continuerunt, & dẽtibus in eũ ſtri dentes, vnanimiter impetum fecerũt in eũ. Tertia cauſa eſt,
Iob 24. quòd ait: Oculos eius claude. Id Iob hîc refert: Rebelles fue-
Ioan.3. rũt lumini. Et Christus, Dilexerũt(inquit) tenebras magis quàm lucem. Hæ ſunt rationes cur Deus nõ det noſſe myſte ria regni Dei. Obtulit prima cœleſtis doctrinæ rudimẽta: de- dit in ratione intellectũ, voluntatẽ, memoriã, in corpore ſen- ſus. His ſi abutimur, qua mẽte noſtrã peruerſitatẽ in Deum reijcere cõtẽdimus? Popule meus(inquit Dominus) quidnã
Mich.6. feci tibi, aut in quo moleſtus fui tibi? Imò(inquam) quid non
Oſe.13. fecit, quod debuit? Perditio tua ex te Iſrael. Et hanc noſtram peruerſitatem CHRISTVS amplius in hoc Euangelio de- monſtra-

monstrauit, Suum DEVS officium fecit, exijt, semen suum seminauit. Vbi impedimenta, quæ fructus expectatos remorantur? Non in semine. Viuus est enim sermo Dei & efficax, *Hebr. 4.*
& penetrabilior omni gladio ancipiti, & pertingens ad diuisionem animæ & spiritus, compagum quoque ac medullarum, & discretor cogitationum, & intentionum cordis. Nunquid non verba mea (inquit Dominus) sunt quasi ignis, & *Ierem. 23.* *Ezech. 18.*
quasi malleus conterens petram? Sed nec in Deo. Non enim *1. Timo. 2.*
vult mortem peccatoris, sed vult omnes saluos fieri. Neque etiam in Christo. Venit enim vt vitam habeamus, & abundã *Ioan. 10.*
tius habeamus: venit (inquam) ignem mittere in terram: & quid vult nisi vt ardeat? Neque semper in Diabolo. quanquã *Luc. 12.*
alibi inter bonum semen zizaniam suam seminat: & hîc dici- *Lucæ. 8.*
tur tollere verbum de cordibus hominum, ne credentes salui fiant. Igitur in terra, hoc est, in nobis ipsis sunt impedimenta fertilitatis. Quemadmodum enim semen per se fructum non fert, nisi seminatum fuerit in terram: ita nec terra ex sese nisi suscepto semine fert fructum, & plerumque secundum terræ qualitatem iudicatur fructus. Simul autem coniunctis terra & semine, fructus redditur: ex bonis bonus, ex malis malus. Tria autem enumerat Christus impedimenta, negligentiã, inconstantiam, & rerum mundi huius inordinatam cupiditatem. Negligentia fit, vt verbũ Dei nec atentè (vti cõueniebat & æquum erat) audiamus, nec in memoria fida retineamus: fiántque mẽtes nostræ veluti via quædam per quã multi vagantur, ambulant, nemo cõsistit. Id quod fit cũ nihil certi cõstituitur, quid sequendũ, quídue fugiendũ sit: cùm nunc spiritum in nobis, nunc carnẽ dominari permittimus. Qua sanè negligẽtia fit, vt diabolo liber ad nos pateat accessus, qui verbũ tollat: quo sublato fides deficit, & salutis qui speratur fructus deperit. Significantissimè autẽ posuit cõculcari semẽ hoc in via. Nimirùm, vt negligatur verbũ Dei, diabolus quosdam nequam homines suscitat, qui in quã volunt partem flectentes verbum, quasi pedibus terunt & conculcant, vt inutile ad ferendum fructus, esca fiat diaboli. Id quod persiguratũ est tum, quando sementem facientibus Israel populis, Madianitæ deuastarunt omnia: Porrò inconstantia facit, vt veluti semen quod supra petram cadens exarescit, verbum Dei suscipiamus quidem cum gaudio, sed ad tẽpus credentes temporales, in tẽpore tentationis recedamus. Sicut Petrus & alij *Iud. 6.* *Ioan. 6.*

Apostoli Christo facienti miracula adhærebant, verba vitæ
Idem 13. æternæ ipsum habere profitentes, in mortem cum ipso ire pa
Matt.26. rati erant: at cùm tempus adesset, relicto Christo omnes fu-
Matth.13. gerunt. Quos in Matthæo temporales dici legimus, eò quòd ad temporis hominúmque qualitatem sese trásformát. Denique inordinata rerum múdi huius cupiditas facit, vt quomodo semen inter spinas satum simul succrescentibus spinis suffocatur: ita nos verbum quod suscepimus, simul cú curis, sollicitudinibus, & voluptatibus seculi huius crescere quidem permittamus, sed ipsimet postea voluptatibus quàm verbo maiorem locum in nobis concedentes, suffocemus ortú. Non
Ioan.5. enim licèt duobus dominis seruire: nec conueniunt Christus
Phil.3. & Belial, nec in vna sede morantur. Non possunt credere, qui gloriam ab inuicem recipiunt. Sicut etiá Apostoli temporibus crucé Christi fugitabant quidam, eò quòd ventré suú haberent Deum. Mira comparatio diuitiarum & spinarú: cú illæ delectent hominum iudicio, hæ pungát. Sed reuerà pungút etiá diuitiæ, quú multa aspectu promittant, parum in re-
Matth.13. cessu tribuant. Vnde in Mathæo Christus falaciam dixit di-
1.Timo.6. uitiarum, Paulus incertum diuitiarum vocauit, Salomon vé to & vmbræ cóparat. Hæc sunt in nobis demolienda impedi-
Eccle.14. menta, quorú causa verbú Dei deperit in multis. Simili inten
Luc.14. tione Christus cœnæ magnæ, & nuptiarú similitudines pro-
Matth.22. posuit: quibus & Christi in nostræ salutis negotio studiú declaratur, & nostra negligentia incuriáq; arguitur. Et sanè si omnes essemus, quales sunt plurimi, si nemo fructum ferret, frustrà semen suú seminaret is qui seminat. Verùm sicut multorú incredulitas fidé Dei nó euacuat: ita nec quorundá siue negligentia, siue incóstátia, siue etiam rerú múdi huius cupiditas Dei agricolæ impedit studium. Seminat ille perpetuò: & licèt plurima pars seminis pereat, aliquot tamé grani in terram boná cadunt, & fructificant in patiétia. Vult enim Deus semper aliquos esse qui verè amplectantur verbum Euangelii, & dignos hac tanta vocatione fructus ferant, sicut in Isaia
Isai.55. futurum prædixit. Neque enim finis hic est sementem facientis, vt vel prædicetur, vel audiatur tantùm, vt multi putant,
Matth.13. neque vt de eo glariemur, vt ferè omnes: sed vt fructus feratur gratus, fructus (inquam) centesimus, sexagesimus, tricesimus, vt in Matthæo est. quorum postremú vel cóiugatorú, vel incipientium, vel bona cogitátium, vel bona externa pro

fide re-

fide relinquentium est:medium viduorũ,proficientiũ, bona cogitantium,corpus pro Christo tradentium:primum verò, virginum,perfectorum,bona facientium,animam pro Deo deponentium. Hos gradus hic positos esse veterum sententia est. Non enim omnia possumus omnes, nec Deus ad impossibilia obligat.contra eos,qui nullam huiusmodi rerum diuersitatem,omnia verò æqualia esse malè iudicant. Et hic fructus in patientia afferendus est. Quẽadmodũ semen in terram proiectum priusquã in fruges assurgit,hyemis iniurias, glaciem,niuem, æstatis inundationes,tonitru, grandinem sustinet:ita in homine pio multa perfert diuinum semen antequàm ad messem expectatã perueniat. Id quod Paulus vult, *Acto.14* cùm ait:Per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei. Et:Omnes qui piè volunt viuere in Christo Iesu, *1.Timo.3.* persecutionem patiẽtur. Imò suo ipsemet exemplo in hodierna Epistola recenset,quantũ suscepto semine illo sudauerit, quantum sustinuerit. Et ideò huic Euangelio Epistola eiusmodi adiuncta est,vt cum seminantis studium in nostræ salutis negotio intelligimus, bona terra esse Pauli exemplo studeamus.

DOMINICA QVINQVAGESIMAE EVANGELIVM, LVCAE XVIII.

ASsumpsit autem Iesus duodecim, & ait illis: Ecce ascendimus Ierosolymam, & consummabuntur omnia quæ scripta sunt per Prophetas de filio hominis. Tradetur enim gentibus, & illudetur,& flagellabitur, & conspuetur: & postquam flagellauerint,occident eum, & tertia die resurget. Et ipsi nihil horum intellexerunt. Et erat verbum istud absconditum ab eis,& non intelligebant,quæ dicebantur. Factum est autem cùm appropinquaret Iericho, cæcus quidam sedebat secus viam mendicans. Et cùm audiret turbã prætereuntẽ,interrogabat quid esset. Dixerũt autẽ ei quòd Iesus Nazarenus transiret. Et clamauit di-

cens: Iesu filij Dauid miserere mei. Et qui præibāt, increpabāt eū vt taceret. Ipse verò multò magis clamabat, fili Dauid misereremei. Stans autē Iesus iussit illū adduci ad se. Et cùm apropinquasset, interrogauit illum dicens: Quid tibi vis faciam? At ille dixit: Domine, vt videam. Et Iesus dixit ei: Respice: Fides tua te saluum fecit. Et cōfestim vidit, & sequebatur illum magnificās Deū Et omnis plebs vt vidit, dedit laudem Deo.

EADEM DOMINICA EPISTOLA, I. CORINT. XIII.

Si linguis hominum loquar, & angelorū, charitatem autem non habeā, factus sum velut æs sonans, aut cymbalum tinniens. Et si habuero prophetiā & nouerim mysteria omnia, & omnē sciētiā, & si habuero fidem, ita vt mōtes transferam, charitatem autē nō habuero, nihil sum. Et si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, & si tradidero corpus meum, ita vt ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest. Charitas patiēs est, benigna est: Charitas non æmulatur, non agit perperàm, non inflatur, non est ambitiosa, non quærit quæ sua sunt, non irritatur non cogitat malum, non gaudet super iniquitate, congaudet autem veritati. omnia suffert, omnia credit, omnia sperat, omnia sustinet. Charitas nunquam excidit, siue Prophetiæ euacuabuntur, siue linguæ cessabunt, siue scientia destruetur. Ex parte enim cognoscimus, & ex parte prophetamus. Cùm autē venerit, quod perfectum est, euacuabitur quod ex parte est. Cùm essem paruulus, loquebar vt paruulus, sapiebam vt paruulus, cogitabā vt paruulus. Quando autem factus sum vir, euacuaui quæ erant paruuli. Videmus nūc per speculum in ænigmate, tūc autē facie ad faciē. Nūc cognosco ex parte, tunc autē cognoscam, sicut & cognitus sum. Nūc autē manēt fides, spes, charitas, tria hæc: maior autē horū charitas.

SERMO.


IN tanta mundi huius tánque immani, crudelíque impudentia, & impudēti immanitate hominū, ecce Christus Iesus Ierosolymā passurus ascēdit, suísq; quos è mūdo elegit, à mūdo secretos assumpsit: de passione cōcionatur: cæcus secus viam

fecus viam ſedens mendicat, & vt videat, inabrupto Dominum ſermone precatur:& ne quid quod ad tãtæ væſaniæ deteſtatiionem,aut ad noſtræ multis lachrymis deplorãdæ conditionis admonitionem facere poſsit, prætermittatur: quintæ mundi ætatis,quæ eſt à Moſe ad Dauid, omnibus proponitur miſeria. Et vt mundus directè cum Chriſto,cum pietate,omni virtute,æquitate, honeſtatéq; pugnat, ſui nimirùm vbiq; ſimilis:quis non miretur Chriſtianos ſanctæ religionis Sacramentis inauguratos,neglecta pietate abiectáque honeſtate,mundum potiùs ad exitium, quàm Chriſtum ſequi ad vitam? Cùm tanto ſtudio extirpandæ zizaniç,ſeminandíque boni ſeminis,Chriſtus, Apoſtoli,Martyres,Paſtoréſq; in Ecclesia laborarint,quis non cum ſeruis illis in Matthæo ad patremfamiliâs hæc videns accurreret, ac quæreret: Domine, nónne bonum ſemen ſeminaſti?vnde ergo zizania? Cũ cuncta,quibus nunc præmimur mala,tantæ ſint haud dubiè ſtipẽdia væſaniæ ac leuitatis,quis nõ cũ Baruch miraretur&,diceret:,Quid eſt Iſrael,ꝙ in terra inimicorũ es? Inueteraſti in terra aliena:coinquinatus es cũ mortuis:'deputatus es cũ deſcẽdẽtibus in infernũ:dereliquiſti fontẽ ſapiẽtiæ. Nã ſi in via Dei ambulaſſes, habitaſſes vtiq; in pace ſuper terrã. quis nõ cũ Paulo exclamaret: O inſenſatæ hominũ mentes, quis vos faſcinauit non obedire veritati: ante quorum oculos Chriſtus proſcriptus eſt,& in vobis crucifixus? Currebatis benè: Quis vos impediuit veritati non obedire? An ignoratis quia non vocauit nos deus ad immunditiam, ſed in ſanctificationem? An non ideò gens ſancta,genus electum,regale ſacerdotium,populus acquiſitionis facti eſtis, vt virtutes annuncietis eius qui de tenebris vos vocauit in admirabile lumẽ ſuum? An non ſemel lauaſtis pedes veſtros in ſanguinẽ agni? & cur inquinatis eos?An fortè non legiſtis, quoniã qui mala agũt, morte ſunt digni,nec ſolũ qui faciunt ea, ſed etiã qui conſentiunt faciẽtibus:An nõ eſt malè agere, pedes animæq; inquinare,lumen refugere,in tenebris ambulare,faſcinari,inſenſatum eſſe?quod plerique faciunt nunc. An non eſt conſentire facientibus,videre & conniuere,riſu & quodam tacitæ mentis applauſu fauere?Quid alieniùs ab homine non dico regenerato,ſed purè naturali,quàm facie humana, vel velata,vel fuco depicta,media luce laruarum more circumcurſare,omnium ſe ludibrio exponere,nihil inſolentiæ, leuitatis, ſcurri-

Math.13.
Baruch.3.
Galat.3.
Ibid.5.
1.Theſ.4.
1.Pet.2.
Canti.5.
Roma.1.

litatísque intermittere, tantùm ne homini videatur similis? quid, inquam, indecētiùs, quàm pro cōcitatiori libidinis incentiuo viros muliebribus, & cōtra, vestimentis vti? Et quid
Deute.22. de his Scriptura? Abominabilis apud Deū est, qui facit hoc. Iam quid de ijs dicam, qui præter furias illas, comessationibus, crapula, luxuria, ita certant cernui, vt & substantiæ, vxori, liberis calamitatem inuehant, & suimetipsorum homicidæ fiant? quos nec pietas retrahit, nec metus coërcet. Sed, in-
1.Cor.7. quiunt, tempori inseruiendum est. Audiant ergo Apostolos
1.Ioan.2. respondenteş: Tempus breue est, filioli, nouissima hora est, videte quomodò cautè ambuletis: non quasi insipientes, sed
Ephe.5. vt sapientes, redimentes tempus, quoniā dies mali sunt: Eratis enim aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino.
Roma.12. Nolite inebriari vino, in quo est luxuria: nolite conformari huic seculo, sed reformamini in nouitate sensus vestri, vt probetis quę sit voluntas Dei bona, & beneplacens, & perfecta. His itaque si quid habent ganniendo opponant, hoc est, veritati non obedientes, pietatē oppugnent: aut quod nobis expectatius, ipsis salutarius est, furias excutiant, ad cor redeant, & nobiscum Euangelij sensum perquirant, próq; ista crudeli væsania his diebus hunc sedulò cogitent. Inuenient certè, quibus ad meliora charismata æmulanda incitentur, si modò præsentibus animis adesse voluerint, seséque à mundo tantisper secreuerint. Nam si hęc Sacramenta à mundo & in mūdo potuissent intelligi, frustrà Christus suos secretò à turba assumpsisset. Sed non omnes capiunt hoc verbum crucis,
1.Cor.1. cùm sit Iudæis scandalū, Gentibus autem stultitia. Mundus gaudia sectatur, & hæc quasi fœlicitatem prædicat magnificè: in his quiescit, non agnoscit crucem præbere iter ad cœlestem gloriā. Et quid Christus à mundo secretis Apostolis loquitur? Ecce nos ascendimus Ierosolymā: Mundus cū sua sibi placeat insania, Bacchi annales celebret lepidissimè, sit ebrius, & surgat ludere: nobis aliud propositum sedet menti: Clausum hactenùs cœlū crucis viatoribus patet, hûc tendimus magno nisu, quotquot nō huic nos mūdo genitos agno
2.Cor.6. scimus: Quid nobis cœli ciuibus cū mundo? Quæ pars fideli cum infideli? Cur Dei serui, amici, fratres, cū infidelibus iugū
Mar.10. vultis ducere? En vos præcedo, me sequimini: Oportet Chri
Luc.24. stum pati, & ita intrare in gloriā suam: Non est seruus maior
Luc.6. Domino suo, neque discipulus suprà magistrum: Oportet
ergo qui

ergo qui eos piè hîc volunt viuere, per multas tribulationes intrare in regnum Dei. Hoc modo CHRISTVS omnes nos alloquitur, vt abnegantes secularia desideria, susceptũ pa triæ cœlestis iter perficiamus, armatíque contra crucis scandala, sobriè, iustè, & piè viuamus in hoc seculo. Et omninò necesse est, nisi à via cœlestis patriæ deuiare voluerimus, Christum hoc modo loquentem audire, præeuntémq; sequi. Nemo enim venit ad patrem, nisi per filium: & nisi vnum cum filio factis non licebit cœlum ascendere. Nemo ascẽdit in cœlum, nisi qui descendit de cœlo, filius hominis qui est in cælo. Hic enim solus crucis scala in cœlum à terra erecta docuit ascendere, imò ipse scala factus, per quem ascenditur, cùm ea quæ in cælo quæque in terra sunt reconciliauit, impedimentáque quæ nos ab ingressu patriæ remorabantur, disiecit. De quo cùm ipse aliquando concionaretur, dixit: Sicut Moses exaltauit serpentem in deserto, ita exaltari oportet filium hominis: vt omnis qui credit in illum, non pereat, sed habeat vitam æternam. Quòd autẽ passionis eiusmodi & crucis prædicatio plurimùm valere debeat, cùm ad abneganda secularia desideria, tum ad sequendum præeuntem Christum: ex eo colligimus, quòd non vnus Euangelista tantùm, sed tres, Lucas 18. Matth. 20. Marc. 10. cap. hæc Christi verba commemorant, ipséque Christus non semel aut vno in loco, sed vt rem magni momenti, sæpè pro hominum diuersitate proposuit. Nam cùm primus omnium Petrus Christum filium Dei viui confessus esset, Exinde (inquit Matthæus) cœpit Iesus ostẽdere discipulis suis, quia oportet se ire Ierosolymam, & multa pati à senioribus, & scribis, & principibus sacerdotum, & occidi, & tertia die resurgere. Quanquàm & aliæ multæ rationes sunt, cur prædixerit: nempe, vt Apostoli non nudam passionem, sed patientis desiderium & affectum considerarent: passi enim sunt alij multi multa, sed nec eo animo, nec in eum finem: deinde vt intelligerent, qua in re omnium sita esset salus & iustificatio. Sed præcipuè hoc agit, vt contra crucis scandala armatos, spernere mundum, se verò sequi adhortaretur: Hæc loquutus sum vobis, vt non scandalizemini, & vt cùm venerit hora, eorum reminiscamini, quia ego dixi vobis: Et ideò dixi vobis, priusquàm fiat, vt cùm factũ fuerit, credatis. Proptereà quàm indignum sit, Christo de passione sua loquente, seq; suósq; ad mundi pericula crucémq; prouo-

Act. 14.
Tit. 3.
Ioan. 14.
Idem 3.
Gene. 23.
Colo. 2.
Ioan. 3.
Matth. 16.
Ioan. 16.
Ioan. 14.

cante,in mũdo voluptates ſequi ſeruos: & hoc tempore,quo maximè in ſalutis negotio nos, inque paſsionis meditatione occupari oportebat,delitijs diffluere, & nõ iam hominibus, ſed beſtijs feríſque fieri ſimilimos, diligentiſsimè conſideremus:conſideremus,inquam,vt tantam indignitatem à nobis pellamus. Meminerimus quãto ſtudio Satan imaginem, qua ſecundum Deum creati ſumus, in nobis delere per iſtiuſmodi illecebras laboret, inque ſui ſimiles transformatos, ſuũ eri gere idolum. Huius cõtra conatum noſmet opponamus, nul lúmque locũ veteratori demus:eúmq; potiùs,qui ſeſe pro nobis exinaniuit,non ſuam ſed patris voluntatem fecit, ſequamur. Nulli noſtrûm hic fruſtrà ſit paſſus, imò nullius ſurdis auribus hæc tanta de paſsione ſua prædixerit. Atq; hæc ideò hactenùs dicta ſint,vt non ſimus conformes mundo, ſed pro Chriſti mortem ſubeũtis amore deuitemus tantã inſaniam. Et ſi nõ quàm iſta Chriſtianos dedeceat intelligimus,ſaltem pro conſequentibus, & huius & alterius vitæ malis declinemus. Vellem equidem, vt his verbis ad vos loqui mihi neceſſe non fuiſſet: ſed quia omninò ſic quorundã væſania exegit, officio meo deeſſe nolui. Nec pigebit reliquũ ſermonis eiuſdẽ generis verbis conſumere. Quòd ſi nec Chriſti cõcio, nec noſtra nos ab iſto furore retrahit vocatio: cæcum ſecus viam ſedentem & mendicantem reſpiciamus,in eóque miſeriæ noſtræ conditiones diſcamus. Exquiſitiſsimam enim ille noſtræ infirmitatis gerit imaginẽ, quã omnes in nobis conſiderare poſſumus: tum etiam in ipſa infirmitate,vbi & à quo,quóue modo quærenda ſit ſanitas, verbo atq; facto docet: denique vſum etiam beneficiorum Dei tradit. Cùm autẽ tales ſimus, omnes, quibus Dei beneficia ſint neceſſaria, quis non videt multò ſatiùs eſſe cũ Deo noſtrã nos curare ſalutem,quã cum mundi inſania cutẽ? Videamus ergo cũ cæci ſimus, vt deinde lucẽ queramus ſtudioſius. Nihil refert quis iſte cæcus fuerit, ſcire:quòd tamen noſtram geſſerit imaginem, magni refert
Iſa.42. vt ſciamus. In Iſaia vbi Chriſtus illuminator promittitur, cæcus dicitur Iſrael. Quis, inquit Dominus, cæcus, niſi ſeruus meus:& ſurdus,niſi ad quem nũcios meos miſi? Quis cæcus,niſi qui venundatus eſt? & quis cæcus niſi ſeruus Domi-
Apocal.3. ni? Qui vides multa,nónne cuſtodies? Et in Apocalypſi cuidã dicitur: Dicis quòd diues ſum & locupletatus, & nullius egeo:& neſcis,quia tu es miſer, & miſerabilis, & pauper, &
cæcus,&

cæcus,& nudus. Tum in Euangelio suo Ioannes de Christo loquens, Erat, inquit, lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. Apertissimè indicat omnes cæcos fuisse, quia omnes luce fuerunt egentes. Et quid multa? Omnes cæci huius conditiones idē conuincunt. In Iericho secus viam sedebat. Decebat nos Ierusalē esse in Ecclesia Christi, in patria cœlesti, animo, dū needū corpore licet, in quam è mundo electi & conscripti ciues sumus, ad videndam pacem quæ in illa est. Et ecce, in Iericho, in Lunæ volubilitate, quā Iosue expugnauit, & anathemate instaurandam interdixit, in qua concupiscentia oculorū, & concupiscentia carnis, & superbia vitę inest, hæremus: magísque huius aquis amarissimis, quā illius nectare delectamur, quotquot cœlestia non cogitamus, nec sapimus, terrenis occupamur: De qua peruersitate hominum Ieremias conqueritur. Quo modò, inquit, sedet sola ciuitas plena populo? quomodò obscuratum est aurum, mutatus est color optimus, dispersi sunt lapides sanctuarij, in capite omnium platearum? Deinde cùm Christus via sit in qua currendū erat, nónne secus viam otiosi videntur sedere, qui nec minis, nec promissionibus, nec verò exemplis Christi, vel à malo retrahuntur, vel ad bonum sollicitantur? nonne cum impijs videntur dicere? Recede à nobis, scientiam viarum tuarum nolumus. Horum certè anima nimiū tenaciter pauimento adhæret, & necesse habent cum Psalmista dicere: Erraui sicut ouis quæ perijt, require seruum tuum Domine. Sed fortè in hoc aliqui cæco hoc superiores esse velint, quòd mēdicauerit ille. Et certè Deus nos copiosè benedixit in omni spiritali benedictione, quando Christus, cùm diues esset, vt nos ditaret pauper factus est, & regenerauit nos in spem viuam, in hæreditatem incorruptibilē, & incontaminatam, & immarcessibilem, conseruatā in cœlis: ne omninò quid ad summā deēsset. Verū quis non videt, quantoperè laborent homines pro cōsequēdis diuitijs honoribúsque mundi huius? Quid autem sunt dolus, simulatio, adulatio, idq; genus aliæ acquirendarū diuitiarū artes: quid sunt, inquam, nisi emendicatio quædā? Hæ sunt viæ difficiles, viæ iniquitatis: quę sua asperitate etiā fortes lassant. Sed pro æternis ac spiritualibus nemo supplicat. Pudor est hæc à Deo petere. Et quid scriptura dicit? Duo mala fecit populus meus: Me dereliquerunt fontē aquæ viuæ, & foderūt sibi cisternas

Ioan.1. *Gala.4.* *Ioan.17.* *Ephes.2.* *Iosue 6.* *1.Ioan.2.* *4.Reg.2.* *Thren.1.* *Ibid.4.* *Ioan.14.* *1.Cor.9.* *Iob 21.* *Psalm.118.* *Ephe.1.* *2.Cor.8.* *1.Pe.1.* *Sapi.5.* *Ierem.2.*

dissipatas,quę continere aquas nō voluerunt. Atque hoc ipso miserabiliores pauperiotésq; sumus, ꝙ pro spiritualibus Deo supplicādum esse,nolumus intelligere. Videtis ergo,quòd cęcus iste omnium in se habeat imaginē. Id cùm ita sit,nósque cæci simus omnes,nemo dicat, sicut quondā Iudæi dixerūt:
Ioan.9. Nūquid & nos cæci sumus? Oportebat enim plurimos è nobis esse duces cæcorū,lumen eorū qui in tenebris sunt,crudi-
Rom.2.
Philip.2. tores insipientium,magistros infantiū, sine reprehensione in medio nationis prauæ & peruersæ, lucere sicut luminaria in mundo:vt ab obtrectatoribus etiā dicerentur populus sapiēs
Deuter.4. & intelligens, gens magna,sed ecce filij seculi huius prudētio
Luc.16. res sunt filijs lucis,quod malum bonū, & bonū malū dicunt,
Isai.5. ponentes tenebras lucem,& lucem tenebras,amarū in dulce, & dulce in amarum,schismaticum & hæreticum,Euangeliū, & contrà. In his erroribus nemo se cæcū falsò neget, nemo
Ioan.9. se videntem iactitet,ne & ipsi dicatur,ꝙ olim Iudęorum Pharisæis dictum est:Si cæci essetis,non haberetis peccatum:nūc verò dicitis:quia videmus, peccatum:igitur vestrum manet. Quin verò agnoscamus nos tales,quales esse scriptura pronūciat,agnoscentes remedium quæramus,idq; huius ipsius cęci exemplo. Nam vt anteà infirmitatis nostræ in illo conspeximus imaginem: ita in eodem reualescentiæ sumamus licebit exēplum. Ergo licèt cæcus fuerit & mendicus propè Iericho, secus viam sederit,inuenit tamen viam,qua omnibus his subuenit, inuenit medicum, quo dante omnia aduersa sustulit.
Luc.18. Audiuit turbā prætereūtem,quæsiuit quid hoc esset? clamauit orans: IESV fili Dauid miserere mei. Hoc illi sanitatis initium. Neque tamen turbā audiuisset,nec quid esset quæsiuisset,nec orans clamauisset,nisi IESVS filius Dauid trāsisset. Vt ergo audiret cæcus,vt quæreret,vt clamaret,vt saluari posset: IESVS transiuit. Initiū salutis humanæ à Deo est, quæ tamen sine cooperatione non consummatur nostra. Id quod superioribus quoq; sermonibus duobus ostensum est. Gratia vocauit nos Deus in vineā suā. Hoc salutis initium est. Non tamen sine nostra cooperatione consummatur salus.
Matth.20. Propterea vt laboremus,in vineā vocati sumus. Sic etiámnū
Luc.8. semen suum seminat Deus. Hoc initium. Sed ideò seminat:vt semen fructificet. Hæc consummatio. Sic cæcus nisi Christus transisset,saluari non potuisset. At quēadmodum nihil cęcus egisset,nisi CHRISTVS trāsiuisset:ita sine auditu,sine interroga-

terrogatione, fine clamore Chriſtus cæcum non ſaluauit. Hinc illud: Qui creauit te fine te, non ſaluabit te fine te. Hoc ideò, ne vel minùs vel æquo maius nobis tribuamus, néue Deo derogemus quicquã. Cõmodùm autem Chriſtum pro ſanitate precatur. De ipſo enim hoc Prophetica ſcripta tradiderunt, & ipſe lux mundi potuit. Iſaias enim de eo loquens, inter cætera ait: Deus ipſe veniet, & ſaluabit nos: Tunc aperientur oculi cæcorum, & aures ſurdorum patebunt. Lux autem mundi cùm à Ioanne dicitur, tum ipſe etiam ſe lucem dixit mundi, ſibíque hoc nomen longè alia ratione quam ſol iſte vendicat. Hic enim neminem illuminat, nullíque prodeſt, præterquàm videntibus, ſolos oculis ſanos lætificat & afficit, obeſt potius alijs. At CHRISTVS contrario modo cæcis prodeſt, videntibus non item: imò cæcos illuminat, videntes excæcat, ipſo teſtificante, cùm ait: In iudicium ego in hunc mundum veni: vt qui non vident, videant, & qui vident, cæci fiant. Non ſunt viæ meæ viæ hominum. Publicanis peccatoribúſque oculos aperuit, qui cæcitatem exoſi lumen deſiderauerunt. Phariſæos de acumine viſus ſui iactabundos excæcauit. Ipſum ergo lumen fore hominum Prophetæ prædixerunt, & ipſe eſſe ſeſe id declarauit. Quòd ſi hanc fidem de Chriſto cæcus non habuiſſet, nunquam viſum recepiſſet. Id quod duorum in Matthæo cæcorum exemplo cõmonſtrari poteſt. Hos enim Chriſtus rogat, dicens: Creditis quia hoc poſſum? illíſque ita ſe credere reſpondentibus, ait: Secundum fidem veſtram fiat vobis. Ipſius autem huius cæci noſtri oratio atque deſiderium idem confirmant. Ieſu fili Dauid, inquit, miſerere mei. Sunt enim hæc plena fidei verba. Ieſum dicit, non eum, nec ſimilem, qualis erat ille qui Hebræam gentem per Iordànem in Palæſtinam introduxit: ſed qui nos in cœleſtem patriam duceret præuius, ab hoſtium armis defenderet. Filium deinde Dauid vocat. Plures autem cùm habuerit Dauid filios, mirum cuiquam videri poſſet, quid hæc appellatio ad Chriſtum. Habuit enim Dauid filium Amon primogenitum, ſed hic ſororem viciauit virginem. Habuit Abſalonem, ſed paternæ præeminentiæ inſidiatorem. Habuit Adoniam, ſed regni paterni ante tempus inuaſorem. Omnes hi miſerè interière, ideóq; nihil egregium, nihil in hac appellatione videtur ineſſe diuinum. Sed latet hic myſterium carnalibus oculis abſconditum. Iam enim

Iſai.35. Ioan.2. Ibid.8. Ioan.9. Iſai.55. Matth.9. 2.Reg.13. 2.Reg.16. 3.Reg.1.

confirmato regno Dauid filijs filiabúsque, beato Regi pecu-
2.Reg.7. liaris cuiusdam filij defertur promissio: Quãdo completi fuẽ
rint dies tui,& dormieris cum patribus tuis,suscitabo semen
tuũ post te, quod egredietur de vtero tuo: & firmabo regnũ
eius.Ipse ædificabit domum nomini meo, & stabiliam thro-
num regni eius vsque in sempiternum. Ego ero ei in patrem,
& ipse erit mihi in filium.Hæc promissio postea sępissimè re-
Psal.109. petitur:vt Dauid ipse: Dixit Dominus Domino meo, sedẹ à
Ibid.131. dextris meis: donec ponam inimicos tuos scabellum pedum
tuorum. Et:Iurauit Dominus Dauid veritatem, & non fru-
Ibid.88. strabitur eum. Et:De fructu vẽtris tui ponam super sedẽ tuã.
Et:Inueni Dauid seruum meum, oleo sancto meo vnxi eum.
Manus enim mea auxiliabitur ei,& brachium meum confor
tabit eum. Hæc autẽ minimè de Salomone possunt intelligi:
vt Iudæorum confingit prauitas. Nusquã enim Salomonem
Dauid appellauit Dominũ. Tum præter hominẽ nihil adeo
magnũ in eo fuit:eóque à dextris Dei sedere nõ potuit. Imò
ipse peccator fuit, & senex à Deo præuaricatione desciuit.
3.Reg.11. Christo omnia conueniunt.Nam hic & Dominus à Dauide
Matth.1. dicitur,& sacerdos, & filius Dauid secũdum carnem fuit, &
sedet à dextris Dei, inq; medio inimicorum suorum regnat.
Eum cæcus Christum agnouit & confessus est,& fidei intui-
tu oculorum recompensauit lippitudinẽ.Petit autem miseri-
cordiam,& in misericordia visum. Vtrũq; veterum exemplo.
Psal.56. Dauid enim orans clamat: Miserere mei Domine, miserere
Psal.12. mei,quoniam in te confidit anima mea. Et: Illumina oculos
Psal.17. meos, ne vnquã obdormiam in morte,& dominẽtur mei ini
mici:Illumina lucernã meam Domine,Domine Deus meus
illumina tenebras meas. Non petit respectu iustitiæ,aut ope-
Dan.9. rum,sed pro misericordia, quẽadmodum Daniel olim fecit,
qui se nõ in iustificationibus,quas fecisset, sed ꝑ magna Dei
misericordia supplicẽ factũ fuisse dicit.Petit autẽ cæcus cũ in-
genti desiderio,quod & ipsum à Deo exuscitatum fuit. Sicut
Exod.3. olim Iudæorũ mẽtes in Aegypto ad orandũ Deũ pro libera
Genes.32. tione excitabãtur:vt & in Iacob Patriarcha apparet,qui se nõ
Psal.79. dimissurũ esse angelũ affirmat,donec ab ipso benedicatur,&
Psal.33. in Psalmista,ꝗ nolebat,nisi viuificatus,à Deo recedere.Quęsi
ui Dñm,inquit Dauid,& exaudiuit me.Sic Chananęa quoq;
Luc.18. instabat,supplex facta pro filia. Cęcũ increpabãt prætereũtes
turbæ:vt taceret. At ipse multò magis clamabat: Fili Dauid
misere-

miserere mei. Nō audiēdus est impius mundus, si quādo à recto proposito auocauerit. Quærendus est Dominus, dum inueniri potest, dū propè est. Magnis olim Ezechias Rex expositus erat periculis, bellū inferente Sēnacherib. Cōsolabatur eum Isaias, vt forti animo perstaret. Sed Rabsaces contra in desperatiōnē deijcere conabatur. At quia fortis perstitit, consolationis dulcedinē percepit, & periculū, quod nullo humano præsidio aut ingenio declinari posse putabatur, euasit. Et cur nō postulata obtineret perseuerans oratio? Vult Deus inuocari: vt occasione præstet, quod nobis expedit, & ipse vult. Ergo supplicē solatur Christus. Stat primùm, ac digito quasi cōmonstrans in cœcum ait: Clamauit ad me, exaudiam eum. Deinde iubet adduci: Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis, ego reficiam vos, non eijciam foras. Tertiò quid velit, interrogat. Nimirùm voluntatem timentium se faciet. Postremò sanas, & quòd ipse sit qui potestatē habeat omnis carnis, facto declarat. Eadem nobis præstare vult rogatus. Agitè ergo accedamus cum fiducia ad thronū gratiæ, vt misericordiam consequamur, & gratiam inueniamus in auxilio oportuno. Quòd si adhuc ista mundi retrahit insania, si nec Christi concione, nec propriæ miseriæ recordatione mundo abdicamur: quinta mūdi ætas in mētem veniat, quā nulla sine Christo salus sperari potuerit, licèt magnis ducibus Israel Aegyptum exierit, cogitemus. Nō permittamus frustrà eum nobis concionari de salutis mysterio: sed meditemur eius sermonem atque facta, & fide nobis ipsius vitam applicantes, grati simus, iuuemúsque proximum nos petentem.

4.Reg.18. Psal.90. Matth.11. Ioan.6. Psal.146. Heb.4.

DOMINICA PRIMA IN QVADRAGESIMA EVANG.

MATTH. IIII.

TVnc Iesus ductus est in desertum à spiritu: vt tentaretur à diabolo. Et cū ieiunasset quadraginta diebus, & quadraginta noctibus, postea esurijt. Et accedens tētator, dixit ei: Si filius Dei es, dic vt lapides isti panes fiāt. Qui respōdens, dixit: Scriptum est: Nō in solo pane viuit homo, sed in omni

verbo, quod procedit de ore Dei. Tunc assumpsit eum diabolus in sanctam ciuitatẽ, & statuit eum supra pinnaculũ templi, & dixit ei: Si filius Dei es,
Psal.90. mitte te deorsum. Scriptum est enim, Quia angelis suis mandauit de te, & in manibus tollẽt te, ne fortè offendas ad lapidem pedem tuum. Ait illi Ie
Deu.6.10. sus: Rursum scriptum est: Nõ tentabis Dominum Deũ tuum. Iterum assumpsit eũ diabolus in montem excelsum valdè, & ostendit ei omnia regna mũdi, & gloriã eorũ, & dicit ei: Hæc omnia tibi da
Deut.10. bo, si cadens adoraueris me. Tũc dicit ei Iesus: Va
Apoc.15. de retro Sathana. Scriptũ est enim: Dñm Deũ tuũ adorabis, & illi soli serui es. Tũc reliquit eum diabolus. Et ecce angeli accesserũt, & ministrabãt ei.

EADEM DOMINICA EPISTOLA, II. CORINTH. VI.

Isai.49. *ADiuuãtes autẽ exhortamur, ne in vacuũ gratiã Dei recipiatis. Ait enim: Tpe accepto exaudiui te, & in die salutis adiuui te.*
1.Cor.4. *Ecce nũc tpˢ acceptabile, ecce nũc dies salutis. Nemini dãtes vllã offen*
1.Tim.3. *sionẽ: vt nõ vituperetur ministeriũ nostrũ: sed in omnibus exhibeamus nosmetipsos sicut dei ministros, ĩ multa patiẽtia, in tribulationibus, in necessitatibus, in angustijs, in plagis, in carceribus, in seditiõibus, in laboribus, in vigilijs, in ieiunijs, in castitate, in sciẽtia, in lõganimitate, in suauitate, in spiritu sancto, in charitate nõ ficta, in verbo veritatis, in virtute dei, per arma iustitiæ à dextris & sinistris, per gloriam & ignobilitatem, per infamiam & bonam famã: vt seductores, & veraces, sicut qui ignoti, & cogniti, quasi morientes, & ecce viuimus: vt castigati, & non mortificati, quasi tristes, semper autem gaudentes, sicut egentes, multos autem locupletantes, tanquam nihil habentes, & omnia possidentes.*

SERMO.

Quòd Christi hæc actio nos & consoletur & hortetur.



VOD nec prima, nec secũda, nec tertia ab ipso exordio mundi ætas aliam vllam salutem, quàm quæ est in mediatoris & Domini nostri IESV Christi sanguine, sperare potuerit, superiores tres Dñici dies docuerunt. Hæc verò prætcrquã quòd in

quòd in Septuagesima quarta est, & quartam ætatem, quæ à Dauid ad Babylonicam vsque captiuitatem protenditur, sine eiusdem Domini IESV morte salutis inopem ostendit: etiam quadragesimæ prima est, & nos qua ratione non nunc promissi tantùm, verumetiam exhibiti Christi passionem apprehendere, eáque vti debeamus, docet. Plus igitur aliquanto hæc habet, quàm præcedentes illæ dominicæ dies. Quorum secundo vt longius immorari liceat: nempe, qua ratione Christi passio intuenda nobis atque apprehendenda sit, breuiter quod ad primum attinet, absoluam. Et quidem scripturæ testimonio infallibili, omnium optimè res Iudæorum illa quarta stetit ætate. Præter enim legem, sacerdotium, templum, & in eo cultum, etiam Reges atque Prophetas habebant, quorum industria atque potentia ab hostium quorumlibet incursibus tuti seruabantur. Reges quidem Dauid, Iosaphat, Ezechias, & Iosias, gladio contra visibiles hostiũ acies pugnabãt: Prophetæ verò Samuel, Elias, Elizæus, Isaias, & alij, spiritus gladio (quod est verbũ Dei) inuisibiles hostiũ nequitias propulsabant: Omnes hoc strenuè agebant, vt securè & in quiete populus habitaret. Verũ vt multa atque ingentia patrarent cùm Reges tum Prophetæ: nemo tamen vel seipsum, vel populũ suum, à Diaboli, peccati, mortísque seruitute liberare potuit. Id quod vni ac soli Christo reseruabat. Atque hic verè potuit. Omnes ergo hũc expectare atque sperare oportebat. Id quod ipsi etiam strenuè hortati sunt & monuerunt. Quemadmodum tot preces, Psalmi atque oracula, clarè demonstrant: quæ ideo hîc recitãtur, vt eò nobis gratior sit Christi passio, quæ omnibus semper fuerit necessariò expectata atque sperata. Et tum demũ hanc dominicã diem quadraginta dierum ieiunij primã rectè celebrabimus, quando eadem passione dextrè vsi fuerimus. Quo in negotio iam non modò mẽs & lingua, sed totius etiã corporis requiritur operatio. Ideò enim tam præstans hodie exemplũ, filius ipse Dei in deserto ac fame, mundi Saluator cũ principe seculi huius proponitur in duello, nõ vt frigida freti excusatione nihil nos agamus: sed vt ipsius exemplo moniti, sequi caput nostrũ membra discamus. Vult enim Dominus quos ipse præsciuit & prædestinauit conformes fieri imaginis filij sui, vt socij facti passionum eius, fiant & consolationis, quemadmodum diuina iustitia æquum est: vt si mortui sumus, cõuiuificet: si su-

Summa.

Roman. 8.

1. Corin. 11.

ſtinuimus, conregnare faciat. Sicut autem conformes imaginis illius non fieri diuina voluntas eſt, ita ne grauiùs viribus noſtris videatur in ipſum aſpicere, Apoſtolica monet authoritas. Apertè ſiquidē Paulus ad Hebræos ſcribens ait: Aſpicientes in autorem fidei, & conſummatorē IESVM, qui propoſito ſibi gaudio ſuſtinuit crucem, confuſione cōtempta, atque in dextra ſedis Dei ſedet. Recogitate enim eū, qui talem ſuſtinuit à peccatoribus aduerſum ſemetipſum contradictionem: vt ne defatigemini animis veſtris deficientes. Nondum enim vſque ad ſanguinem reſtitiſtis aduerſus peccatum repugnantes. Vnde etiam D. Auguſtinus, Cur, inquit, ſeipſum quoque tentandum præbuit? Vt ad ſuperandas tentationes mediator eſſet, nō ſolùm per adiutorium, verumetiam per exemplum.

Heb.12. *Lib.4.de Trin.*

Summa. Adiutorium eius conſolatur nos, exemplum ad imitationem hortatur: Dublex ergo huius Chriſti actionis vſus eſt. Primò, vt conſolemur, deinde vt imitemur. Sanè ingens pijs mentibus illa conſolatio eſt, quòd Chriſtus caput noſtrum in ſemetipſo Diabolum hoſtem communem deuicit, eámque victoriam nobis membris ſuis communicauit. Quæ enim maior conſolatio nobis poſſet obtingere? Mox enim renatis nobis idem hoſtis aduerſatur, vndique ſollicitat atque impugnat. haud aliter ac Dauid quondam, mox vbi in Regem vnctus eſſet, Saul & hoſtem & inſidiatorem habere & ſuſtinere cogebatur perpetuum: vt rectè Iob dixerit, vitam hominis ſuper terram militiam eſſe. Tum verò ipſa etiam caro noſtra vrget nos, & improba ad peccandum ſollicitat. Id quod ipſe etiam Paulus de ſe teſtatur, dicens: Video aliam legem in mēbris meis, repugnantem legi mentis meæ, & captiuantem me in lege peccati, quæ eſt in membris meis. Infœlix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? Et alibi idem, Caro, inquit, concupiſcit aduerſus ſpiritum, Spiritus autem aduerſus carnem. Hæc enim ſibi inuicem aduerſantur. Vnde illæ voces ſunt: Omnis qui in agone contendit: ab omnibus ſe abſtinet: & illi quidem vt corruptibilem coronam accipiát, nos autem incorruptam. Ego igitur ſic curro, non quaſi in incertum: ſic pugno, non quaſi aërem verberans: ſed caſtigo corpus meum, & in ſeruitutem redigo. Et: Qui in agone certat, non coronabitur, niſi legitimè certauerit. Horum ergo tantis viribus quis noſtrûm reſiſtere valeret, qui ne quidem ſufficiētes ſumus aliquid à nobis, tanquam ex nobis cogitare? Vehe-

Iob.7. *Roma.7.* *Galat.5.* *1.Corin.9.* *1.Timo.1.*

gitare? Vehementer ergo consolatur nos, quod Christus caput nostrum hic fecit, qui suam nobis dedit victoriam, vt per 1.Corin.3.
se sufficiétiam nobis ex Deo communicaret: qui idoneos nos 1.Corint.2.
fecit, & qui semper triumphat nos in Christo Iesu: qui opera 1.Corint.12.
tur omnia in omnibus. Quomodò autem suam daret nobis victoriam, aut vt vincere hostem possimus, in nobis sua virtute operaretur, nisi nostram, hoc est, humanam infirmitaté sciret? nisi etiam aduersarij nostri dolum nouisset? Et quomodo sciret aut nouisset, nisi in semetipso expertus fuisset? Ha- Hebr.4.
bentes ergo Pontificem magnum, qui penetrauit cœlos, IESVM filium Dei, teneamus spei nostræ confessioné. Non enim habemus Pontificem, qui non possit compati infirmitatibus nostris, tentatum autem per omnia pro similitudine, absque peccato. Adeamus ergo cum fiducia ad thronum gratiæ eius, vt misericordiam consequamur, & gratiam inueniamus in auxilio oportuno. Et. Quia pueri communicauerunt Hebr.2.
carni & sanguini, & ipse similiter participauit eisdem, vt per mortem destrueret eum, qui mortis habebat imperiú, id est, diabolum, & liberaret eos, qui timore mortis per totam vitá obnoxij erant seruituti. Vnde per omnia debuit fratribus assimilari, vt misericors fieret, & fidelis pontifex apud Deum: vt repropitiaret delicta populi. In eo enim, in quo passus ipse & tentatus est, potens est & eis qui tentátur auxiliari: Ecce quá nobis cósolationem hæc Christi tentatio adferat. Atque hæc non nuda aut inania esse verba, tot milia hominum testátur, qui hac ipsa fiducia freti, ad gratiæ thronum gratiam & auxilium in tempore oportuno petitum adierunt. Nec adeò eos fefellit spes, vt mira fortitudine vtriusque sexus homines insultarint diabolo, ludibrijs ipsum in prælium atque arená prouocarint, hæc atque alia facere coëgerint, planéque nihil timuerint. Et quis non admiratione dignum arbitratur, hominem imbellem creaturam, sæpè etiam pueros ac teneras puellulas, tam immanem hostem tam nihil horruisse? Nempe ex vnica adeóque sola Christi victoria hanc virtutem conceperunt. Quorum victoria quò per omnem Ecclesiam celebrior est, eò maior nostra ignominia est, qui certamen hoc aspicimus quidem, sed nostram esse victoriam nescire volumus: aut si qui norunt, ita tamen dissimulant, vt sibi quoque arma capienda esse quasi non intelligant. Nempe ideò dimicandum esse negant, ne quemadmodum Christus, ieiunan-

do, exeundo in solitudinem, præparare se necesse habeant. Quinetiam eiuscemodi præparationem, maximè ieiunium, quo se Christus veluti armatura muniuit, planè & apertis verbis vt inutile, qui reijciant, inuenias. Atque hi quidem ex hoc ipso Euangelio, quo incitari rectius debebant, tergiuersandi occasionem venantur. Christus, inquiunt, pro nobis ieiunauit: Christus ieiunare non præcepit: Christus, inquiunt, pro nobis ieiunauit: Christus ieiunare non præcepit: Christus filios sponsi liberos esse dixit. Matt. 17. Quod in os intrat non coinquinat hominem, Matth. 15. Filij sponsi non possunt lugere quandiu sponsus cum ipsis est. Matth. 9. & quis potest quemadmodum Christus ieiunare? denique nec cœlum ieiunio penetrare possumus. Hæc ferè sunt quibus illi ieiunium, vt certaminis præparationem ac Christiani militis armaturam abijciunt. Quis autem nescit, ieiunium, & sobrietatem, & vigilantiá, necessariò præcedere certamé? Sobrij estote, inquit Petrus, & vigilate in orationibus, quia aduersarius vester diabolus tanquam leo rugiens circuit, quærens qué deuoret, cui resistite fortes in fide. Et Paulus, Sobriè, inquit, & piè, & iustè viuamus in hoc seculo, expectantes beatam spem, aduentum gloriæ magni Dei. Et alibi: Induite vos armaturam Dei, vt possitis stare aduersus insidias Diaboli: quoniam nobis non est colluctatio aduersus carnem & sanguinem, sed aduersus principes & potestates tenebrarum harum, aduersus mundi rectores, contra spiritalia nequitiæ, in cœlestibus: Propterea accipite armaturam Dei, vt possitis resistere in die malo, & in omnibus perfecti stare. Et quæ Paule illa armatura? State ergo succincti lumbos vestros in veritate, & induti loricam iustitiæ, & calciati pedes in præparationem Euangelij pacis: in omnib. sumentes scutum fidei, in quo possitis omnia tela nequissimi ignea extinguere: & galeam salutis assumite, & gladium spiritus, quod est verbum Dei. Ecce quibus verbis, qua diligentia, Apostoli armaturã hanc necessariam descripserunt. An non ferè omnia commemorant quæ hic in Christo videmus? Sic ipse Christus hanc ipsam armaturam descripsit, quando cum multa de vrbis excidio prædixisset, subdidit: Attendite vobis, ne fortè grauentur corda vestra crapula & ebrietate. Qui ergo armaturam necessariam ieiunium, idque genus alia, abijcit quando cum hoste congredietur, & Christum caput suum pugnãdo sequetur? Vtique decerta-

Margin notes: *Ieiunium.* — *[Ob]iectiones.* — *[Refu]tatio ea[rum].* — *1. Pet. 5.* — *Tit. 2.* — *Ephe. 6.* — *Luc. 21.*

certare cũ tanto hoste maius est,quàm hanc armaturam induere.Qui autem quod leuius est,abiurat,nũquã quod grauius est,efficiet.Sed vt intelligant,quam sibi suæque saluti malè consulant,ipsorũ obiectiones perquiramus:quàm sibi constent & quàm doctos viros deceant,videamus.Primò,Christus pro nobis ieiunauit:Ideò nobis ieiunandũ nõ est.Ridiculum satè. An non hoc est scripturis abuti,quemadmodum in hoc ipso Euangelio Satan ijs abusus est?Quis negat pro nobis ieiunasse Christum?sicut omnes credimus,ipsum pro nobis omnia huius vitæ incommoda ipsámque adeo mortem pertulisse,pro nobis orasse. Annon autem risum faceret omnibus,si quis ita argumentari velit? Christus pro me orauit, ergo mihi oranduni nõ est:Pro me passus est,ergo mihi nihil perferendum est. Nam & orandum & ferendum esse, cùm scriptura monet,tum etiam exempla & experientia docent. Quin sic argumentari licet:Christus pro me ieiunauit:Ergo mihi etiã ieiunandũ est.Nã ipse hanc formulã monstrauit: Exemplum dedi vobis,vt quemadmodũ ego feci vobis,ita & vos faciatis. Et Ioannes ipsum sequutus ait:Qui dicit se in Christo manere,debet sicut ille ambulauit,& ipse ambulare. Christus licèt peccatũ nõ fecerit,nec inuentus sit dolus in ore eius,ieiunauit tamen,& grauissimæ pœnitentiæ exemplum dedit,non pro se,sed pro nobis.Quæ nõ rapui, tunc exoluebã,ait.Quidquid Adã Euáque deliquerũt,Christus cõpẽsauit.Dñs posuit in eo iniquitatẽ omniũ nostrûm:peccata multorũ ipse tulit,& pro trãsgressoribus rogauit.Et quæ socordia est,nolle pro nobis ipsis facere,quod alius pro nobis,non pro se fecit?Secundò,Christus nõ præcepit ieiunare.Quid tũ posteà? Ergóne ieiunandum nõ est? Præcepit vigilantiã,quæ ieiunij effectus est:præcepit orationẽ,quæ sine ieiunio & eleemosina bona non est.Sed nunquid durũ Legislatorẽ vis esse Christũ? An non satis est seruo opus aggredi quod Dominũ suũ videt facere? Milites vbi ducem suum in hostiũ acies sese immittentem vident,suam rem agi,ac idem sibi faciendum intelligũt.Et ægrotus potionem quam prælibauit Medicus acerbiorẽ,sibi sumendã nouit.Christus dux noster & Medicus est,cuius Gedeon figurã gerẽs,omnes ad suũ exemplum hortatur.Quod me,inquit,facere videritis,hoc facite.

Tertiò, Sed liberi sunt filij Dei.Rectè id quidem, libertate qua donauit filius, non carnis, sed spiritus.Paulus liber

[Margin notes: 1 (beside "Christus pro nobis ieiunauit"); Ioan.13.; 1.Ioan.1.; 1.Pet.2.; Psalm.68.; Gen.3.; Isai.53.; 2 (beside "Secundò"); Tob.12.; Iudic.1.; 3 (beside "Tertiò"); 1.Cor.9.]

erat, sed seruũ se fecit omnium. Liberi sunt qui quod bonũ est, suapte sponte faciunt: & his lex non imperat. Ergo liberi
Matth.17. sunt filij, inquit Christus. Vt autẽ nõ scãdalizemus eos, vade, & da eis pro me & te. Vera libertas est peccati atque diaboli imperiũ non timere, eámque cõscientiæ seruare constantiã, vt nolimus, etiam inuito diadolo, in peccati nos tyrannidem inuoluere. Et huic sanè libertati ieiunium & sobrietas adeò non repugnant, vt plurimùm etiã cõmodent, imò quodammodo
4 modo ipsa sint libertas. Quartò, Sed Christus dixit, quod in
Matth.15. os intrat, nõ coinquinat hominẽ. Sit ita. quid ergo? Ergóne ieiunandũ nõ est? Apostoli sciuerunt hoc, & quia nihilominus ieiunauerunt, peccauerunt? Imò non ipsi solùm ieiunauerunt, verũetiam ieiuniũ verbis scriptísque alios docuerũt, vt clarè in hodierna Epistola Paulus facit. Veras Ieiunij causas disce in Ecclesia, quæ nunquam ideo ieiunium & abstinẽtiã suasit, quòd immundos cibos iudicet, aut nos inquinare putet: quęque semper docuit omnia munda esse mundis, &
5 nihil sordidũ, quod cũ gratiarũ actione percipitur. Quintò, Christus ait, quòd filij sponsi non possint lugere quandiu spõsus cũ ipsis est. Scio: hoc dicto discipulos suos excusauit: & permitto, quòd lugere & ieiunare non sint idem. Nunquid autẽ hic locus ieiunium reijcit? Imò approbat. Sequitur enĩ
Matth.9. continuo sermone: Venient autem dies cùm auferetur ab eis
Act.13.14. sponsus & tunc ieiunabũt. Ecce prædixit Christus se ablato ieiuniũ. Ablatus nũc est sponsus: & filiorum Dei est epithetõ ieiunare. Quicunque ergo filij spõsi sunt, ieiunãt: nothi verò
6 ieiuniũ temnunt. Sic ieiunauerunt filij spõsi Apostoli. Sextò, Impossibile est ieiunare quomodò Christus ieiunauit. Sed nec hinc sequitur, non esse ieiunandũ. Quemadmodũ nemo charitatis perfectionem illã summã attingit, nihilominus tamẽ charitatis præceptũ nos ligat omnes: sic licèt nemo cõtinuis quadraginta diebus & totidẽ noctibus ieiunare possit: tamẽ hoc ipso à ieiunio nõ absoluitur. Nunquid quẽadmo-
1.Pet.5. dũ Christus, ita nostrûm aliquis mori potest? Nemo. Petrus tamẽ hoc ipso quòd mortuus sit Christus, nobis relictũ esse exemplũ vt sequamur vestigia eius, asserit: cùm nec Christus se sequi moriendo iusserit in genere, nec eo modo mori sit possibile cuiquam mortalium. Sic nemo quẽadmodũ Christus, animam suam pro fratribus suis potest ponere, vt iustus moriatur pro iniustis: sed tamẽ ponere animas pro fratribus

Aposto-

Apostolica nos hortatur authoritas. Si ergo nec Petrus nec Ioannes peccarunt, quòd quodam modo impossibilia præceperint: quomodò reprehensionem meretur, quòd Ecclesia ieiunium, & quidem non impossibile suadet? Idque Paulo monitore, qui ait: In omnibus exhibeamus nosmetipsos sicut Dei ministros, in multa patientia, in vigilijs, in ieiunijs, in castitate, &c. Multò ergo rectiùs docerentur homines anniti pro viribus ad illam, quæ humana natura altior est, perfectionem. Quemadmodũ D. Augustinus testatur fuisse suis temporibus homines pios, qui cùm non possent quadraginta diebus totidémq; noctibus continuis ieiunare, sex tamen continuis diebus sine omni alimento vixerint, & sabbato recreato corpore, iterũ ieiunauerint, donec paucissimis diebus ieiunium diuidentibus, ad Christi ieiunij tempus accederent. Septimò ac postremò, Non possumus, inquiunt, cœlum ieiunio penetrare. Benè. Quis vnquàm solo ieiunio cœlum penetrari docuit? Verùm adiumento haud dubiè erit cœlum petenti ieiunium. Nec fides nec spes cœlum ingreditur: Charitas ingreditur & manet. Nunquid ideò reijciẽda vel spes vel fides est, quia charitas maior est? Habet charitas quod diligat semper, habet fides quod credat, habet spes quod speret ad tempus. Vbi verò charitas consummata fuerit, cessant simul fides ac spes. Sic etiam ieiunium suas causas habet & effectus, quibus consecutis cessat ieiunium. Hinc est quod & Ecclesia tres prę cipuas ieiunij causas semper docuit. Prima, vt eò grauiùs in nobis cõmissa puniantur peccata. Secũda, vt eò rectiùs mens sursum assurgat in Deum, cùm oramus. Tertia, vt faciliùs inordinati illi veteris hominis affectus coërceantur. Et quæ harum non vehementer facit ad consequendam cœli fœlicitatem? Ideò, inquit Augustinus, nec mihi ipsi parco, vt parcat mihi Deus: ideò me ipsum iudico, ne me Deus iudicet: ideò ieiuno, vt hoc freno equum meũ coërceam, ne me sessorem deijciat. Si ergo ieiunio tuo cœlum deberi hæsitas: noli contemnere: sed malum quod commissum est per te, vindica in te, ad orationem promptũ & expeditum fac te, ieiunio veterem hominem crucifige in te. Sic disces frustraneum nõ esse, quod tantis rebus commodat, licèt per se cœlum non penetret. Vides ergo, quàm non consulant sibi, qui tam nequiter hoc Christi facto abutuntur. Quòd si quid de ieiunio carpendum est omninò, abusus, non ipsum ieiunium, tollendus

1. Ioan. 3. *2. Cor. 6.* 7 *Tres ieiunij causæ.* *Abusus ieiunij.*

est. Neq; enim negamus, vt in alia ferè omnia, sic in ieiunium irrepsisse abusus quosdam. Inutile ieiunium sine abstinentia
Isa.58. vitiorum est. Id quod apertè Dominus in Isaia quæritur. Ecce, inquit, in die ieiunij vestri inuenitur volūtas vestra, & omnes debitores repetitis: Ecce ad lites & contentiones ieiunatis, & percutitis pugno impiè: Nolite ieiunare vsque ad hanc
Bernard. diem, vt audiatur in excelso clamor vester. Hinc diuus Bernardus, Si inquit in solo cibo & potu peccauisti, os tuum solum ieiunet. Si autem alia quoque membra tua peccauerūt, cur non & ipsa ieiunabunt? Ieiunet ergo lingua tua à verbis scurrilibus, à blasphemia, ab obtestatione, quibus hucusque deliquit. Ieiunet oculus tuus ab aspectu lasciuiæ. Ieiunet manus à malis operibus. Sed hoc quis facit? Ieiunamus quidem, sed nihilominùs peccamus. Sic inutile est ieiunium, sine bonorum operum comitatu. Id quod dominus apud eundem
Isai.59. Prophetam ait: Nónne hoc est magis ieiunium quod elegi? Dissolue colligationes impietatis tuæ, solue fasciculos deprimentes: dimitte eos qui confracti sunt liberos, & omne opus dirumpe: Frange esurienti panem tuum, & egenos vagósque induc in domum tuam. Cùm videris nudum, operi eum: & carnem tuam ne despexeris. Vnde Augustinus monet, vt esuriens Christus accipiat, quod ieiunanti Christiano superest. Et Bernardus, ieiunium oratione atque eleémosina sursum quasi duabus alis eleuari, vt coram Deo perueniat, scripsit.
Tob.12. Quæ tria Tobias quoque coniunxit. Sed quis nostrum hoc etiam modo ieiunat? Sic quosdam ieiunasse legimus, vt Manichæos & Tacianos, qui cibos immundos dicerent. Sic alij, vt viderentur ab hominibus, ieiunarunt, de quibus Christus dicit, quòd receperunt mercedem suam. Hos ergo idque genus alios abusus à vero ieiunio auferre satiùs esset, quā ipsum ieiunium tollere ieiunium, inquam, quod Deus ipse sanciuit
Ioel.2. & sanctificauit. Conuertimini, inquit, in Ioële, ad me in toto corde vestro, in ieiunio & fletu, & in planctu: & scindite corda vestra, & non vestimenta vestra: Sanctificate ieiunium, vocate
3.Reg.19. cate cœtum, congregate populum. Ieiunium, inquam, quod
3.Reg.21. Moses atq; Elias protulerunt primitùs, quo Niniuitæ pro-
Dan.1. pitiationē meruerūt peccatorū, Achab pœnæ prorogationē,
Iud.9. Dauid propheticum spiritum, Iudith de hoste victoriā, To-
Tob.12. bias illuminationē cōsequuti sunt: cui ipse Christus mercedē
Math.6. à patre promisit, quod Christianos decet, soli impij abhorrent, to-

rent, tota ecclesia deniq; suscipit & amplectitur. Sed difficultatẽ incusant, ꝙ affligere carnẽ homini sit cõtrariũ: ꝙ à subiectis cibis abstinere, augeat desideriũ. At hãc difficultatẽ non natura, nõ ieiunij ratio, sed appetitus nequã facit. Elias subcinericio pane, Daniel oleribus. Discipuli spicis, Baptista locustis cõtẽti vixerũt. Agè ergo, ad principiũ recurrat oratio. Dicã breuiter. Aut planè trucidatus est Satã, & nobis cũ ipso manus cõserere, eóq; per ieiuniũ nosmet armare necesse nõ est: aut nondũ penitus cõfossus est, & nobis per ieiuniũ armatis decertandũ est. Sed nondũ penitùs succubuit. Ergo decertandũ est. Probemus illud. Scriptura testis est locuples, ꝙ tanquã hostis obsidẽs muros clausos explorat, an sit reliqua pars murorũ minùs stabilis, cuius aditu ad interiora penetret. Offert oculis formas illicitas, ac faciles voluptates, & leuia esse peccata ait, vt visu destruat castitatẽ, & omnẽ virtutẽ. Aures per canora tentat, vt molliat Christianũ rigorẽ. Linguã cõuicio prouocat, manũ iniurijs lacessentibus ad cædẽ instigat. Honores terrenos promittit, vt cœlestes adimat. Et cũ latẽtẽr nõn pôt fallere, apertos addit terrores: in pace subdolus, in persequutione violẽtus. Rectéq; de eo Iob dixit, nõ esse super terrã potestatẽ, quę cõparetur ei, qui factus est, vt nullũ timeret. Sed nec hoc solũ, ꝙ nobis insidias struere ac vim facere conetur, qui ꝙ caput suũ cõtritũ est, irã habet magnã: verùetiam quibus machinis ac modis nos impetat, & ꝙ minimè nobis illi consentiendũ sit, Scriptura monemur. Christus caput nostrũ est, & eo modo quo Christũ adorsus est, nos quoq; impetit mẽbra eius. Et quis nõ videt ijsdẽ nobis cõtra cũ vtẽdũ esse armis, quibus Christus caput nostrũ vsus est? Cũ ieiunasset 40. diebus & 40. noctibus, esurijt Christus: & esurienti accedit tentator. Nõ hoc obiter Euãgelistæ excidit, sed quẽadmodũ reliqua omnia, summo studio perscripsit. Laudãda sanè cæterorũ Historiographorum diligentia est, qui id genus certamina diligẽtissimè literis cõmendauerũt. Sed maiorem hic noster Euangelista meretur laudẽ, qui omnia pro dignitate personarum & rei propriè depinxit. Potẽtissimus X ps est, qui oĩa verbo virtutis suæ cõtinet. Potẽs est & mũdi princeps Diabolus, Et quid horũ cõparatione sunt, quos mũdus vti prgstãtes suspicit, Achilles cũ Hectore, Aeneas cũ Turno, tres Horatij cũ tribus Curiatijs, Mãlius cum Gallo, Dauid cũ Philisteo? Et hi quidem pro vili & temporanea laurea at

Isai.22. *Sapi.2.* *3.Reg.19.* *Dan.1.* *Math.12.3.* *1.Pe.5.* *Iob 1.* *Iob 41.* *Eodem modo Satan Christum & nos impetit.* *Matth.4.* *Hebr.1.* *1.Reg.17.*

que corona decertatunt: nostri verò Christus & Diabolus multò præstantiorē propositā habent coronā. Nos & spectatores sumus certaminis, & à quo auferatur brabeū, videmus. Eóque diligentiùs nobis intendendum est, qualē tentauerit Christum Diabolus. Nimirùm qui post ieiuniū esurijt à Satana tentatur. Sacra res est Ieiunium, attamen ieiunans tentatur Christus. Quo sanè ostenditur, quòd pij in ipsa boni actione tentationibus liberi non sint: ne quis cùm bene operatur, & tamen tentatur, à Deo sperni se & derelictū esse existimet. Fit enim sæpè, vt in templo, in ipsa etiam orationis vehementia, irritamenta in animis assurgant, cùm maximè pie tati studemus. Vt videre est in Abel, Ioseph, Mose, Iob, Tobia, Elia, Apostolis, Martyribus. Nam & Christus ipse testatur Satanam expetiuisse Apostolos, vt cribraret eos sicuti triticum. Sed eiusmodi tentationes nō iræ Dei sunt iudicia, sed vult nos Deus probare, an perstare velimus in boni proposito, sicut auri pręstantia examinatur per ignem: deinde, vt admoneamur imbecillitatis nostrę, quàm nihil sit nostrū quod operamur: ne efferamur, & nobis ascribamus quod propriè Dei est. deniquè vt eò fortiores reddamur. vexatio enim dat intellectum. Postremò vt agnoscamus dona Dei. Neq; enim tētaret nos Satā, nisi ad quos honores prædestinati essemus, sciret. Proinde nemo cū tentatur etiā in ipso bono opere, moueatur, quasi à Deo derelictus sit. Christus enim postquā ieiunasset quadraginta diebus & quadraginta noctibus, tentatus est. Cæterū ideò quadraginta dierum numerum tenuit, ꝙ hìc pœnitentiæ deputatus esset. Totidē enim diebus pluit ira Dei tempore Noë: totidem annis Israel in deserto pœnitentiam egit: totidem Niniuitarū pœnitentiæ dies dati erāt: totidem etiam Ezechiel diebus peccata Israel portauit. Deinde Moses & Elias totidem diebus, totidē noctibus ieiunarūt. Ne ergo vel maior vel minor vero homine crederetur Christus, eundem dierum numerum obtinuit. Tētatus est autem tribus: gula, auaritia, & superbia. Dic, inquit tentator, vt lapides isti panes fiant: Mitte te deorsum: Hæc omnia tibi dabo. Iisdem nos impeti Ioannes testatur, cùm ait: Omne quod in mundo ēst, concupiscentia carnis est, & concupiscentia oculorum, & superbia vitæ. Et Paulus, Radix inquit, omniū malorum est cupiditas. Et Salomon initiū omnis peccati esse superbiam dixit. Hinc est quod Iacobus nos à propria concupiscen-

Luc.22.
Cur tētemur.
Eccl.2.27.
Petrus.
Matth.26.
Cur 40. dieb. & noct. ieiunarit.
Gen.7.
Num.11.
Ioan.3.
Ezech.4.
Matth.4.
1.Ioan.2.
1.Thim.6.
Ecclesi.10.
Iacob.1.

piſcentia tentari aſſerit. Verùm non eſt neceſſe multis docere quibus tentemur. Ipſa experientia nos docet, idem nos pati quod Chriſtus à Satana ſuſtinuit. Quid ergo reſtat, niſi vt iiſdem machinis quibus Chriſtus, aduerſus eũ pugnemus? Ergo hanc tam celebrem pugnam adornans Chriſtus, in deſertum à ſpiritu ductus ſiue expulſus eſt. Quo monemur, mouenti & operanti in nobis Spiritui ſancto non reluctari, ſed ad ipſius & aſpirationem & inſpirationem omnia noſtra dirigi obſequenter debere. Tum deſertus locus pietati aptiſsimus eſt. Adam in medium paradiſi poſitus, concupiſcẽtia ſe posteritatémq; omnem perdidit: Chriſtus, in quo pater omnium peccata poſuit, inſtauraturus omnia, in deſerto inuenitur eſuriens. Et ipſum quidem turba nihil à propoſito ſemouere potuiſſet: ſed nobis tyrannibus exemplum dedit è medio Babylonis ſecedere, ſi quando cœleſtium rerũ cõtẽplationi & pietati animũ Chriſtianum voluerimus tradere. Sic Chriſtus Phariſæos arguit, quòd omnia facerent, vt viderenẽ ab hominibus. Et noſtra ieiunia & orationes in abſcondito fieri voluit, redditurúmque eſſe patrem promiſit. Hinc ad Ezechielẽ Dominus ait: Fili hominis, in medio ſcorpionum tu habitas. Et Dauid: Filij hominum, dentes eorum arma & ſagittæ, & lingua eorum gladius acutus. Hinc etiam Dominus Iſraelem cum exteris connubio iungi noluit. Quia inquit, ſeducent filium tuum, ne ſequatur me. Et Paulus: Corrumpunt bonos mores colloquia praua. Et: Modicum fermenti totam maſſam corrumpit. Deinde in nullo conſentit hoſti. Suadebat ille gulam, ſuadebat auaritiam, atque ſuperbiam: ſed ſemper reſpondet: Secus ſcriptum eſt. Et hoc ipſum noſtrum exemplum eſt. Hominibus cedendum eſt fortè, ſed diabolo mìnimè. Quancunque ergo ille tentationem ſubdolus ingerit, aliter ſcriptum eſſe reſponde: diuinã voluntatem malignis oppone ſuggeſtiõibus. Sic fiet quod Iacobus præcipit: Reſiſtite diabolo, & fugiet à vobis. Nã ſi in vno aliquo conceſſerimus, importunus ſollicitator non quieſcet, donec totos in ſuum ius pertraxerit. Poſtremò, verbo Dei, quod eſt gladius ſpiritus repercutit. Idem nobis ſequendum eſt. Voluntas enim Dei certiſsima & tuta viuendi norma eſt: hæc autem ſacris ſcripturis manifeſtatur. Sed hoc laborandum eſt, vt rectè vtamur. Vterque Chriſtus & Diabolus hoc gladio vſus eſt, ſed lõgè diuerſiſsimè. Et ſanè plurimam tragœdiam

Iſai. 53. *Math. 6.* *Ezech. 2.* *Pſal. 56.* *Deute. 7.* *1. Cor. 15.* *1. Cor. 5.* *Rom. 12.* *Iacob. 4.* *Ephe. 6.*

excitauit eius abusus, cùm alius inscitia, alius nequitia, rapit atque detorquet. Non hoc Christianū est, sed Diabolicum. Christianus Christi exēplum sequitur,& rectè secat atq; tractat. Et huius rei non à nobis ipsis, sed à sanctis qui ante nos vixerunt patribus, petendum est iudicium. Ecce, hoc modo hísq; armis Satanā Christus deuicit. Nouimus cogitationes Diaboli,& cur non pugnamus? Christi sanguine libertati restitutus in hostis tyrannidem relabetur? aut vtrique Domino
2.Cor.6. pars in nobis erit? At scriptura hoc prohibet: Nolite iugum ducere, cum infidelibus: Quæ enim participatio iustitiæ cum iniquitate? aut quæ societas luci ad tenebras? Quæ autem conuentio Christi & Belial? Quis cōsensus templo Dei cū idolis?
Matth.6. Non potestis Deo seruire & Mammonæ: Quid paleis ad tri
Luc.6. ticum? Quousque in duas claudicatis partes? Transierūt iam
Ierem.23. bacchanalia. Dixistis tunc: Omnia tēpus suum hȃbēt. Eccle.3.
3.Reg.18. At nunc dies absoluti redeūt, tempus adest sobriū. Tota hæc vita tempus sobrium esse debuit,& dies, in qua operandū est
Hebr.3. bonum. Ioan.9.& 12.1.Cor.6. Hodie si vocem Domini, imò
Psal.94. verò exēplum eius audieritis & videritis, nolite obdurare corda vestra. Conuertimini ad Dominum in planctu & ieiunio: sequimini exēplum eius, qui peccatum non fecit, peccatores:
Psal.72. Consolamini in eo,& dicite: Bonum est mihi adhærere tibi ô
Matth.8. Christe,& ponere in te spem meā: Nam quò ibimus? Sequar
Psal.22. te quocūquè ieris,& si ambulauero in medio vmbræ mortis,
Rom.8. non timebo mala, quoniā tu mecū es: Vt ut sæuiat is qui tentat, tua tamen fretus victoria, in te ventilabo eum: Quis me separabit à charitate tui? Hoc igitur modo si Christi capitis nostri facto hoc vsi fuerimus, plus commodi inde referemus. Consoletur igitur nos atque hortetur: vt quia velimus, nolimus, pugnādū est, in ipso omnes inimicos nostros vincamus, qui cū patre & spiritu sancto victor triūphat & regnat. Amē.

DOMINICA SECVNDA QVADRAGESIMAE EVANG.

MATTH. XV.

ET egressus inde Iesus, secessit in partes Tiri & Sidonis. Et ecce mulier Chananęa à finibus illis egressa, clamauit, dicens ei: Miserere mei Domine, fili

mine, fili Dauid, filia mea malè à dæmonio vexatur. Qui non respondit ei verbum. Et accedentes discipuli eius, rogabant eum, dicentes: Dimitte eã: quia clamat post nos. Ipse autem respondens, ait: Non sum missus nisi ad oues quæ perierũt domus Israel. At illa venit, & adorauit eum, dicẽs: Domine, adiuua me. Qui respondens, ait: Non est bonũ sumere panẽ filiorum, & mittere canibus. At illa dixit: Etiam Domine, nã & catelli edunt de micis quę cadũt de mẽsa dominorũ suorũ. Tũc respõdẽs Iesus, ait illi: O mulier, magna est fides tua, fiat tibi sicut vis. Et sanata est filia eius ex illa hora.

EADEM DOMINICA EPISTOLA, I. THESS. IIII.

De cæterò ergo fratres, regamus vos, & obsecramus in Domino Iesu, vt quemadmodum accepistis à nobis, quomodo oporteat vos ambulare & placere Deo, sic & ambuletis: vt abundetis magis. Scitis enim quæ præcepta dederim vobis per dominũ Iesum. Hæc est autem volũtas Dei, sanctificatio vestra: vt abstineatis vos à fornicatione: vt sciat vnusquisque vestrùm vas suum posidere in sanctificatione & honore, non in paßione desiderij, sicut & gentes quæ ignorant Deum, & ne quis supergrediatur, neque circumueniat in negotio fratrem suum, quoniam vindex est Dominus de his omnibus, sicut prædiximus vobis, & testificati sumus. Non enim vocauit nos Deus in immunditiam, sed in sanctificationem.

SERMO.

Quis erga nos Diabolus sit, quæ nostra infirmitas, vbi, & quomodo quærendum auxilium.



SVPERIORE dñica præter ea quæ ad quartã mũdi ætatem attinẽt, hoc demonstratum est, ꝙ Christi capitis nostri tẽtatio & duellũ hostile, nõ solũ cõsoletur nos, ꝙ ea victoria libertatẽ nobis contulerit: verũetiã, ꝙ hortetur, vt ad ipsius exẽplũ, iisdémq; machinis, cõtra cõmunẽ hostẽ pugnemus: vt datam recuperatámq; per caput & ducem nostrum libertatem tueamur & conseruemus. Verùm ad arma conclamatum

est:nondum tamē perfectè,quam cladem hostis intulerit,vbi
Summa. & quomodò arma petenda sint,demonstratum est. Hæc igitur planè & expresſè præſens cùm Dominica, tum Euangelium docent. Neceſſaria omninò doctrina,vt & nostram calamitatem agnoſcamus,& quæ ſæuiſsimi hostis ſit tyrannis,diſcamus. Facit enim vt certius & maiori ardore ad arma curramus,constantiúsque nitamur cōtrà. Si neſcis igitur quas turbas
Quinta ætas. concitauerit,quam tibi cladem intulerit Satā, huc adſis, & quintam mundi ætatē quæ est à Babylonica ad Christum vſque captiuitate, reſpice: tū etiam clamores & preces huius Chananeæ attende,& mox didiciſſe te fatebere. Quòd ſi arma auxiliúmque petis,piorum in quinta ætate, & huius mulierculæ exempla cape. Nam vtrique ad aſylū & propugnaculum, ad fontem omnis præſidij auxilijq; diuitem te ſine errore ducent. Et quidem,quòd ad illius ætatis quintæ statum attinet,nullus illo ipſo deploratior. Ipſi enim Iudæi per ma-
4.Reg.25. num Nabuchodonoſor in Babylonem,è terra, quam ex mera liberalitate donauerat Deus, captiui abducti, grauiſsima ſeruitute premebantur. Quicquid vſquam gloriæ & gaudij erat,totum ſuppreſſum iacebat. Id quod apertè Pſalmiſta te-
Pſal.136. statur,dicens: Super flumina Babylonis illic ſedimus & fleuimus,dum recordaremur tui Sion: Quomodò cātabimus canticum Domini in terra aliena? Suſpendimus organa nostra. Tum etiam tēplum, ſacrificia, festa, adeóque cultus diuinus
Dan.3. totus,nihil erāt. Sed & Dei ſui veri blaſphemias audire,& ad idolatriam cogebantur, planéque illud tempus erat, de quo
Oſe.3. Oſee ſcripſerat: Quia dies multos ſedebūt filij Iſrael ſine Rege, & ſine principe, & ſine ſacrificio, & ſine altari, & ſine E-
Dan.3. phod,& ſine Theraphim. Id quod Azarias cōqueritur,cùm ait: Oīa ergo quæ induxiſti ſup nos,& vniuerſa quę feciſti nobis,in vero iudicio feciſti,& tradidiſti nos in manibus inimicorū nostrorū iniquorū, & peſsimorū, & præuaricatorū,& Regi iniusto & peſsimo,vltra omnē terrā. Non est in tpē hoc Princeps,& dux, & Propheta, neq; holocaustū, neq; ſacrificiū,neq; oblatio,neq; incēſum,neq; locus primitiarū corā te, vt poſsimus inuenire miſericordiā tuam, ſed in anima cōtrita & ſpiritu humilitatis ſuſcipiamur. Sed & post illam captiuitatem,cùm iam Deo prouidēte & diſponente per Cyri clemētiam patrios lares reuiſere conceſſum eſſet, ipſóque templo instaurato,cultus & ceremoniæ exuſcitarentur, nunquā certa pace &

ta pace & quietè fruebantur, sed vndiq; à Persiæ, Syriæ, atq; Aegypti Regibus sollicitati, nouissimè malè à Romanis vexabantur. Tum visio Danielis de quatuor bestijs implebatur, cũ potentissimi totius orbis Monarchę quatuor, Babyloniæ, Persiæ, Græcię, atq; Romanorum, alter in alterius euersionẽ coniurassent, omnes in hoc tamen consentirent: vt Dei populum funditùs extirparẽt. Et quid hoc statu miserabilius? quid calamitosius? Oẽs diruere, nemo poterat ædificare. Esdras, Zorobabel, Nehemias, alijq; quid extruerẽt? Machabęi quid efficerẽt? Omnia hostes obsidebãt, omnia timore armisq; impleuerant. Et hæc quintæ ætatis miseria atq; calamitas fuit. Eadem hæc mater in se ostendit & filia, quæ miserandã, attamen veram humanæ inopiæ conditionem exprimunt, & veluti in speculo exponũt. Iacet domi filia impos animi, agitata furijs: vociferatur mater, & alienæ iniuriæ, (si tñ alienę & nõ magis propriæ) impatiẽs, cœlũ implet clamoribus, domum exit, vbi mera desperatio, & medici implorat misericordiam, vbi certũ auxiliũ. Haud dubiè si quis intus filiam à dæmonio miserabiliter vexatã & exagitatã vidit, foris matrem pro filia angustijs vndiq; septã, lamentabili voce eiulantẽ audiuit, satis magnã calamitatẽ & indignã cognouit. Si enim nos qui hæc legimus, ad cõmiserationẽ mouemur, quomodò moti sunt, qui oculis suis corã omnia audiuerunt & viderunt? An nõ miseranda res est, Diabolum, qui iusta vindicta è cœlo præcipitatus, ad Inferna detrusus est, & æternis gehennæ cruciatibus mancipatus est, hominẽ, nobilem & ad ipsius Dei imaginem formatã creaturã, filij Dei sanguine purgatã sanctificatãmq;, tã indignis modis tractare? O Deum immortalẽ, ad quãtam gloriam hominẽ reformasti? ad quã sese præcipitauit ignominiam? Neq; enim si nollet homo, quicquam in eo Satan iuris haberet. Nunc autẽ cõsentientem malè torquet & vexat, nũc blandas voluptates suggerit, nunc peccati terrorẽ immittit, nunc mortem minatur & gehennã. Quæ omnia Dauid apertissimè expressit, cùm ait: Miserere mei Domine, quoniã infirmus sum, sana me Domine, quoniam conturbata sunt omnia ossa mea, & anima mea exterrita est valde. Et: Nõ est sanitas in carne mea, nõ est pax assibus meis à facie peccatorũm meorum. Quoniam iniquitates meæ supergressæ sunt caput meum, & sicut onus graue grauatę sunt super me. Putruerũt & corruptæ sunt cicatrices meæ, à facie insipientiæ meæ, mi-

Dan. 7.

Mulier Chananæa.

Psal. 6.

Psal. 37.

ser factus & curuatus sum vsq; in finem, tota die contristatus ingrediebar. Quoniam lumbi mei impleti sunt illusionibus, & non est sanitas in carne mea. Afflictus sum & humiliatus
Psal.142. sum nimis, rugiebã à gemitu cordis mei. Et: Persequutus est inimicus animam meam, humiliauit in terra vitam meam. Collocauit me in obscuris sicut mortuos seculi, & anxiatus est super me spiritus meus, in me turbatum est cor meum.
Psal.114. Et: Circundederunt me dolores mortis, & pericula inferni inuenerũt me: Tribulationem & dolorem inueni, & nomen
Psal.119. Domini inuocabo. Et: Hei mihi: quia incolatus meus prolongatus est: habitaui cũ habitãtibus Cedar, multum incola fuit
Rom.7. anima mea. Eodem modò Paulus Apostolus lamentatur, cùm ait: Video aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, & captiuantem me in lege peccati, quæ est in membris meis: Infœlix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? Ecce duo magna luminaria de hac Diaboli tyrannide, humanáque miseria conquerẽtia: quorum illud in veteri, hoc in nouo Testamento lucet, quorum exẽplis facilè erit admodùm, quantum sibi hostis ille animum in alijs hominibus vendicet, videre, & quàm nulla in nobis tãquam ex nobis resistendi virtus sit, cognoscere. Quid autem miramur? Nunquid sui dissimilis erit, qui idem assueuit ab initio? Qui præreptam sibi salutem, nobis promissam esse inuidet, hanc vt eripiat, inq; suam meritam cõdemnationem nos pertrahat, non inuigilabit? Hæc illi propria natura est, nec quicquam preter eiuscemodi multa ab ipso expectare aut sperare possumus, quantumlibet blandum & amicum se simulet.
Nomina spiritus maligni naturam eius declarant. Id quod ex nominibus eius intelligi potest, quibus in scripturis sacris describitur. Christus de eo in Ioanne loquens ad Iudæos, Ille, inquit, homicida erat ab initio, & in veritate non stetit: quia non est veritas in eo: Cùm loquitur mendacium,
Ioan.8. ex proprijs loquitur: quia mendax est, & pater eius. Inuidia
Sap.2. Diaboli mors introiuit in orbem terrarum. Imitãtur autem
Genes.3. illum qui sunt ex parte illius. Vnde in Genesi serpens dicitur, qui callida persuasione primos parẽtes nostros per peccatum
Isai.27. morti fecit obnoxios. In Isaia, Leuiathan, serpens, vectis, & tortuosus, & cete maris dicitur. Verùm vbique obuiũ est Diaboli nomen. Sap.2. Matth.4.13.25. Luc.4. Ioan.13. capitibus. Paulus multis in locis. Iaco.4.1. Pet.5.1. Ioã.3. & Apoc.12. Alibi Satan dicitur. vt Iob 1. Matt.4. In Apoc. draco nominatur.
Quibus no-

Quibus nominibus natura ipsius & proprietas exprimitur. Nam serpens dicitur, quòd natura sit callidus, vafer & astutus, sicut & serpentes sunt, qui caput toto corpore protegũt, vt aliud in quo vitã habẽt, protegant. Vnde in Matthæo Christus ait: Estote prudentes sicut serpentes: nempe, quia serpẽs sua calliditate vsus est ad decipiendũ, vos cõtra serpẽtes prudentes sitis ad liberandũ. Et huic quidem serpentinæ calliditati opponitur draconis atque leonis sæuitia: quòd hos vi opprimere, illos conatur dolo fraudare: & quos non valet fortitudine expugnare, hos tentat callida suggestione deijcere. Et de hac vtraq; tã diuersa natura Paulus loquitur, dicens: Non ignoramus cogitationes eius, nẽpe Satanæ: non circũueniamur ab eo. Dicitur autẽ diabolus, hoc est, calumniator, quòd ab ipso statim initio calumnijs Deũ impetebat, quasi inuidia Deus arborẽ parentibus nostris interdixisset: Nequaquã moriemini: Scit enim Deus ꝙ in quacũq; die comederitis ex eo, aperiẽtur oculi vestri, & eritis sicut Dij, sciẽtes bonũ & malũ. Sed & Satan, hoc est, aduersarius dicitur, quòd semper repugnet aduersus Deũ & suos populos, vt in Isaia, Iob, & alijs videre est. Hæc illi infausta nomina pro merito Scriptura imposuit: quæ considerãtes, de ipsius natura, proposito ac cogitationibus ignari esse nõ possumus. Corpus ille nostrũ multis grauat aduersitatibus, vt in Iob videre est. Spiritus est mille artifex, ideò ipsas quoq; animas sollicitat. Vnde ꝓpriè hæc Chananæa non aliqua corporis aut aĩæ parte vexari filiã suã dixit, sed filiã hominẽ totũ malè vexari à dæmonio cõqueritur. Quẽadmodũ in quinta ætate nõ modò ad corpora populi Dei affligenda cõcitauit exteros reges, verũ ipse etiã ipsorũ miserè torquebat animas, peccato & mortis formidine. Et huiuscemodi mala Deus tolerat atq; permittit, non quòd suos abiecerit de cura sua, qui omni omnes capillos capitis nostri numerauit, cui etiam cura est de nobis: sed vt nobis membris suis certandi offerat occasionẽ, vt ipse postea pro conatu nostro coronãdi habeat materiã. Quòd si nos, quẽadmodum in quinta ætate Iudæi, & hæc mater in Euangelio, aut eius filia in domo, ijsdẽ passionibus subiecti, nec ad resistendũ sufficientes sumus ipsi: quid restat, nisi vt quod vtriq; fecerunt, quo salutem meruerunt, nos quoq; imitemur? Hic sanè fortiter pugnandum est, aut inhonestè cadẽdum erit. Si pugnauerimus, victoria certa est: si ciderimus, si in ipsius nassam pertracti

Hieron. *Matth.10.* *2.Cor.2.* *Gen.3.* *Isai.14.* *Iob.4.* *Ephe.6.*

Cur Deus permittat nos tentari.

fuerimus, ignominia sempiterna est. Quid, oro, matris huius, quid piorum in quinta ætate, quid etiã in hodierna Epistola exẽpla & acclamationes volũt, nisi vt pugnemus? Vtinã pondus, quo multo iã tẽpore in peccatis premimur, importabile intelligeremus. Vtinã imminentẽ Dei vindictã & irã quã meriti sumus, consideraremus: cõsiderãdo, timeremus: timẽdo, effugere studeremus. Profectò & pigeret tãti oneris, & hucusque sub eo quieuisse puderet. Neque enim peccati iugum quicquã præter Dei iram meretur: ira verò Dei sempiternũ
Deuter. 32. sequitur exitiũ. Sed iam nũc ira Dei exarsit, gladius vindictæ euaginatus est, quẽadmodũ olim Deus Israeli minitabatur, dicens: Ignis succẽsus est in furore meo, & ardebit vsq; ad inferni nouissima, deuorabítque terrã cũ germine suo, & mon
Ioel. 1. tiũ fundamẽta comburet. Et Ioel, Ah, ah, ah diei: quia prope est dies Domini, & quasi vastitas à potẽte veniet: Ignis comedit speciosa deserti, & flamma succẽdit omnia ligna regionis.
Ezech. 21. Et Dominus in Ezechiele: Gladius, gladius exacutus est & limatus: vt cædat victimas, exacutus est: vt splendeat, limatus est: Iste exacutus est gladius, & iste limatus est, vt sit in manu interficiẽtis: Clama & vlula fili hominis, quia hic factus est in populo meo, hic in cunctis ducibus Israel qui fugerãt: gladio traditi sunt cum populo meo. Et Ioannes: Iam securis ad ra-
Matth. 3. dicẽ arboris posita est. Omnis ergo arbor quæ nõ facit fructũ bonũ, excidetur, & in ignẽ mittetur. Et iterũ Dominus:
Deut. 32. Iuxta est dies perditionis, & adesse festinãt tẽpora. Si acuero vt fulgur gladiũ meũ, & arripuerit iudiciũ manus mea, reddam vltionẽ hostibus meis, & ijs qui oderũt me, retribuam. Hæc clamat Scriptura, & pars expleta sunt in nobis, pars expectantur à nobis. Quòd si oculos sustollere voluerimus, quę immineant ex præcedentibus colligemus. Intumescente mari grandíque orta tempestate, timuerunt nautæ, & clamaue-
Matth. 14. runt viri ad Deum suũ. Petrus cùm periclitaretur in mari, cæ
Matth. 8. teríque Apostoli cũ nauiculam operiri viderent fluctibus, ad
Psalm. 68. Dñm pro salute corporali clamauerũt. Nos verò licèt aquæ ad interiora animarũ nostrarũ intrent, tamẽ non clamamus?
Deus vult inuocari. Vult Deus se ducem & rectorem inuocemus prælij, & quia vult, iubet atque promissionesq; addit, vt in Psalmis: Immola
Psalm. 49. Deo sacrificiũ laudis, & redde altissimo vota tua. Et: Inuoca me in die tribulationis, eruam te, & honorificabis me. Et in
Matth. 11. Euãgelio: Venite ad me oẽs qui laboratis, & onerati estis, ego

reficiam vos. Et: Si quis sitit, veniat ad me, & bibat. Et alibi cō- *Ioan.7.*
queritur, dicēs: Nō vultis venire ad me, vt vitā habeatis. Et: Ie- *Ioan.5.*
rusalē, Ierusalē, quoties volui cōgregare filios tuos queadmo- *Matth.23.*
dū gallina congregat pullos suos sub alis, & noluisti. Sic alibi *Luc.19.*
super Ierusalē nolentem per pœnitentiā cōuerti, fleuisse de- *Isai.42.*
scribitur. Et hoc erat, quod Isaias quondā de ipso prædixerat
futurū: Calamū quassatū nō conteret, & linū fumigans non
extinguet. Agitē ergo, sequamur prudentiam mulieris, relin-
quamus pristinæ conuersationis domum, exeamus, quæra-
mus medicū qui nos saluet de interitu, & liberet à perditione
animam nostram. Et quomodo, inquis, quæram? Viden mu-
lierem? Hæc tibi forma sit & exēplum. Nouerat illa promis-
sionem: Clamabit ad me, & ego exaudiam eum, cū ipso sum *Psalm.90.*
in tribulatione, eripiam eum, & glorificabo eum. Et: Quicun- *Ioel,2.*
que inuocauerit nomen Domini, saluus erit. Easdē & plures
promissiones tu habes: Amen dico vobis, quidquid orantes *Ioan.16.*
petieritis patrem in nomine meo, dabit vobis. Sed quid illa?
Reuelat Domino viam suā: aperit malū quod intus latebat,
magna fide & ardenti oratione instat, & sic sibi atque filiæ sa-
lutem impetrat. O mulier, ait Dominus, magna est fides tua: *Matth.15.*
fiat tibi sicut vis. Et quidem hæc illa, quorū hoc ieiunij tem-
pore admonemur. Neque enim alia via est, qua vel dæmonis
iugum excutiamus, vel à Domino Deo nostro salutem cōse-
quamur, præter humilem pœnitentiam atque cōfessionem. *Pœnitentia*
Scio insuauē multis esse huius rei mentionē: sed nūquid ideo *& confessio.*
à necessaria confessionis doctrina abstinendū est, quia nō om-
nibus grata est? Petrus & Apostoli scandalizabantur, cùm *Matth.6.*
Christus mortis suæ faceret mentionem. nunquid propterea *Ioan.6.*
ipse de ea tacuit? Iudæi, cùm de corporis & sanguinis sui cibo
sermonem haberet, dicebant: Durus est hic sermo. Nunquid
autem ideo destinet? Correptio Pauli malè habebat Corin- *2.Cor.7.*
thios, an fortè ideo silet? Nūquid cessauit prædicare Paulus, *Actio.26.*
quòd à Festo putaretur insanus? Aut ideóne Micheas peccata *3.Reg.22.*
arguere prætermisit, quòd eiusmodi Prophetæ correptio
Achab displiceret? Nunquid ad Isaiam Prophetam sermo *Isai.58.*
Domini factus est? dicens: Clama, ne cesses: quasi tuba exalta
vocem tuam, & annuncia populo meo scelera eorum, & do-
mui Iacob peccata eorum. Nunquid & ad Ieremiam Domi-
nus loquutus est: Ecce, constitui te hodie super Gentes, & su- *Ierem.1.*
per regna, vt euellas, & destruas, & disperdas, & dissipes, &

Ezec.3. ædifices,& plantes?Et ad Ezechielem,Si,inquit Dominus, dicente me ad impiú:Morte morieris,non annunciaueris,ei neq; loquutus fueris ei,vt auertatur à via sua impia,& viuat: ipse impius in iniquitate sua morietur:sanguinem autẽ eius de manu tua requirã.Quòd si omnes quẽadmodũ hæc Chananæa malum nostrũ agnosceremus,& medicum quærere- mus:confessionis & pœnitentiæ prædicatio necessaria non *Similitudo.* esset.Sed quia eiusmodi esse definimus,atque illa prædicatio omnibus ferè inuisa est:hoc faciendum mihi est, quod solet, cui fortè pretiosus lapis è manibus in terrã lapsus fractus est. Hic mœstus diu multúmque quid faciendum sit,anxio corde voluit,& cùm integrum habere & saluum lenare non potest,tandem fragmẽta colligit particulatim, reponénsque illa frustillatim,satius partes habere,quàm totũ perire iudicat. *Laus pœnitentiæ.* Eadem pœnitẽtiæ ratio est.Per se pretiosa margarita illa est, cuius multi inde ab exordio rerũ fructus sunt.Hac enim desperantes multi consolati sunt,errantes in viam reducti,lapsi conseruati,deficientes in fide confortati damnationi obnoxij in gratiam recepti sunt.Hac etiam homines externè in officio,in disciplina,obedientia seruati sunt,vt veluti monile pretiosum semper in Ecclesia magni æstimata sit,& quasi optimum commodissimúmque cum Deo agendi medium, prædicata sit non modò in nouo,sed & in veteri Testamento. Quanquam differenter.In veteri enim Testamẽto soli Deo *Psalm.31.* confitebãtur homines,quòd illic nulli clauiũ esset tradita potestas.Vnde Dauid,Dixi,inquit,cõfitebor aduersum me in- *Reg.12.14.* iustitiã meã Domino.Sic Manasses,sic filij Israel,sic Achan, *Dan.3.* Iosue 7.confessi sunt.Sic in quinta ætate Azarias: Peccauimus,inquit,Domine,& inique egimus recedentes à te,& deliquimus in omnibus,& quæ sequũtur.Lege Isaiã 54. Dan. 9.Esd.9.Iudith 7.Baruch.1.Psal.50.1.Reg.12.& videbis pios non modò sua ipsorũm,verũ etiã aliorũ cõfessos esse peccata. *Marc.1.* In Euangelio cùm baptizaret Ioannes,confitebãtur pecca *Acto.19.* ta sua.In actis Apostolorum credentes confessi sunt delicta: sicut latro in cruce impietatem suam cõfitebatur.Adde quod *Luc.23.* ad confessionem scriptura nos sacra hortatur,vt:Qui abscon dit scelera sua,non dirigetur:qui autem cõfessus fuerit,& reliquerit ea,misericordiã consequetur.Et: Non confundaris *Eccle.4.* confiteri peccata tua.Et: Ante mortem confitere: confitebe- *Eccle.17* ris viuens:viuus & sanus confiteberis. Et hoc est quod Ieremias Pro-

mias Propheta monet: Effunde sicut aquam cor tuum ante conspectum Domini. Et Ioannes: Si confiteamur peccata nostra, fidelis est & iustus, vt remittat nobis peccatata nostra, & emundet nos ab omni iniquitate. Et Iacob. Confitemini alterutrum peccata vestra, & orate pro inuicem, vt saluemini. Ecce quòd semper confessio apud omnes in honore fuerit. Imò impij etiam vtilitatem eius & fructus nouerunt, cū pœna correpti, vel inuiti ad confessionē cucurrerūt. Id quod in Pharaone, Saule, Iuda, alijsque videre est. Quòd si quæras, cur Deus pœnitentiam & confessionem velit, breuis est respōsio: Quia peccans superbè contra Deum egit: ideò nisi humilem factum nō vult recipere: & quia nec Deum, nec angelos, nec etiā homines erubuit, vult vt sese confundat, si modò gratiam quærit. Et hanc vtilitatē nouit Satan, ideóque cùm ipse perire æternum, quàm confiteri delictū suum mauult, omnes sui similes esse, & confessionis odium omnibus ingerere studet. Hinc est quòd maximè omnium aduersus Sacramentalem confessionem, quæ Ecclesiæ ministris fit, pugnat: quòd ibi non modò certa peccatorum remissio fit, verumetiā confitentis conscientia per absolutionem verbûmque Dei de ipsa remissione certior redditur & confirmatur. Ideò cùm iam multos ante annos multam in eam zizaniam seminasset, partim in confessores, partim in confitentes, cámque in multorum suspicionem induxisset: tandem nostra memoria totam ferè conculcauit, extremámque calamitatem immisit. Nemo enim ferè est, qui non habeat aliquid quod conculcatæ exprobret. Alius non esse præceptam à Christo, ideóque nec necessariam iactitat. Sed nunquid Christum durum legislatorem efficere volumus? An non est satis quòd omnes ad se vocet? quòd Apostolis absoluendi ligandíque potestatem dedit? Volebat Moses accedere ad Dominum. Sed quid audit? Solue calciamentum tuum: locus enim in quo stas, terra sancta est. Dominus ignis consumens est, nos stipula fœni. Quòd si nos quoque ad Dominum accedere, vt sine quo bene nobis non est, necesse habemus: vtiq; Mosi exēplo edoctis timendū est, ne idē nobis dicatur. Vocat ille ad se omnes, sed vult vt derelinquat vnusquisq; viā suā malam, & sic cōuertatur. Vocauit, sed pœnitentes: nō ad otium, sed vt iugum suum tollant. Absoluit peccatores, sed ne amplius postea peccarēt, adiūxit. Remissionem in suo nomine prædicari iussit, sed præcedēte pœ-

Thren. 1. *1. Ioan. 1.* *Iacob. 5* *Num. 5.* *Cur Satan Sacramentalem confess. infensius impetat.* *Obiectio. 1.* *Confutatio.* *Matth. 11.* *Ioan. 20.* *Exod. 3.* *Deuter. 4.* *Ezec. 18* *Matth. 11.* *Luc. 7. 5.* *Ioan. 5.* *Ioan. 17.*

Luc.14. nitentia. Qui ergo ipsius voluntatem, quomodò nos accedere velit, audis, qua ratiõe si aliter appropinquas, excusaberis?
Obiectio.2. Alius dicit: Grauior est confessio, quàm vt Christianis imponi debeat. Quisquis hoc dicis, teipsum prodis & quòd peccati tui onus nunquam intellexeris, ostendis. Quòd si intelligeres, quos terrores conscientia sibi malè conscia in morte sustinet, quãtus iudicij extremi horror futurus est: profectò etiam coràm toto mundo peccata confiteri, quiduis. hic eorũ nomine sustinere graue non esset. Respice hanc matrem, quæ cælum atq; homines clamore implet sollicitátq;. Alius dicit:
3 Confessio abusu non vacat. Rectè. Id eorum quorum interest factum est iniuria. Quòd si omnia reijcienda sũnt, quæ abusibus non vacant quid retinebimus? Tu illa rectè vtere, & aliorum abusus nihil tibi incõmodabunt. Alius dicit: Ne
4 audientem confessionem meam peccatis, meis scandalizem confiteri nolo. Ehodum, quid hoc est? Erubescis cõfiteri peccata, ne enumerãdo scandalizes, & hoc ipsum non times cũ peccas? Sed non hoc quæris, scio. Illud potiùs, vt quiduis impunè audiendi sit potestas. Hæc nẽpe ipsa sunt tempora, de
2.Tim.3. quibus ad Timotheum scripsit Paulus. Ecce quomodò cõfessio, pœnitentiæ pretiosa margarita, cõciderit & confracta sit, imò penè conculcata iaceat. Et quid hîc faciendum est? Integram habere non possumus: partes ergo colligamus. Cogitemus quam nostram pœnitentiam totus ille Angelorum chorus expectet. Nobiscũ ergo perpẽdam⁹, quod peccauerimus faciendo, omittendo, mente, ore, opere, in Deum, aduersus proximum, contrà nosmetipsos. deindè quid peccãdo
Exod.32. meriti simus, quæ amiserimus. Hînc contritio mentẽ subeat: quod tam citò declinaueris à via, quod inocentiam amissam tam longo tẽpore non quæsieris, tantum diuinæ iræ aceruũ
Rom.2. accumulaueris. Post hæc clauso hostio, flexísq; genibus, tũde pectus, profer lachrymas, confitere Domino, dic cum pu-
Matth.5. blicano: Propitius esto mihi peccatori, peccaui in te pater, iã
Luc.18. non sum dignus vocari filius tuus: conuerte me, & cõuertar.
Luc.15. Post hæc sacerdotem quære. huic aperi vulnus in vero corde
Ierem.31. non pharisaico modo. Absolutione confirma mentem tuam emendationis propositum auge, pietatis studium in mente habe, & contraria rependere operam da contrariis. Et horũ omnium mater hæc Cananæa te admonere potest. Angustatur illa, ad Christũ currit, dolet quod in domo habebat malum: quod

lum: q cũ meritis nõ posset expellere, mĩæ implorat auxiliũ: Miserere mei Dñe fili Dauid, filia mea malè à dæmonio vexatur. Quod postremũ posuit, orõnis causa est, & cõfessio: Filia mea malè à dæmonio vexatur, ideò Dñe fili Dauid, mĩam quã nõ mereor exopto. Vide aũt prudentiã mulieris. Nõ iuit ad hoĩes seductores, nõ quæsiuit inanes ligaturas: sed oẽs relinquens diaboli cultus, venit ad Dñm. Nõ petiuit Iacobũ, nõ rogauit Ioannẽ, nõ accessit ad Petrũ: sed suscepit in se pœnitentiæ patrociniũ, & sola currit ad Dñm. Magna sanè eius fides est, quę credebat sanari posse filiã suã: magna, quę toties repulsam passa, precari tñ nõ desinit. Primò nõ respondet ei verbũ. Magna tẽtatio hæc fuit, q quẽ paratũ ad auxiliũ aliorũ nouerat, ne quidẽ verbũ rñdet: maior tẽtatio, q etiã ad Apostolorũ suffragia negat supplicãti opẽ: maxima verò, q tertiò ingeminãtẽ voces ad lachrymas, q adorantẽ cõparãt canibus. Magna ergo eius fides est, magna humilitas, q̃ cõparata canibus, catelli morẽ sequitur: magna solertia, quæ argumentũ contrariũ retorquet in salutis Dñm. Scio me, inquit, filiorũ panẽ nõ mereri, nec integros capere posse cibos, nec sedere posse ad mẽsam cũ patre: sed cõtenta sum reliquijs catulorũ, vt per humilitatẽ micarũ, ad panis integri veniã magnitudinẽ. Canẽ medicis, quin ipsa me catellã nõ negauerim. Si ergo canis sum, vt canem nutri me: quomodò mẽsam Dñi mei possum relinquere? Et hic modus est cũ Deo agẽdi. Prætermittitur fides, comitatur nos ex proprię inopiæ cõsideratiõe humilitas: & salutẽ quã non merentur merita, impetrat orationis perseuerãtia. Sic quotidiè mater Ecclesia, animarũ per peccatũ in alienũ ius seductarũ salutẽ, orationũ suarũ impetrat instantia. Sic pij, si quãdo filias suas, hoc est animas à diabolo obsessas intelligũt, ad medicũ currunt. Hos sequamur. Agnoscamus imbecillitatẽ nostrã, cõsideremus meritas pœnas, peccatiq; magnitudinẽ: & aperto vulnere, medici exoptemus misericordiã, qui est benedictus in secula Deus. Amen.

Matth. 15.

Gregorius in Homil.

DOMINICA TERTIA QVADRAGESIMAE EVANGELIVM LVCAE. XI.

ET erat (Iesus) eijciens dæmonium, & illud erat mutum. Et cùm eiecisset dæmonium, locu

tus est mutus, & admiratæ sunt turbæ. Quidam autem ex eis dixerunt: in Beelzebub principe dæmoniorũ eijcit dæmonia. Et alij tentãtes, signum de cœlo quærebant ab eo. Ipse autem vt vidit cogitationes eorum, dixit eis: Omne regnum in se diuisum desolabitur, & domus suprà domum cadet. Si autem & Satanas in seipsum diuisus est, quomodò stabit regnum eius: quia dicitis in Beelzebub me eijcere dæmonia. Si autem ego in Beelzebub eijcio dæmonia, filij vestri in quo eijciũt? Ideò ipsi iudices vestri erunt. Porrò si in digito Dei eijcio dæmonia, profectò peruenit in vos regnum Dei. Cùm fortis armatus custodit atrium suum, in pace sunt ea quæ possidet. Si autem fortior eo superueniens vicerit eum, vniuersa arma eius auferet, in quibus confidebat, & spolia eius distribuet. Qui non est mecum, contra me est: & qui non colligit mecum, dispergit. Cũ immundus spiritus exierit de homine, ambulat per loca inaquosa, quærens requiẽ: & nõ inueniens, dicit: Reuertar in domũ meã, vnde exiui. Et cũ venerit, inuenit eã scopis mundatã. Tunc vadit, & assumit alios septẽ spiritus nequiores se, & ingressi habitant ibi. Et fiunt nouissima hominis illius peiora prioribus. Factum est autem cũ hæc diceret, extollens vocem quædã mulier de turba dixit illi: Beatus venter qui te portauit, & vbera quæ suxisti. At ille dixit: Quinimò beati qui audiunt verbũ Dei, & custodiunt illud.

EADEM DOMINICA EPISTOLA EPHES. V.

Estote ergo imitatores Dei, sicut filij charissimi, & ambulate in dilectione, sicut & Christus dilexit nos, & tradidit semetipsum pro

ipsum pro nobis oblationem, & hostiam Deo, in odorem suauitatis. Fornicatio autem & omnis immunditia, aut auaritia, nec nominetur in vobis, sicut decet sanctos: aut turpitudo, aut stultiloquium, aut scurrilitas, quæ ad rem non pertinent, sed magis gratiarum actio. Hoc enim scitote intelligentes, quòd omnis fornicator, aut immundus, aut auarus (quod est idolorum seruitus) non habet hæreditatem in regno Christi & Dei. Nemo vos seducat inanibus verbis. Propter hæc enim venit ira Dei in filios diffidentiæ. Nolite ergo effici participes eorum. Eratis enim aliquando tenebræ: nunc autem lux in Domino, vt filij lucis ambulate.

SERMO.

Quod & qua potestate Christus dæmonium eiecerit, quod nostrum periculum, quomodò domus custodienda sit.



AD sextam ætatem, hoc est, gratiæ & Euangelij tempus tandem ventum est. Quemadmodum ergo superioribus dominicis diebus atque sermonibus status præcedentium à mundi origine ætatum contemplati sumus: ita hîc quoque totum hoc gratiæ tempus consideremus: idq; eò diligentiùs, quò magis nostra res agitur. Et hæc cõsideratio duo nos docebit, fœlicitatem nimirũ nostram atq; periculum: quorum illud ad gratias agendas Deo pios animos excitabit, hoc verò vt prudentiùs tanquã filij lucis ambulemus, commonefaciet. Atque ad hanc considerationem Euangelium hoc vehementer commodabit. In eo enim omnia liquidè apertis verbis traduntur. Nam non solùm quòd Christus dæmonium eiecerit, verùm etiam quòd doceat, qua potestate eiecerit, ostendit. Tum ita eiecti dominij naturã & studiũ descripsit Christus, vt facilè sit colligere, quod nobis immineat ab ipso periculũ. Denique mulierculæ respondens, breuiter quidem, sed verè, qua ratione declinari hoc posit periculum docens, ait: Beati qui audiunt verbum Dei, & custodiunt illud. Quæ omnia cùm propriè in hanc sextã ætatem incidũt, rectè ac necessariò nos, quibus illa ætas propria est, consideramus diligentiùs. Quòd ergo ad primum attinet, Euangelista hic noster dæmoniũ hoc fuisse mutũ scribit. Matthæus verò dæmoniacũ hunc & cæcũ fuisse & mutũ tradit. Vnde rectè patres tria in vno homine facta fuisse miracula notarũt, cũ Christi benignitate cæcus videt, mutus loquitur, & possessus à dæmone Luc.11. Matth.12.

liberatur. Quin Theophylactus hûc ipsum surdum fuisse testatur. Et tales omninò Christus homines in mundo inuenit, vt rectè Ioannes dixerit: Diabolum ab initio per omnes ætates peccare, ideóque filium Dei apperuisse, vt opera diaboli dissoluat. Verùm quçritur hîc, cur Deus permittat tátùm iuris Diabolo, quomodò Diabolus homines possideat, & cur exteriores sensus occupet. Ad quæ vt breuiter respondeam, multæ causæ, cur diabolo tátùm potestatis Deus in homines permittat, adferri possunt: quæ omnes cõditionis nos nostræ admonent.

1.Ioan.3.

Cur Deus tan[tu]m iuris Diabolo in homines permittat

1 Aliquando enim Deus permittit hoc ad pœnam & damnationem impiorum. Quemadmodũ Dauid de Aegyptijs loquens ait: Misit in eos iram indignationis suæ, indignationem, & irã, & tribulationem, immissionẽ per angelos malos. Et duplici modo. Primò, vt mali internè excæcati & obdurati maneant, vt in Iudã Satanas intrasse scribitur: deinde etiam, vt puniantur corporaliter, sicut in Saul & alijs tyrannis videre est.

Psal.77. *Ioan.13.* *1.Reg.18.*

2 Aliquando etiam hanc potestatem permittit Deus diabolo, vt correpti mali homines emendentur. Sic Paulus incæstuosum Corinthium Satanæ tradidit, in interitum carnis, vt spiritus saluaretur: & Hymenæum, & Alexandrum, vt discerent aliquando non blasphemare.

1.Cor.5. *1.Thim 1.*

3 Aliquando etiam hoc fit ad probationem electorũ, vt sic probati, manifesti fiant. Exẽplo Iob est.

4 Aliquando etiam vt gloria Dei manifestetur per hæc. Quemadmodum de cæco nato Christus testatur, quòd nec ipse, nec parentes ipsius peccarint. sed ideò cæcus natus sit, vt manifestarẽtur opera Dei in illo. Et de Lazari infirmitate loquens, Infirmitas, inquit, hæc non est ad mortẽ, sed pro gloria Dei, vt glorificetur filius Dei per eam.

Ioan.9. *Ioan.11.*

5 Aliquando etiam permittitur potestas in aliquos, vt alij veluti exemplis aliorum moneantur miseriarum humanarum, iudiciorúmque Dei. Id quod Matthæus voluit, cùm duos dæmoniacos tam sæuos iuxta viam sepulchrorũ describit, vt nemo illâc transire auderet. His causis Deus & hac intentione aliquid iuris diabolo in homines permittit.

Matth.9.

Quomodò malus spiritus homines possideat.

Verùm ipsi diabolo longè alia mens atque ratio est. Non potest quidem ipsam hominis animam substantiali modo peruadere spiritus malus, propterea quòd angelici humaníque spiritus creatione eiusdem subtilitatis sint, vt alter alterum nec penetrare, nec intra se possit recipere. Hoc enim solius deitatis est, quæ penetrat omnia. Nec prçter hanc quicquam est, quod vel angelicos, vel

gelicos,vel etiam humanos spiritus peruadat. Hinc Christus *Ioan.14.*
de Spiritu sancto loquens,ad discipulos ait: Apud vos manebit,& in vobis erit. Et Apostoli orantes dicunt: Tu Domine *Act.1.*
qui corda nosti omnium,&c. Propterea vbicunque homines spiritū nequā obsidere legitur,de corporis inhabitatione intelligendū est. Nō quidem obsidet vt solùm corpus vexet, verumetiam vt per corpus animā torqueat, & præcipitet. Cuius euidens exemplum Iob est, quem Satan affligere petijt, non vt bonis tantūmodò exueret, aut corpore languidū relinqueret,sed vt per corporis languorem blasphemū contra Deum statueret. Mitte manum tuam,inquit, & tāge os eius, *Iob 2.*
& carnem,& tunc videbis,quòd in faciem benedicat tibi. Vnde posteà etiam vlcere percussum, per mulierem, antiquum perdendi instrumentum,alloquitur: Adhuc tu permanes in simplicitate tua: Benedic Deo, & morere. Sed cur aliūde exēpla peto, cùm hic noster dæmoniacus hæc satis doceat. Cur *Cur Satā exteriores sensus hominis occupet.*
enim hūc diabolus obsedit,& exteriora sensuū organa occupauit, nisi vt his medijs salutē eius impediret? Surdū, mutū, & cæcū effecerat. Nouit ille quia fides ex auditu est. Quomodò enim in eū hic credidisset, de quo nihil vnquā audierat? *Rom.10.*
Nouit quia sine fide impossibile est placere Deo. Vt ergo per *Hebr.11.*
auditū à fide impediretur,ne Deo placeret,surdū effecit:nec hunc solū,verumetiā omnes quotquot ab obseruatione præceptorū Dei auertit. Auertit autē, qui licet legāt audiántque verbū Dei,tamen à veritate eius sensus suos auertunt. de quibus Apostolus dicit: Timeo ne sicut serpēs Euā seduxit astu *2.Cor.11.*
tia sua,ita corrūpantur sensus vestri à simplicitate, quæ est in Christo Iesu. Auertit,inquā,qui aliquādo audiunt, sed cum tædio & nausea. De quibus idem Apostolus ait: Iam saturati estis,iam diuites facti estis,sine nobis regnatis:& vtinā regnaretis. Inquit Dauid: Omnē escā abominata est anima eorum, *Psalm.106.*
& appropinquauerunt vsque ad portas mortis. Et iterū: Furor illis secundum similitudinē serpentis, sicut aspidis surdæ, *Psal.57.*
& obturentis aures suas, quæ non exaudiet vocem incantantiū,& veneficij incantantis sapienter. Sic etiam mutos efficit,quotquot vel à proprij delicti,vel à laudis diuinæ cōfessione ligat. Vt enim fides cordis,ita etiā cōfessio oris ad salutem necessaria est. Nam qui me erubuerit, inquit Christus, & meos sermones,hūc filius hominis erubescet, cùm venerit in maiestate sua. Verū confessio nominis Christi in ore pec- *De omnino noletibus audire ipse porri* *Roma.10.* *Luc.9.*

catoris speciosa non est. Prius ergo propria delicta per confessionem deponat, qui Christũ coram hoĩbus confiteri præsumit. Alterutrũ enim si negligis, à dæmone lingua ligatus es. Deniquè & cæcos reddit, quotquot viã mandatorũ Dei nõ vidẽt. Non vidẽt, qui vel malè agũt, vel veritatẽ Dei intelligere
Psal.118. nolunt. Lucerna enim pedibus nostris verbũ Dñi est. In hoc
Ioan.11. qui nõ ambulant, facilè offendũt. De quibus dicitur: Omnis qui malè agit, odit lucem, & non venit ad lucẽ: vt non arguãtur opera eius. Tales igitur Satan homines in mundo peruerterat, qui & surdi, & muti, & cæci essent. Et hæc omnium in
Ibid. mundo cõmunis ferè cõditio erat, quũ Christus in hũc mundum veniret. Vnde ipse in Ioãne dicit: Hoc est iudicium: quia lux venit in mundum, & dilexerunt homines magis tenebras quã lucem, erant enim eorũ mala opera. Nunquã surdi audiuissent, nunquã muti loquuti fuissent, nunquã cæci visum recepissent, nisi fortior Christus in mundũ venisset. Solus em̃ hic Diaboli opera destruere potuit, destruxit, imò ipsum Diabolum eiecit, & quòd non humana, nec Diabolica, sed mera diuina potestate eiecerit, sequentibus argumẽtis cõprobauit.
Quales fuerint quos Christus sanauit. Sed hoc necessariò considerãdũ est, quales fuerint quos Christus sanauit, & à quibus dęmonia eiecerit. Neq; enim vel hic, vel alij tantũ, quos Euangelistæ recitant, dæmonio obsessi & saucij fuerũt. Omnes inutiles facti erãt, & egebãt gloria Dei.
Ioan.10. Et Christus apertè ait: Ego veni vt vitã habeant, & abũdãtius
Luc.19. habeant. Et iterũ: Venit filius hominis quærere & saluum facere, quod perierat. Iã verò vitã dare, quęrere & saluũ facere,
Misericordia quid. diuinæ sunt effectus misericordiæ, quæ nihil aliud est, quã alienæ miseriæ condolentia, cũ voluntate adiuuandi. Vt ergo misericordia nulla est, sine subiecta miseria: ita Christus nemini vitam dedit nisi mortuo, neminem quæsiuit, nisi perditũ, neminem saluauit, nisi damnatum & miserum. Vnde hi soli viuificati, quæsiti atque saluati sunt, qui mortem, perditionẽ, miseriámque suam coram Christo confessi sunt. Hinc Christus seuerus erga fastuosos Pharisæos miserias suas non agno
Luc.1. scentes, placidus & mitis in miseros fuit. Id quod scriptura vult, cùm ait: Esurientes impleuit bonis, & diuites dimisit inanes. Quamquàm & hoc ipsum diuinæ misericordiæ est, posse inopiam nostram agnoscere. Nolentes tamen agnoscere, Christi saluans gratia transit. Nempè his tanquàm sanis medicus opus nõ est. Quorũ tamen insanabilius vulnus est, non
quasi Chri-

quasi Christo insit impotentia: sed quòd ipsius sese hi subducant potentia. Ideò enim in paucis virtutem suam declarauit: vt quid posit in omnes, ostenderet. Propterea hunc cùm sanasset dæmoniacum, qua virtute sanauerit, ostendit. Alibi verò lunaticum curans, ipsa verborum forma qua potestate id faceret, ostendit: Surde & mute spiritus, ego præcipio tibi, exi ab eo, & amplius ne introeas in eum. Cæterû, quòd hunc verè eiecerit, cùm Euangelista, tum ipse effectus declarauit. Cùm enim adhuc intra se hostem illum haberet homo, mutus erat, illo verò eiecto, loquutus est. Sed & eiectum fuisse circunstans turba omnis & vidit, & testificata est. Admiratæ sunt turbæ, inquit Lucas. Nam quòd quidam eorum calumniabantur in Beelzebub principe dæmoniorum eijcere Dominum dæmonia, alij etiam signum de cœlo quærebant ab eo: non ita intelligendum est, quasi eiectum fuisse dæmonium dubitarint, sed quòd Deo hanc virtutem in Christo deputare noluerint. Horrenda sanè mentis iniquitas illa erat, nec adeò à nobis etiam aliena, quin eandem sæpè ostendamus ipsi. Quidquid diuina maiestas siue loquitur, siue efficit, semper videas, qui aut pro pietate admirentur, aut pro iniquitate vel reprehendant, vel contẽnant, quorũ illud Christianorum tantùm, hoc verò impiorum est. De illis quidẽ Matthæus expresiùs loquitur, dicens: Et stupebât oẽs turbæ, & dicebant: Nũquid hic est filius Dauid? Hos ergo imitari decet. Sequuti sunt Dñm, verbis factisque eius intenti, tum qualis erga alios esset, considerabant, deniq; omnia & singula admirabantur, postremò ipsum Dauid verũ filiũ confessi sunt. Et nos ipsum sequẽtes, quid cuique nostrûm in interiore homine loquatur per arcanos afflatus, attẽdamus, quẽadmodũ Dauid, Audiã, inquit, quid loquatur in me Dominus: quoniã loquetur pacem in plebem suã. Deinde quid alijs loquatur, cõsideremus, scientes quæcunq; scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta esse, & omnẽ scripturam diuinitùs inspiratam, vtilem esse ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiẽdum in iustitia: vt perfectus sit homo Dei, ad omne opus bonum instructus. Post hæc omnia verba atque singula admiremur, nec vllum eorum Deo sine graui causa excidisse putemus, ita, vt planè hac ipsa admiratione Christum Dauid deíque viui verum agnoscamus filium. Hîc enim admirationis illius vnicus finis est. Admirati quidem sunt Iudæi dicentis ab ore.

Cur Christus demonstret, qua potestate eiecerit dæmonium.
Marc.9.
Turba diuersitas.
Luc.11.
Matth.12.
Psal.84.
Rom.15.
2.Tim.3.
Ioan.7.

Ioan.7. Quomodò, inquiunt, hic ſcit literas, cùm non didicerit? Et:
Matth.7. Nunquã ſic locutus eſt homo, ſicut hic homo. Vñ Matthæus quoque teſtatur, dicens: Admirabantur turbæ ſuper doctrina eius, erat enim docens eos, ſicut poteſtatẽ habens. Sed nul
Pſal.118. lo fructu. Secus Dauid & alij pij verba Chriſti admirantur. Vnde etiam tanta conſtantia beatos pronunciat, qui ſcrutantur teſtimonia Dei, quíque ex toto corde exquirunt eũ. Verũ
Rom.8. non verba ſolũ, ſed & opera Chriſti admirari debemus. Omnia enim cùm verba tum facta Chriſti cooperantur in bonũ, his qui ſecũdum propoſitũ vocati ſunt ſancti. Sic Dauid cùm diu in operum Dei cõſideratione occupatus fuiſſet, per Apo
Pſal.103. ſtrophen exclamat: Quàm magnificata ſunt opera tua Domine, omnia in ſapiẽtia feciſti, impleta eſt terra poſſeſsione tua. Quòd ſi ſic omnes admirati fuiſſent verba factáque Chriſti, qui ſanatum hominem hunc videbant, qui paulò ante dæmonio obſeſſus erat, non fuiſſet opus Chriſto, diuinam in hoc facto virtutem præſentem adfuiſſe, declarare. Sed diuerſum ab
Luc.11. hac admiratione ſentiebant multi. Quidam enim dicebãt: in Beelzebub principe dæmoniorum eijcit dæmonia. Hęc Phariſæorum iniquiſsimorum deteſtanda peruerſitas erat atque malitia. Non enim ex ignorantia hæc blaſphemia procedit, ſed ex iniquitate. Fortaſsè enim peccauerit quis peruerſo de
1.Tim.1. rebus diuinis iudicio. Nam & Paulus de ſeipſo loquens, ait:
1.Cor.15. Qui prius blaſphemus fui, & perſequutor, & contumelioſus: ſed miſericordiam Dei conſecutus ſum: quia ignorans feci in
Mar.3. incredulitate. Et de cognatis Chriſti legimus, quòd conati ſint tenere eũ, eò quòd in furorem verſum eſſe arbitrarẽtur.
Acto.26. Sic poſteà Paulum Feſtus vt inſanæ mentis hominem argue-
1.Cor.1. bat. Sic cùm primũ Paulus crucis trophæa caneret inter gentes, ſtulticia crucis exiſtimabatur prædicatio. Sic olim in iudi
Sap.5. cij die impij de credẽtibus dicturi ſunt: Hi ſunt, quos aliquando in deriſum habuimus: Ecce quomodò inter filios Dei cõ
1.Cor.4. putati ſunt? Sic Paulus de ſeipſo ſuiſq; ſimilibus loquitur: Spectaculum facti ſumus mundo, & Angelis, & hominibus: Nos ſtulti propter Chriſtum blaſphemamur, tãquam purgamenta mundi huius facti ſumus. Sed hæc iudiciorũ peruerſitas ex ignorãtia proceſsit. At Phariſęos ipſe Chriſtus malitioſè hęc
Matth.12. conuitia diſſeminaſſe teſtatur. Nã ſic ipſum reſpondiſſe Matthæus tradit: Omne peccatum & blaſphemia remittetur hominibus, ſpiritus autem blaſphemiæ non remittetur. Et qui-

cunque di-

cunque dixerit verbum cōtra filium hominis remittetur ei: qui autem dixerit contra spiritum sanctum, nō remittetur ei: neque in hoc seculo, neq; in futuro. Quibus sanè verbis non hoc solùm, quòd propria malitia conuitiati sint, verùetiam, quòd irremissibile eiuscemodi conuitium sit, denunciauit. Sæpè quidem antcà peccauerant patri, sæpè etiam filio, sed nusquam irremissibile peccatum dicitur: quòd illic humanam in firmitatem, Deíque excellentiam, hîc verò corporis Christi vilitatem suámque ignorātiam prætendere possent. Sed nec Gentium quantúuis enormia facinora, irremissibilia vsquam legimus, quòd in errorum tenebris reptantes, lumen veritatis necdū agnouissent. Verùm hæc blasphemia irremissibilis dicitur: quia spiritus blasphemia est: quia spiritui sancto, cuius indicia præsentiámque satis apertè in Christo didicissent, repugnabant. Manifestè enim Dei presentiam in Christi verbis factísque cognoscebant: & hæc non solū non suscipiebant, verū etiam blasphemabant atque Diabolo deputabāt, Christū etiam atq; omnes, quotquot hoc Dei spiritu imbuti loquebātur, impugnabant. Neque enim nescire poterāt, quod se scire affirmabant, tantísq; & tā multis argumentis cōfirmabatur. Scimus, inquit vnus ex illis: quia à Deo venisti magister: Nemo enim potest hęc signa facere quę tu facis, nisi fuerit Deus cum eo. Tum cæcus natus apertè & in faciē eis dixit: In hoc mirabile est: quia vos nescitis vnde sit, & aperuit meos oculos: Scimus autē quia peccatores Deus non audit, sed si quis Dei cultor est, & voluntatem eius facit, hunc exaudit: A seculo non est auditū: quia quis aperuit oculos cęci nati: Nisi esset hic à Deo, non poterat facere quicquam. Sed scientes volentésq; peccarunt, hæc firma sedebat sententia mēti: Nolumus hunc regnare super nos. Hoc ergo ipsorum irremissibile peccatum erat. Vnde Christus alibi ad eos loquens, ait: Implete mensurā patrum vestrorum. Et: Veniet super vos omnis sanguis iustus, qui effusus est super terrā, à sanguine Abel iusti, vsq; ad sanguinē Zachariæ, &c. Et alibi: Si nō venissem & locutus eis fuissem, peccatū non haberent: nunc autē excusationem non habēt de peccato suo. Si opera non fecissem in eis, quæ nemo alius fecit, peccatū non haberent: nunc autē & viderunt, & oderunt, & me, & patrem meum. Verùm non ideò tamen excusationē non habēt de peccato suo: quia blasphemi fuerunt: nec ideò irremissibile eorum peccatum est, quòd vi-

Ioan.3.
Ioan.9.
Luc.19.
Matth.23.
Ioan.15.

derunt,& audierunt in Christo,quæ in nullo alio conspicien da audiendáue erant,si postea pœnitentia ducti,ad Christum conuersi fuissent. Pœnitentia enim promissionem habet remissionis: vt in Ezechiele & Ioannis Canonica videre est. Sed ideò irremissibilis spiritus blasphemia creditur,aut si ma uis,spiritus blasphemiæ non remittitur,quòd eiusmodi pecca tum excæcationem & gratiæ priuationem meretur, seu (vt nostri loquuntur) causat. Vbi verò excæcatio & nulla gratia est,illic remissio non est:propterea,quòd eiusmodi homines nunquã ad cor redeũt,peccatum suũ non agnoscunt, imò de peccato in peccatum recidunt.Id quod Dauid 78.Psalmo describit,vbi Prophetico spiritu sub imprecationis forma eiusmodi maledictionem prænunciat.Quin hodie etiam in hæreticorum antesignanis idem videre est, quorum aut nulli, aut perpauci ad cor reuertuntur. Quare Paulus noster eiusmodi post vnã & alteram correptionẽ deuitãdos esse monet,nimirum, quòd subuersi sint, proprióque iudicio condemnati. Hoc sensu Ioãnes alibi scribit:Est peccatũ ad mortẽ,non pro illo dico vt roget quis. Sic etiã pro Iuda Christus nõ orauit. Et Israel ob hoc peccatum excæcatus est, Isaia dicẽte: Audite audientes,& nolite intelligere: videte visionem, & nolite cognoscere. Excæca cor populi huius,& aures eius aggraua, & oculos eius claude.Vnde & Ieremię dicitur:Tu ergo noli orare pro populo hoc,nec assumas pro eis laudem & orationem, & non obsistas mihi:quia non exaudiã te.Et iterum:Si steterint Moses & Samuel coram me,non est anima mea ad populum istum. Non,quòd nolit aut non possit Deus remittere: sed quòd remissionis gratia in his locum non inueniat. Propterea ergo CHRISTVS vbi dæmonium eiecisset, suámq; virtutẽ ostendisset,qua potentia fecisset,demonstrat. Neq; enim decebat hanc Pharisæorum tantã calũniam silentio eum præterire,ne alij scandalizarentur.Cognitis ergo cogitationibus eorũ,respondit:Omne regnũ in se diuisum desolabitur,& domus supra domum cadet.Dicitis quia in Beelzebub eijcio dæmonia.Si ergo dæmon dæmonem eijcit,vtique ab inuicem diuisi sunt,sibíque cõtrariantur. Si diuisi sunt,& inuicem pugnant,nõ stabit regnum ipsorum.Sed nec sibi inuicẽ repugnant,nec desolabitur nisi Deo authore regnũ ipsorũ:Ergo nõ in Beelzebub ego eijcio dæmonia. Deinde: Videtis:quia ex me potestate accepta, filij vestri dæmonia eijciant.

Ezech.18. 1.Ioan.1. Psal.78. Tit.3. 1.Ioan.5. Isai.6. Ierem.7. Ierem.15. Matth.10.

Ostēdit,quòd dæmonē in digito Dei potestate eiecerit, non verò Beelzebub.

1 2

Sed ne-

Sed nemo veſtrûm hoc filijs veſtris imputauerit: ergo nec *Luc.10.*
ego in Beelzebub eijcio dæmonia:ipſorum facta vos menda- *Marc.9.*
cij arguunt. Præterea: ſimul regnum Dei & Satanæ vno in 3
loco non perſiſtunt: ſed regnum Dei iam nunc in vos perue-
nit:(Abſurdum eſt autē dicere, ideò eijcere Beelzebub alios
inferiores dæmones, vt ſe expulſo Dei regnum vobis obtin-
gat,) Ergo in digito, hoc eſt, virtute Dei eijcio dæmonia. Ad- 4
hæc: Videtis, ꝙ inuitus, & non niſi maioribus viribus victus
diſcedat. Non ſolùm ergo non in Beelzebub ego dæmonia
eijcio, verùm etiam potentiore vi atque virtute ipſum eijcio
fortem, arma, ſpem, fiduciámque eius aufero, ac ſpolia diui-
do. Sed (ſcio) non ideò me in Beelzebub dæmonia eijcere di- *Reiectio calũ-*
citis, ꝙ eius in poteſtate eiecerim, ſed quia inuidia turgidi, au *niæ aduerſa-*
thoritatis veſtræ & cōmodi cauſa mecū nō ſentiatis, obq; hoc *riorum.*
ipſum mihi aduerſemini: quódque mecum non colligentes,
propriam iuſtitiam cōſtituatis, iuſtitiā ſalutémque ex me di-
ſpergatis. Ecce, his argumentis Chriſtus, qua in poteſtate eie
cerit, demonſtrat. Et ita quidem ſuæ bonitati conuenientiſsi
mū erat, noſtræque infirmitati pernecceſſariū, vt cū magna fa
ceret, tū qua virtute faceret, oſtenderet. Hinc Paulus gratias *Coloſ.*
agit Deo, qui eripuit nos de poteſtate tenebrarum, & trāſtu-
lit in regnū filij dilectionis ſuæ, in quo habemus redemptionē
& remiſsionē peccatorū. Et alibi charitati Dei hāc redēptio- *Ephe.2.*
nē aſcribit, dicēs: Deus qui diues eſt in miſericordia, ꝑpter ni
miā charitatē ſuā qua dilexit nos, cū eſſemus mortui pecca-
tis, cōuiuificauit nos Chriſto. Et in eadē epiſtola: Eratis enim *Ephe.5.*
aliquādo tenebræ, nūc autē lux in Dño. Et hæc dicta ſint de
eo quòd Chriſtus nō ſolū eiecerit dæmoniū, verūetiā quòd
qua in poteſtate eiecerit, oſtendit. Nunc porrò diaboli natu-
ra noſtrúmque periculū deſcribitur: quę duo neceſſariò ſciun
tur. Non enim ſine cauſa Paulus ait, noſſe ſe cogitationes Sa- *2.Cor.2.*
tanæ. Sed breuiter & nudis ſcripturæ locis hæc ſignificemus. *Diabolus eie-*
Chriſtus hîc ait, immundum ſpiritum, cùm exierit de homi- *ctus nō quie-*
ne, perambulare loca inaquoſa, requiem quærere: qua nō in- *ſcit.*
uenta, reuerti proponere in domū ſuā: hanc vbi ſcopis mun-
datā inuenerit, aſſumere ſeptem alios ſpiritus nequiores ſe,
ingreſſósque ibi habitare. In Ioanne Chriſtus Diabolū non *Ioan.12.*
dicit ocioſum, ſed eiectū eſſe. Quibus locis in Canonica Pe- *1.Pet.5.*
trus ſubſcribit, cū ait: Aduerſarius veſter diabolus tanquā leo
rugiēs circuit, quærēs quem deuoret. Et alibi Paulus, Nō, in

quit,est nobis colluctatio aduersus carnem & sanguinem,sed aduersus principes & potestates,aduersus Mundi rectores,
Iob 40.41. contra spiritalia nequitiæ in cœlestibus.Iob quoque duobus continuis capitibus eius vim malitiámque describens,tandē concludit,dicens: Non est super terram potestas quæ comparetur ei,qui factus est vt nullum timeret.Cæterùm Ioan-
Apoc.12. nes quoque in Apocalypsi multa de eius in nos malitia perscripsit,quorum præcipua libet annotare. Et proiectus est, inquit,draco ille magnus,serpens antiquus,qui vocatur Diabolus & Satanas,qui seducit vniuersum orbem:& proiectus est in terram,& angeli eius cum illo missi sunt.Et audiui vocem magnam in cœlo dicentem: Nunc facta est salus,& virtus,& regnum Dei nostri,& potestas Christi eius,quia proiectus est accusator fratrum nostrorum, qui accusabat illos ante conspectum Dei nostri die & nocte:& ipsi vicerunt eum propter sanguinem agni,& propter verbum testimonij sui, & non dilexerunt animas suas vsque ad mortem. Propterea lætamini cœli,& qui habitatis in eis.Væ terræ & mari, quia descendit diabolus ad vos,habens iram magnam,sciēs quòd modicum tempus habet.Et persecutus est draco mulierem, quæ peperit masculū.Et mox:Et iratus est draco in mulierē, & abijt facere prælium cum reliquis de semine eius,qui custodiunt mandata Dei,& habēt,testimonium IESV CHRISTI.Quibus verbis conuenientissimè aduersarij nostri malitia exprimitur.Dicitur serpens antiquus,draco,diabolus,Satanas,accusator fratrum nostrorum: quorum nihil est,quod non singulare quid contineat.Hic mulieri,Mariæ,atque Ecclesiæ iratus est,hanc impugnat:hic contra Michaelē eiúsque angelos, Christum,inquam,atque Apostolos luctatur.Sed puer Christus in cœlos assumitur,mulier duabus adiuta alis in desertum auolat,ibíque aquam quam veluti flumen draco in eam misit,terra,hoc est,Constantinus & alij seculares principes terræ,absorbent,hoc est,persecutionem quam diabolus in Ecclesiam immittit,sua potestate recipiunt, & sedant. Atque ex his facilè est intelligere quod nostrum sit periculum,quando propter tanti hostis iram sæuissimam væ nobis atque mari prædicitur.Eiectus est virtute Christi:sed si domus nostra tantùm purgata emundatáque scopis fuerit, non etiam pietate sanctitatéque , fructibus sanè dignis pœnitentiæ ornata, quacunque tandem potest ratione ingredi conatur.Et

tur. Et quam hæc res nostro fundo importet calamitatē, obscurum non est. Ipse Dominus prædixit horrenda & immutabili dictans sententia, illius hominis nouissima peiora fieri prioribus. Et hoc est quod Petrus ait: A quo quis superatus est, huius & seruus est. Si enim refugientes coinquinationes mundi in cognitione domini nostri IESV Christi, his rursus implicati superantur: facta sunt eis posteriora deteriora prioribus. Melius enim erat illis non cognouisse viam iustitiæ, quàm post agnitionem retrorsum conuerti ab eo, quod illis traditum est sancto mandato. Contingit enim eis illud veri prouerbij: Canis reuersus ad vomitum, &: Sus lota in volutabro luti. Et hinc est quòd Christus ad sanatum dicit: Ecce sanus factus es, vade, noli amplius peccare, ne amplius quid tibi & deterius contingat. Sed qua ratione custodienda domus, hoc est, anima nostra sit, quæris? Breuis respō sio. Principiò ipsum Christum in nos suscipiamus, nósque to tos illius cùm clementiæ tum potentiæ committamus. Solus enim hic aduersus illum scelerarum hostem præualet. Ille, inquit hic, in me non habet quicquam. Verùm qua via hic in nostrum domicilium induci queat, cùm alia in hoc Euangelio, tum vltima ipsius verba demonstrant. Beati (inquit Christus) qui audiūt verbum Dei, & custodiūt illud. Ecce tibi viā, qua ille ad nos penetret, Audire & credere. Ecce mediū quo in nobis cōseruetur, Sequi & custodire. Et hoc ipsum Christus voluit, cùm ait: Si quis diligit me, sermonem meū seruabit, & pater meus diliget eū, & ad eū veniemus, & mansionē apud eū faciemus. Huc facit quod Paulus in hodierna Epistola hortatur. Primò, Imitatores estote Dei, sicut filij charissimi. Secundo, Ambulate in dilectione. Tertiò, Fornicatio & omnis immunditia, aut auaritia, nec nominetᷓ in vobis. Quartò, Eratis aliquādo tenebræ, nunc autem lux in Domino: vt filij lucis ambulate. Denique hîc etiam oratio locū habebit, non modò vt cum Psalmista præcemur: Veni Domine, verū etiam ac multò magis, vt duos illos discipulos sequamur, ac dicamus: Mane nobiscum Domine. Hæc ergo cùm nostra hic res maximè agatur, sedula mente cogitemus. Agnoscamus Christi liberantis nos beneficia, cogitemus horribilem Satanæ immanitatem, subiectorúmque illi miserias: tum quacunque licèt ratione, Christianæ fidei pietatísque lucem retinere studeamus. Amen.

Luc. 11. *2. Pet. 2.* *Ioan. 5.* *Ioan. 8.* *Quomodo custodienda sit domus.* *Ioan. 14.* *Luc. 11.* *Ioan. 14.* *Luc. 24.*

DOMINICA QVARTA QVADRAGESIMAE EVANGELIVM. IOAN. VI.

POst hæc abijt Iesus trans mare Galilææ, quod est Tyberiadis. Et sequebatur eum multitudo magna, quia videbāt signa quæ faciebat super ijs qui infirmabantur. Subijt ergo in montē Iesus, & ibi sedebat cū discipulis suis. Erat autē proximum Pascha, dies festus Iudæorū. Cū subleuasset ergo oculos Iesus, & vidisset quia multitudo maxima venit ad eū, dicit ad Philippū: Vnde ememus panes, vt māducent hi? Hoc autē dicebat tentās eū. Ipse enim sciebat, quid esset facturus. Respōdit ei Philippus: Ducētorū denariorū panes nō sufficiūt eis, vt vnusquisque modicū quid accipiat. Dicit ei vnus ex discipulis eius, Andreas, frater Simonis Petri: Est puer vnus hic, qui habet quinque panes hordeaceos, & duos pisces: sed quid hæc sunt inter tātos? Dicit ergo Iesus: Facite homines discūbere. Erat autē fœnū multū in loco. Discubuerūt ergo viri numero quasi quinque milia. Accepit ergo Iesus panes, & cùm gratias egisset, distribuit discumbentibus. Similiter & ex piscibus quantum volebat. Vt autem impleti sunt, dixit discipulis suis: Colligite quæ superauerunt fragmenta, ne pereant. Collegerunt ergo, & impleuerunt duodecim cophinos fragmentorum, ex quinque panibus hordeaceis, & duobus piscibus, quæ superfuerunt his qui manducauerant. Illi ergo homines cùm vidissent quod Iesus fecerat signum, dicebant: Quia hic est verè Propheta, qui venturus est in mundum.

EADEM DOMINICA EPISTOLA, GALAT. IIII.

DIcite mihi qui ſub lege vultis eſſe, legẽ non legiſtis? Scriptũ eſt enim, quoniã Abraham duos filios habuit: vnũ de ancilla, & vnũ de libera. Sed is qui de ancilla, ſecũdũ carnẽ natus eſt: qui autẽ de libera, ꝑ repromiſſionẽ. Quæ ſunt per allegoriã dicta. Hæc enim ſunt duo teſtamenta. Vnum quidẽ in monte Sina in ſeruitutẽ generãs, quæ eſt Agar: (Sina enim mõs eſt, in Arabia, qui cõiunctus eſt ei, quæ nũc vocatur Ieruſalẽ) & ſeruit cũ filijs ſuis. Illa autẽ quæ ſurſum eſt Ieruſalem, libera eſt, quæ eſt mater noſtra. Scriptum eſt enim: Lætare ſterilis, quæ non paris: erumpe & clama, quæ nõ parturis: quia multi filij deſertæ, magis quam eius quæ habet virum. Gen.16. Gen.21.

Nos autem, fratres, ſecundum Iſaac promiſſionis filij ſumus. Sed quomodò tunc is qui ſecundum carnẽ natus fuerat, perſequebatur eum qui ſecundum ſpiritum: ita & nũc. Sed quid dicit Scriptura? Eijce ancillã & filium eius: non enim hæres erit filius ancillæ cum filio liberæ. Itaque fratres, non ſumus ancillæ filij, ſed liberæ.

SERMO.

EN vobis Eccleſiam hodie quàm ſuperioribus ſex dominicis diebus longè vberiorem verbis ſigniſque proferentem lætitiam. Et id quidem omnes audimus atque videmus. Sed an omnibus ex æquo tantæ ſit cognita atque perſpecta lætitiæ cauſa, vehementer dubito. Nullã verò aliã ſubeſſe cauſam reor, cur multi (vt nũc hominũ ſunt mores) Eccleſiã tãta fœlicitate rideãt, niſi quòd ceremoniarũ, quibus illa aſſueuit, origines rationéſque ignorẽt. Verùm vt tam in partẽ ignorãtiæ huius culpã deuoluam? num in eccleſiaſticos? At nec tantam inuidiã vt docere nolint alios, nec tantã inſcitiam, vt ipſi hæc tam neceſſaria neſciãt, de illis ſperare poſſum. An igitur auditores in culpa ſunt? Sed meliora mihi de his polliceor, quàm vt exiſtimem ſpõte eos ſuas aures à veræ Religionis diſciplina auertere velle. Vtcunque autẽ verùm ſit inſcitia multorũ Eccleſiã Chriſtianam proſcindi, maximo & manifeſto omnium damno id fieri certũ eſt. Quòd ergo ad hodiernam Eccleſiæ lætitiam, accipe. A Septuageſima (vt vocant) ſex dominici dies, ſex mundi ætates retulerunt nobis: ita, vt primus illorum dies tempus ab Adam ad Noẽ, ſecundus ab Noẽ ad Moſen, tertius à Moſe ad Dauid, quartus à Dauid ad Babylo

nicam captiuitatem, quintus ab illo exilio ad Christum, sextus à Christo ad finem mundi(quod tẽpus gratiæ est) significationẽ habuerit. Hæc verò dominica dies vitæ immortalis figurã habet. Quẽadmodũ ergo quælibet mundi ætas aliquid letitiæ, nõ nihil etiã tristitiæ habuit,(quòd fidẽ quidẽ ac spem per Christum acquirẽdæ fœlicitatis haberẽt multi, ipsam verò quæ fidei debebatur vitam, non obtinerent:)ita sex illi dominici dies aliquam præ se tulerunt hilaritatem, sed tristitiæ nubibus obscuratam. Verùm quia beata immortalitas merum ac plenum habet gaudium: meritò hęc dies quæ illius gaudij figura est, vberiorem habet lætitiam. Id quòd cùm alia multa signa atque verba, tum maximè ac propriè hæc Euangelica ostendit historia, vbi quietè sedetur, vbi Christi dispensatione sine vllo periculi alicuius timore viuitur, Apostolorum manibus ministratur, cœlum terrámque implent laus & gratiarũ actio. Hìc hodiernæ letitiæ finis est, summáque Euãgelij. Et hæc oĩa cur hoc ordine, cur in hanc instituta diẽ? Principio, vt promptioribus animis atque feruentiùs passionem Christi, vt quæ illius beatæ vitæ causa est & principium, meditemur. Deinde & maximè, vt qui iam dimidium quadragesimę ieiunijs, oratione & eleẽmosynis, pœnitentia nimirùm dignis operibus peregimus: qui molestiã aliquã sustinuimus, accepto fruitionis visionísque illius diei gustu aliquo ex hoc miraculo: quanta futura sit eorum exultatio, qui ad finem vsque salutaribus his pœnitẽtiæ fructibus Deo sacrificaturi sunt, cognoscamus: atque ideò pro hac tanta exultatione cõsequenda, vel tantùm nõ amittẽda, alacriùs quę alioqui necessariò perferenda faciẽdáque sunt, exequamur. Sæua est Satanæ in nos malitia, grauísque Dei in peccatores vindicta: sed ingenui Christiani nõ formidine pœnę trahi, sed obuia Christi liberalitate, vitæque amore beatæ duci volũt. Hunc igitur in finẽ nostra tẽdat oratio, vt qui formidine iræ pœnitentiæ viam fortè ingressi sumus, eandẽ iam porrò immortalitatis beatæ desiderio perficiamus.

Ac principiò quidẽ, vtinã immortalis illius vitæ perfectã haberemus cognitionẽ. Quem enim illa non exhilararet, cui etiã nõ persuaderet, cũ aliqua etiã animi alacritate subire atque in se recipere, quicquid pœnitentiæ noĩe ferendũ imponitur? Si quis capitis sustinet periculũ, quid non pollicetur, quid nõ facit, tantũ vt vitã redimat? Res dura est seruitus, & ipsa qui-

ſa quidē diuturnitate fit intolerabilior. Nę tamen hanc vitæ curam relinquerent multi, perpetuæ ſeruituti ſeſe addixêre. Et hoc quidē pro vita innumeris alioqui malis obnoxia, ipſóq; temporū decurſu aliquando relinquenda. Quantò verò præſtátior illa eſt vita, quæ nullis malis ſubeſt, omnibus bonis abūdat, & ſemel adepta nunquā amittitur: Omninò neceſſe eſt perfectū, ingēs, indicibile, & admirandū ſit, quod ab infinito, perfectiſsimò, ter maximo & incomprehēſibili, optimóq; cōfertur & largitur. Tū vile & aſpernádū eſſe nequit, quod pro pietate, próq; iuſtitia redditur. Et quomodò Deus nō daret præſtātiſsima homini, cui ſeipſum lōgè maiorē omnibus iam ante dedit? Aut quomodò nō erit perfectiſsima abundantiſsimáq; vita, cuius figura ac guſtus tantā ſuauitatis præbuit copiā? Neq; enim ſine cauſa impletos fuiſſe diſcumbentes hos Euangeliſta cōmemorat. Cogitemus quicquid in vniuerſo hoc mūdo pręſtans & egregiū eſt, quicquid hic admiramur & ſuſpicimus, nū fortè aliquid in omni hac ſupellectili hominē implere poſsit, ita, vt præteteà nihil appetat, timeat nunquā. Satiabor, inquit Dauid. Sed vbi? Cū apparuerit gloria tua. Immortalis vita ſola hanc habet ſatietatē. Quę quāta futura ſit, hinc colligimus, quòd guſtus illius impleuit quoſdam, quod nihil in hoc mundi theatro poteſt. Et hi quidē in deſerto, ſuper fœno, quod modo eſt, & cras in clibanū mittitur, impleti ſunt: nos in cœlo, in immortalitatis gloria, vbi nulla corruptio eſt, quò nulla trāſmutatio, aut viciſsitudinis obūbratio appropinquat. Quanquā & ſolitudo laude ſuā non caret, vt quò ſponſam ſuā, cui ad cor loqui vult Deus, ducere ſolet, & in quo Iſrael angelico pane nutritus eſt. Imò quia non antequā in deſertū veniſſet, Deū Môſes vidit, & populo Dei præcipitur recedere à tabernaculis impiorū, ne conſumantur in peccato eorū? nobis quoq; dictū putemus, quod in Pſalmis fideli animæ pręcipitur: Audi filia, & vide, & inclina aurē tuā, & obliuiſcere populū tuū, & domū patris tui, & cōcupiſcet Rex decorē tuū. Vt eṁ propè eſt Dn̄s omnibus inuocātibus eū in veritate: ita lōgē eſt à peccatoribus mūdū diligētibus ſalus: imò, ſi quādo quæſierint eū, nō inuenient: nec in deſertū vbi ipſe eſt, turbarū amatores appropinquare poſſunt. Ipſe eṁ Dominus ſepit viā eorū ſpinis & maceria, vt ſemitas Dei inuenire nequeant. Chriſtū verò ſequētes ea in deſerto inueniūt, quæ totus mundus nō ſuppeditat. Et quis po-

Pſal.16. *Deſertum.* *Oſe.2.* *Exod.15.16.* *Exod.3.* *Num.16.* *Pſal.44.* *Pſalm.144.* *Ioan.8.* *Oſe.2.*

test recensere, quanta sit futura satietas in cœlo, cũ tanta copia inueniatur in deserto? Id quod Christi etiã verba volunt,
Ioan.14. quibus sæpè regni cœlestis meminit. In domo patris mei, inquit, mãsiones multę sunt. Si quo minus dixissem vobis, quia vado parare vobis locum. Et si abiero & præparauero vobis locum, iterũ venio, & accipiã vos ad meipsum, vt vbi ego sum
Ioan.17. & vos sitis. Et in eodem sermone, Pater, inquit, quos dedisti mihi, volo vt vbi ego sum, & illi sint mecum, vt videant clari-
Luc.22. tatem meam. Et alibi: Ego dispono vobis sicut disposuit mihi pater meus regnũ, vt edatis & bibatis super mẽsam meam
Math.25. in regno meo. Et alibi iterũ ad suos: Venite benedicti patris mei, possidete paratũ vobis regnũ à cõstitutione mundi. Cuius quidem regni maiestatem admiratus Psalmista, exclamat
Psal.83. dicens: Beati ô Domine, qui in domo tua habitant: in secula seculorũ laudabunt te. Deinde quanquã hic idẽ Christus qui & nos in immortalitate satiabit, aliquando panẽ sua benedictione multiplicat, populúmque suis donis reficit: tamen lon-
Hebr.7. gè perfectiùs olim in cœlo suos reficiet. Solus ille potest, quod impossibile est alioqui omnibus. Lex hac parte infirmabatur
Ioan.6. populus nihil habet. Apostoli dicunt: ducentorum denariorum panes non sufficiunt eis, vt vnusquisq; modicũ quid accipiat. Et: Quid hęc sunt inter tantos? Christi verò dicere est: Colligite fragmenta quæ superauerunt. Rectè ergo omnes
Matth.11. ad se inuitat, cũ ait: Venite ad me omnes qui laboratis & one-
Ioan.7. rati estis, ego reficiam vos. Et: Si quis sitit, veniat ad me & bi-
Ioan.6. bat. Et quidni omnes ad se vocaret, quem pater Deus in hoc signauit, vt det cibum hominibus in vitam æternã permanen-
Psal.44. tem: quem vnxit oleo lætitiæ, quod est Spiritus sanctus, præ
Heb.1. cunctis consortibus suis, vt sit splendor gloriæ, & figura sub-
Colo.2. stantiæ suæ, in quo omnes thesauros sapientiæ & scientiæ absconditos posuit, vt omnibus abundanter communicare possit? O immensam diuinæ dignationis pietatem: Homo ad Deum sursum assurgere non potuit, & Deus ex patris sinu ad hæc infima descendit. Hic implet cum sua præsentia, qui cœlestium capax non erat. O ingentem fœlicitatem, hic corãm videre & audire in habitu mortali immortalitatis largi-
Luc.10. torem ipsum. Beati oculi, qui vident quæ vos videtis, Ad Apostolos ipse ait: Dico enim vobis, ꝙ multi Prophetæ & Reges voluerunt videre quæ vos videtis, & non viderunt: & audire quæ vos auditis, & nõ audiuerunt. Quòd si verũ est, vt certè est,

certè est, si multi serui formam videre atq; audire desiderauerunt: quāto desiderio filij gloria in immortalitate exoptāda erit? Si beati sunt, qui credentes humanis Christū obtutibus conspexerunt: quæ erit lætitia in immortali gloria ipsum videntium? Consideremus hanc turbam. Primū, nihil curant quid domi agatur: deinde nec Pharisæorū inimicitias verentur: tertiò, nec sui curam habent, sine viatico, sineq; omni alimento, vastæ se solitudini committunt. Et vnde hæc faciendi pertinacia? Nimirū ex Christi adhuc mortalis præsentia: ꝙ speciosum præ filijs hominū viderent, diffusam in ipsius labijs gratiā audirent: ꝙ virtutē de eo exeuntē & omnes sanantē intelligebant. Quē populi concursum atq; cōstantiā Prophetæ magno olim consensu, & veluti corā si vidissent, testati sunt. Et fluent ad eum omnes gentes, inquit Isaias, & ibūt populi multi, & dicent: Venite, ascendamus ad montē Dñi, & ad domum Dei Iacob, & docebit nos vias suas. & ambulabimus in semitis eius: quia de Siō exibit lex, & verbū Domini de Ierusalē, & iudicabit gentes, & arguet populos multos. Et in Psalmis Asaph sub persona populi ad Christū: nō discedimus à te, viuificabis nos, & nomen tuum inuocabimus. Et hoc est quod duodecim nomine ijsdē penè verbis Petrus ait: Domine ad quem ibimus? verba vitæ æternæ habes. Et hæc Christi præsentia eosdē duodecim ad se traxit primū. Nec mirū. Nā & fides & expectatio Christi antiquis ingens gaudiū, magnāq; fiduciā attulit. Vt de Abrahā Christus loquitur ad Iudæos dicens: Abrahā pater vester exultauit vt videret diē meū: vidit, & gauisus est. Et Baruch: Venit mihi gaudiū à sancto super misericordia, quæ veniet vobis velociter ab æterno salutari nostro. Nempè, cū proprietate quisq; sua multa sustinere cogerentur, hoc solo cōsolabantur, quòd indubitatò crederent, manifestè, hoc est, visibilē carnem indutum venturū esse Deum. Qua in re adeò nihil hæsitarunt, vt ipsius etiam incarnandi Dei præsentiam sibi pollicerentur, imò pro ea quam eximiā habebant fide, imaginaria visione corā viderēt. Hęc fides seu visio Abrahamo atq; cęteris Prophetis diuturnas peregrinationes leues fecit: hæc Mosi officij sui in Israële tædiū mitigauit: hæc Ieremiæ, aliisque prædicādi in ingrato populo munus alioqui intolerabile suaue reddidit: hac inquàm, vt in diluuio Noë, sic in principum mundi huius malitia perstiterunt illæsi Apostoli. Et vt summa-

Psal. 44.
Luc. 5.
Isai. 2.
Psal. 79.
Ioan. 6.
Ioan. 8.
Baruch. 4.

tim dicam, quia Christi præsentiã sibi polliciti sunt p.j, alij coram viderunt & audiuerunt, alij etiam spiritus visione intuiti sunt: nullo modo territi, at multis bonis, ingentiq; gaudio affecti sunt. Id quod hæc ipsa Euangelij lectio clarè ostendit. Quæ licèt ingẽtia sint, videmus tamen nũc per speculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem. Nunc ex parte cognoscimus, sed cum facie ad faciem videbimus, non imaginaria visione, vt Moses & Iacob, alijq; facie ad faciem vidisse leguntur: sed diuinæ essentiæ contemplatione videbimus: quæ contemplatio vita est æterna, Christo testante, cùm ait: Hæc est vita æterna, vt cognoscant te solũ verũ Deũ, & quẽ misisti IESVM CHRISTVM. Tũc, quia immortale mortalibus oculis videri nequit, nec corruptio incorruptibili iungi: mortale hoc immortalitatem, & corruptibilẽ incorruptionẽ induet. Et hinc est quod Ioannes ait: Charissimi, nunc filij Dei sumus, & nondum apparuit, quid erimus: Scimus quoniam cùm apparuerit, similes ei erimus: quoniam videbimus eum sicuti est. Beata ergo turba hæc, cui Christum licèt mortalitatis carne vestitum, coràm videre & audire contigit. At beatiores nos, qui aliquando visuri cum sicut est, similes ei erimus. Iam tertiò hæc turba cibo perituro impleta est: nos cibo in æternum permansuro satiabimur. Quòd si tantùm potuit panis Christi benedictione multiplicatus quantum benedicentis gloria in immortalitate membris communicata valebit? Duplici autem hìc ratione nos Deus reficit: quarum altera corpus, altera sustentat animam. Vtraque tamen refectio & Deo digna, & nobis pernecessaria: vtraque futuræ satietatis argumentum est. Et quidem corporis sustentationẽ naturaliter appetimus, vt sit: petimus autem ab eo, cui eius curam Scriptura defert, nempè Deo. Salomũ enim testatur benedictionẽ Dei nõ modò pro necessitate corpus sustẽtare, sed & locupletare. Tum Psalmista ipsum Deum his verbis alloquitur: Dante te Domine illis, colligũt: aperiente te manũ tuam, omnia implebũtur vbertate. Et: Oculi omnium in te sperãt: Domine, & tu das escã illis in tempore oportuno. Alibi cùm multa de Deo præfatus esset, hoc quoq; addit: Qui dat escam omni carni. Et hanc potentiam suam Deus varijs modis manifestauit. Eliam primùm per coruum, deinde per paupercu- lam viduam, postremò per ipsos angelos cibauit. Mosen longo tempore sine vllo cibo seruauit. Israelem Manna cœlesti pane su-

[Margin notes: 1.Cor.13. — Ioan.17. — 1.Cor.71. — 1.Ioan.3. — Prou.10. — Psalm.103. — Psal.144. — Psalm.135. — 3.Reg.17.19. — 4.Reg.4.]

pane sustentauit: hic paucis panibus, paucioribus piscibus, multos impleuit. Et cur tot modis tamq; variè? Primùm, vt nullum medium videatur aspernari: deinde vt omnem creaturam sibi subiectam esse doceret: postremò vt sine medijs credamus eum omnia posse. Atque hæc rursus eò, vt quæramus regnum Dei primùm, hoc est, præcipuè & ante omnia: quod reliquum est, omnem fiduciam conijciamus in patrem, quoniam ipsi cura est de nobis. Verùm quòd ad animæ cibũ, adipe frumenti satiat nos, pane nimirùm omnium suauissimo. Et quis ille? Audi Christum. Ego inquit, sum panis viuus, qui de cœlo descendi. Et: Qui manducat hũc panem, viuet in æternum. Ille hospes noster, & cibus est. Nullo autem modo famem nostram, hoc est peccatum, mortem, damnationémq; potest pellere, nisi quando seipsum, hoc est, iustitiã, innocentiã, merita, gratiãq; suam nobis cõmunicauerit. Quæ omnia tum demũ ac solũ commodant, cũ ea nobis incorporamus. Quemadmodũ cibus corporis nõ nisi sumptus nutrit: sic & iste panis nullis nisi participantibus vitã confert. Hinc ab initio nobis propositus est: & quotquot eũ per fidẽ susceperũt, haud dubiè fame liberati, vitã atq; salutẽ sunt cõsequuti. Sic Adamo proponitur, cũ Deus ad serpentẽ ait: Inimicitias ponã inter te & mulierẽ: & semẽ tuũ, & semen illius. Ipsa conteret caput tuũ. Sic Abrahamo quoq;: In semine tuo benedicẽtur omnes gentes terræ. Sic Mosi atq; alijs: Prophetã suscitabo eis de medio fratrũ suorũ, similẽ tui. Sic Dauid: De fructu ventris tui ponã super sedẽ tuã. Et in nouo testamento seipsum Apostolis obtulit. Hi deinde per Euangelij verbũ atque sacramenta populis cæteris atq; nationibus suscipiendũ attulerũt. Quotquot ergo per fidẽ eũ suscipiũt, sanè vitã in se manentẽ suscipiũt. queadmodũ Ioannes ait: Qui credit in filiũ, habet vitã æternã: qui cõtra incredulus est filio, nõ videbit vitam, sed ira Dei manet super eũ. Et ipse Christus: Qui mãducat carnẽ meã, & bibit meũ sanguinẽ, in me manet, & ego in illo. Contrà verò, Nisi mãducaueritis carnẽ filij hominis, & biberitis eius sanguinẽ, nõ habebitis vitã in vobis. Solus enim Christus gratiã & vitã dare potest. Nõ aliud nomen est sub cœlo datũ hominibus: in quo oporteat nos saluos fieri. Corpus suis donis reficit, animæ seipsum offert, nunc per arcanas inspirationes, nunc per scripturas sanctas, quas Iudæi, qui rectè pueri huius nomine intelligũtur: vtpote sensu imperiti, ve

Exod.16. Ioan.6. Gene.3. Gene.22. Deute.18. Ioan.3. Ioan.6. Act.4.

lint, nolint, nobis circũferunt. Quòd si corpus mortale tãta li beralitate, si animã adhuc peccatis fœdã purgãs seipso implet: quibus dapibus, quo nectare, vtrũq; rursus ad immortalitatẽ, & (vt ita dicã) impeccabilitatẽ coniunctũ satiabit? Si ita in via, quomodò in patria? quomodò in mẽsa Christi, in regno
Ioan.10. Dei, quod disposuit nobis Dñs? Ego veni, inquit ipse, vt vitã
Ibid. habeãt, & abundantius habeãt. Et: Ego sum ostium, per me si quis introierit, saluabitur, & ingredietur, & egredietur, & pascua inueniet. Népè, cũ intus benedictã & gloriosam deitatẽ,
Ioan.16. foris clarificatã, humanitatẽ Christi cõtẽplabimur. Et: Iterum videbo vos, & gaudebit cor vestrũ, & gaudium vestrum
Isai.65. nemo tollet à vobis. Hinc Dñs in Isaia de pijs loquitur: Ecce serui mei comedent, & vos esurietis, ecce serui mei bibent, & vos sitietis, ecce serui mei lætabũtur, & vos cõfundemini: Ser
Isai.64. ui mei laudabunt præ exultatione cordis. Et ad ipsos cõuerso sermone: Gaudebitis & exultabitis vsq; in sempiternũ, & quę sequũtur. Et qd multa? Oculus nõ vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascẽdit, quę præparauit Deus ijs qui diligunt
1.Cor.2. atq; expẽctãt illũ. Ecce, tantã sunt, quę in immortalitate nobis reposita manẽt, quorũ hodierni Euangelij refectio miraculo plena gustũ prębuit. Et qs pro ijs cõsequendis nõ oĩa faceret? Quur malumus tristitiã quę ad modicum tẽporis durat, sempiternam verò lætitiam generat, fugere, quàm æternùm exultari? Aspera via pœnitentiæ est, quis negat? sed ad perpetuum Lætare ducit. Et hæc cùm Dei voluntas, tum scripturæ consuetudo est, non nisi afflictos consolari, prius humiliare, deinde exaltare, mortificare, postea viuificare: ad in-
1.Reg.2. ferna deducere, & reducere. Sic Elias, sic Isaias, cæterique omnes Prophetæ grauia primùm proposuerunt, iram Dei, damnationem, grauémque pœnitentiæ sermonem præmiserunt, quò posteà ad Deum conuersis gratior esset requies. Sic Ioannes Baptista primùm pœnitentiam, deinde remissionem prædicauit. Sic Christus ascendens, remissionem
Tob.3. peccatorum, sed pœnitentia præeunte, prædicari iussit. Nimirùm Saræ testimonio, post tempestatem tranquillum facit, & post lachrymationem & fletum, exultationem infun-
Ion.2.& 3. dit. Sic Ionam non nisi in profundo maris, imò in cete ventre positum atque clamantem eripuit. Sic Lazarum prius miseriarum vndis humiliauit, postea in Abrahæ sinum exaltauit. Non, quòd lætetur in perditione hominum Deus, sed quia ita

quia ita nostra exigit iniquitas: vt præter voluntatem suam necessariò durum nobis se exhibeat: vt postea sicut pater filiorum suorum, nostri misereatur. Nunquàm impleuit Ierosolymis diuites, sed his dimissis, obsequentes, & vsque in asperam solitudinem pergentes, faméque pressos, impleuit bonis. *Ioan. 6.* Hinc est, quòd in Prophetis ad se couuerti nos iubet, nempè, vt & ipse ad nos conuertatur, suámque miserans faciem nobis ostendat. *Ierem. 3.* Nam vt bonus est his qui recto est corde, ita auertit faciem suam ab impœnitentibus, nec licet multiplicauerint orationes suas, exaudit, imò nubibus mãdat, ne pluãt super eos. *Psal. 72.* *Psal. 147.* *Isai. 1.* *Isai. 5.* Christus ipse cùm peccatum non fecit, tamen pro nobis peccatum factus, carnem indutus, nõ nisi per asperam viam peruenit ad cœlestem gloriam: sed quia patri obediens humiliauit semetipsum, ideò exaltauit eum Deus, & dedit illi nomen, quod est super omne nomen. *Phil. 2.* Et nos per pœnitentiam ad Deum conuerti, ad propositam in cœlis beatitudinem consequendam aspirare detrectabimus? Sed inquis, grauis nimium est confessio, quiduis potius faciam, tantùm ne confitear. Ah, pœnitenti grauis non est confessio, peccatis presso, quod premit deponere iucundissimum est. Et ipsa quidem per se bona non modò est, si rectè vtaris, verũetiam confitenti vtilis atque fructifera, tutissimáque & compendiaria ad Deum accedendi via est. *Laus cõfessionis sacramentalis.* Per se bonam esse dixi. Si enim laus Dei bona est, vtiq; & cõfessio bona est. Illius enim hæc pars est. Perfectè nemo laudat Deum, qui non se peccatorem confitetur. Tum verò qui confitetur delicta sua, misericordem & ad ignoscendm peccatum Deum paratum esse credit. Credere autem talem esse, vera ipsius laus est. Prætereà etiam confitenti vtilis est. 1 Primò enim omnis peccati caput, ipsam dico superbiã, deprimit. 2 Deindè pacificat conscientias, propter absolutionem. 3 Tertiò, viam aperit ad deprecandum Deum. Humiliantis enim se oratio nubes penetrat, & propè est Dominus contritis corde, & humilia respicit. *Eccle. 2. 35.* *Psal. 33.* 4 Quártò deniquè in fide instruit, errorem corrigit, infirmitatémque firmat. Ecce, quanta vtilitas, quíque fructus confessionis sint. *Psal. 137.* 5 Postremò: quia tutissimam ad Deum viam dixi, quis nescit nullam intelligi remissionem peccatorum sine confessione? Hac Manasses, Dauid, filius prodigus, publicanus atque latro delicta sua diluerunt. *Ab exemplis.* Fidelis est Deus, qui si confessi fuerimus peccata nostra, emundabit nos ab omni iniqtate nostra. *1. Ioan. 1.*

Psal.50. Et sacrificium est Deo gratissimum, spiritus contribulatus, cor contritum & humiliatum. Impij verò & impœnitētes ad perditionem & mortem properant. Sic Adā, sic Cain, sic Iu-
Ierem.2. dæi in peccatis suis mortui sunt. Cùm enim ipsi nolunt spōtè sua confiteri, Deus in iudicio contendit aduersus eos, statuít-
Iob 9. que peccata eorum contra eos, atque cū eis disceptat. Et quis illi ad mille respōdere potest? Impius cùm in profundum per-
Psal.68. uenerit, contēnit. Sed pij orāt: vt se Deus ex ea tēpestate liberet & eruat. Et quid grauitatē eius excusamus? Duo tantùm ad eā requirūtur, quorū alter paratus sit & intelligat suo fungi officio, nec quicquā præter confitentis salutē quærat, infirmis cōdolere sciat: duros verò arguere, nec obiter parietē deliniat, sed ex intimis, quod latet malū, cauterio extrahāt: remissionem deniq; peccatorum obedienti in Christi nomine denunciet, alter verò humili corde ac iustitiæ sitibūdus accedat, peccatorum enormitatē ac Dei irā cogitet, peccatū peccatíq; differentias ex decalogi tabula addiscat, irā Dei ex historijs su-
Psal.21. periorum tēporum intelligat: hic iniustitiā suam aduersum se cōfiteri nudè ac planè incipiat, Deū precetur, misericordiáq; Dei confisus, verè se absolui Christi verbis per ecclesiæ ministrum credat, pòst minimè fiat sicut equus & mulus, sed totus studeat consequutam conseruare misericordiam integram. Et quid in his omnibus pœnitenti, ac verè de peccato suo dolenti, graue est? Agite ergo, deponamus pœnæ timorē, & pro libertate conscientiarum, pro ingenti illa cœlestium gaudiorū lætitia, Christus & hospes, & satietas nostra erit, pœnitentiæ nō fastidiamus disciplinam, sed magis cum quadā etiam animorum iocunditate consummemus. Amen.

DOMINICA IN PASSIONE EVANG. IOAN. VIII.

DIxit Iesus turbis Iudæorum: Quis ex vobis arguet me de peccato? Si veritatem dico, quare nō creditis mihi? Qui ex Deo est: verba Dei audit. Propterea vos non auditis: quia ex Deo non estis. Responderunt ergo Iudæi, & dixerunt ei: Nōne benè dicimus nos: quia Samaritanus es tu, & dæmo-

& dæmonium habes? Respondit Iesus: Ego dæmonium non habeo, sed honorifico patrem meũ, & vos inhonorastis me. Ego autem nõ quęro gloriam meã: est qui quęrat, & iudicet. Amen dico vobis, si quis sermonẽ meum seruauerit, non videbit mortẽ in æternum. Dixerunt ergo ei Iudæi: Nunc cognouimus: quia dæmoniũ habes. Abrahã mortuus est, & Prophetę, & tu dicis: Si quis sermonem meũ seruauerit, nõ gustabit mortem in æternum. Nunquid tu maior es patre nostro Abraham, qui mortuus est? Et Prophetæ mortui sunt. Quem teipsum facis? Respondit Iesus: Si ego glorifico meipsum, gloria mea nihil est. Est pater meus qui glorificat me, quem vos dicitis: quia Deus noster est, & non cognouistis eum. Ego autem noui eum. Et si dixero: quia non scio eum, ero similis vobis, mẽdax. Sed scio eũ, & sermonem eius seruo. Abraham pater vester exultauit vt videret diẽ meum: vidit, & gauisus est. Dixerunt ergo Iudæi ad eum: Quinquaginta annos nondũ habes, & Abraham vidisti? Dixit eis Iesus: Amen amen dico vobis, antequam Abraham fieret, ego sum. Tulerunt ergo lapides: vt iacerent in eum. Iesus autem abscondit se, & exijt de templo.

EADEM DOMINICA EPISTOLA, HEBR. IX.

Christus autem accedens princeps sacerdotum futurorum bonorum, per amplius & perfectius tabernaculum, non manufactum, id est, nõ huius creationis, neque per sanguinem hircorum aut vitulorum, sed per proprium sanguinem introiuit semel in sancta, æterna redemptione inuẽta. Si enim sanguis hircorum, & taurorum, & cinis vitulæ aspersus, iniquitates sanctificat ad emundationem carnis, quãtò magis sanguis Christi, qui per spiritum san-

ctum semetipsum obtulit immaculatum Deo, emundabit conscientiam nostram ab operibus mortuis, ad seruiendum Deo viuenti. Et ideò noui testamenti mediator est: vt morte intercedente, in remißionem earum prauaricationum, quæ erant sub priori testamento, repromißionem accipiant, qui vocati sunt, æternæ hæreditatis.

SERMO.



HACTENVS multa de pœnitentia diximus. Verùm necdũ absolutis, quæ adhuc de ea rectè dici possunt, ecce vexilla Regis prodeũt, fulget crucis mysterium, quo carne carnis conditor suspensus est patibulo. Neque tamen ideò de pœnitentia salutaris abrumpendus est sermo: quia Christi seruatoris omnium recolenda nunc est passio: sed hoc magis requiritur: vt pœnitentia & passione cõiunctis, in hac cõfirmetur, quæ in illa proposita & suscepta fuit emendatio. Neq; enim pœnitẽtia nostra, nisi in passionẽ Christi respexerit, quicquã proderit, nec passio Domini nisi à verè pœnitente cõsiderata, rectè poterit vel intelligi, vel in iustũ vsum cõuerti. Hac ratione per aliquot præcedentes à Septuagesima dominicos dies, perlustratis & examinatis à primo Adã mundi ætatibus, vbique demonstratum est, quàm omnes sub peccatũ fuerint venũdati, & eguerint huius immaculati agni sanguine mũdari. Fuerunt quidẽ in singulis mũdi ætatibus homines pij atque præstantes, ad quorũ vota & sacrificia multa & varia Deus respexit, sed in omni numero nemo inuentus est, qui vel sese, vel alios potuisset iustificare, omnes quotquot longo ordine præcesserunt Christũ, in eius morte iustificationẽ & sperauerũt, & quæsiuerunt. Atq; horum exemplis moniti, pœnitentiam non nisi in hac ipsa passione fundatam, vel Deo gratam, vel nobis esse vtilem cogitemus, & emẽdationem susceptam quidem pœnæ metu, nunc pro Dei patris eximio amore in ipsa filij morte patefacto, alacres ac parati confirmemus. Nam vt id præstemus tot rationibus moti, etiã nostra exigit vtilitas. Certè ecclesia hac in parte minimè nobis deesse voluit. Enimuerò quid sibi volunt vestimẽtorum sacrorum color rubeus? quid crux hodie denuò oculis exposita omnium? quid tam multæ cantiones, piæ illæ & scripturis sacris cõsentientes, nisi sanguinis Iesu Christi pro nobis effusi, passionísque memoriam refricate, & omnium mẽtes in eiusmodi mysteria benè atten-

attentas reddere? Rideant hæc qui volũt, dum possunt, vt humana & puerilia: nos ipsa rerum experientia quotidie discimus, eiuscemodi res, & quantumuis alijs contemptas cerimonias, Ecclesiæ meliores & magis pios Christianos formare, quàm illa in qua palpitamus, omnium ferè rerum facit confusio. Cerimoniæ (inquiunt) superstitiosos quosdã fecerunt. Sed quis negat superstitionem in multis reprehendi posse? At superstitionem ex natura cærimoniarum esse quis dicit sanus? Est ex ignorantia ipsarum atque abusu. Verùm ex hac confusione, quæ superstitioni malè successit, omnis generis impietatem nascentem video & deploro. Et vtra Ecclesiæ nocentior? Superstitio, an verò impietas? Hæc omnibus scandalum est, illa sibi tantummodò officit. Crux & Sacrorum vestimentorum color rubeus, dum nos passionis & mortis Christi commonefaciunt, prosunt, non officiunt. Quemadmodũ ipsum etiam nomen diei huius passionem præ se fert, vt ad passionem cogitandam statim ipsa appellatione admoneremur. Etenim si quis peccator conscientia vindice torquetur, si quis à peccatis & pristinæ vitæ cõuersatione liber factus, si quis denique iustus est: in sola passione & morte Seruatoris nostri omnia quæcũque desiderari possunt, inueniet. Tantũ illa valet, si rectè in eã intenderimus. Pœnitẽtes solatur, reisq; dat veniã, resipiscẽtes docet atq; cõfirmat, iustis pietatẽ auget. Nemo est, qui nõ semper ex vera eius consideratione seipso melior efficiatur. In hanc rem veterũ omnis tantoperè incubuit vigilans industria. Hinc etiã tam citò repetitur eius memoria, & tot dies docetur in ecclesia, non solùm quòd Euangelistis testantibus hoc circa tempus Lazaro miraculosè suscitato, Iudæorum maximè efferbuit insania, Christíque initium sumpsit passio, (quanquã tota etiam vita ipsius passio dici potest:) verumetiã vt populo Christiano ad tantam rem ritè cogitandam & meditandam, nulla temporis deesset occasio. Et certè qui tot occasionibus neglectis, hoc tẽpore ad augendam pietatem sibi deest, & se ipso melior nõ fit, qua via ad salutem pertrahi possit, non video. Et vt concedamus hæc omnia quæ recensuimus, nempe, tempus ipsi passionis memoriæ deputatum, nomen diei huius à passione dictum, rubeum colorem, crucem, & alia, nihil esse, nec quicquam facere ad commouendos hominum animos, (vt sunt ad tergiuersandum edocta quorundã ingenia:) an fortè Euãgelij hodierni

& Epistolæ lectiones nihil apud nos valebunt? an fortè hæ quoque aspernandæ sunt, quòd veterum atque Ecclesiæ instituto in hâc peculiariter diem dispositæ sunt? Scio hoc nûc minuit Scripturæ authoritatẽ, quòd Ecclesia vniuersalis ea vtatur. Agite ergo, ex ipso Euangelio tantùm & Epistola emendationis propositum confirmemus, pasionísque memoriam piè auspicemur & refricemus. Et Euangelium pulchrè nobis personam eius qui passus est, describit: tũ pontificũ, & eorum qui causa necis innocentissimi fuerunt, malitiosum odium & calumniã deliniat. Sed & fructus, quantũ ad nós, & in cômoda, quantum ad homicidas illos, enarrat. Simili quoque ratione Epistola hæc Christi personã describit: tũ etiã fructus pasionis enumerat. An nõ hæc omnia & pœnitentiam egregiè suadent, & emendationis propositum confirmant? Principiò autem omniũ consideranda est persona eius qui passus est. Et hâc duplici ratione considerari oportet. Primò, quantũ ad excellentiã eius, deinde quantũ ad innocentiam. Quanquam autem si Euãgelij huius seriem voluerimus sequi, primò dicendum erit de Innocẽtia: tamẽ quia quæ ad excellentiam eius hîc pertinẽt, ad diuinitatẽ propriè referenda sunt, ideò de his primũ videamus. Tria autem quæ hîc dicit, illûc referãtur. Primò, Amen amen dico vobis, si quis sermonem meum seruauerit, mortem non gustabit in æternũ. Secũdò, Abrahã pater vester exultauit vt videret diẽ meũ: vidit, & gauisus est. Tertiò, Antequã Abrahã fieret, ego sum. His Christus suam excellentiam coram Iudæis patefecit. At Iudæi sermonẽ eius fastidientes, omnia interpretabantur sinistrè. Hominem dicebant ambitiosum & mentis impotem, furijsque actum. Tum verba ipsius criminabãtur, vt imposibilia, & in ipsum Deum blasphema. Sed margaritæ porcorũ non sunt, nec licet sanctum dare canibus. Nobis verò verba vitæ æternæ sunt. Neque enim eo minus valebũt, quòd ipse de se prædicet, sicut Iudæi obijcere consueuerint ei, non esse verum testimonium eius, quòd ipse de se diceret. Quidquid enim magni vspiam de seipso testatus est, id omne factis quibusdam humanas vi res excedẽtibus côprobauit. In Matthæo dimittit peccata: & vt dimissa esse peccata hoĩes agnoscerẽt, dixit paralytico, vt surgeret, & sublato grabbato domũ sanus reuerterẽt. Sic vbi se mũdi lucẽ diceret, statim cæco nato visum restituit. Sic resurrectionẽ se & vitã affirmauit, & mox Lazarũ resuscita-

Summa. *Ioan. 8.* *Ioan. 8.* *Matth. 9* *Ioan.*

suscitatum vita donauit. Sic semet panem viuum affirmans, *Ioan. 6*
statim miraculosè homines in deserto numero 5000. paucis
satiauit panibus. Sic cũ se patrémque vnũ esse diceret, æqualitatis huius argumentum ex factis sumendum esse docuit.
Sed ipsi quoq; Prophetæ eiuscemodi de ipso longè antè prædixerunt. *Ioan. 10*
Promittit sermonẽ suum seruãtibus vitã, nec mortem eos visuros esse. Id olim in Osea prædixit. De manu (inquit) mortis liberabo populum meum, de morte redimam *Ose. 13*
eum. Sic quòd Abraham dicit desiderasse diem suum, vbiquè
Scripturæ clamãt, maximè Geneseos liber. Sic quòd se antequam Abraham fuisset, esse testatur, Isaias, Dauid, & alij testimonio sunt. *Isaie. 9* *Psalm. 109*
Quòd ergo dicit: Si quis sermonem meum
seruauerit, mortem non videbit: veram eius & infallibilem diuinitatem demonstrat. Ipse enim mortis victor &
triumphator, etiam ijs à quibus apprehensus fuerat, hanc
mortis victoriã cõmunicat. Sed vt apprehendamus eum, tria
requirũtur: auditus, fides, & obseruatio. Et hæc tria hoc ipso
Euãgelio cõplexus est. Primò, Qui est ex Deo, verba mea audit. Secundò, Si veritatem dico vobis, quare non creditis mihi? Tertiò, Si quis sermonem meum seruauerit, mortẽ non
videbit. Alibi dixit, mortem nõ gustabit. Moriũtur pij pariter atq; impij: sed impij vidẽt, degustãt, atque horrẽt mortẽ.
Pij quidẽ moriũtur, sed mortis acerbitatẽ nõ sentiũt. Est enim
ipsis mors ad vitã transitus. Iam quod secundò ait: Abraham *Gen. 22*
exultauit vt videret diem meũ, vidit, & gauisus est: hoc vult
intelligi, quòd Patriarcha probatæ fidei vir in promissiones
Dei de semine respexerit, & consequutus semẽ, in ipso semen
illud Christum agnouerit, atque pro benedictione, quam in *Galat. 3*
futuro certò cõsequturũ se esse videbat, exultauerit. Tertiò, *Ioan. 8*
quod ait: Antequã Abrahã fieret ego sum: æternitatẽ sibi cũ
patre vnam atque communem esse ostẽdit, quæ & ipsa diuinitatis propriè est. Atque hæc omnia Christus de diuinitate
sua affirmauit, miraculis confirmauit, & Prophetarum oraculis approbauit. Primùm, vt obturetur os incredulorũ hominũ: deinde, vt pij in ipsum respiciãt tanquã in promissum
Mesiah, qui suo sanguine deleto mortis Chirographo, nos
patri recõsiliauerit, & in seipso certã delictorũ remissionẽ promiserit. Secũda porrò ipsius descriptio Innocẽtię est, & ipsa
plena cõsolationis. Nã si nullũ extaret de ipsius Innocẽtia testimoniũ, dubitare possent homines, an moriens nostra pec-

cata super lignũ tulerit, an ꝓpriũ aliquod ob facinus ista omnia pertulisset. Et hanc innocentiam suam duobus verbis asserit & vindicat. Quis ex vobis (inquit) arguet me de peccato? Et: Ego dæmonium non habeo. Quòd si hic considerare licet, quis & quibus ista dicat, omnem dubitationem nobis auferri intelligemus. Nemo enim qui ducit mentiri potest. Tum non amicos aut propinquos, sed hostes capitales alloquitur. Quis ex vobis (inquit) arguet me de peccato? Et si autem quotidiè quærerent, quomodo ipsum perderent & occiderent: nemo tamen de vllo ipsum peccato potuit arguere. Neque hæc res parui momenti est, neque obiter transeunda, dum passionis memoriã celebramus. Quæ enim in passione Christi spes nobis esse posset, si hostes sua ipsius eũ culpa passum fuisse possent conuincere? Puderet nos potiùs eum profiteri Christum, quẽ sciremus pro malefactis suis esse passum. Verùm quòd Innocens sine suo ipsius peccato passus est, maximam eámque veram pijs mentibus consolationem adfert.

1.Pet.2. Primò enim ostendit, quòd ipse omnium nostrûm peccata pertulerit in corpore suo super lignum, qui proprium delictum nõ habuit. Deinde, vt nos in cruce gloriemur, præstat. Tertiò, fidem nostram cõfirmat, & facit, vt imprudentium hominum ora obturemus. Si enim aduersus eũ quid habuerunt, cur hîc nõ proferunt? Quòd si ne hoc quidem contenti

Matth.27. quiescere volunt, audiant alios huius Innocentiæ testes. Ipse quo proditore vsi sunt Iudas, peccasse se hoc ipso, ꝙ sanguinem innocentem tradiderit, fatetur: & quòd verè ita sentiat, morte sua se digna confirmat. Tum ipse quem clamoribus minísque dementastis, quem multitudine superastis, Iudex, se nullam in eo mortis causam inuenire, nec etiam Herodẽ,

Ioan.19. testatur. Et ita se sentire confirmans, manus lauit, & innocen-

Matth.27. tẽ se à sanguine huius iusti fore arbitratus est: in vos Iudæi,

Ibidem. & proditionis, & ignominiæ, & homicidij pœnam reijcit. Et latro in cruce hãc innocentiã testatus est, & ipsi qui cruci affixerunt milites. Innocẽs ergo est, cùm tot testes testimonium eius ferãt, nec vos quod cõtrà adducere possitis, habeatis. Sed nouimus quid vos mouerit: doctrinæ veritas, & ipsius, quem Messiam & saluatorẽ debuistis agnoscere & profiteri, odiũ.

Ioan.3. Hæ duæ causæ vos ad tantam impulerũt insaniam. Malè age-

Sapi.2. batis, in tenebris ambulastis, lucem eius odistis. Quam vestrã impietatem Salomon quondam Rex vester vaticinio prodidit. Cir-

dit. Circunueniamus (in vestra persona loquitur) iustũ, quia contrarius est operibus nostris. Horrenda profectò cæcitas Iudæorum hæc est. Christus innocẽtiam suam atque præstãtiam validissimè astruit: contrà, Iudæi eò vehementiùs sæuiũt & excandescũt. Non Pilatus, non Herodes aut Tiberius, aut denique alius quispiam ex Gentium populo, sed Iudæi, qui se patrem habere Abraham, ac nosse Deum, scientiámque legis sibi vsurparunt & gloriabantur, primi sceleratas manus Innocẽtis sanguine polluerũt. Nã quòd alij pòstea manus in eum iniecerunt, horũ instinctu & authoritate factũ est. Gens tua (Pilatus ad Christum loquens ait) & Pontifices tui tradiderunt te mihi. Ciues (alibi in parabola loquens Christus ait) eius oderũt eũ. In propria venit, & sui eum non receperunt. Et hanc ipsorũ impietatẽ cùm alibi, tùm hîc Christus & Euãgelista depingunt. Vt autẽ reliqua omittamus, hîc præsentis Euangelij verba inspiciamus. Christus apertè ipsos ex Deo non esse conuincit, eo ꝗ verba Dei nõ audirẽt. Tum ipsi sese produnt. Nónne (inquiunt) bene dicimus nos, quia Samaritanus es tu, & dæmonium habes? Certè si naturã & rationẽ creationis respicere voluerimus, omnia ex Deo sunt; ab ipso enim originẽ ducunt, vt Paulus testatur, cùm ait: Ex ipso, & per ipsum, & in ipso sunt oĩa. Verũ si renascẽtiã respexerim᷑, illi tantũ ex Deo sunt, qui per Christũ ex aqua & Spiritu sancto in filiorũ Dei cõsortiũ asciti sunt. Tum qui ab æterno in hanc filiorũ adoptionẽ præsciti & prædestinati sunt, & quicunque deniq; ex prima Dei benedictione descenderunt. Hi verba Dei audiunt faciúntq;, imò in ijs versantur & delectantur, die ac nocte. Id quod Scriptura ꝓdidit, vt: Amicus sponsi dat, & gaudet propter vocem sponsi. Et: Quàm dulcia faucibus meis eloquia tua, super mel ori meo: Custodiuit anima mea testimonia tua, & dilexit ea vehementer. Et: Sonet vox tua in auribus meis, vox enim tua dulcis: Nimirũ sciunt non auditores, sed factores legis iustificari: audientes verò tantùm, sese seducere ac fallere, ac percutiendos plagis multis. Verùm qui non sunt ex Deo, verba Dei abominantur & respuunt: aut si quando audiunt auribus, ad interiora tamen non transmittunt. Et quid miramur eorum mentes tenebris ignorantiæ obscuratas esse, ita, vt nec qui ipsi aut, vnde sint, norint, nec sanum de alijs iudicium habeant? Quomodò regiam iustitiæ semitam ambulabunt, qui lumen pedum

Marginal references: Ioan. 8. — Ioan. 18. — Mat. 9. — Ioan. 1. — Ioan. 3. — Ioan. 3. — Psalm. 118. — Cant. 2. — Roma. 2. — Iacob. 1.

non habēt? Hîc ergò considerate mecum, quid non audeāt Iudei, dū verba Dei non audiūt. Quàm cæcū hoc est ipsorū iudiciū: Nónne bene dicimus nos, Samaritanus es tu, & dæmonium habes? Christus verus Dei filius Samaritanus erit? à quo Spiritus sanctus procedit, dæmoniū habebit? Veritatē dictorū refutare non possunt, & contumeliosi, in execrādas blasphemias erumpūt. Sed hæc natura est omniū qui verbo
Heb.19. Dei non regūtur, vt non modò in homines sint cōtumeliosi,
4 verùm in ipsum etiā Deum ponāt os suum. Et de hac quam
Matth.10. hic Dn̄s sustinuit cōtradictiōe à suis, Paulus 12 cap. ad Heb. loquitur. Estq; nobis exemplū vt si veritatem professi, similē contradictionē ab imprudētibus sustinere necesse fuerit, magnis animis perferamus. Si enim patrē familiâs vocauerunt Beelzebub, quanto magis domesticos eius? Sed nec hoc contenti sunt, quod in hanc blasphemiā eruperint. Seipsos etiam iactitant, quasi Abrahā patre geniti sint. Et licèt secundum carnē vtiq; filij essent Abrahæ: tamen quia hoc ipsum ignominiam ipsorū & dedecus auget, hîc sanè nullam laudē quærere debuerunt. Est aliquid à Regibus clarū deducere genus, si pios pij sequātur imitatiōe. Nec Iudæos Christus ea laudę priuasset, si patris Abrahæ fidē egregiam cum lōganimitate constanti in ipsis inuenisset: nūc verò quia apertè fidei Abrahæ repugnabāt, abuti eos generis prærogatiua clarè demōstrat, Nolite (inquit) dicere, qa patrē habetis Abrahā. Potens est enim Deus ex lapidibus suscitare filios Abrahę genuinos. Tertiò deniq; superioribus etiam hoc adducit, quòd quem disceptando vincere nō poterāt, lapidibus obruere contēdūt. Tantū humana impietas sine verbo Dei potest. Hæc ipsa mēdacij contra veritatē natura est. Non vult cedere etiā victa, imò opponit se contra veritatē: & vt aliquo modo sese tueāt, & defenset, blasphemiæ tonitru crepat: tandē ad illicita arma labitur. Est autē nō hoc Iudæorū tantùm, sed omniū, qui
Isai.1. quoquò modo à veritate se victos sentiūt. Et de Iudæis quidē
Ierem.9. Deus in prophetis conqueritur. Filios (inquit) enutriui, & exaltaui, ipsi autē spreuerūt me. Extenderunt linguā suam quasi arcum mendacij, & non veritatis. Popule meus, quid feci ti-
Mich.6. bi, aut quid molestus fui tibi? Responde mihi. Quòd si inter Christianos fortè eiuscemodi sunt, qui agnitā veritatē quālibet de causa oppugnāt, his ipsis diuinę iusticię vocibus se pe ti intelligant: intelligāt (inquā) veritatis oppugnationē, nec diutur-

diuturnam, nec Christiano homine dignam esse. Videri potuissent victores Iudæi, sed exitus ostendit diuersum. Oblatam salutem cõtumacibus animis spreuerunt, veritatis assertorem è templo abegerunt. Propterea, vel experientia teste, tot nunc annis, & salute, & veritatis cognitione caruerunt. Qua de re postea. Et hæc hactenus de Christi Saluatoris persona, tum de Iudæorũ impietate dicta sint. Nunc portò cùm certum est Christum innocentem crucifixum esse, & Iudæorum cùm mendacij susceptum patrocinium, tum verò inuidiam huic neci causam dedisse, quantum ad effectum: superest, vt hac ipsa Euangelij lectione demonstrante, qui fructus ex tam dira innocentis passione nati sint, videamus. Certè quòd ad Iudæos, nullo suo commodo Christũ sunt persequuti. Ecce enim Euangelio hoc ipso testante, lapidibus eum obruere conantur, & sua impietate è templo pulsant, quem obuiis brachiis suscipere debebant. Et quid Euangelista dicit? Iesus (inquit) abscondit se, & exiit de templo: hoc est, corpore simul & gratia sua ab eis discedens, reliquit. Hoc ipsorum insaniam sequutum est commodum, vt sint homines sine templo, & sine Deo. Gloriatur Moses coram populo, quòd nulla tam grandis sit natio, quæ habeat Deos appropinquantes sibi eo modo, quo Dominus Deus adsit cunctis obsecrationibus suorum. Si ergo Dei præsentia beatos efficit, vtique infœlices sunt, qui sine hac viuunt. Christus vita est, vbi ergo Christus non est, ibi profectò mors certa est, vt in Ioanne Iudæos alloquitur, dicens: Ego vado, & quæritis me, & in peccato vestro moriemini. Et Paulus cum Barnaba ad eosdẽ, Vobis (inquiunt) oportebat primùm loqui verbum salutis: sed quoniam repellitis illud, & indignos vos iudicatis vitæ æternæ, ecce conuertimur ad gentes. Sæpè quidẽ pro sua impietate Deum à se abiecerunt, vt ipse in prophetis conqueritur: sed nũquam eos tam longo tempore deseruit atque modò. Nam ab illo tempore quo euersa est vrbs primaria, non Prophetam, non Patriarcham, non spiritum reuelationis habuerunt. Sed ne nunc quidem vllum inter eos diuinæ præsentiæ apparet indicium, vt verè Christus prædixerit, Quæritis me, & nõ inuenietis, & in peccato vestro moriemini. Potens quidem Deus est saluare eos, sed ex patre Diabolo filij patris sui desideria sectantur: peccatum quod ingẽs, & quod verè dici potest, grauissimum, perpetrarunt, agno-

Ioan. 8.

Act. 13.

scere & confiteri nolunt. Id quod nos cogitare plurimum retulerit. Nam aspernantibus Iudæis, qui ex pasione Christi nati sunt fructus, ad nos delati sunt, ad eorũ æmulationem. Et maxima hic diligentia opus est, vt apud nos retineamus quem cum omnibus bonis à Iudæis profligatũ suscepimus. Quòd si quis quæsierit, quæ bona veniens secum aduexerit, etsi ex eo quod Christus Iudæis loquens, morituros esse eos, eo ꝙ quæsituri essent, non autem inuenturi ipsum, dixerit: tamen Paulus clarius omnia expresit in ea quam hodie audi-
Hebr. 9. stis Epistola. Et quidem mortem Christi ait omnis boni causam ac fontem fuisse: sed tamen quatuor enumerat, quæ verè beatum faciunt, vt fide intelligamus, sufficientem fuisse illã, quæ verè beatos efficiat. Primum ergo in his est, ꝙ sua morte Christus æternam redemptionem inuenerit. Secũdum, quòd ipsius immaculati agni sanguis conscientiam nostrã emundet ab operibus mortuis. Tertiũ, ꝙ mors eius remisio sit earum præuaricationum, quæ fuerunt sub priori Testamento. Quartum, ꝙ hi qui vocati sunt, repromisionẽ per mortem accipiant æternæ hæreditatis. Hos fructus pasionis Christi Paulus enumerat, omnibus obuios, qui vera fide in mortem mediatoris huius respiciunt. Agite ergo, fidei oculos in crucem Domini nostri Iesu Christi subleuemus, & vti cœpimus, per pœnitentiam susceptũ emendationis propositum confirmemus, veram delictorũ remisionem in cruce quæramus: neq; vt alij dicamus, Christus pro me passus est, ꝙ pœnitentiam agam, nihil est: sed hoc magis dicamus: Christus diram mortem pro meis peccatis sustinuit, igitur & mihi, & nunc quidem maximè sustinendum est. Videmus enim in ipsa vnigeniti filij Dei morte, quàm infensè pater detestetur peccatum, & puniat. Et quomodo non laboramus per pœnitẽtiam in Christi morte remisionẽ quærere? Omnes quicunq; aliquando Christũ prædicarunt, eiusmodi mediis certã remis-
Ioan. 1. sionem peccatorũ promiserunt. Ioannes Baptista, priusquam
Matt. 3. Christum diceret agnũ esse eum, qui peccata mundi tolleret,
Marc. 1. omnes ad pœnitentiam adhortabatur. Ipse Christus, cùm credendum
Acto. 2. dendum esse Euangelio doceret, ad pœnitentiam agendam
Luc. 7. adhortatus erat. Petrus cum in nomine Iesu baptizaris remis-
Luc. 23. sionem peccatorum dari pronunciat, præmisit pœnitentię adhortationem. Magdalena non nisi præeunte pœnitẽtia à peccatis absoluitur. Latro nõ nisi cõfessus Paradisi proclamatur incola

incola. Nec ulla scripturæ autoritas impœnitentibus remissionem peccatorum tribuit. Etenim si cum Christo delectat resurgere, cur cum ipso mori atq; sepeliri reluctamur? Nam & Oseas Propheta cum Dei erga pœnitentes pietatem describeret, non ait: Prima die uiuificabit nos, aut secunda: sed, post duos dies, & tertia die suscitabit nos. Nēpe, ut sit prima mortis, secunda sepulturæ, tertia resurrectionis. Cur ergo prima die quærimus quod tandē tertia dandū est? hoc est, cur Iustificationem nobis sine præeunte pœnitētia promittimus? Nam & Paulus Apostolus prius moriendum esse docuit peccatis, deinde cū Christo in nouitate vitæ resurgendū. Sed cum tria omnino hominū genera sint, vnum eorum qui verè pœnitēt, & iusto adminiculo à peccatis resurgere volunt; alterū eorum, qui liberari quidē à peccatis volunt, sed remedio vti nolunt: tertiū verò eorū qui planè impœnitentes sunt: hæc mediis tantùm dicta sint. His verò qui verè pœnitent, nunc in Domini nostri Iesu Christi passionem respiciendū erit, non modò vt in ea pœnitentiā suam concludant, certámq; remissionem inde expectent: verùm vt quantū fieri potest, Christi, qui pro omnium delictis volens passus est, innocentiā referāt, & malè de nobis loquentibus ora obmutescere faciant, quemadmodū hic Christus hostes alloquitur. Verùm eos, qui impœnitētes hactenus & Ecclesiæ exēplum, & scripturæ monita impiè securéq; aspernati sunt, moneo, si qua pietas, si qua propriæ salutis cura mouet, ipsos saltē impœnitentes Iudæos respiciant: quàm sæuiant, & contra Christū pugnent, quousq; impietatis progrediantur, videāt. Hos impœnitentia contra verbum Dei ac contra Christum imitari indignum planè esse Christiano homini cogitent. Nec solùm pœniteāt de commissis, verùm etiam peccata confiteantur secundum cuiusq; qualitatem. Si publicè peccarunt, publicè confiteantur. Pium est enim, vt qui manifesto crimine multos ad peccandū prouocarunt, publica confessione omnes ad pœnitentiam hortentur. Si priuatim aliquid commissum est, priuatim apud Ecclesiæ ministrū deponant. Quòd si nullo modo piorū exemplis ad confitendū permoueri volunt, vt sunt Abrah. Gen. 18. Iacob, Gen. 32. Dauid, Psal. 32. Ezechias, Isai. 38. Daniel, Dan. 9. Paulus, 1. Tim. 1. & alij, vnius tantùm Achan imitentur exemplum: & eo libentius quòd ille quidem corporis mortem per hanc confessionem declinare nō potuit, nos verò certam de-

Oseæ 6.

lictorum remissionem consequamur. Hic, inquam, licet saluari non potuit, tamen diuino iudicio accusatus, statim vbi
Ios. 7. Iosue delicti confessionem postulare intelligeret, verè peccasse se Domino cõfitetur. Nimirum vt per hoc gloriam Deo daret, & vt mitius secū ageretur obtineret. Huius ergo exemplo moniti, qui hactenus neglexerunt, pœnitentiam agere incipiant. Omnes verò emendationis susceptum propositum in Domini & Saluatoris nostri IESV CHRISTI passione confirment. Sic fiet, vt qui totius Mundi delictis expiandis passus & mortuus est, post resurrectionem æternam vitam largiatur & tribuat. Amen.

DOMINICA IN RAMIS PALMARVM EVANGELIVM, MATTHAEI XXI.

CVm appropinquassent Ierosolymis, & venissent Bethphage, ad mõtem olíueti, tunc Iesus misit duos discipulos, dicens eis: Ite in castellum, quod contra vos est: & statim inuenietis asinam alligatam, & pullum cum ea: soluite, & adducite mihi. Et si quis vobis aliquid dixerit, dicite, quia Dominus his opus habet: & confestim dimittet eos. Hoc autem totum factum est, vt adimpleretur quod di-
Zach. 9. ctum est per Prophetam, dicẽtem: Dicite filiæ Sion, Ecce Rex tuus venit tibi mansuetus, sedens super asinam & pullum subiugalis. Euntes autem discipuli, fecerunt sicut præcepit illis Iesus. Et adduxerunt asinam & pullum, & imposuerunt super eos vestimenta sua, & eum desuper sedere fecerunt. Plurima

ma autem turba ſtrauerunt veſtimenta ſua in via. Alij autem cædebant ramos de arboribus, & ſternebant in via. Turbæ autem quæ præcedebant & quæ ſequebantur, clamabant, dicentes: Oſanna filio Dauid: Benedictus qui venit in nomine Domini: Oſanna in altiſsimis.

EADEM DOMINICA
EPISTOLA,
PHILIP. II.

Hoc ſentite in vobis, quod & in Chriſto Ieſu, qui cum in forma Dei eſſet, non rapinam arbitratus eſt eſſe ſe æqualem Deo: ſed ſemetipſum exinaniuit, formam ſerui accipiens, in ſimilitudinem hominum factus: & habitu inuentus vt homo, humiliauit ſemetipſum, factus obediens vſque ad mortem, mortem autem crucis. Propter quod & Deus exaltauit illum, & donauit illi nomen, quod eſt ſuper omne nomen, vt in nomine IESV omne genu flectatur, cæleſtium, terreſtrium, & infernorum, & omnis lingua confiteatur, quia Dominus Ieſus Chriſtus in gloria eſt Dei patris.

SERMO.

Sapien. 18

QVanquam omnia Deus in mensura, numero & pondere disposuit, nihil sine caussa, omnia verò pro sua omnipotenti sapientia iusto ordine instituit, peregítque: ea tamen quæ hoc in mundo carnem indutus, locutus, fecit, aut passus est, ita ordinauit, vt & iota quodlibet eorum minutissimũ, sua obtegat & referat mysteria. Neque verò fortuito contigerunt. Aut enim exempla pietatis, aut vaticiniorum impletio, aut veteris alicuius repræsentatio figuræ, aut denique futurorum sunt significatio. Cùm autem hoc de toto illo carnis assumptę tempore & sentire & dicere æquum est, eò tamen magis id præstitit Christus, quo propius ad constitutam mortis suæ horam accessit. Minorem enim diuinitatis vim ea quæ paulò antequam passus est, dixit, fecítve, referunt, & anteacta omnia quodammodo sua maiestate transcẽdunt & obscurant. Eius ergo generis cum hæc præsens sit lectio, quis non intelligit, quàm hic præsentibus, & in rem maximam intentissimis animis opus sit. Considerauit hoc & intellexit quondam veneranda illa antiquitas, eóque hanc hebdomadã Magnam dixerunt, vt nempe ipsa temporis appellatione, in magna Christi dictorum factorúmque mysteria, quorum his diebus maximè celebratur memoria piorum, mentes attollerent. Nec hoc contenti, vt maximę res, omnis ætatis, omnium hominum cognitione dignissimæ cognoscerentur & meditarentur diligentius, etiam externis quibusdam, scripturísque consentientibus ceremoniis, repræsentarunt omnium oculis, quæ pro sua sanctimonia non satis posse se sermone eloqui arbitrabantur. Hinc est quod sacerdoti, Christi asino insidentis personam referenti, puerorum alij vestimenta, alij arborum ramusculos subiiciunt. Hinc etiam ipsi presbyteri, Christi Hierosolymorum vrbem intrantis dicta & actiones quasdam repræsentant: non inani spectaculo hominum oculos pascentes, sed viua imagine, quod semel in Christo factum est, ipsis pectoribus infigentes. Et horum sanè exemplis decebat nos non abuti: decebat ad æquam & necessariam diligentiam accendi. Sit tamen & hoc exiguum, & multorum scilicet intelligentiæ, fideique, quam tantopere, vel potius sine opere iactitant, indignum: an non ignauiam nostram arguere

arguere, studium diligentiámque poscere videntur Euangelistæ, qui omnes, ne vno quidem excepto, (quod infrequens est) & veluti certatim, hanc historiam diligentissime conscripsère? Matthæus enim 21. Marcus 11. Lucas 19. Ioannes 11. hæc omnia suauissimè fidelissiméque, vt omnia, tradunt. Non hic quod detrectemus, restat. Licebit fortè minori piaculo in aliis quibusdam rebus, non tanto studio tam propriè positis, minus esse studiosis: at quæ omnium ore tanto studio ingeminantur, quomodo negligentur? Vniuersa ciuitas commota est cum hæc olim fierent. Nec immeritò, sed maiestate incognita, réique insolentia concutietur incredulus. Et cuius causa hæc facta sunt, his ipsis non afficietur fidelis? O mentes hominum duras, ô cautibus immobiliores. Frustra Christus in nostræ salutis negotio tantopere sudat? frustra Euangelistæ in scribendo laborât? Et nihil etiam prophetica nos mouebit acclamatio: Hodie si vocem Domini audiuerimus, ne obduremus corda nostra, ne fortè & ipsi à requie excludamur cælesti? Nullum Pauli clamor in nobis locum inueniet? vt quod in Christo Iesu videmus & intelligimus, in nobis ipsis etiam sentiamus? Non enim hic de infausto perfidissimorum Iudæorum in Dominum Iesum odio dicendum est. Quanquam tanta perfidia, tam cruenti exitus inuidia, vt ab Euangelistis non vno in loco patefacta est, ita nullo modo à nobis taceri & abscondi debet: vt eorum exemplis cautiores facti, discamus cum multo timore nostram salutem operantes, nec diuinis actionibus reluctari, nec contra immutabilem Dei veritatem arma sumere. Iam omnium in populo Primorum animi communi sententia firmati, in hoc vnum conspirauerant, hoc vnum etiam insomnes volebant, vt Iesum dolo tenerent, & occiderent. Percelluerat enim ipsorum animos suscitati Lazari rumor: & gratulabundæ plebis, quæ sedentem super asinum in vrbem introduxerat, laudibus, filium Dauid in nomine Domini aduenisse acclamantis, confessione & veneratione solenni, magis inflammabantur inuidia, ita, vt perturbatis antea animis, vehementiori insania exacerbarentur, & conspirationis malignæ consilia vltra occultari non possent. Qua de re nunc loqui tempus prohibet: & cum aliàs sæpè eius mentionem abundè satis fecerimus, hic repetere superfluum est. Neque enim superioris dominicæ diei proximus

Mat. 21.
Psal. 49.
Hebr. 3.
Philip. 2.
Mat. 25.
Ioan. 11.

sermo nihil de ea loquitur, pro ipsius, quæ tunc commodum offerebatur, materiæ qualitate. Hic verò propius ad nostræ salutis opus accedentes, Dei Opt. Max. immutabilē in certa voluntate veritatē, & eius, qui pro nobis passus est, pro deli-
Rom.4. ctis nostris mortuus, pro iustificatione nostra resurrexit à mortuis, personā considerabimus, intuebimúrq; altius. Ecce
Ioan.1. agnus Dei, ecce qui tollit peccata mūdi, Ioānes Baptista olim
Hebr.12. clamauit. Et Paulus: Respiciamus in autorē fidei, & consummatorem Iesum, qui proposito sibi gaudio sustinuit crucem, confusione contēpta, atque in dextera Dei sedet. Et in Euan-
Mat. 21. gelio turbæ: Osanna filio Dauid, Benedictus qui venit in no-
Luce 19. mine Domini: Hic est Iesus Propheta à Nazareth Galileæ:
Ioan.12. Benedictus qui venit Rex in nomine Domini, pax in cælis, & gloria in excelsis: Benedictus qui venit in nomine Domini, Rex Israël, Osanna in excelsis. Huc, inquam, & in has voces animi nostri conuertendi sunt, vt verè sciamus quis sit ille, quem passum nostri causa profitemur Deum. Principiò enim confirmabit hæc consideratio fidem nostram, ne fluctuemus, & certò statuamus, quòd ipsius morte à damnatione, quam timebamus, vindicati simus. Deinde intelligemus, quantus sit ille Dei amor in nos, qui nos per eam mortem, cum adhuc inimici eius essemus, in filiorum assumpsit adoptionem. Sed & indignitatem & magnitudinem peccati rectius æstimabimus, pro quo diluendo filium Dei in carne mori oportuit. Tertiò denique confirmabit, cōsolidabítque animos nostros contra crucis scandalum, ne, vbi Iudæorum fæcem Christo exprobrātem audiuerimus: Si Rex Israël est, descendat nunc de cruce: Seipsum non potest saluum facere: Seductor hic dixit. & alia id genus, à fide deficiamus. Ad hæc omnia valet vera Christi notitia, quæ si vsquam alibi, in hodiernæ profectò historiæ Euangelio traditur maximè. Ordine igitur Euangelij seruato hoc primum omnium considerandum est, quòd sæuientibus licet vbique Iudæis, quorum rabies & prædicta
Hier. 17. & depicta diuino spiritu in prophetis legitur, (ne quis in ea fortunam aut contingentia esse suspicetur) insueta sessione aselli, Christus Hierosolymorum vrbem ingreditur, magna gratulantis populi salutatione excipitur, legalibus festis, solenni omnium admiratione, ingentique, sed iusta seueritate, ab ementium vendentiúmque commutatione iniqua, flagello facto, templum vendicat. Videbatur antea quasi profli-

gatus solitudinis frequentare silentia, subinde etiam ad suos recurrere. Sed hoc non pœnam erat formidantis: erat potius insaniam desperatissimorum hominum declinantis: erat passioni cõstitutam à Deo patre horam expectantis. Nam quòd passionẽ non timuerit, voce & facto palàm testatus est. Voce quidem, vt cum ait: Desiderio desideraui hoc pascha manducare vobiscum.: Et; Baptismo habeo baptizari, & quomodo coartor vsque dum perficiatur? Et: Ecce ascendimus Hierosolymam, & filius hominis tradetur in manus peccatorum. Facto etiam, vt quòd locum passioni destinatũ tempore idoneo visitat, quòd hostium armatis copiis sese offert, suósque ab ipsis vindicat. Quæ omnia apertè cõuincunt, quòd nec homicidas ille, nec verò ipsam mortẽ, vel timuerit, vel subterfugere voluerit. Alibi profitetur, quòd in mundum venerit, non suam, sed patris voluntatẽ facturus. Et pati ipsum patris certè voluntas erat: voluntas, inquã, manifestata lege, præfigurata signis, propheticis patefacta vaticiniis. Neque enim ipsam passionem tantùm, sed ea quoque quæ passionem antecesserunt, in diuinarum scripturarũ legimus oraculis. Nam quòd Moses agnum de grege secerni iubet quinto die ante Phase domini, quid est, nisi quòd Christus totidem diebus ante passionem, peculiaribus quibusdã actionibus se ex omnibus hominibus egregium esse declarauit? vt quòd solus Lazarum suscitauit, solus super asinũ sedit, solus super ciuitatem flet, solus orat, solus capitur, & cruci postea affigitur. Nec aliud vult Zachariæ vaticinium, quòd filiæ Sion rex dicitur venire mansuetus, sedens super asinum. Idem quoque psalmi illa acclamatio vult: O domine saluum me fac, ô domine bene prosperare, benedictus qui venit in nomine Domini. Taceo hic, quòd in Esaia patet in Christo se omnium iniquitates nostras posuisse, próque scelere hominũ percussisse eum testatur. Ea enim tantùm referre volui, quæ huius Euangelij historiam propriè respiciunt: vt sunt, agni figura, Zachariæ vaticiniũ, & Dauid Prophetæ acclamatio. Et hæc cum patris Dei fuit voluntas, non potuit Christus prætergredi, vt veritas constaret sibi, qua se Dei voluntatem facere edicit. Et hic iam considerate mecũ, quòd Christus non solum mortẽ homicidásque suos non timuerit, verumetiam hodierni Euãgelij actionibus admirandis, multa quæ in veteri lege oracula leguntur, compleuerit. Nisi enim vaticinia cum Euangelij historia

Luc. 22. *Luca* 12. *Mat.* 16. *Ioan.* 6.5. & 4. *Exod.* 12. *Zach.* 9. *Psal.* 117. *Esa.* 53.

comparauerimus, & altero oculo in Prophetas, altero in Euangelium intenderimus: quis, oro, non admirabitur vehementer? & Christum hoc modo vehi se voluisse, non existimabit insaniam? maximè cùm nunquā ipse antea (quod quidem in Euangeliis legitur) vllum animal insederit. Neque enim vnam asinam, sed cùm asina pullū adduci voluit: tum etiam Apostoli non asinam solam, sed & pullū, vt Matthæus habet, vestimentis suis constrauerunt. Si autem spiritus iudicio vti voluerimus, videbimus & dictatæ quondā veritati satisfactū esse, & sequentiū temporum in ipsis eiuscemodi actionibus expressam fuisse imaginē. Nam si asinam vti assuetam iugo,
1. *Cor.* 11. Iudæorum gentis: pullum verò gentiū (quorum illi sub legis oneribus gemebant, hi sine lege post simulacra muta vti ducebantur, currebant) figurā gessisse intellexerimus: profectò, quòd Christus, & asina & pullo in regni sui constitutione necessum habeat vti, & quòd super vtrunq; nunc sedeat, hoc est, vtrunque populum regat, ab vtroque portetur in ipsam vsq; sanctam Hierosolymam, concedemus. Id quòd variis prophetarum respōsis olim prædictum fuit. Nos duos tantum locos proferemus, vt ex iis reliqui intelligātur. Isaias cùm Deum
Esa. 49. ad Christum loquentē induceret, dixit: Parum est, vt sis mihi seruus ad suscitandas tribus Iacob, & fæces Israël conuertendas: Ecce dedi te in lucem gentium, vt sis salus mea vsque ad extremum terræ. Iacob verò Patriarcha Iudam benedicens, in hanc sententiā loquutus est, Non auferetur sceptrum de
Gene. 49. Iuda, & Dux de femore eius, donec veniat qui mittendus est: & ipse erit expectatio gentium: Ligans ad vineam pullum suum, & ad vitem asinam suam. Hæc ibi. Vitis Christus est, cui alligati sunt duo populi, Iudæi atque gentes. Quanquam ne nunc quidem asina illa Christo dorsum velit satis submittere, superba lege. Id quòd pullo edocta, tandem aliquando factura creditur, quando vnus pastor, vnúmque ouile videbitur. Sed quod in vtroque populo, idem videre est in quolibet
Ioan. 10. homine. Habet enim homo internum externúmque hominem. Et externus quidem vt minus à malo deterretur, ita ad bonū promissionibus attollitur. Internū verò, hominis nimirum voluntatē, nemo præter Christum mansuefacere potest. Sine Christo enim in vetitum nititur. At vbi Christus semel
Rom. 7. insederit, hoc est, gratia sua cor hominis accesserit, liberatur,
Psal. 118. & ad omne bonum expeditur, viámq; mandatorū Dei currit.
Hoc

Hoc ergo, id est, interno homine currente, propter sessorem, externus licet vacuus, sine onere sequitur: vacuus, inquam, quia insuetus æqui boníque, legi mentis repugnat sæpe. Vt Paulus ait: Caro concupiscit aduersus spiritum. *Rom. 7.* *Galat. 5.*
Cum ergo Christus Apostolos duos ad adducendos duos illos asinos, pullum cum subiugali, ablegat, quid post resurrectionem facturus erat, significat. Mittit enim eos iamiam ad cælos euolaturus in mundum vniuersum, vt sua prædicatione à pristina conuersatione homines soluerent, & sub iugum Euangelij submitterent: fuitque vna eadémque actio præteritarum, veritas figurarum, & figura sequentium temporum. Matthæus enim addit hoc totum factum fuisse, vt adimpleretur quod dictum est per Prophetam, dicentem: Dicite filiæ Sion: Ecce rex tuus venit tibi mansuetus, sedens super asinam & pullum. *Zach. 9.* Esse autem in his verbis Christi regni huius æui descriptionem, nemo dubitat. Quantum autem referat id quale sit cognoscere, volui Propheta innuere, cùm, vt filiæ Sion dicatur, præcipit. Est enim hæc scripturæ consuetudo, ad maximas res intelligendas eiuscemodi verbis homines excitare: vt in hoc ipso Propheta 2. cap. & in Esaia: *Esa. 52. 40.* Consurge, consurge Ierusalem, induere fortitudine. Et: Consolamini, consolamini popule meus. Porrò cuiusmodi sit regnum Christi his Prophetæ verbis descriptum, audiamus ex ipso cõtextu. Principiò regis nomine appellatur, vt quid post devictam mortem in credentium mentibus facturus esset, *I.* insinuaret: & quia iam tum haberet potestatem omnis carnis & constitutus esset Rex super Sion montem sanctum eius. Deinde triumphat & ouat ante, non dico victoriam, sed certamen. *II.* Res sanè plena miraculi. Quis enim non miretur id fieri in Christo quod omnes derideremus in homine? Nam cum belli plerunq; incertus sit exitus, & iuxta Prouerbium, Flente victo, victor interit: quis non derideret hominis triumphantis ante victoriam stultitiam, aut non execraretur ouãtis sine certamine inanis gloriæ præsumptionem? Neque enim bellicosissimi viri vnquam id attentare ausi fuerunt, quales fuere Camilli, Fabij, Scipiones, Cæsares. Solus Christus id ausus fuit, non Nemroth, non Alexander, non Iulius, non Hannibal. Et quæ ratio? Christus de victoria certus fuit: hi non fuerunt, vt in Matthæo, cùm Passionis, flagellationis, mortísque suæ *Matt. 16.* meminisset, addidit: Tertia die resurget. Et cũ coram Pilato

rega

regnum suum non esse de hoc mundo assereret: Veruntamen (inquit) amodo videbitis filium hominis sedentem à dextris virtutis Dei, & venientem in nubibus cæli. Et antea ad discipulos suos de morte sua loquens. Iterum videbo vos (inquit) & gaudebit cor vestrum. Quæ omnia mortem quidem non abnuunt, sed resurrectionem certam promittunt.

Ioan.12. Et huc pertinent palmarum victricia signa, & salutatio populi, & querela sacerdotum summorum, qua se victos nihil proficere contra dominum fatentur. Mundus, dicunt, totus abiit post eum. Pertinet item, quòd hostium in vtilitatem omnes suas commoditates concedit: vt quòd inermis, die festo, in ipsam vrbem populo plenam venit. Quanquam & ideò hoc ipso tempore Phase venit, vt significaret se verum agnum esse, cuius ille habuisset imaginem: & quòd se veritate veniente, finem haberent legis vmbræ. Sed ita considerandus est hic triumphus, vt intelligamus omnipotentem esse eum, qui semel propter peccatum mortuus, postea resurrexit: & propterea, quia hanc victoriam nostram esse voluit, seque nobis in quocunque certamine affuturum esse promi-

III. sit, certam nobis in ipso polliceamur victoriam. Tertiò verò quòd sedens super asinum mansuetus venit, significauit & tradidit pugnandi modum. Adam non stetit, quia per superbientem fastu mulierem ad prævaricationem inductus est. Christus vt hoc vulnus sarciret, in humilitate cum hoste

Esa.42. congreditur, contraria contrariis remouens. Non clamabit, inquit Esaias, neque accipiet personam, nec exaudietur in plateis vox eius. Id quod in Epistola sua Paulus graphicè describit, cùm de Christo scriberet. Qui cum in for-

Philip.2. ma Dei esset (inquit) non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo, sed exinaniuit semetipsum, formam serui accipiens, in similitudinem hominum factus: & habitu inuentus vt homo, humiliauit semetipsum, factus obediens vs-

Luca 9. que ad mortem. Verùm Lucas adhuc magis admirandam humilitatem Christi describit, cùm in hoc ingressu vrbis super vrbem fleuisse commemorat. Et hic se suáque officia & vocationem cogitent cùm omnes, tum maximè Christi vicarij, quàm sit ipsis ante omnia humilitas necessaria, quàm dedeceat domino in humilitate & fletu nostram salutem operante, seruum fastu elatum superbire, risus iocósque sectari: cogitent, inquam, quàm non conueniat domino pau-

pertatem egestatéq; sustinente, diuitiis abundare & abuti; cogitent, adhuc dico, quid sit, Domino regnum se in hoc mundo habere negante, regna, dominia, delitiásq;, cum quibus ingenuè Christianis esse non licet, hic quærere. Humilis ergo & flens Christus venit. Et in hoc ipso admirabilis, quòd licet humilis & flens veniret, & aduentantis mortis horam sciret, acclamantis tamen populi salutationes sustinuit & coram indignantibus Magistratibus excusauit. Sed duo hoc ipso voluit significare. Primum, instabilem huius mundi splendorem; deinde, semper aliquos fore, qui in magno hoc mundo diuinas laudes sint & fidem professuri. Quàm enim repugnant inter se; Benedictus qui venit in nomine Domini, &: Tolle, tolle, crucifige eum. Rex Israël, &, Regem non habemus nisi Cæsarem? Quàm non conueniunt virentes ramusculi, & crucis lignum? suaue olentes flores, & corona spinea? Quantum differunt, hinc inde super stratas aliorum vestes incedere, postea propriis spoliari & exui? Et omnia hæc tamen, licet diuersissima, Christo contigêre, in vna vrbe, vnóque adeò tempore. Hæc seculi huius inconstans vicissitudo *Prou.* 14.
est. Extrema plerunque gaudij luctus occupat, Risus error *Eccles.* 2.
est. Deinde quòd Deus velit semper aliquos esse laudis pro *Luca* 19.
mulgatores diuinæ Christus concionatur. Dico, inquit, vo- *Matt.* 21.
bis, quia si hi tacuerint, lapides clamabunt: Non legistis, *Psalm.* 8.
Quia ex ore infantium & lactantiū perfecisti laudem? Quò sanè docemur laudem Dei neutiquam ad certos homines alligari, sed vbiq; aliquot excitari ad hoc ministerium, quemadmodum Iudæorum exemplum clarè docet. Idque eo accuratius considerandum est, quòd Iudæi, cùm putarent veritatem Dei in suam tantummodo gentem alligatam, nec posse Deum in aliis nationibus promissiones suas implere, à Dei veritate & misericordia fuerunt alienati & abiecti, nobísque idem euenire possit tunc, quando maximè nobis de Dei præsentia beneficentiáque, pro instaurata Euangelij prædicatione placemus, omniáque nobis pollicemur. Eáq; propter plurimum apud bonos homines hæc sententia valere debet: quòd potens sit Deus ex lapidibus suscitare filios Abrahæ. Atq; hæc omnia illuc referantur, quòd Christus, licet ipse humilis super asinum veheretur & fleret: tamen diuinæ laudis prædicatores passus sit, & defenderit. Quartò, quod ipsum etiam ad IIII.
Christi personæ descriptionem pertinet, est, quod ipse medius

& sequentes & præcedentes salutatores habuit: quorum alij ramos vti naturæ dona, alij vestimenta, vti artificialia substrauerunt, ipsi omnes voce consona acclamarunt gratulabundi. Quo significatum est, ipsius redemptionem, & ad eos qui antè vixerunt, & simul cum eo, & qui sequuntur, pertinere, efficacémque esse in omnes. Id quod Paulus quoq; vult, quando Christum semel in sancta sanctorũ introiuisse commemorat, æterna redemptione inuenta. Et alibi, sicut per vnius hominis delictum mors in omnes peruenerit, ita etiã per vnius hominis obedientiam Iustificationem transire in omnes, refert. In ipsum enim prospexerunt fidei intuitu, quotquot ante incarnatum verbum salutem consequuti sunt: in ipsum respicimus nos quoque quotquot saluamur. Illud Christus approbat, quando Abrahamum dicit diem suum vidisse: hoc Apostolus testatur, quando in Iesu nomine pœnitentiam prædicari oportere & remissionem, concionatur. Atque hæc quatuor nunc breuiter de Christi persona dicta sint: quòd certus de victoria, antè triumphet quàm omnino vicerit: quòd non vi, sed humilitate in pugna vtatur: quòd victoriam suam omnibus omnium seculorum hominibus voluit esse communem. Et in his omnibus vt futurorum temporum significauit mysteria, ita præcedentium vatum impleuit oracula: quibus & sese verum illum Messiam declarauit, & nobis certè redemptionis fidem confirmauit, átque crucis scandalo muniuit. Restat ergo, vt tantum habentes Pontificem, turbæ exemplo cum omni pietate venientem suscipiamus, & Paulo monente, quantum licet, omnino nos ipsi conformes reddamus. Et turbæ quidem primò obuiam ei procedunt, quo desiderium suum declararunt in ipsum: deinde gratulabundi Deo, debitis laudibus salutant: tertiò, vestimenta substernunt: quartò, ramos quoque arborum subiiciunt: quintò, in his omnibus Pontificum insidiantium nihil mouentur minis. Omnia plena mysteriis. Nam dominum ipsum profitentur vniuersorum, quæ vel à ratione, vel arte, vel ipsa etiam natura procedunt: eique deberi omnia, non solùm quæ sunt hominis, sed ipsum magis hominem: nec timendos esse Christi aduersarios, qui honoribus priuare quidem & corpus tollere possunt, animam autem non possunt: & posse Deum suos ministros à cuiuslibet tyranni vindicare iniuriis. Paulus quoque nos non ad turbæ iam exemplum, in

quo

quo imperfectio adhuc locum habet, sed ad ipsum Christum respicere docet: monétque, vt quæ in ipso consideramus, diligentissimè sequamur, inque nobis sentiamus. Quòd si quis iam quærat, quid in Christo considerandum sit, breuis est responsio. Ipsa solummodo obedientia & consideranda accuratè, & imitanda est diligentissimè. Vt autem huius imitationem nobis persuadeat, primùm Christi maiestatem describit: quòd diuinitatem, non quasi ex rapina, sed natura cum Deo habuerit æqualem. Ac si dicat: Si Deus ipse filius Deo patri obediens fuit ad humilitatem vsque crucis: vtique hominem decet tantæ obedientiæ esse imitatorem. Deinde, si Christus Deus cui cælum sedes, & terra scabellum pedum eius, non nisi per mortis ignominiam peruênit ad patriæ gloriam: frustra creatura quærit gloriam sine ignominia tribulationum. Si deniq; Christus per mortem ad tam sublimem gloriam euectus est, vt sedeat à dextris Dei, vt in ipsius nomine omne genu flectatur, cælestium, terrestrium, & infernorum: non est quòd conquerantur membra Christi modicum quid pati pro indicibili consequenda gloria. Hoc modo in Christi personam respicere monemur. Quòd si pudet leuis turbæ exemplum sequi, Christo obuiá procedere, Dominum regémq; confiteri: ipsum Christum sequamur, & mirè ipsum humilem esse voce moribúsque exprimamus. Salutem ipsi nostram ne negligamus. Si quid transacto ieiunij tẽpore neglectum est, sarciatur adhuc. Ideò enim tanto studio Christi Iesu his diebus frequentatur passionis memoria, tot Prophetarum Apostolorúmq; Scripturis excitamur, vt nosmet examinemus, in gratiam cum Deo redeamus, per pœnitentiam Christi passione cùm ad fidei confirmationem, tum ad vitæ rectę vtamur nouitatem.
Amen.

Finis partis Hyemalis.



DOMINICA

PASCHAE

EVANGELIVM MARCI XVI.



ET cùm transisset sabbatum, Maria Magdalene, & Maria Iacobi, & Salome, emerunt aromata, vt venientes vngerent Iesum. Et valde mane vna sabbatorum veniunt ad monumentum orto iam sole. Et dicebant ad inuicem. Quis reuoluet nobis lapidem ab ostio monumenti? Et respicientes viderunt reuolutum lapidem. Erat quippe magnus valde. Et introëuntes in monumentum, viderunt iuuenem sedentem in dextris, coopertum stola candida, & obstupuerunt. Qui dicit illis: Nolite expauescere, Iesum quæritis Nazaranum crucifixum: surrexit, non est hic, Ecce locus vbi posuerunt eum. Sed ite, dicite discipulis eius, & Petro, quia præcedet vos in Galilæam, Ibi eum videbitis, sicut dixit vobis.

EADEM DIE EPISTOLA PRIMA CORINT. V.

FRatres, Expurgate vetus fermentum, vt sitis noua conspersio, sicut estis azymi. Etenim pascha nostrum immolatus est Christus. Itaque epulemur, non in fermento veteri, neque in fermento malitiæ & nequitiæ, sed in azymis synceritatis & veritatis.

SERMO.



MAGNA profectò tristitia piorum mentes omnium occupauit, vehemens dolor possedit nos, dum Christus, caput nostrum, certamen illud cum hoste nostro, dignum se duellum, nobis pernecessarium, nomine subiret omnium. Vidimus enim in ipso sudorem sanguineum. Vidimus flagellatum, illusum, cruci denique affixum, lancea perfossum: audiuimus eum cum clamore valido & lacrymis
Hebr. 5. Deo, qui ipsum possit à morte saluum facere, preces supplicationésque offerentem, vt si fieri possit, transiret à se hora
Ioan. 12. & calix: quòd canibus multis circunseptus, quòd doloribus
Matt. 26 & gemitibus mortis circundatus, quòd à patre Deo sit homo
Psal. 21. derelictus, querentem aspeximus: & cùm nullam in eo in-
Luca 23. uenirent mortis causam, (vel impiis etiam hostibus attestantibus) nostri causa pati, omniúmque nostrûm infirmitates in ipso positas agnouimus. Tum demum in quod peccatorum pelagus deiecti, quæque fundi nostri calamitas fuerit, pro qua sarcienda tam diram pater ab vnico vnicè sibi dilecto filio mortem expeteret, cogitare cœpimus. Et quomodo piæ mentes possent his visis & cognitis non tristari? Nam & omnes turbæ, quæ in illo spectaculo tunc aderant, pectora
Luca 23. sua percutiebant, tanta indignitate rei moti: & Christus
Chrys. in super nos, qui tantæ passioni & morti causam dedimus,
Mattheũ flere nos iubet. Sed gratia tibi, ô Christe Domine atque
hom. 89. redemptor noster, qui pro tua potentia paruo interuallo,
Roma. 5. hunc

hunc tantum tuorum luctum vertisti in gaudium, qui pro cinere coronam, pro spiritu mœroris pallium gaudij dedisti. Mortuus es pro peccatis nostris, resurrexisti propter iustificationem nostram. Neque verò tanta fuit piorum tristitia illa, quin maior hodie omnium refulgeat lætitia. Cùm enim aliàs multæ sonent per Ecclesias occasiones lætitiæ, nulla tamen vnquàm in ea maior auditur, quàm hodie, exultatio. Hodie vno modo semel offertur lætitiæ quicquid partim per annum proponi meminimus; hodie fons pleni ac sempiterni gaudij ebullit. Ideóque non Euangelij nos historia tantùm festiue magnitudo hortantur ad lætitiam, sed ipsi etiam angeli, omnis Ecclesia, omnia elementa, ipséque sol in resurgentis Christi gratiam inaudita prioribus seculis depromunt gaudia. Ecce enim cæli splendidior facies lætatur, terræque parturientis exultat fœcunditas, & omnis Christi sanguine redemptus triumphantem vel sequitur, vel præit, in victore tripudians. Quicquid quantumuis egregium & splendidum de suis ducibus Romanæ tradunt historiæ, si ad hunc triumphum compares, nihil est. Quid enim mihi vel Camilli Gallos vrbe profligantis virtutem narrant? quid Scipionis Carthaginensium vrbem deuastantis magnanimitatem tantopere prædicant? Quid etiam duorum Deciorum patris atque filij pietatem canunt, quorum alter de Samnitibus triumphauit, alter pro patria pugnans patris exemplum imitatus, bello, quod contra Gallos, Samnites, Vmbros, Tuscósque gerebat, occubuit? Gloriosior isthæc victoria est, splendidior hic triumphus est. Aut (vt & de nostris loquamur aliis) quid Dauid miramur de Goliath triumphum? quid eiusdem de Absolone filio victoriam, quídue Iudith viraginis de Holoferne trucidato animositatem suspicimus? Ille enim contra vnum hominem in arenam descendit, contráque filium sui defensionem suscepit pater: hæc dormientem vinóque sepultum detruncauit: nemo, qui non aliena virtute quod fecit, perpetrauit. Verùm Christus dominus noster solus triumphat, non de vno, sed de multis. Ego, inquit, torcular calcaui solus, & non est vir mecum. Dixi vobis (hostes alloquitur) quia ego sum; si ergo me quæritis, si-

Cæcilius.
1. *Reg.* 18.
2. *Reg.* 19.
Iudith 13.
Isai. 63.
Ioan. 18.
Apo. 45.

nite hos abire. Nemo dignus inuentus est, qui hunc diuinæ iustitiæ librum aperiret, præter vnum agnum occisum. Hic septem signacula libri illius soluit: incarnatione, passione, resurrectione, ascensione, spiritus sancti missione, gentium vocatione, futuríque iudicij prædicatione. Hæc septem signacula legebant omnes, contrectabant atque intuebantur: sed qui aperiret, inueniebatur nemo. Clamabant omnes: Vtinam disrumperes cælos, & descenderes: Ostende nobis misericordiam tuam, & salui erimus. Soluit quod in ipso libro scriptum legebatur verbum. Vicit Leo de tribu Iuda, ne fleueris: vicit Diabolum, caput contriuit antiqui colubri, accusatorem fratrum nostrorum deiecit, pacem & salutem reddidit, principem huius mundi iudicauit, mundum & aduersantia omnia superauit, fregit, dissipauit. Bene ergo qui nos à maledicto liberauit, qui peccata nostra vt nubem deleuit, verus animarum nostrarum Episcopus dicitur, veneratur, colitur. Hic solus verè dicere potest: Ego sum Alpha & ω, principium & finis: ego pastor bonus, qui animam meam posui pro ouibus meis: ego lapis angularis: ego resurrectio & vita: ego via, veritas, & vita: ego mediator Dei & hominum: ego sapientia Dei vestros dolores portaui, cùm dormiui, & somnum cœpi, & exurrexi, & de torrente in via bibens, post caput exaltaui: sic ego lux mundi factus sum, illuminans omnem hominem venientem in hunc mundum. Quòd si veteres nostri ab vno aliquo malo liberantem se ducem tantopere prædicarunt, inque eius, tanquam omnium liberatoris triumpho, tanti gaudij signa erexerunt; quid nos Redemptori nostro Deo debemus laudis? quæ nostra erit exultatio, qui per ipsum ab omni lerna malorum, siue clade, erepti sumus? Agnus redemit oues, CHRISTVS innocens patri reconciliauit peccatores: Pascha nostrum immolatus est CHRISTVS. Agite ergo, lætetur Israël in eo qui fecit eum, & filiæ Sion exultent in rege suo. Laudent nomen eius in choro, in tympano & psalterio psallant ei.

(Marg.: Isai. 45. Psal. 79. Apo. 5. Gen. 3. Ioan. 12. Ioan. 16. Galat. 3. Isai. 44. 1. Pet. 2. Apoc. 1. Ioan. 10. Psal. 117. Io. 11. 10. 1. Petr. 2. 1. Cor. 1. Isai. 53. psal. 3. 109 Ioan. 1. Ibidem Psal. 149. Soph. 3. Isaie 25. Baruch 3.)

Psal. 44. Huic occurramus, omnésque vna voce dicamus: Ecce DEVS saluabis nos: Speciosus forma præ filiis hominum: Dilexisti iustitiam, & odisti iniquitatem, propterea

bene

benedixit te Deus in æternum: Accingere gladio tuo super femur tuum potentiſsime: Aduenisti desiderabilis, quem expectauimus in tenebris: Te nostra vocabant suspiria, te larga requirebant lamenta: Tu factus es spes desperatis, magna consolatio in tormentis. Hæc illa rectis expetibilis laus est. Hæc illa dies, quam præclaram fecit Dominus, exultemus & lætemur in ea. Sed videamus quomodo sit exultandum. Neque enim vlla exultatio vel grata est Deo, vel nobis digna, præter eam quæ est in Domino. Nam cum ad lætitiam hortatur Psalmista, & in Domino exultari monet, hanc tanquam solam iustis expetibilem esse laudem asserit. Nempe rationabile erit obsequium nostrum, vt ille qui in nobis est aspectus, secundum Deum sit directus, diuinorúmque scientiam sapiat. Exultabimus autem tum demum verè, & in Domino, si quod verè resurrexerit Dominus, firmata fide crediderimus, quíque fructus atque vsus resurrectionis sit, cognouerimus: imò his fide cognitionéque perceptis, diuinæ maiestatis potentiam admirabimur, Deóque & redemptori nostro gratias persoluemus. Et quidem quod ad resurrectionis veritatem attinet, vna voce. Euangelistæ nostri verè resurrexisse eundem Iesum Christum, qui antè pro nobis erat crucifixus, mortuus, & sepultus, asserunt: id quod Prophetæ prædixerunt, figuræ adumbrarunt, Apostoli prædicauerunt, totúsque hic Christianus orbis credidit. Et hæc omnia Euangelistæ tam manifestè, tam euidenter, vt nemo nisi incredulus negare posſit, tradunt. Mortuo Christo, & corpore per manus Ioseph & Nicodemi sepulto, subsequuntur quæ cum eo ex Galilæa venerunt mulieres, Maria Magdalenæ, Maria Iacobi, & Salome, & Ioanna, aliæque cum eis, videntes sepulcrum, quod erat nouum in lapidem excisum, & quemadmodum positum erat corpus eius reuertentes, parauerunt aromata & vnguenta. Et sabbato quidem siluerunt, secundum mandatum, vespere autem Sabbati, quæ lucescit in prima sabbati, venerunt vngere Corpus IESV. Et ecce terræmotus factus est magnus, & angelus Domini descendit de cælo, & lapidem reuoluens ab ostio monumenti,

Psal. 31.
Psal. 117.
Veritas resurrectionis.
Narratio.
Matt. 18.
Mar. 10.
Luc. 24.
Ioan. 20.

sedebat super eum. Erat autem sicut fulgur, & vestimenta eius sicut nix alba. Præ timore autem eius exterriti sunt custodes; & facti sunt velut mortui. Mulieres autem dixerunt ad inuicem: Quis reuoluet nobis lapidem ab ostio monumenti? Erat quippe magnus valde. Et respicientes viderunt reuolutum lapidem, & introierunt in monumentum & non inuenerunt corpus Iesu. Et dixerunt angeli duo ad eas: Quid quæritis viuentem cum mortuis? non est hic, surrexit. Recordamini qualiter loquutus est vobis, cum adhuc in Galilæa esset: Quia oportet filium hominis tradi in manus hominum peccatorum, & crucifigi, & tertia die resurgere. Et recordatæ sunt verborum eius, & regressæ sunt à monumento, & nunciauerunt hæc omnia vndecim illis, & cæteris omnibus. Maria autem Magdalena cucurrit, & venit ad Simonem Petrum, & ad alium discipulum quem amabat Iesus, & dixit illis: Tulerunt dominum de monumento, & nescimus vbi posuerunt eum. Exiit ergo Petrus, & ille alius discipulus, & venerunt ad monumentum. Currebant autem duo simul, & ille alius discipulus præcucurrit Petro citius, & venit primus ad monumentum. Et cum se inclinasset, vidit posita linteamina: non tamen introiuit. Venit ergo Simon Petrus sequens eum, & introiuit in monumentum, & vidit linteamina posita, & sudarium quod fuerat super caput eius non cum linteaminibus positum, sed separatim inuolutum in vnum locum. Tūc ergo introiuit & ille discipulus qui venerat primus ad monumentū, & vidit, & credidit. Nondum enim sciebat scripturas, quia oportuit eum à mortuis resurgere. Abierunt iterum discipuli ad semetipsos. Maria autem stabat ad monumentum foris, plorans. Dum autem fleret, inclinauit se, & prospexit in monumentum. Et vidit duos angelos in albis sedentes, vnum ad caput, & vnum ad pedes, vbi positū erat corpus Iesu. Dicunt ei illi: Mulier quid ploras? Dicit eis: Quia tulerunt dominum meum, & nescio vbi posuerunt eum. Hæc cum dixisset, conuersa est retrorsum, & vidit Iesum stantem, & non sciebat quia Iesus est. Dicit ei Iesus: Maria. Conuersa illa dicit ei: Rabboni, quòd dicitur, Magister. Dicit ei Iesus: noli me tangere. Nondum enim ascendi ad patrem meum. Vade autem ad fratres meos, & dic eis: Ascendo ad patrem

meum,& patrem vestrum: Deum meum,& Deum vestrum.
Venit Maria Magdalena annuncians discipulis, quia vidi
dominum, & hæc dixit mihi. Hæc vera & indubitata qua-
tuor Euangelistarum historica narratio est, cui licebit ad-
dere eiusdem diei duas notissimas illas apparitiones, qua- *Lucæ 24.*
rum altera in Emaus, altera vespere in Hierusalem facta est: *Ioan. 20.*
tum quòd octauo die post hæc rursus in Hierusalem, sed &
iuxta mare Galilææ, & in monte, sese manifestauit, non o-
mni quidem populo, sed testibus præordinatis. Vnde Pau- *Rom. 6.*
lus Apostolus resurrectionis Christi veritatem astruens,
Christus, inquit, resurgens, iam non moritur, mors illi vl-
tra non dominabitur. Quod enim mortuus est peccato, *Ioan. 11.*
mortuus est semel: quod autem viuit, viuit Deo. Sed non *1.Reg.28.*
solùm quia verè surrexit, consideremus. surrexit, sed propria *Vaticinia*
virtute, non aliena, vt Lazarus: verè, non spectri in morem, *resurre-*
vt Samuel, excitatus. Et sic quidem à sanctis Dei prophetis *ctionis.*
vaticinatum erat. Ipse per psalmistam loquitur: Ego dormi- *Psal. 3.*
ui, & somnum cepi, & exurrexi, quia dominus suscepit me. *Psal. 15.*
Et iterum: Non derelinques animam meam in inferno,
nec dabis sanctum tuum videre corruptionem. Et iterum *Psal. 109*
ipse Psalmista: De torrente in via bibit, propterea exaltabit
caput. Sic ipse in Euangelio futurum prædixerat, cùm ait:
Soluite templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud. Id
quod Euangelista exponens, de corporis sui templo dixisse *Ioan. 2.*
testatur. Sic denique veteris testamenti figuris adumbra- *Figura.*
tum erat. Sicut enim Ionas in corde cete fuit tribus diebus, *Ioan. 2.*
& tribus noctibus, ita & filius hominis fuit in corde terræ tri-
bus noctibus & tribus diebus. Nam vt Ionas Niniuitis, ita & *Lucæ 11.*
filius hominis generationi isti signum fuit: & quemadmodum *Genes. 45.*
Ioseph à fratribus venditus, dominus totius Aegypti consti- *Iudith 14*
tutus est, & vt Samson leonem discerpsit in via, cum iret sibi *Iud. 16.*
accipere vxorem: ita Christus diabolũ fugientem, cum spon-
sus ecclesiæ de thalamo suo procederet, confregit. Et quem-
admodum idem fortis ad medium vsque noctis dormiuit,
indéque consurgens, ambas portæ fores cum postibus suis
& sera apprehendit, impositásque humeris suis, ad verti-
cem montis, qui respicit Hebron, portauit: ita Christus
primo diluculo resurrecturus, media nocte inferni regnum
dissipauit. Hic ergo est, qui inimicorum nostrorum do-

minator, possessiones ipsorum in filios hæreditario iure di-
Iosue 12. stribuit Iosue: hic Dauid cum leone, quasi cum mitis-
Eccle. 27. simo agno, lusit. Cessent igitur ab his sacris vt profana, fa-
Mat. 28. bulæ. Verè enim Christus resurgens, veras obtulit causas
Psal. 2. lætitiæ. Valeat etiam custodum, pretio in hoc deprauato-
Act. 4. rum, mendacium, spiritu præuisum piorum, vbi, ne quic-
quàm impios populos inania meditaturos esse prædicitur. Adfuerunt armati. Si dormierunt, quomodo viderunt? Dixerunt enim quia nobis dormientibus discipuli eius venerunt, & furati sunt eum. Si non dormierunt (exterriti enim sunt vigilantes) nec discipulorum manibus auferri viderunt. Imò propria virtute Christum surrexisse sciuerunt. Tremor apprehendit eos, & conceperunt auaritiam, pepererunt iniquitatem mendacij. Quomodo enim sustulerunt, qui intus in Hierusalem clausis foribus propter metum Iudæorum trepidabant? Quomodo linteamina & sudarium discreuerunt, seorsímque inuoluta seposuerunt? Scilicet inermes & pauci præualuerunt milites plures & armatos. Ast nullum contra dominum concilium. Surrexit Dominus verè, & apparuit suis. Non custodes, non saxum monumento aduolutum virtutem Dei potuerunt impedire. Dextera Domini fecit virtutem. Ergo duellum confectum est, victoria parta est. Sed nec vana isthæc victoria est nec vacua ad nos manu ex bello redemptor noster reuertit. Quid enim profuisset resurgere à mortuis, si sibi soli resurrexisset: si non quod accepit ab hostili manu caput, in reliquas partes mystici sui corporis diuisisset? Quæris
Quid Christus sibi meruit. quid sibi, quid nobis meruerit? Audi Apostolum canentem: Humiliauit semetipsum, factus obediens vsque ad mortem, mortem autem crucis: propter quod & Deus ex-
Philip. 2. altauit illum, & dedit illi nomen, quod est super omne nomen, vt in nomine Iesu omne genu flectatur, cælestium, terrestrium, & infernorum, & omnis lingua confiteatur, quia Dominus Iesus Christus in gloria est Dei patris. Et in
Ephes. 1. alio loco idem in orationibus optat Ephesiis spiritum sapientiæ & reuelationis, & illuminatos oculos cordis, vt possint cognoscere virtutis Dei supereminentem magnitudinem, quam pater operatus est in Christo, suscitans illum à mortuis, & constituens ad dexteram suam in cæ-

lestibus

lestibus supra omnem principatum, & potestatem, & virtutem, & dominationem, & omne nomen, quod nominatur non solùm in hoc seculo, sed etiam in futuro, & omnia subiecit sub pedibus eius. Et ipsum dedit caput supra omnem Ecclesiam, quæ est corpus ipsius, & plenitudo eius, qui omnia in omnibus adimplet. Id quod ipse dominus alibi testatur, cum pater ei omnia in manus dederit. *Ioan.13.*
Et hoc est quod Prophetа spiritu præuidit, cùm ait: Dixit Dominus Domino meo, sede à dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum: Virgam virtutis tuæ, emittet Dominus ex Sion, dominare in medio inimicorum tuorum: Tecum principium in die virtutis tuæ, in splendoribus sanctorum, ex vtero ante luciferum genui te: Iurauit dominus, & non pœnitebit eum: tu es sacerdos in æternum, secundum ordinem Melchisedech. *Psal.109.* *Mat.22.* *Hebr. 10.* *1.Cor.15.*
Quam Christi gloriæ eminentiam Paulus cùm alibi, tum in ea, quam ad Hebræos scripsit Epistola, magno studio prædicat: nimirum collatione facta inter Christum & angelos, hoc habere eximium dicit Christum, quòd nulli aliquando angelorum pater dixerit, Filius meus es tu: & adorant eum omnes angeli Dei. Et hanc ex passionis humilitate habere gloriam insinuat Apostolus, quum ait: Propter quod Deus exaltauit illum. Quod breuiter quidem, sed graphicè Ioannes vult, cum ait: Verbum caro factum est, & habitauit in nobis. Et subdit mercedem humilitatis assumptæ: Vidimus gloriam eius quasi gloriam vnigeniti à patre. Adeptus autem hanc gloriam, non sibi eam inuidus & tenax seruat, sed veluti caput nostrum, in nos membra sua porro transfudit, vt sit ipse primogenitus in multis fratribus: vnde, Vado (inquit) ad patrem meum, & patrem vestrum: Deum meum, & Deum vestrum. Duplicia enim post afflictionem recepit, quemadmodum figuratum fuit in Iob, filios quoque & filias. Nempe cum & Dei vnigenitus sit, hoc est, filiationem diuinitatis, & primogenituram humanitatis adiunctam sibi copulauerit. Vnde nos de fraternitate eius gloriamur, qui nos in seipso vnum facit cum Deo, sicut & ipse cum eo vnus est. Sed quæris qua via ad hanc vnitatem perueniamus? Non hoc immediatè fit, sed prius per mortem suam frater noster factus, quòd *Hebr. 1.* *Philip. 2.* *Ioan. 1.* *Rom.8.* *Colos.1.* *Ioan. 20.* *Iob 42.*

inter patrem & nos diuisit peccatum, remouet: deinde quæ vtrunque patrem & nos coniungit, iustitiam, largitur: tertiò vnitatis huius fructum, nempe glorificationem corporum, & beatitatem animarum donat. Hi enim sunt Christi resurrectionis fructus, remissio peccatorum, iustificatio, glorificatio, quos omnes scriptura plenè atque multis in locis refert. Nam quòd ad remissionem peccatorum, Ioannes ait: Ipse est propitiatio pro peccatis nostris: non pro nostris autem tantùm, sed pro totius etiam mundi. Et iterum: Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi. Et Petrus: Peccata nostra pertulit in corpore suo super lignum, vt peccatis mortui, iustitiæ viuamus, cuius liuore sanati estis. Et Paulus: Eratis aliquando longè (per peccatum diuidens, puta:) nunc autem facti estis propè in sanguine Christi. Et expressius idem Romanis scribens, ait: Mortuus est propter delicta nostra, resurrexit propter iustificationem nostram. De secundo & tertio idem Apostolus loquitur: Sicut per vnius delictum in omnes homines in condemnationem, sic & per vnius iustitiam in omnes homines in iustificationem vitæ. Sicut enim per vnius inobedientiam peccatores constituti sunt multi, ita per vnius obeditionem iusti constituentur multi. Quòd si adhuc dubitas, Christi te obedientia iustum esse apud Deum constitutum, quid alibi idem Apostolus dicat, vide. Deus, inquit, qui diues est in misericordia, propter nimiam charitatem suam, qua dilexit nos, & cùm essemus mortui peccatis, conuiuificauit nos Christo (cuius gratia sanati estis) & conresuscitauit, & consedere fecit in cælestibus, in Christo Iesu, vt ostenderet in seculis superuenientibus abundantes diuitias gratiæ suæ, in bonitate super nos, in Christo Iesu. Hinc se resurrectionem & vitam dixit, vt per quem resurgimus atque viuimus. Neque enim est aliud sub cælo nomen in quo oporteat nos saluari, præter Christum Iesum. Huic enim soli, non alteri, vnquam testimonium dant Prophetæ, aiunt remissionem peccatorum accipere quicunque credunt in eum. Hæc verò credulitas mihi me vana est: Veritas verbis inest. In spem enim viuam regenerauit nos Deus per resurrectionem Iesu Christi ex mortuis, in hæreditatem incor-
ruptib

Marginal references: Ioan. 1. — Ioan. 1. — 1. Pet. 2. — Ephes. 2. — Rom. 4. — Rom. 5. — Ephes. 2. — Act. 4. — 1. Petr. 1.

ruptibilem, & incontaminatam, & immarcescibilem, conseruatam in cælis, in vobis, qui in virtute Dei custodimini per fidem in salutem, paratam reuelari in tempore nouissimo. Agite ergo, immutabilis ea quæ in nobis est futuræ resurrectionis fides perseueret, vt constans sit gloriatio nostra, qua gloriamur in spe futuræ hæreditatis. Si enim in hoc seculo tantùm sperantes sumus, miserabiliores sumus omnibus hominibus. Perseuerabit autem, si spiritum Dei in nobis inhabitantem habuerimus. Hic enim illa sperare atque credere docet. Quare Paulus ait: *Rom. 8.* Si spiritum eius qui suscitauit Iesum à mortuis, habitat in vobis, qui suscitauit Iesum Christum à mortuis, viuificabit & mortalia corpora vestra propter inhabitantem spiritum eius in vobis. Fidei nanque debetur creditum, vt idem ipse Paulus ait: Si credimus quòd Iesus mortuus *1. Thes. 4.* est & resurrexit, ita & Deus eos qui dormierunt per Iesum adducet cum eo. Id quod Iob suo exemplo ostendit, *Iob 19.* cùm ait: Scio quòd redemptor meus viuit, & in nouissimo die de terra surrecturus sum, & in carne mea videbo Deum saluatorem meum. Et Apostolus triumphans: Vbi est mors victoria tua? vbi stimulus tuus? Stimulus autem *1. Cor. 15.* mortis est peccatum, virtus verò peccati lex. Deo autem gratia, qui dedit nobis victoriam per Dominum Iesum Christum. Et Oseas Propheta de Christo loquens: Post tres dies, *Osee 6.* inquit, viuificabit nos. Vt sit prima dies in hac via pœnitentiæ: secunda requiei corporis post exalatam animam: tertia, corporis animæque glorificationis post iudicium. Et hi veri resurrectionis Christi fructus sunt, hæc causa præsentis lætitiæ est. Sed quomodo quidam huius nostræ lætitiæ erunt consortes, qui in fide resurrectionis non sunt stabiles? Vereor enim fratres, & valde timeo, ne multi sint, qui resurrexisse quidem dominum non negent, verùm resurrectionis virtutem minimè sentiant. Et quęadmodum in Hierusalem, dum hæc fierent multi multa loquebātur de his omnibus, sed perpauci vel vtilitatē in sanguine Christi perceperunt, vel gloriam resurgētis intellexerunt. Ita multis necdum resurrexit Christus, quorū fides vana est, quorū gloriatio inanis est, quo *1. Cor. 13.* rum deniq; vita omnis in peccato est. Relicto sepulcro, custodes Hierosolymā terrefacti cito pede repetunt, & quæ vidissent, hoc est, Christum resurrexisse, nunciāt sacerdotum principibus

cipibus. Idem nec aliud mulieres annunciant Apostolis. Idem principium cùm custodum tum mulierum. Sed nec summi sacerdotes, nec custodes ad sepulcrum reuertunt. Reuertunt mulieres, exierunt Apostoli: in vrbe, in peccatis permanserunt Iudæi: resurrectionis virtutem agnouerunt Apostoli. Sic in nobis etiamnum multi audiant licet intelligántque verè resurrexisse Dominum, idque pleno ore in Ecclesiis concinnant pro more, non tamen resurgentis gloriam, vt Apostoli, vt mulieres, admirantur & prædicant. Hinc fit, vt nec consepulti in mortem Christi, cum ipso resurgant, nec ideò verè & ex animo Christo triumphum canant, hoc est, verum vsum resurrectionis non habeant. Nam cum multos scriptura resurrectionis fructus refert, etiam nobis in exemplum Christum passum esse do-

1. Petr. 2. cet. Christus, inquit Petrus, mortuus est, nobis relinquens exemplum, vt sequamur vestigia eius. Et quomodo cum modicum quid patimur, tantam impatientiam exhibemus? Ideò Christus mortuus prædicatur, vt nos quoque peccatis immoriamur: & cur in contrarium abimus, iustitiæ mor-

Rom. 6. tui, peccato viuimus? Ideò Christus à mortuis resurrexisse annuntiatur, vt nos mortui quidem peccato, iustitiæ viuamus: & quid est, quòd paucissimi in desiderata vitæ nouitate ambulamus? Pascha nostrum immolatus est Christus: quid cum infidelis Iudæis in veteris nequitiæ atque malitiæ

1. Corin. 5. comessamur fermento? Cur non potius (quod Apostolus monet) epulamur in azymis synceritatis & veritatis? Ascendit in cælum caput nostrum: cur non quæ sursum sunt quæ-

Coloss. 3. rimus membra, & sapimus, vbi Christus est in gloria Dei patris? Audiamus quid dicat Apostolus. Consepulti, inquit, sumus cum Christo per baptismum in mortem: vt quomo-

Roma. 6. do Christus surrexit à mortuis per gloriam patris, ita & nos in nouitate ambulemus. Nam quòd mortuus est peccato, mortuus est semel: quòd autem viuit, viuit Deo. Non ergo regnet peccatum in vestro mortali corpore, vt obediatis concupiscentiis eius: Sed neq; exhibeatis membra vestra iniquitatis arma peccato: sed exhibete vos Deo, tanquam ex mortuis viuentes, & arma vestra arma iustitiæ Deo. Ecce quem apostolica authoritas Domini resurrectionis vsum requirat. Si præstiterimus, profectò in Domino verè exultabimus: &

laus

laus quæ iustis expetibilis est, speciosa erit in ore nostro. Sic rectè canticum illud: Christus resurrexit, cantabimus. Placebit enim Domino aperire os nostrum ad annunciandum suam laudem, & cum admiratione dicemus: Exaltabimus te Deus, nomen tuum collaudabimus, quoniam suscepisti nos, nec delectasti inimicos super nos: Exaltabimus te, quoniam Deus noster es, & saluas nos: confitebimur nomini tuo, quoniam fecisti mirabilia, cogitationes tuas antiquas fideles. Amen. Benedictum nomen tuum ô Deus, & pater Domini nostri Iesu Christi, qui benedixit nos in omni benedictione spiritali, in cælestibus, in Christo Iesu. Benedictus tu, qui secundum misericordiam tuam magnam regenerasti nos in spem viuam, per resurrectionem Iesu Christi ex mortuis. Hæc illa piis expetibilis laus est, hæc sancta & plena gaudij spiritalis exultatio. Proinde nemo, vt tunc in illo populo, negligens nec quisquam pretio peccati coëmptus, Christi resurgentis taceat gloriam: multóque minus, qui, vt summi sacerdotes, Domini cohibeat reprimátue maiestatem, his nostris intersit paschalibus solenniis. Apostolica in omnibus consideretur, non desideretur fides: pia sit omnium deuotio: & comitantibus tribus mulierculis, mente, lingua, & manu: Petri & Ioannes, hoc est, constantes & amantes celebremus viuentem, quem mortuum non licet vngere. Cogitemus quòd simus non auro vel argento, vel corruptibilibus huius mundi thesauris à vana conuersatione empti, sed pretio magno coëmpti: eóque portemus & glorificemus Deum in corpore nostro. Hoc præstet qui pro peccatis nostris traditus, pro iustificatione nostra resurrexit à mortuis, Iesus Christus, semper & in omne æuum viuus. Amen.

Psal. 50. *Psal. 29.* *Esaie 25.* *Tob. 3.* *Ephes. 1.* *1. Petr. 1.* *1. Petr. 1.* *1. Corin. 6.*

PER

FERIA SECVNDA PASCHAE, EVANG. LVC. XXIIII.

ET ecce duo ex illis ibant ipsa die in castellum, quod erat in spatio stadiorũ sexaginta ab Ierusalẽ, nomine Emaus: & ipsi loquebantur ad inuicẽ de iis omnibus quæ acciderant. Et factũ est, dum fabularetur, & secũ quærerent, & ipse Iesus appropinquãs ibat cum illis. Oculi autem eorũ tenebãtur, ne eum cognoscerent. Et ait ad illos: Qui sunt hi sermones quos confertis ad inuicem ambulantes, & estis tristes? Et respondens vnus cui nomen Cleophas, dixit ei: Tu solus peregrinus es in Ierusalẽ, & non cognouisti quæ facta sunt in illa his diebus? Quibus ille ait: Quæ? Et dixerunt de Iesu Nazareno, qui fuit vir propheta, potens in omni opere & sermone coram Deo & omni populo: & quomodo eum tradiderunt summi sacerdotes & principes nostri in damnationem mortis, & crucifixerunt eum. Nos autem sperabamus quia ipse esset redempturus Israël. Et nunc super hæc omnia tertia dies est hodie, quòd hæc facta sunt. Sed & mulieres quędam ex nostris terruerunt nos quæ ante lucem fuerunt ad monumentum,

Matt.16.

& non

& non inuento corpore eius, venerũt dicentes, se etiam visionem angelorũ vidisse, qui dicunt eum viuere. Et abierunt quidam ex nostris ad monumentum, & ita inuenerunt sicut mulieres dixerunt: ipsum verò non inuenerunt. Et ipse dixit ad eos: O stulti & tardi corde ad credendũ in omnibus quę locuti sunt prophetæ. Nónne hæc oportuit pati Christũ, & ita intrare in gloriã suam? Et incipiẽs à Mose & omnibus prophetis, interpretabatur illis in omnibus scripturis quæ de ipso erant. Et appropinquauerũt castello, quò ibant, & ipse finxit se lõgius ire. Et coëgerunt illum, dicentes: Mane nobiscũ Domine, quoniã aduesperascit, & inclinata est iam dies. Et intrauit cũ illis. Et factũ est dum recumberet cũ eis, accepit panem, ac benedixit, & fregit, & porrigebat illis. Et aperti sunt oculi eorũ. Et dixerũt ad inuicẽ: Nónne cor nostrũ ardens erat in nobis, dũ loqueretur nobis in via, & aperiret scripturas? Et surgentes eadem hora regressi sunt in Ierusalem, & inuenerũt congregatos vndecim, & eos qui cum illis erant, dicentes, quòd surrexit Dominus verè, & apparuit Simoni. Et ipsi narrabant quę gesta erant in via, & quomodo cognouerunt eum in fractione panis.

Act.14.

EAD

EADEM FERIA EPIST.

ACT. X.

APeriens Petrus os suum, dixit: In veritate comperi, quia non est personarum acceptor Deus, sed in omni gente, qui timet Deum, & operatur iustitiam, acceptus est illi. Verbum misit Deus filijs Israël, annuncians pacem per Iesum Christum, hic est omnium Dominus. Vos scitis quod factum est verbum per vniuersam Iudaam. Incipiens enim à Galilea post baptismum, quod pradicauit Ioannes: Iesum à Nazareth, quomodo vnxit eum Deus spiritu sancto & virtute: qui pertransijt benefaciendo & sanando omnes oppressos à Diabolo, quoniam Deus erat cum illo. Et nos testes sumus omnium qua fecit in regione Iudaorum & Ierusalem, quem occiderunt suspendentes in ligno. Hunc Deus suscitauit tertia die, & dedit eum manifestum fieri in omni populo, sed testibus praordinatis à Deo, nobis qui manducauimus & bibimus cum illo, postquam resurrexit à mortuis. Et pracepit nobis pradicare populo, & testificari, quia ipse est qui constitutus est à Deo iudex viuorum & mortuorum. Huic omnes Propheta testimonium perhibent remissionem peccatorum accipere per nomen eius omnes qui credunt in eum.

SERMO.

ET pio maiorum nostrorum instituto, & multis vrgentibúsque rationibus etiam hodie simul congregati de resurgentis Christi gloria lætamur, inuicémque Dauidico illo dicto adhortantes, dicim'

dicimus: Hæc est dies quam fecit Dominus, exultemus & lætemur in ea. Atque vtinam omnes ex æquo huius instituti rationes haberemus in numerato: profectò & maior feruentiórque omnium esset deuotio, & pauciores Ecclesia, pia instituta necessariò sequens, pateretur insultus. Non inficiamur quidem, imò cum ingenti animorum nostrorum molestia atque dolore conquerimur, eam nunc esse hominum quiduis audentium insolentiam, vt aut festorum dierum diminutione opus sit, aut certè diligentiori in plurimorũ peruersitatem animaduersione. Hoc ipsum enim tempus, quod longè aliis accommodandum fuerat vsibus, passim crapula, scortatione, fraudibus, idque genus vitiis innumeris miserè deperditur. Nõ hæc maioribus nostris festorum dierum instituẽdorum causa fuit: nec vt peruersè ageremus, externorum munerum indictæ sunt feriæ. Habet sui instituti quælibet festa dies causam suam. Hoc ergo primum prædicatores verbi decuit, quid quæque velit, vt docerent populum. Sic enim futurum creditur, nec vanè id, vt si minus omnes verum vsum secuti fuerint, dexterius tamen de rectè vtentibus sint iudicaturi. Heri igitur mutuò ad exultationem mentis hortabamur. Et si autem vtrique diei Christi resurgentis gloria occasio sit lætitiæ, alia tamen ratione heri, alia hic resurgentis maiestatem consideramus. Illic quòd verè resurrexerit à morte tertia die, propria diuinitatis virtute, ad immortalitatis auram, dictum est. Neque nunc magni momenti est, Stentorea voce in tẽplis clamare Christum resurrexisse à mortuis, dolores euasisse omnes, hoc est, emortuum ipsius corpus vitæ immortalitatem plenè atque integrè recuperauisse. Hoc enim cùm euidenter eorum qui resurrexisse eum viderunt, autoritate confirmatur, tum nec solus nec primus Christus fecit: licet non ad eam vitam, ad quam Christus resurrexit, alij peruenerint. Nam & Elias emortuum puerum suscitauit, idémque & Helizæus fecit. Et huius quidem *3.Reg.17.*
sepulturæ datum corpus, alteri cuidam mortuo corpori solo *4.Reg.4.*
attactatu vitam restituit amissam. Quin in nouo Testamento *4.Reg.13.*
quosdam excitatos testantibus Euãgelistis accepimus: filiam, *Matt.8.*
Iayri, vnicum viduæ in Naim filium, & Lazarum Christi susci *Luce 7.*
tantis amicum. Tum etiam Matthæus testatur, mox vbi spi- *Ioan.11.*
ritum suum patri Deo tradidisset Dominus, terram, quæ *Matt.28*
creatoris sui morientis imbiberat sanguinem, apertis monu- *Actio 9*
mentis postea quæ dormierant multorum corpora in lucem

restituisse. Denique à Paulo & Petro Apostolis Domini mortuos suscitatos esse legimus. Non hic quod ex infidelibus priscæ gentis quosdam reuixisse gentiles historiæ tradant, recen-
Ibidē 20. sere cogito. Enimuero omnes hi & aliena virtute, & ad mortalem rursus vitam, & suo tantùm vel commodo vel incommodo resuscitati prodierunt. Verùm Christus præterquam quod vnus omnium ad immortalem gloriam propria diuinitate potestatiuè carnem suam viuificauit, hoc inenarrabile & cunctis seculis inauditum facinus peregit, quòd sua resurrectione nobis etiam membris suis vitam animæ communicauit, spem futuræ resurrectionis, & infallibilem sempiternæ hæreditatis arcam donauit. Hinc est, quòd cum nostri etiam causa à mortuis rediisse cogitamus, peccatis mori, Deo iustitiæque porro viuere, caduca & terrena negligere, & quæ supra nos sunt, vbi
Coloss. 3. Christus est in dextra Dei sedens, quærere incipimus. Qua de re heri aut nihil, aut certè admodum parum audiuimus. Quis igitur sanæ mentis grauissimis rationibus factum esse neget, quod Maiores nostri huic tanto negotio præsentem diem solennem sanxerint? Et nos eorum instituto monitos propterea huc conuenisse tædebit? Profectò sine causa Christus resurrexit, imò nondum resurrexit nobis, nisi nostra causa resurrexisse, & sua resurrectione iustitiæ vitam docuisse intellexerimus. Proinde si resurrectionis prædicatores, Christi, qui resurrexit, exemplum sequuti fuerint docēdo, cæteri verò duorum in Emaus euntium mentem, verba atque facta imitentur: non erit cur vel nos huc conuenisse pœniteat, vel fidei pietatisque hostis hunc diem solennem meritò rideat. Nam quid est quod de resurrectione sua intactum Christus reliquit? aut in quo perfectum reconciliationis humanæ præconem se non exhibuit? Quid verò in duobus hisce discipulis est, quod tutò & magno nostro bono imitari non liceat? Christus cum hos in via stultæ incredulitatis arguit, nonne naturæ in fidei rebus tarditatem accusat rectè? an non aptè docendi quærit occasionem, cùm de ipsorum sermonibus interrogat? Nunquid graphicè, quòd oportuerit Christum pati, validissima demonstratione conuincit? Iustum igitur persuadendi ordinem sequitur, pulcherrimúmque boni prædicatoris officium suo exemplo omnibus imitandum proposuit. Ille nouit tenebris ereptos transferre in lucem, nouit ab errore reuocare ad veritatem, ex incredulis aut hæsitantibus facere fideles,

& ita


& ita Dei facere filios. Qui sunt isti sermones, inquit, quos *Lucæ 24.*
confertis ad inuicem ambulantes, & estis tristes? Quid de sermone quærit, tristitiæque causas scrutatur? Vtique docendi exhilarandíque occasiones ambit. Non antè incredulitatis arguit, quàm ipsi mentium suarum dubitationem profiteantur. Plenum ancipiti cogitatione eorum responsum est: apertum dubiæ mentis indicium ea tota narratio est. Principiò, nihil præter hominem Christo tribuunt: virum prophetam fuisse aiunt, potentem quidem illum in omni opere & sermone coram Deo & hominibus, traditum verò in damnationem mortis, quem crucifixum vidissent. Quod reliquum erat, de resurrectione crucifixi dubitant, ne dicam, non credebant. Nam quòd addunt: Nos autem sperabamus: omnis spei atque fiduciæ vacuos declarat. Tum nec illæ verè credentium voces sunt, quas de Israëlis redemptione somniant, eóque non immeritò audiunt: O stulti & tardi corde ad credendum in omnibus quæ locuti sunt prophetæ. Quæ etsi acerba satis obiurgatio est, vehementémque obiurgantis animum indicat, quòd tamen iusta sit, subdita ratione demonstrat. Non enim locum haberet in fratrem sine ratione, quam fatuitas & tarditas credendi extorserunt. Cùm autem increpare officium Ecclesiastæ sit, Paulo teste, cur *2.Tim. 4.*
eam Christus prætermisisset, maximè quando cum eius fa- *Tit.1.*
rinæ hominibus negotium hoc peragit, qui de resurrectione, tanquam fidei summa, ex ipso prius multa audierant, atque ideo tardi ac stulti ad credendum esse non debebant? Cauterio igitur incredulitatis inurit vulnus, vt postea oleum fundet & sanet: increpationem præmisit, inquam, vt agnita imperfectione sua, eruditioni se verbi accommodent. Hinc est quod sequitur: Nónne hæc oportuit pati Christum, & ita intrare in gloriam suam? Hoc doctrinæ fundamentum est, quòd oportuerit pati Christum. Quia passione itur ad astra: nullum tutius compendium capessendæ cælestis patriæ. Hanc Christus viam ad gloriam suam aspirans ire debuit. Deinde lex atque prophetæ passurum esse Christum prænunciarunt. Finis itaque legis atque prophetarum consummatio Christus: nihil eorum quæ spiritusancto inspirante prædicta fuerant, prætermittere debuit. Et hæc quidem cum ita sint, meretúrque dicentis veritas fidem: vide tamen quomodo non sibi, sed scripturarum autoritati fidem haberi exigit. Ideo incipiens à Mo

se & omnibus prophetis, interpretatus est illis in omnibus scripturis quæ de ipso erant. A Mose exorditur, qui populo Dei Aegyptum exeunti dux fuerat itineris: qui lege data, vsque ad Iordanem perduxit, in eóque futuri ducis Mesſiæ nostri figuram sustinuit. Vnde sine dubio Christus huius prophetæ dicta factáque maioris sacramenti in se completi præludia fuisse interpretatus est. Non ille filius, sed seruus Dei erat, nec perfectè, quemadmodum Christus, populum libertate donare poterat. Quin nec Palæstinã ipsam intrare potuit, ipse peccator in deserto mortuus. Quid verò egregium confecisset, etiã si introisset, aliósque secum introduxisset? Erant enim & in ea vbique Idololatræ. Proinde nec ipse sibi magni illius prophetæ nomen vendicat, quum alium quendam post se venturum prædicat, dicens: Prophetam de gente tua & de fratribus tuis sicut me, suscitabit tibi Dominus Deus tuus: Ipsum audies. Et hunc quidem prophetam ita depingit Christus consequenter, vt nulli præter ipsum conueniant, quæ de ipso scripta legimus. A Mose itaque ad Iosue descendit, qui per Mosen incepta prosequutus est, vt si non alio indicio, certè nominis communicatione Christum præsentauerit. Hinc ad Dauid trãsiit, qui minimus fratrum suorum, post susceptas hostium plurimorum molestias graues, tandem ad regni fastigium euectus est: & quemadmodum ipse erat de genere Abraham, ita suo de semine nasciturum esse Mesſiam, iteratò promiſsionem accepit. Huic filium sapientiſsimum Solomonem subiunxit, qui primus Deo templum illud magnificum ædificauit, prophetas deinde enumerauit. Isaiam primùm, qui verbum ac legem domini de Ierusalem exorsuram prophetico dictauerat spiritu, & pleraque alia, vt virginem concepturam, pariturámque filium, & quòd super florem radicis Iesse spiritus Domini esset requieturus, & quòd in Mesſia omnium nostrûm delicta positurus esset Deus. Huic Ieremiam apposuit, qui noui fœderis inter Deum hominésque pangendi meminit. Post hos atque alios, ex Daniele hebdomadas enumerauit, tempúsque Mesſiæ indicauit: Michæam quarto, & Ionam secundo, & Zachariam nono atque vndecimo, Malachiam 3. capitibus exposuit. Adhæc Psalmos 2. 21. 37. 40. 109. aliósque de seipso interpretatus est. Denique non ineptè figuras exposuit, vt Noë arcam, Isaac victimæ deputatum, agnum phase, aquam de petra

Exod. 14. & 20. Heb. 3. Num. 20. Deut. 34. Deut. 18. Psal. 131. Act. 2. Isa. 2. Idem 7. 11. 40. 53. Ier. 23.

de petra manantem, & manhu, & sacerdotium Aaron, & ante illud Meschisedech, & Iosue victoriam, & Dauid regnum, & Salomonis templum, & id genus infinita alia. Non enim difficile est ex iis quæ scripta sunt, quomodo veteris Testamenti scripturas interpretari consueuerit colligere. Vt in Ioanne, cum Nicodemo loquens, æneum à Mose serpentem in deserto exaltatum, suæ figuram habuisse mortis asserit. Et Iudæis de Mose loquens, ait: Si Mosi crederetis, vtique & mihi crederetis: de me enim ipse scripsit. Quo verbo procul dubio illum locum, cuius suprà memini, interpretatus est. Sic historiam Manhu de se exposuit. Sic Abraham eiúsque filium respexit, cum illum diem suam vidisse ait. Sic illum Psalmi 40. locum exponit de se: Qui manducat panem meum, leuabit contra me calcaneum suum. Sic lapidem sese esse ostendit illum, qui reprobatus ab ædificantibus, factus sit in caput anguli. Sic illum psalmi locum: Dixit dominus domino meo, sede à dextris meis: in suæ diuinitatis argumentum assumpsit, illóque 21. psalmi hemistichio in cruce loquitur: Deus meus, Deus meus, vt quid dereliquisti me? Sic ex Esaia loquitur: Spiritus Domini super me, eò quòd vnxerit me: ad annunciandum mansuetis misit me. Et in Luca: Dico vobis, quoniam adhuc hoc quod scriptum est, oportet impleri in me: Et cum iniquis deputatus est. Etenim ea quæ sunt de me, finem habent. Quæ sacrarum literarum interpretatio cùm multum ad fidei pietatisque augmentum facit, tum sanè cæcutientium oculos aperit similia peruestigandi. Cum ergo hoc veluti pondus scripturarum vno illo dicto concludit: Quia oportuit Christum pati, & ita intrare in gloriam suam: primò hoc voluit demonstrare, quòd non fatali aliqua necessitate mortem tot numero locis prædictam passus, sed prudentissimo diuinæ sapientiæ consilio, ad redimendum humanum genus hoc modo prædestinatus sit. Deinde etiam per illud: Oportuit Christum pati, hoc significauit, quia nemo hominum præter se solum, nostram naturam liberare potuerit. Postremò quòd ait: Ita intrare in gloriam suam, hoc insinuat, ne quis nostrûm, qui filij quidem Dei, sed gratia, non lege naturæ, sumus, id facere patiue derectet, quod in capite nostro Christo viuo viui Dei filio pro nobis factum esse pri-

Ioan. 3. Idem 5. Idẽ ibidẽ. Deut. 18. Ioan. 6. Gene. 22. Ioan. 13. Matt. 21. Psal. 17. Matt. 22. Psal. 109. Psal. 21. Matt. 27. Isa. 61. Luc 4. Isa. 43. Luc 22. Luc 24.



mum intelligimus: inde verò omnes peccatis mori, iustitiæque deinde viuere studeamus. Et hic quidem modus verus est, quo Christus ipse huius festiuitatis solennia celebrari voluit. Quòd si posſibile nobis vna aliqua die omnia ea meditari satis atque facere, quæ tam longo sermone docuit Christus, rectè resurrectionis meditationem hesterno die conclusimus, & frustra hic denuo conuenimus. Sed nec vnius ille diei labor est, nec sine ratione maiorum nostrorum instituto inhæremus: eóque quæ huius consequenter diei conueniens sit consideratio atque operatio, duorum exemplo discamus omnes. Tales enim sumus omnes ante resurrectionis fidem, quales hi duo fuerunt. Amissa prima iustitia, peccatis, maximè incredulitati, nosmet subiecimus, omni virtute vacui, desideriis prauis tumidi. Christus morte sua abstulit peccatum, iustitiæ carétiam resurrectione sarciuit. Si igitur cælestis gloriæ cupidi, spem, quam ex Christi resurrectione hausimus, firmam facere voluerimus, cum Christo moriamur, atque cum eodem resurgentes, in nouitate vitæ ambulemus: patienter quæ ea propter nos flagellant mala sustineamus. Ecce hic verus resurrectionis Christi vsus est. Vetus homo noster priusquam perfectè resurgat, tristitiam ex peccato habet, tædiúmque virtutis ex iustitiæ originalis carentia concipit. Nouus verò homo, qui cum Christo in nouitate vitæ resurrexit, in omni pietate ac virtute officiosus est. De priori hi duo audiunt: O stulti & tardi corde: de altero, ipsi de se testantur: Nónne cor nostrum ardens erat in nobis, dum loqueretur nobis in via? Si ergo tantum ex Christi sermone, quantum hi duo, profecerimus, magno cum fructu hanc diem nobis peractam non dubitabimus. Certè maior nobis, quàm illis, ad eam rem datur occasio. Illis quidem fœminæ, quæ & ipsæ hæsitabant, resurrectionem annunciarunt: & licet viuum sese Christus illis offerret, tamen peregrina id fecit forma: nos autem firmiorem habemus Euangelij sermonem, quibus sese Christus non iam in terris, sed in cælis & à dextris patris Dei sedens, viuum exhibet, & cum Catholica omnium nationum, omniúmque temporum Ecclesia, non iam fœminas hæsitantes, sed Apostolos, viros omni pietate ac fide plenos, assertores habemus: qui omnes nō solùm veritatem resurrectionis, verùm etiam



etiam fructum atque vsum ipsius palàm & conformi voce sonant. Sic Petrus cùm multa de Christi virtute, ac passione coram Iudæis disputasset, tandem his verbis concludit: Huic omnes prophetæ testimonium perhibent, remissionem peccatorum accipere per nomen eius omnes qui credũt in eum. Sic Paulus Romanis scribens, An nescitis, inquit, quòd quicunque in Christũ Iesum baptizati sumus, in mortem ipsius baptizati sumus? Consepulti enim sumus cum illo per baptismum in mortem: vt quomodo Christus resurrexit à mortuis per gloriam patris, ita & nos in nouitate vitæ ambulemus. Si enim complantati sumus similitudini mortis eius, simul & resurrectionis erimus, hoc scientes, quia vetus homo noster simul crucifixus est, vt destruatur corpus peccati, vt vltrà non seruiamus peccato. & alia multa eodem loco quę omnia huc pertinent, vt à peccatis deterreant, & iustitiæ studium suadeant. Id quod idem ad Colossenses scribẽs, inculcat: Mortificate membra vestra, quę sunt super terram, fornicationem, immunditiam, libidinem, concupiscentiam malam, & auaritiam. Vbique hic audimus peccati detestationem, & iustitiæ studij adhortationes. Et quidem sufficere possent ad excitandos nos, tantum si mens pia, & in negotio salutis intenta adesset. Sed adhuc qui negligunt socordes, duorum exemplum moueat, quos admonitio Apostolica non excitat. Hi priusquam Christum agnoscerent, mœrorem quodammodo mente dubia conceperant, oculis, ore, verbis, totóque corporis gestu significabant: verùm agnito ipso, abiecto incredulitatis peccato, replentur gaudio: nec sua salute contenti, officiosè cæteris verbum salutis annuntiant. Tum demum licuit præsentem audire corámque videre, & pacis annunciationem ex immortali ore suscipere. Fœlices planè atque beati domini discipuli, quibus tantùm bonum contingit: tam subita mutatione ex infidelibus fideles, ex impiis iusti fierent. O gaudij spiritalis abundantiam, qua replentur Apostoli, inuicem de resurrectionis gloria conferentes. Et nos ergo, quod propheticum monet canticum, exultemus hodie, & lætemur in Domino. Quæ enim mœroris causa superesse poterit, vbi tam certa adest causa lætitiæ? Nam & Abraham hanc diem vidit: vidit, inquam, certò venturam, & gauisus est. Piorum est exultare & lætari hac die: impiorum verò, mœrore affici, inuidia pallescere, terrore concuti. Quemadmodum olim in

Act. 10.

Rom. 6.

Coloss. 3.

Psal. 113. exitu Israël de Aegypto, domus Iacob de populo barbaro tunc quoque mare vidit, sed fugit: Iordanis cognouit, sed conuersus est retrorsum. Mare amaritudinis peccati significationem habet, in quo plurima hominum pars submergitur: tam latum, vt sine crucis ligno tranari non posit: tam profundum, vt pedibus non nisi Euangelio calceatis transiri queat. Hoc mare, ipsum nempe peccatum, atque omnes qui in hoc tanquam luto hærent, vident quidem Israëlem duce Christo transire & exultare, sed fugiût: eóque exultare simul non possunt. Sic etiam Iordanis conuertititur retrorsum. Quemadmodum Iordanis vltimum erat, quo veluti impedimento Israël prohibitus fuit à terra promissionis: ita mors vltimum est quasi repagulum, qua nisi transducta, patriam cælestem introire, ipsam immortalitatem possidere non possumus. Hæc quoque cognouit, sed non lætatur nobiscum, quin obstupefacta conuertitur retrorsum. Sed nos neque in mari, neque in Iordane sumus: propterea nec fugere, nec retrorsum cōuerti debemus: imò de peccato déq; morte triumphantes, in eo, qui equum & ascensorem proiecit in mare, exultabimus: nobiscum enim vbique pax, vbique gaudium, vbique lætitia. Exultent licet montes colléſque sicut agni ouium: sæuiant omnis generis perturbationes, quæ homini in hac vita aduersari possunt, securi pariter atque tuti transibimus. Christus caput nostrum ante nos Iordanem transiit, ac de torrente in via bibit: iámque in mortalitatis littore, vt fortibus animis se sequamur, monet, hortatur, incitat. Nil restat, nisi vt acclamantem nobis, & ad pugnam hortantem audiamus, nobísque victoriam mortis, diaboli, inferni, atque huius mundi denique polliceamur in ipso, qui pugnantibus fortis astat & victoriæ palmam cælesti gloria remunerat. Cui laus in secula. Amen.

FERIA TERTIA,

EVANG. LVC. XXIIII.

DVm autem hæc loquuntur, stetit Iesus in medio eorum, & dixit eis: Pax vobis, ego sum, nolite timere. Conturbati verò & conterriti, existimab

mabant se spiritum videre. Et dixit eis. Quid turbati estis, & cogitationes ascendunt in corda vestra? Videte manus meas, & pedes meos, quia ego ipse sum: palpate & videte, quia spiritus carnem & ossa nõ habet, sicut me videtis habere. Et cùm hoc dixisset, ostendit eis manus & pedes. Adhuc autem illis non credentibus & mirantibus præ gaudio, dixit: Habetis aliquid quod manducetur? At illi obtulerũt ei partem piscis assi, & fauum mellis. Et cùm manducasset corã eis, sumens reliquias dedit eis, & dixit ad eos: Hęc sunt verba quæ locutus sum ad vos, cùm adhuc essem vobiscum, quoniã necesse est impleri omnia quæ scripta sunt in lege Moysi, & prophetis, & psalmis de me. Tunc aperuit illis scripturas, & dixit eis: Quoniam sic scriptum est, & sic oportebat Christum pati, & resurgere à mortuis tertia die, & prædicari in nomine eius pœnitentiam & remissionem peccatorum in omnes gentes, incipientibus ab Ierosolyma.

EPISTOLA ACT. XIII.

Viri fratres, filij generis Abraham, & qui in vobis timent Deum, vobis verbum salutis huius missum est. Qui enim habitabant Ierusalem, & principes eius hunc ignorantes, & voces prophetarum, quæ per omne sabbatum legũtur, iudicantes impleuerunt. Et nullam causam mortis inuenientes in eo, petierunt à Pilato, vt interficerent eum. Cumq; consummassent omnia, quæ de eo scripta erant, deponentes eum de ligno, posuerũt eum in monumento. Deus autẽ suscitauit eum à mortuis tertia die, qui visus est per dies multos iis, qui simul ascenderant cum eo de Galilæa in Ierusalem, qui vsque

nunc sunt testes eius ad plebem. Et nos vobis annunciamus eam quæ ad patres nostros repromissio facta est: quoniam hanc Deus adimpleuit filiis vestris, resuscitãs Iesum, sicut & in psalmo secundo scriptum est.

SERMO.



ERI cùm rationem redderemus, cur magnæ illi diei dominicæ resurrectioni celebri, alij quidam dies essent annumerati, nempe vt tempus & Ecclesiastes credentium iuuarent intellectum: de resurrectione Domini & saluatoris nostri Iesu Christi quatuor præcipua necessariò cogitari diximus. Primò, quòd verè resurrexerit Christus à mortuis. Secũdò, quòd per resurrectionem ad dextram vsq; patris euectus sit. Tertiò, quòd etiam nos membra sua à peccato, inferno atque ira Dei ereptos, iam nunc secundum animam vnà secum subuexerit, & tandem aliquãdo corpora nostra morte soluta, è monumentis, aut vndecunque, sit subducturus. Quartò, quòd morte, resurrectionéque sua mortificationis internorum membrorum, ac vitæ nouitatis exemplum omnibus post se reliquerit. Quæ omnia eiusmodi sunt, vt nisi diu multúmque à nobis ruminata fuerint, frustra nobis resurrectionis transierit solennitas. Equidem timeo, ne post sperata piæ meditationis initia, ab incœptis deficiamus, talésque efficiamur omnino, quales erant dum hæc Ierosolymis fierent. Maxima enim pars ciuium vrbis illius magnæ nihil curabant, viuerétne Christus Nazaræus ille, an mortuus esset, vel sepultus. Suas quisque res curabat. Nemo ea propter, vel gaudio afficiebatur vel mœrore. Bonum erat custodum auspicium, qui cùm resurrexisse vidissent dominum, ciuitatem festinantes intrant, quæ vidissent audiuissséntque exponunt. Sed pretio deprauati deficiunt, citóque veritati agnitæ contraria mendacia confingunt. Primates summíque sacerdotes obturatis auribus innotescentem resurgentis domini gloriam, quibus possunt viis impediunt. Quo sanè factum est, vt apud solos paucissimósque numero viginti & centum homines, discipulos, inquam, resurrectionis contracta sederet lætitia: haud secus atque olim cùm Israël populus ille Dei omnis quidem per mare rubrum eductus, diem festum agebant

bant lætáque voce Deo, cuius excelso brachio à tyrannide liberarentur, canebant: Cantemus Domino, gloriose enim magnificatus est, equum & ascensorem proiecit in mare. Sed progressus in desertum, cùm hinc illi - diuersæ tentationes obstarent, lætitia, quam pro libertate conceperant, quotidie magis magísque deficiebant: ita vt pereunte pietate, tandem non modò pergere recusarēt, verumetiā à tergo relictas carnium ollas repeterent. Quo factū est, vt qui numero 600000 Aegypto exierant, duo solùm, Iosue & Caleb, in promissam terram intrarent, de quibus Paulus Corinthiis loquens, ait: Nolo vos ignorare fratres, quoniam patres nostri omnes sub nube fuerūt, & oēs mare transierunt, & omnes in Mose baptizati sunt in nube, & in mari, & omnes eandem escā spiritalem biberunt. Bibebant autem de spiritali consequente eos petra: petra autem erat Christus. Sed non in pluribus eorum beneplacitum est Deo. Nam prostrati sunt in deserto. Et quid addit? Hæc autem in figura nostri facta sunt. Nos non Moses aliquis, nec à corporali seruitute, sed Christus filius Dei à spiritalis nequitiæ tyrannide liberauit: non per mare rubrum, sed per spiritus & aquæ redemptoris sanguine sanctificatum lauacrum, pro terrena possessione, in cælestis patriæ spem perduxit. Vnde & ipsi in magna festiuitatis die gestu atq; voce lætæ mentis signa ereximus: concordi mēte redēptori triūphanti laudes acclamauimus. Sed timeo defectionem: timeo, inquam, ne in nos conueniat, quod olim in Isaia de populo isto scriptum legimus: Multiplicasti Domine populum, sed non magnificasti lætitiam. Pauci enim in vocatis sunt selecti. In deserto mūdi huius versamur, & facilè (quæ nostræ naturæ imbecillitas est) à proposito deflectimus, nisi asiduis consolationibus attollamur. Plurimæ enim & violentes sunt tentationes, quibus vndique in hoc deserto impetimur, & à regia cælestis patriæ via solicitamur. Quid autem est, quo rectius consolari, ac studiosius ad pietatis cursum incitari possumus, quàm ipsa resurrectionis Christi prædicatione? An non ingens piarum mentium consolatio est, quòd Christus ait: Pax vobis, ego sum, nolite timere? An non mutuæ pietatis incitamentum est, quòd tam amico animo suos in vnum collectos visitat? Hæc causa est, quòd resurrectionis huius annuam memoriā non vna aliqua die concludimus, sed in plures producimus: nēpè vt eo ardētior in nobis ardeat cōsolatio, eo maiori

desid

Exod. 14
I. Cor. 10.
Isa. 9.
Mat. 20.
Luc. 24.

desiderio pergamus, quo diutius de resurgentis gloria triumphamus. Tristatus es, quia per mortem Christus discessit à te? ecce, per resurrectionē suam rursus reuertit ad te, illo fruere. Qui hoc posis interrogas? Ecclesiæ amplectere consilium, quæ ideo hos dies festos esse voluit, vt eo diutius in Christi præsentia exultares: eóque tibi Apostolorum offert exempla, vt quomodo id discas, ad manum habeas. Iam quarta dies agitur, quarum nulla sine resurrectionis memoria labitur, ita vt quæque dies singulare quid habeat, quod non docuere cæteri. Quem etiam in finem quæque dies propriam Euangelij lectionem tenet, & sabbati quidem diei lectio, quod monumenti custodes de resurrectione Christi sint certiores facti, retulit.
Mat. 28 Sed nullum ibi gaudium consideramus. Ecce, inquit Euangelista, terræ motus factus est magnus. Angelus enim Domini descendit de cælo, & accedens reuoluit lapidem ab ostio monumenti, ac sedebat super eum. Erat autem aspectus eius sicut fulgur, vestimenta eius candida sicut nix. Præ timore autem eius exterriti sunt custodes, & facti sunt velut mortui. Et hæc quidem prima nocte, aut priusquam illuxisset, facta sunt. Ipsa verò Dominicæ resurrectionis die ipsum angelum muliherculis prædicasse resurrectionem Euangelista Marcus testatur.
Mar. 16 Et hoc valde mane, ipsóque diluculo factum est: quādo etiam, si tanta se videndi Christi cepisset desiderium, Galilæam iubentur petere. porrò heri ipsum triumphatorē Christum duo-
Luc. 24 bus in Emaus euntibus colloquentē vidimus. Et hoc quidem media luce factum est. Hodie verò, quæ quarta dies est, ipsum apertè coràm loquentem & manducantem se exhibet. Id quod
Ioan. 20 Luca atque Ioanne testibus, vespere factum est. Ecquid hic rerum ordo vult sibi? quod Euangelistarum propositum, quæ Ecclesiæ hunc ordinem sequentis intentio? Nempè hoc significare voluerunt, quòd Christus se piis ter offert tempore diei
Rom. 6 gratiæ: impiis verò semel tantùm, idque nocte horrida. Piis ergo cum Christo mortuis primò manifestatur surgente die, hoc est, prima hominis ætate, & in baptismo, vbi mysticum
Colos. 3 corpus eius facti, filij Dei efficimur. Hic nobis dicitur: pecca-
Ephes. 4 tis mortui sumus, viuamus porrò iustitiæ. Si cum Christo resurreximus, quæ sursum sunt quæramus, vbi Christus est in dextra Dei sedens: & de virtute in virtutem profecturi, veterem hominem exuentes, nouum autem, qui secundum Deum creatus est, in iustitia & sanctitate veritatis induamus. At

vbi fugiatis tenebris sol illuxerit, diésque in mentibus nostris facta est, iámque perfectionis iter aggressi sumus, rursum se conspicuum offert, manétque nobiscum vsque ad consummationem seculi. Interea vitam nostram scrutatur actúsque perquirit. Qui sunt, inquit, hi sermones, quos confertis ad inuicem ambulantes, & estis tristes? Hic nos hortatur, vt ambulemus dum lucem habemus, ne tenebræ comprehendant nos: dum lucem habemus, credamus in lucem, vt filij lucis simus. Hanc diem Apostolus salutarem, & acceptabile tempus dicit, monens vt semper dum hodie dicitur, sine vlla offensione nos in omnibus exhibeamus vti Dei ministros. At diei huius vespere facto, perfectè se tandem & totum offert: tum verè faciet, cuius hic gustum dedit: pacem precabitur, dabítque sempiternam. Ego sum, dicet, nolite iam timere. In illo vespere absterget omnem lacrymam ab oculis suorum, ac dicet: Vos estis qui mecum permansistis in tentationibus meis, & ego disposui vobis, sicut disposuit mihi pater meus regnum, vt edatis & bibatis super mensam meam in regno meo. Hoc ordine Ecclesia Christi apparitiones, quibus discipulis suis visus est, hodie considerandas proponit: vt hinc, in aduersis positi nosmet consolemur, ínque omne pietatis studium incitemus.

Luc.24 *Ioan.18* *2.Cor.6* *Apoc.21* *Luc.22*

Non hoc modo impiis, non toties, sed semel tantùm & noctu ingenti, imò æterno horrore videbitur, cùm signum filij hominis apparuerit in nubibus cæli, cum magna potestate ac maiestate: quando videntes turbabuntur terrore horribili, omnésque tribus terræ lugebunt videntes. De qua manifestatione (liceat sic loqui) Christus in Caiphæ domo loquens, A modo, inquit, videbitis filium hominis sedentē à dextris Dei, & venientem in nubibus cæli, quando videbit eum omnis caro, etiam ij, qui transpunxerunt eum crucifigentes. Sed mox auferentur impij in tenebras exteriores, ne maiestatem Christi videant. Quantus autem impiis ex domini iudicantis aspectu terror imminet, tanta erit & piorum ex facie Domini exultatio. Sed laborandum est, ne frustrà, & sine fructu nostris commodis inseruiat Ecclesia. Ideo enim Apostolorum exempla tot ex ordine diebus proponit, vt si impiorum pœnas euitare, ac Christi viuificati gloriam contueri velimus, ipsorum sequamur exempla, qui cum magna animorum suorum exultatione viderunt, & cum gaudio in eadem visione ipsum sequuti sunt. Quanquā enim Euangelia iam quatuor diebus recitata

Mat. 26 *Zach. 12* *Isa.26.*

citata, vnumquodque peculiare aliquid habeat. in hoc tamen conueniunt, quòd simul resurrectionem Christi attestentur. Ita etiam Apostoli posita resurrectionis veritate, ex qualibet apparitione sumpserunt quod ad fidei pietatisque incrementum facit plurimum. Nam cum angeli resurrexisse dominum annunciarent, læti quidem, sed non sine terrore monumentum visitant: at vbi semetipsum, licet peregrina & ignota facie videndum offerebat, planè ipsorum corda ardebant. Denique quãdo se apertius sine inuolucris in medio omnium palpandum præbet, pacem precaretur, scripturásque interpretaretur, omnis ecce penitus cordibus eorum euolat tristitia, veréque fit quod antè Christus prædixerat: Iterum videbo vos, & gaudebit cor vestrum, & gaudium vestrum nemo tol-
Ioan. 16 let à vobis. Nec id mirum. Quæ enim ibi tristitia sedere potest, vbi Christus piarum mentium vnicum desiderium rediuimus adest, tot tantáque fœlicitatis dona precatur & largitur? Non hæc angeli primi resurrectionis illius nuntij potuerunt prædicare: nec peregrinæ formæ sunt verba, quibus in
Luc. 24 hoc Euangelio affatur suos. Sic scriptum est, inquit, & sic oportebat Christum pati, & resurgere à mortuis tertia die, & prædicari in nomine eius pœnitentiam & remissionem peccatorum in omnes gentes. Certè magnum quid est ex ipsis angelis resurrectionis prædicationem audire: maius verò, ipsum qui mortuus fuerat & resurrexit, coram videre. Dauid
Psal. 33 enim maximo bono Deum videri affirmat. Iuxta est, inquit, dominus iis qui tribulato sunt corde, & humiles spiritu saluabit. Custodit Dominus omnia ossa eorum, vnum ex his non conteretur. Hinc sibi gratulatur, quòd dominum sibi proxi-
Psal. 22 mum haberet. Dominus regit me, inquit, & nihil mihi deerit. Et si ambulauero in medio vmbræ mortis, non timebo mala, quoniam tu mecum es. Iam verò non solùm coràm videre, verùm etiam palpare ipsum, & contrectare manibus: pacem Euangelizantem, dubitationem timorémque propulsantem, pœnitentiæ ac remissionis peccatorum prædicationem demandantem audire, tantum profectò bonum est, vt ne dignè cogitari quidem, nedum eloqui possit. An non eximia res est, pacis annunciatio? Tranquillat enim ex remissione delictorum conscientias nostras, quo iustificati per fidem, pacem
Rom. 5 habeamus ad Deum: ac præstat, vt pacificati simus cum an-
Colos. 1 gelis, quo iam non domini nostri, sed conserui dicantur: imò cum

cum omnibus reliquis creaturis concordiæ fœdus confirmat. *Apoc. 21*
Id quod olim per Oseam prophetã promissum erat. Hanc pa- *Osee. 2*
cem impij homines nesciunt. Sæuit enim vt mare mẽs eorum.
Propterea nec secum concordes sunt, nec cum aliis in gra- *Isa. 57*
tiam redeunt, nec cum vlla creatura illis cõuenit, quas omnes
Deus in ipsorum perditionem ordinauit. Odit enim Deus pec *Sap. 5*
catores, & sequuntur factorem suum creaturæ. Deinde quanta *Eccl. 12*
beatitatis pars est, habere mentem ab omni hæsitatione libe-
ram, qualem dominus hoc ipso, quod dixit: Ego sum, forma-
re voluit? Sic olim patriarcham Abraham hoc verbo contra
omnia incredulitatis dominæ tela confirmauit. Ego prote-
ctor tuus sum, & merces tua magna nimis: Ego dominus o- *Gen. 15.*
mnipotens. Sic Mosen in rubo alloquitur: Ego sum qui sum. *& 17*
Quo verbo ita confirmatus est Moses, vt non solùm crederet *Exod. 3.*
ipse, verùm etiam alios iisdem verbis doceret fidem. Non ti- *Deu. 6. 7*
mebis, inquit: Israël dominus Deus noster, Deus vnus est, &
in medio tui est, Deus magnus & terribilis. Eadem intentio-
ne & alibi in nouo testamento hoc verbo vtitur: Ego sum pa- *Ioan. 6.*
nis viuus: Ego sum lux mundi: Ego sum via, veritas & vita: *9. 11*
Ego sum resurrectio & vita: Ego sum, nolite timere: Ego
sum pastor bonus. Quæ omnia eò tendunt, vt qui Christum *Matt. 14*
habent, omne summúmque bonum habere se sciant. Impiis *Ioan. 20*
contrà horribilius nihil est, nihil est hac voce terribilius. Vt
in veteri testamento: Ego sum fortis Zelotes, visitans iniqui-
tatem patrum in filios, in tertiam & quartam generationem.
Et: Ego sum, ego vidi, ego sum iudex & testis. Et in nouo: *Exod. 20*
Ego sum: Et videbitis filium hominis sedentem à dextris Dei: *Iere. 7. 29*
Si non credideritis quia ego sum, in peccato vestro moriemi- *Mat. 26*
ni. Ecce quòd eadem vox impios terret, pios exhilarat. Vis sci *Ioan. 8*
re quia hac voce, Ego sum, impij terreantur? Quid in Ioan- *Ioan. 18*
ne scriptum sit, accipe. Vt ergo, inquit Euangelista, dixit eis:
Ego sum: abierunt retrorsum, & ceciderunt in terram. Agno-
scis Christi verbis vim inesse diuinam? Contrà verò, cùm di-
scipulis dixisset, Ego sum: addidit: Nolite timere. ac si dice-
ret: Si certò vobis persuasum est, quia ego sum Deus patér- *Deut. 7*
que vester, abiicite timorem, pellite formidinem: Ego sum *Ios. 10*
qui veni liberare vos, non iudicare: Omnipotens ego sum, & *Isa. 41.*
in medio vestri sum, & nemo vos rapiet de manu mea. Sint *43. et 44*
licet feroces & immanes homines vestri, vósque grex pusillus: *Luc. 18*
quod tamen timeatis verè non est, nec quur animum despon-
deatis

deatis, quia ego liberabo vos, & placuit patri meo vobis dare regnum. Porrò, si hoc audiens, molestat te, quia dominum coram videre& audire non possis, quomodo Apostoli audiuerunt loquentem sibi, videruntque præsentem: si contristaris adhuc, quasi ad te non pertineat, quòd postquam à morte resurrexit, viuum se suis exhibuit, pacem annuntiauit, timorem pulsauit, consequentia legas, & quòd illa omnia ad te quoque pertineant, inuenies. Quæ sint quæris illa? Quia oportebat Christum resurgere à mortuis tertia die, & prædicari in nomine eius pœnitentiam & remissionem peccatorum in omnes gentes. Hæc sunt quæ nos tangunt: hæc nobis dicta atque scripta sunt, vt & nos per consolationem scripturarum spem habeamus. Non minus tibi commodat Christi resurrectio, quàm ipsis Apostolis. Quorum tamen hoc ipso beatiores nobis sunt oculi, quòd coram viderunt nobis aliisque innumeris desiderata. Sed eandem pacis annunciationem audis tu: eundem Christum habes quem illi. Quemadmodum enim ipsi iustificati sunt, pacémque habuerunt non aliunde, quàm ex pœnitentiæ & remissionis delictorum Euangelio: ita & tu. Ex eodem fonte vtriusque gaudium scaturit: eadem nempe resurrectione, qua illi gauisi sunt, nos iustificamur, pacem consequimur, & consequentur porrò omnes, quotquot resurgentis gloriam nobiscum credentes prædicant. Voluit enim Deus hanc prædicationem in omnes gentes, cuiuscunque temporis aut loci sint, in posterum permanere. Hinc Paulus Romanis scribens, ait, Mortuus est propter peccata nostra, resurrexit propter iustificationem nostram. Et Petrus in hesterna epistola, Præcepit, inquit, nobis prædicare, & testificari populo, quia ipse est qui constitutus est à Deo iudex viuorum & mortuorum. Huic omnes Prophetæ testimonium perhibent, remissionem peccatorum accipere per nomen eius omnes, qui credunt in eum. Rursum Paulus in ea quam hodie legimus prædicatione: Viri fratres, inquit, filij generis Abraham, & qui in vobis timent Deum, vobis verbum salutis huius missum est, & nos annunciamus eam, quæ ad patres nostros repromissio facta est, quoniam hanc Deus adimpleuit filiis vestris, resuscitans Iesum. Notum igitur sit vobis, quia per hunc vobis remissio peccatorum nunciatur in omnibus, quibus non potuistis in lege iustificari. In hoc omnis qui credit, iustificatur. Ecce quomodo par illud Apostolorum Christi

(Marginal references: Luca 24; Rom. 15; Matt. 13; Rom. 4; Act. 10; Act. 13)

præcep

præcepto morem gerentes, appendicem Euangelij huius, pœnitentiam ac remissionem peccatorum, virtute resurrectionis Christi vbique prædicarũt. Ad nos igitur ipsa quoque peccatorum remissio pertinet & iustificatio. Iustificati verò appropinquamus Deo, cui coniuncti, ac veluti vnum facti cum illo, liberè omnem metum secludimus, ipso propitio, pacem tenemus, pacem conscientiæ, pacem ad Deum, ad angelos, ad omnes denique creaturas. Quorum omnium fons atque origo Christi resurrectio est. Nam magno Christus illa omnia nobis acquisiuit, cum iustitiæ obicem sanguinis sui effusione deleuit, iustificationis pacem sua resurrectione inuenit. maior igitur diligentia adhibenda est, vt ea conseruemus bona, quæ tam magno comparata sunt. Quæ enim mihi quantum libet copiosissimi thesauri vtilitas, si conseruare & vti nesciam? Vnde Apostolus Ephesiis scribens, cùm multis resurrectionis meminisset, virtutem quoque eius agnoscant, optat. Et planè necesse est eam virtutem agnoscamus, vt non modò Christo, verùm etiam nobis gratulemur: nec in hoc quiescamus, scire quia ipse resurrexit, sed & quia ipsius resurrectio nostra sit etiam consolatio. Hoc ipsum Ecclesia quærit, eóque tot festos dies instituit, tot Euangelia Christi resurrectionem testificantia proponit, vt quod vna die, vnóque sermone non possumus, multiplicata occasione sectemur, tenacius mentibus nostris reponamus, atque in memoria perpetua seruemus. Hæc summa est, vt quod Ecclesia, Apostoli, ipséque resurgens Christus optimo, nobis pernecessario affectu proponũt, nullo modo cõtemnamus. Id quod prçstet qui à morte triumphat Christus Iesus in secula benedictus. Amen. *Ephe.1.*

DOMINICA PRIMA PASCHAE, QVASI MODO, EVANG. IOAN. XX.

CVm ergo sero esset die illo vna sabbatorum, & fores essent clausæ, vbi erant discipuli congregati propter metum Iudæorum: venit Iesus, & stetit in medio, & dixit eis: Pax vobis, & cùm hæc dixisset, ostendit eis manus & latus. Gauisi sunt ergo discipu-

li, viso domino. Dixit ergo eis iterum: Pax vobis. Sicut misit me viuens pater, & ego mitto vos. Hæc cùm dixisset, insufflauit, & dicit eis: Accipite spiritum sanctum. Quorũ remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta sunt. Thomas autem vnus ex duodecim, qui dicitur Didymus non erat cum eis quando venit Iesus. Dixerunt ergo ei alij discipuli: Vidimus Dominum. Ille autem dixit eis: Nisi videro in manibus eius fixuram clauorum, & mittam digitum meum in locum clauorũ, & mittam manum meam in latus eius, nõ credam. Et post dies octo iterum erãt discipuli eius intus, & Thomas cum eis. Venit Iesus ianuis clausis, & stetit in medio, & dixit eis: Pax vobis. Deinde dicit Thomæ: Infer digitum tuum huc, & vide manus meas, & offert manum tuam, & mitte in latus meum, & noli esse incredulus, sed fidelis. Respondit Thomas, & dixit ei: Dominus meus & Deus meus. Dixit ei Iesus: Quia vidisti me Thoma, credidisti: beati qui non viderunt, & crediderunt. Multa quidem & alia signa fecit Iesus in conspectu discipulorum suorum, quæ non sunt scripta in hoc libro. Hæc autẽ scripta sunt, vt credatis quia Iesus est filius Dei, vt credentes vitam habeatis in nomine eius.

EADEM DOMINICA EPISTOLA I. IOAN. V.

OMne quod natum est ex Deo, vincit mundum: & hæc est victoria quæ vincit mundum, fides nostra. Quis est autem qui vincit mundum, nisi qui credit, quoniam Iesus est filius Dei? Hic est qui venit per aquam & sanguinem, Iesus Christus. Non in aqua solùm, sed in

aqua

aqua & sanguine. Et spiritus est qui testificatur, quoniam Christus est veritas. Quoniam tres sunt qui testimonium dant in cœlo: pater, verbum, & spiritus sanctus: & hi tres vnum sunt. Et tres sunt qui testimonium dant in terra: spiritus, aqua, & sanguis: & hi tres vnum sunt. Si testimonium hominum accipimus, testimonium Dei maius est. Quoniam hoc est testimonium Dei quod maius est, quoniam testificatus est de filio suo. Qui credit in filium Dei, habet testimonium Dei in se.

SERMO.

Qvanquam hæc Euangelij lectio superioribus diebus recitata ac partim explicata sit, tamen vrgentes rationes sunt cur iam secundò recitetur. Principiò ea est omnium dictorū factorúmque horum Christi maiestas, vt meritò piis omnibus versentur ob oculos. Deinde vna eadémque hæc quidem histo
ria est, quam & Lucas conscripsit: in multis enim ita consen- *Luc. 24.*
tiunt, vt iisdem quoque verbis vtantur: tamen multa Ioannes addidit, quæ Lucas non posuit. Denique hoc Ioannis Euangelium rectißimè ea omnia, quæ hactenus de Resurrectione Christi audiuimus, cōcludit. Finem enim ipse ponit, ad quem veluti metam quādam omnis sermo omnísque cogitatio hac de re tendere debeat. Et quis est finis ille? Hæc, inquit, scripta
sunt, vt credatis quia Iesus est filius Dei, vt credentes vitam ha *Ioan. 20.*
beatis in nomine eius. An non egregium quid & plenum consolatione est, quòd, licet per resurrectionem suam intrauisset iam in gloriam suam, licet iam tum potestatē omnium quæ in cœlo, quæque in terra sunt, accepisset, discipulorum tamen
suorum tam pio affectu recordetur? Quid autem hinc colli- *Luc 24.*
gimus, nisi quòd etiamnum nostri curam gerat, ac nobiscum *Matt. 28*
esse velit vsque ad consummationem seculi, quemadmodum *Ibidem*
in Isaia se facturum esse promiserat? Sic quòd eadem die & *Psal. 29.*
vespere venit, & fidem confirmat, & spem auget. Prædixerat *Ioan. 2.*
hoc sæpe Christus: Soluite templum hoc, & in triduo excitabo *Matt. 12.*
illud. Et: Sicut Ionas in ventre ceti tribus diebus & tribus no- *Matt. 20*
ctibus fuit, sic erit filius hominis in corde terræ tribus diebus & tribus noctibus. Et: Tertia die resurget. Quanquam & tridui illius mysterij hic admonemur, vt sit prima dies laboris,

secunda dies requietionis,tertia verò glorificationis.Venit autem vespere. Et hoc spem auget.Sinebat tota die discipulos fluctuare,intérque spem & metum hærere:venit tandem, & metu liberat. Fluctuamus & nos, spe tamen ipsum ad vesperam expectamus.Sicut & Abacuc docet,Si moram fecerit,expecta
Abac.2. illum,quia veniens veniet,& non tardabit.Sic tertiò se in medium offert, quò consolemur, quòd vnicuique nostrum æquè proximus adsit,minori vt maiori:& quòd non in angulo, sed
Acto.17 in pleno cœtu credentium fit,ne vociferantes,hîc est Christus,
Matt.24 hîc est,sequamur seductores.Sic quartò pacem precatur, quo
1.Pet.2. sanè fructus mortis resurrectionísque suæ indicauit.Sic quintò manus atque pedes suos palpandos offert, quo primò docuit,latus manúsque suas apertas fore omnibus credentibus, vt illos suscipiat,hos iuuet. Quemadmodum & antea omnes ad se vocauit ac requiem promisit. Deinde vt idem corpus
Ioan.7. suum esse illud quod videret.& quod triduo antè vulneratum
Matt.11. fuerat,demonstraret.Denique vt ipsa vulnera sint quasi triumphatoris signa atque monilia.Hæc ergo plena maiestatis, plenáque consolationis sunt,& ob id sedula cõsideratione digna. Equidem huius causa etiam ab vtroque Euangelista, Luca & Ioanne,conscripta non dubitauerim. Verùm Ioannes adhuc
Ioan.20. quædam peculiaria addidit,quæ nõ legimus in Luca. Primò, quòd ianuis clausis Christus ad discipulos venit.Deinde,quòd non modò semel(vt Lucas commemorat)sed ter pacem precatur.Tertiò,quòd ait: Sicut misit me pater, & ego mitto vos. Quartò,quòd insufflans spiritum sanctum dat.Quintò, quòd remittendorum peccatorum potestatem ipsis confert. Sextò, quòd vnius Thomæ causa rursum venit.Septimò,quòd adhuc multa alia fecit. Ac postremò, quòd in quem finem hæc omnia & scripta & facta sint, ostendit. Et horum quidem Lucas nihil habet: omniáque eiusmodi sunt, quæ non sine piaculo grandíque incommodo inconsiderata transgrediantur.De postremo ergo aliquanto fusius dicturus, cætera paucis percurram.Ianuis clausis venit ad discipulos suos.Non ergo iuxta se
Mat.28. pulturam,vt mulieribus: non in via,vt Cleophæ & socio eius:
Luc.24. non iuxta mare,vt quibusdam discipulis, sed in domo appa-
Mat.28. ruisse hoc modo significare voluit.Deinde hîc diuinam Christi potentiam videmus,quæ nullis impedimentis prohibetur, vt confundatur Manichæus, qui hinc phantasticum Christi fuisse corpus somniare voluit,non considerans,quòd alia mor

talis

talis,alia immortalis corporis ratio sit. Tertiò cōsolatur nos, quòd dominus Iesus semper adesse potest suis, vbicunque & quocunque illi tandem in discrimine sint. Ego,inquit,cognosco meas. Vbicunque duo vel tres congregati sunt in nomine *Ioan. 10.* meo, ibi sum in medio eorum. Sic Petrū in imis carceribus, *Matt.18.* in custodum medio inuenire nouerat. Sic Paulum in maris *Act.12.* medio,sic Ionam in vētre cete,sic tres Danielis socios,in me- *Acto 27.* dio fornacis ardentis agnouit & visitauit. Deinde pacem non *Ioan.2.* semel,vt Lucas solùm habet,nec bis tantùm, sed ter precatur. *Dani.3.* Et quid hoc sibi voluit?Suprà dixi,quia fructus resurrectionis hic significare voluerit.Sunt autem & aliæ rationes. Precatur pacem,quòd ipsa sit summum in hoc exilio bonum: quòd hac opus haberent Apostoli, vndique aduersis pressi: quòd hanc etiam ipsis discedens reliquisset: quòd sic Apostolos precari quamcunque domū intrantes,suóque quod præcepisset exem- *Ioan. 14.* plo,cōfirmare voluit.Sed ter precatur. Primò cōscientiarum, *Matt. 10* deinde reconciliationis cum Deo,tertiò ab externis aduersitatibus.Quin primum Apostolis,deinde vniuersæ Ecclesiæ, tertiò priuato cuilibet credēti:quo significaret neminem se à sua pace secludere. Tertiò ait:Sicut misit me pater, & ego mitto vos.Quo sanè Apostolis potestatē dedit euangelizandi. Quomodo enim prædicassent,nisi missi fuissent?Currebant olim, *Rom. 10.* sed non missi.Id quod in Ieremia Dominus conqueritur.Par- *Ierem.23.* ta erant bona,hic dispensatores eorum quæruntur.Sic in Mar *1.Cor.4.* co mandat:Euntes prædicate,&c. Sed & pulchrè officium de- *Marc. 16* pinxit dispensatorum mysteriorum Dei, cùm ait, Sicut misit *Ioan.3.* me pater: Non pater misit filium,vt iudicet mundum, & ani- *Luc.19.* mas perdat.Sic ergo & Christus Apostolos misit, peccatores *Ioan.6.* ad pœnitentiam conuertere.Deinde pater misit filium,non vt suam hic voluntatem faciat, sed eius à quo missus erat patris: non vt dominaretur,nō ministrari,sed ministrare,& dare animā suā redēptionē pro multis:nō vt in deliciis floreret, sed vt crucifigeret. Propterea ait:Sicut me misit pater, & ego mitto *Mat. 20* vos:Non est seruus maior dn̄o suo.Quartò insufflauit in eos. Nusquā tale q̄d fecisse Christus legitur.Singulari aūt cærimo- *Matt.15.* nia misit,vt legationis ac muneris maior esset apud oēs autoritas.Sic hodie mittūtur, nō sine certis cęrimoniis:sic olim in veteri etiā lege missi sunt. Insflauit autē tāquā Deus,vt quomodo *Exod.28.* formans hominem, spiritū vitæ ipsi inspirasset, sic reformans eundem, afflaret spiritu sancto. Illic vt viueret,hic vt bene vi- *Gene.4.*

ueret. Idq; externo signo & expresso verbo facit. Accipite Spi-
Io.14. ritũsanctum,inquit. Dedit autẽ eum, quia daturũ se esse pro-
Ibidem. miserat,& quòd sine eo nihil possent facere, ne quidem dice-
re Dominũ Iesum,nisi in Spiritusancto. Propterea antequam
ascenderet ab Ierosolymis,iussit, quousq; induerẽtur virtute
1.Cor. 12. ex alto. Propterea nec Saul prophetare potuit, nisi concepto
Act.1 spiritu Domini, & mutatus in alium virum. Et Paulus cùm
1.Reg.10. multa de laboribus suis dixisset,ait: Non autem ego,sed gra-
1.Cor.5. tia Dei mecũ. Vnde in Isaia Dominus loquitur: Qui sperãt in
Isaiæ 40. Domino,mutabunt fortitudinẽ: assumẽt pennas sicut aquilæ:
current,& non laborabunt: ambulabunt,& non deficiẽt. Sed
& ideo hic Spiritumsanctũ dedit vt doceret, daturum se esse
eum propediem omnibus. Nam quòd cõstituit præstare om-
nibus, præstat aliquando prius priuatis quibusdam. Vt cùm
promitteret mortuorum resurrectionem omnium,prius pau
Io.5.11. corũ corpora in vitam à mortuo reuocabat. Quintò ait: Quo-
Io.20. rum remiseritis peccata, remittuntur eis: & quorũ retinueri-
tis,retenta sunt. Hoc dicens, ostendit in quem vsum maximè
tunc Spiritumsanctum dedisset Apostolis, nẽpe ad remittẽda
peccata: nec solùm Apostolis, verumetiã credentibus omni-
bus, quos illi per verbum Euãgelij, & huic annexa sacramẽ-
ta, hoc ipso Spiritusancto donare debeant. Absolutio ergo, &
per consequens,confesſio, hîc fundatur. Confesſio, inquam,
quia, vt alibi luculentisſimè sacrarum scripturarum autori-
tate demonstrauimus,nulla intelligitur Absolutio,vbi pecca
toris non præcesſit Confesſio. Absolutio autẽ non pro volũta
te ministri,sed pro instinctu & mãdato Spiritussancti fieri de-
bet,ne quẽ Spiritussanctus ligat, sacerdotis manus absoluat,
& contrà. Deniq; & hoc docemur,non externam Apostolis po
testatem, sed pro spiritus proprietate, animarũ demandatam
esse curam,cùm Christus verè,non fictè, ipsis retinendi remit
tendique peccati contulit potestatẽ. Id quòd Ecclesiasticos sui
admonet officij, & peccatores pœnitentes de remisſis pecca-
tis per absolutionem certiores atq; quietos facit. Sextò,quòd
Thomæ vnius causa iterum comparet,manus,latus, & pedes
suos videndos palpandósq; exhibet, euidens argumentum est
paterni affectus, qui neminem suorum perire, sed omnes ad
agnitionem veritatis vult venire. Quẽadmodum de ouibus
suis loquens,ait: Ego vitam æternam do eis, & non peribunt
in æternum,& nemo rapiet eas de manu mea. Septimò,quòd
dicit

dicit multa alia quoque signa fecisse Iesum in cōspectu discipulorum suorum, quæ non sunt scripta in hoc libro, ad cæteros Euangelistas remittit lectorē, vt illinc plura resurrectionis signa hæsitans petat. Quemadmodum & Lucas testatur, dominum seipsum viuum post passionē suam in multis argumentis per dies quadraginta præbuisse. Apparuit, Euangelistis testantibus, Mariæ Magdalenæ, vt Marcus habet: secūdò, aliis mulieribus, de quibus Matthæus loquitur. Tertiò & Petro, vt Lucas vigesimoquarto, & Paulus 1. Corinth. 15. narrāt. Quartò duobus euntibus Emaus. Quintò, decem illis in Ierusalem, de quo initium huius Euangelij & Lucas habent. Sextò, vndecim illis, vt posterior pars Euāgelij huius indicat. Septimò, plus quàm quingentis fratribus simul, ex quibus multi etiam Pauli postea tempore vixerūt, vt ipse testatur 1. Cor. 15. Octauò, Iacobo, qui sese non comessurum esse, nisi viso rediuiuo Domino, deuouerat. Nonò, iuxta mare Tyberiadis piscantibus Apostolis. Decimò, discumbentibus exprobrans incredulitatem ipsorum, quòd his qui viderant eum resurrexisse à mortuis, non crediderunt. Vndecimò, in Galilæa in monte, vbi & assumptus est. Duodecimò, etiā Paulo tanquā (vt ipse ait) abortiuo. Sed vbi huic visus sit non lego, nisi fortè quando in tertium vsq; cælum raptus est. Nolo hîc recensere quod & Ioseph ab Arimathia in carcere apparuerit, in quem ille propter sepulchrū iniectus fuerat, vt Nicodemi scriptum habet. Matri verò suæ omnium primò apparuisse Ecclesia piè credit, & Sedulius canit. Ad hos scripturæ locos Ioannes nos remittit, cùm Dominum multa alia signa fecisse in conspectu discipulorum suorum testatur. Vide ergo an non eiusmodi hæc omnia sint, quæ meritò ab omnibus memoriæ cōmendarentur, ac propterea magna cū vtilitate hodie legātur. Nunc autem ad illud accingamur quod postremò posuimus, nempe in quem finem hæc facta atq; scripta sint. Vt credatis, quia Iesus est filius Dei, vt credentes vitam habeatis in nomine eius. Scripta sunt ergo propter fidem nostram. Et quæ fides? quòd Iesus est filius Dei. Et ad quid isthæc credimus? Vt vitam habeamus in nomine eius. Huc igitur epistola hodierna facit, qua Ioannes multa de fide loquens, hoc præcipuè agit, vt videamus quid sit credendum, & quàm firma hæc fides habeat testimonia: denique quàm pręstans & potens sit: omnia tamen eò spectāt, vt intelligamus dona Dei, qui nos per fidem in do-

Io. 10. Io. 20. Act. 1. 1. Cor. 15. Io. 21. Mar. 16. Mat. 28. 1. Cor. 16. Io. 20.

minum Iesum Christum, in filiorum consortium assumere & adoptare sit dignatus. Fides igitur nostra, fundamentũ omnium bonorum est, vt credamus quia Iesus est filius Dei. Sed, inquiet aliquis, vnde certitudo fidei constat? In memoriam redeant, quæ Euangelium docuit, quòd Christus verè resurrexit à mortuis. Sed hoc solius promissi Mesiæ est, qui se propria virtute tertia die à morte resurrecturum esse prædixerat secundum Prophetarum vaticinia. Nec aliud inuentus est, aut inuenietur aliquando, qui propria potentia excitatus à
Rom. 3. morte resurrexerit. Id si parum adhuc videtur, quanquam est maximum, audi quæ testimonia Ioannes adferat. Si, inquit, testimonium hominum accipiamus, testimonium Dei maius est. Vis argumenti in hoc latet, quia Deus verax est, omnis autem homo mendax. Deus nec falli potest, nec fallere, homo potest. Quod Deus loquitur, præstare potest, homo sæpè non
Deut. 19. potest. Sed hominum testimonium accipimus, vt in lege Mo-
Psal. 109. ses loquitur: In ore duorum vel trium stet omne verbum. Ma-
Matt. 3. gnum est hominis Dauid testimonium de me, magnum est, & Ioannis testimonium. Neque tamen mendacij arguitis illorum testimonia. Multò magis ergo testimonium Dei acci-
Num. 23. piendum est: Dei inquam, qui non est sicut homo, vt mentia-
Io. 3. 8. tur. Et quale est testimonium Dei de Christo? primùm ipse
1. Io. 5. Christus verus Deus atque homo testificatur de seipso, cuius testimonium verum est. Hic est, inquit Ioannes, qui venit per aquam & sanguinem Iesus Christus. Non in aqua solùm, sed in aqua & sanguine. In aqua venit, qui Baptismum in ablutionem criminum instituit: in sanguine, qui seipsum obtulit patri pro nobis in cruce. Baptizatus innocentiam amissam restituit, mortuus viam cælestis patriæ aperuit. Alij verò sic
Apoc. 17 interpretantur: Hic est qui venit per aquam, quasi dicat, turbas populorum ad se vocauit atque congregauit: nempe per aquam populi intelliguntur, vt alibi. Sed non modò per aquam venit, non solùm populum ad se allexit: sed & per sanguinem venit: id est, populos quos ad se vocauit & congregauit, etiam à morte liberauit. Plus ergo præstitit, quàm vel Moses, vel alius quispiam, qui licet per aquam, non tamen per sanguinem venerunt. Ille enim, Mosen dico, ne quidem à
Exod. 12. corporali Aegyptiorum seruitute, nisi per alienum, agni nimirum sanguinem, liberare potuit. Alij verò, quotquot vnquam per aquam venerunt, ne à corporũ quidem morte vllo
pacto

pacto liberare aut custodire potuerunt. Alij per aquam & sanguinem, duo illa præcipua sacramenta, Baptismum & Eucharistiam intelligunt, quæ sanè Christum Iesum esse manifestè declarant: quorum altero nos à peccatorum sordibus abluit, altero verò seipsum nobis in cibum, & potum obtulit. Alij denique per aquam diuinam illam, ac cælestem doctrinam intelligunt, quam Christus è cælo ad nos attulit. Nec id ineptè. Nam & per se munda, & alios mundat atq; reficit. Tum etiam desuper pluit ad nos. Denique quemadmodum omnia ferè quæ viuunt, ex aqua nascuntur, confirmantur, conseruantúrque, ita & nos per spiritus rorem, verbum, inquam, Dei, renascimur atque conseruamur, Iacob teste, qui Deum *Iac.1.*
voluntariè nos genuisse verbo veritatis scribit. Et Christus eodem nos conseruari ex lege docet. Non, inquiens, in solo *Matt. 4.*
pane viuit homo, sed in omni verbo quod procedit de ore dei. *Deut.8.*
Venit ergo Christus per aquam. Venit autem & per sangui- *Ephes.5.*
nem, cùm semetipsum tradidit pro nobis oblationem, & hostiam Deo in odorem suauitatis. Et hoc modo præstantior est omnibus, qui aliquando per aquam venerunt. Hoc genere *Ioan.10.*
argumentationis ipse Christus se probat esse Iesum siue Messiam. Nempe cum se pastorem illum bonũ esse dicit, proptereà quod posuerit animã suam pro ouibus suis. Vt quod Ioannes dicit in sanguine venisse Christum, illuc referatur, quod Christus dicit, se animam suam pro ouibus suis posuisse. Sed dicet quis: Christus de seipso testimonium perhibet, de veritate testimoniorũ dubito. Ad hoc igitur Ioannes respondet: Et *1.Io. 5.*
spiritus est, qui testificatur, quoniã Christus est veritas. Christus de seipso testimonium perhibuit, & verum est testimonium Christi, quia spiritus testificatur, quòd ipse sit veritas. Spiritum autem hic intelligimus, Spiritumsanctũ. Hic enim *Mat.3.*
in specie colũbæ supra Christum in Iordane visus est. Et hoc *Luca 3.*
signo Baptista certior de Christi diuinitate factus est. Vnde *Ioan.1.*
ait: Quia vidit spiritũ descendentem quasi columbam de cælo, & mansit super eum. Et ego nesciebam eum: sed qui misit me baptizare in aqua, ille mihi dixit: Super quem videris spiritum descendentem & manentem super eum, hic est qui baptizat in Spiritusancto. Et ego vidi, & testimonium perhibui, quia hic est filius Dei. Potest autem & spiritus ille sanctifica- *Rom.1.*
tionis intelligi, qui suscitauit Iesum à mortuis, secũdum quẽ, vt Paulus loquitur, prædestinatus est filius Dei. Propriè tamen

& conuenientissimè per spiritum hunc intelligimus diuinam illam atque arcanam virtutem in Christo, quam ostendit in verbis atque factis omnibus, ita planè, vt à nemine pos-
Luce 21. sit impediri, quo minus, quod vellet, efficeret. Quemad-
Act.5. modum & Apostolis dedit os & sapientiam, cui non poterant resistere omnes aduersarij ipsorũ. Et Gamaliel testatur, quod ex Deo est, non posse dissolui. Cæterùm si adhuc parua hæc est autoritas, plures testes Christus habet in cælo atque in terra.
1. *Ioan*.5. Tres sunt, inquit Ioannes, qui testimoniũ dant in cælo, pater, verbum, & Spiritussanctus: Et hi tres vnum sunt. Et tres sunt qui testimoniũ dãt in terra: spiritus, aqua, & sanguis, & hi tres
Deut.17. vnum sunt. Hoc dicens, ad legem Deuteronomij respicit: In ore duorũ aut trium stet omne verbum. Christus non modò duos, aut tres, sed sex habet qui testificẽtur ipsum esse Iesum: nec in terra solùm, sed & in cælo. In cælo testificantur: Pater,
Mat. 17. verbum, spiritus. Pater, cùm ait: Hic est filius meus dilectus,
Ioan.12. in quo mihi benè cõplacui, ipsum audite. Et in Ioanne voce
Mat. 17. è cælo elapsa, ait: Et clarificaui, & iterũ clarificabo. Verbum, quando seipsum Christus clarificatum ostendit cum Mose & Elia, quãdo tot tantáq; miracula fecit. Vnde aduersarios suos
Ioan. 10. ad ipsa opera diuinitatẽ testificantia relegat sæpe. Opera quæ ego facio, inquit, in nomine patris mei, hęc testimoniũ perhibent de me. Et si nõ facio opera, quæ nemo alius fecit, quæ patris mei sunt, nolite credere mihi. Si autẽ facio, & si mihi non vultis credere, operibus credite, vt agnoscatis & credatis quia
Matt. 3. pater in me est, & ego in patre. Spiritussanctus verò de Christo
Mat. 17. testificatur in Iordane, vt suprà dictum est: deinde in specie nu
Act.2. bis lucidissimæ, cùm clarificaretur in monte: tertiò cùm in igneis liguis super Apostolos apparuit, eósque ita inflãmauit, vt palàm profiteri non dubitarẽt, quia Christus est Iesus, & quòd nullum prætereà nomen sit sub cælo in quo oporteat
Act. 6. nos saluari. Ecce an nõ hæc ingentia sint testimonia? Et hi tres vnum sunt, non modò diuinitatis natura, sed etiam in testificationis de Christo cõsonantia. Nam & hoc quæritur in testibus, vt testimonium ipsorum sit consonum. Sed vt in cælo, ita etiam in terra tres habet testes, spiritum, aquã, & sanguinem. Suprà hos eosdem testes deposuerat, hic repetit, vt fides sit firmior. Et quia hi quoq; tres vnũ sunt, non nisi de Christo intelligimus, vt sit spiritus, quẽ Deo patri in manus suas cõmendauit, aqua & sanguis, quæ simul de corpore eius profluxerũt,
Quan

Quanquam & ille sanguis, qui à circunciso & flagellato recessit:& aqua quę in cunabulis,& cùm videret ciuitatē,& cùm *Ioan.19.*
suscitaret Lazarū ex fletu lacrymæ promanarunt. Et hi quoq; *Ioan.11.*
tres vnum sunt, non modò secum, sed & cum superioribus tribus in cælo. Pater, verbum, spiritus, testificantur quod Christus sit Iesus, hoc est, quòd non tantùm homo, sed & Deus sit: Spiritus verò, aqua & sanguis testificantur, quòd Iesus sit Christus, hoc est, quòd non tantùm Deus, sed & homo sit. Quibus testibus collatis, Christum Iesum verum Deum, verúmque hominem esse asseritur. Videte ergo firmitatem atq; præstantiam fidei nostræ, quoniam nulla alia fides tot tantísque testimoniis vndequaq; roborata est, præter nostram. Nunc audiamus quàm potens hæc fides sit. Idipsum autem Ioannes quoque docebit. Omne, inquit, quod natū est ex Deo, vincit mundum:& hæc est victoria quæ vincit mundum, fides nostra. Ecce fidei nostræ virtutem. Vincit mundū, inquit Apostolus. Fides eorum est, qui ex Deo nati sunt, & præstant vt credant se esse filios Dei, & possint omnia. Quomodo hoc? inquis. Audi quid dicat: Qui credit in filium Dei, habet testimonium Dei in se, hoc est, qui credit quòd Christus sit Iesus, iisdem testimoniis quibus Christus declaratus est filius Dei, ipse quoque filium Dei se esse adducitur credere. Pater testificatur de eo, cùm ait: Eritis mihi in populū, & ego ero vobis in Deum.
Verbum quoque Christus testificatur. Scit, inquit, pater *Ezech.36*
vester, quòd his omnibus indigetis. Et placuit patri vestro *Matt.6.*
dare vobis regnum. Denique & spiritus testificatur, & quem- *Luca 12.*
admodum Paulus ait, reddit testimonium spiritui nostro, *Rom.8.*
quòd filij Dei sumus, & docet clamare, Abba pater noster *Matt.6.*
qui es in cælis. Hoc ipsum quoque tres in terra testificantur: Spiritus, quem præsentem, & ad pietatem impellentem sentimus: Aqua, Baptismus, in quo in nomine S S. Triadis abluti sumus:& sanguis, sacramentum corporis, & sanguinis Christi, quo conseruamur. His testibus confirmati, quòd verè filij Dei sumus, fide omnipotentes quodammodo efficimur: fide inquam, nam merito suæ fidei hoc tribuitur, qui se firmat in eo qui omnipotens est. Huc pertinet ergo
quod Christus ait: Credenti omnia possibilia sunt. Et: Por- *Matt.17.*
tæ inferi non præualebunt aduersus eam. Et quod Paulus: *Matt.16.*
Omnia possum in eo qui me confortat. Huc etiam quæ ali- *Phil.4*
bi, cùm multa de fidei præstantia dixisset, subnectens ait: San- *Heb.11*

cti

cti (quorum multos recenſuit) per fidem vicerunt regna, operati ſunt iuſtitiam, adepti ſunt repromiſsiones, obturauerunt ora leonum, extinxerunt impetum ignis, effugarunt aciẽ gladij, conualuerunt de infirmitate, fortes facti ſunt in bello, caſtra verterunt exterorum, & quæ ſequuntur. Fides in omni anguſtia conſolatur & firmat. Periit res, fides ait. Theſaurum ha-
Matt. 19 bes in cælo: premit egeſtas, fides ait: Scit pater quia his opus
Matt. 6 habes: perſecutio inſtat, fides ait: Veſtrum eſt regnũ cælorum.
Matt. 5 Siue viuimus, ſiue morimur, Domini ſumus. Hoc modo non
Rom. 14 tantùm mundũ, ſed ipſum etiam Diabolũ mundi principem
1. Pet. 5 vincimus. Vnde Petrus forti fide aduerſus Satanam pugnare
Ephes. 6 monet. Et Paulus ſcutũ fidei ſumere, in quo poſsimus omnia tela nequiſsimi ignea extinguere. Non ſine cauſa igitur eiuſmodi cùm Euangelium tum Epiſtola hodie ſimul leguntur, quæ tanta nobis de fide prædicãt. Fœlix Thomas, cui pro Chriſti ſeruatoris dignatione vna hora, adeóque vno momento ex incredulo fieri fidelem datũ eſt. Agite ergo, agnoſcamus Dei benignitatem in nos, qui non modò Chriſtum dominum & ſaluatorem noſtrum à morte pro iuſtificatione noſtra ſuſcitáuit, vèrùm etiam ſuſcitatum tam multis teſtibus in cęlo atque in terra manifeſtum fieri dedit. Agnoſcentes verò gratias agamus, & vt ſui ſpiritus rore creſcat, quæ in nobis eſt fides, oremus. Cui laus & gloria in ſecula. Amen.

DOMINICA SECVNDA PASCHÆ, MISERICORDIA DOMINI, EVANGELIVM IOAN. X.

DIxit Ieſus: Ego ſum paſtor bonus. Bonus paſtor animã ſuam dat pro ouibus ſuis. Mercenarius autẽ, & qui non eſt paſtor, cuius non ſunt oues propriæ, videt lupum venientem, & dimittit oues & fugit, & lupus rapit, & diſpergit oues. Mercenarius autem fugit, quia mercenarius eſt, & nõ pertinet ad eum de ouibus. Ego ſum paſtor bonus, & cognoſco oues

ſco oues meas,& cognoſcũt me meæ.Sicut nouit me pater,& ego cognoſco patrem,& animam meam pono pro ouibus meis.Et alias oues habeo,quæ nõ ſunt ex hoc ouili,& illas oportet me adducere,& vocem meam audient,& fiet vnum ouile & vnus paſtor.

EADEM DOMINICA

Epiſtola. 1. Pet. II.

CHriſtus paſſus eſt pro nobis,vobis relinquens exemplum,vt ſequamini veſtigia eius. Qui peccatum non fecit,nec inuentus eſt dolus in ore eius. Qui cùm malediceretur,non maledicebat: cùm pateretur,non comminabatur:tradebat autẽ iudicanti ſe iniuſtè. Qui peccata noſtra pertulit in corpore ſuo ſuper lignũ,vt peccatis mortui,iuſtitiæ viuamus: cuius liuore ſanati eſtis. Eratis enim aliquando ſicut oues errantes,ſed conuerſi eſtis nunc ad paſtorẽ & Epiſcopũ animarũ veſtrarum.

SERMO.

CVm ſuperioribus diebus multa de Chriſti reſurrectione tractaremus, hoc quoque inter cætera dictum eſſe meminimus, quòd ipſa reſurrectio Chriſti, Chriſtianorũ omniũ forma ſit & exemplũ.Et quia hodie non modò Chriſtus, vt Euangelica tradit hiſtoria, verumetiã Petrus eiuſdem humanæ redemptionis myſterij meminerunt: tẽpus atque materia eadẽ de re hîc quoque loqui nos,alio tamen,ſed non diuerſo modo, admonent. Neque enim vllũ tempus ſine reſurrectionis memoria rectè tranſigitur:& tam latè ſe eius diffundit conſideratio,vt omniũ temporum meditationi facilè ſufficiat. Id quod *Epheſ.1* Paulus innuit,cùm Epheſiis ſpiritum ſapiẽtię & reuelationis, & illuminatos oculos cordis precatur: nẽpe vt poſsint cognoſcere virtutis Dei ſupereminentẽ magnitudinem,quam pater operatus eſt in Chriſto,ſuſcitans eũ à mortuis:& quæ ſequuntur.Adhuc igitur dico,mortuus eſt Chriſtus & reſurrexit,non ſolùm(vt præcedentes ſermones habẽt) propter delicta noſtra & iuſtificationẽ,& glorificationem,& beatitudinẽ,nec etiam

vt iuſt

vt iustitiæ viuamus mortui peccatis(quod ante demonstraui-mus)verumetiam ac maximè,vt qui in vinea Domini labora-re cœpimus, qui aliorum hominum, pro animæ beatitudine consequenda, curam gerimus, qui aliquo modo Christo suc-cedimus officio,ipsum imitemur exẽplo. Habet quidem & a-lia hæc Euangelica lectio digna memoratu, vt cùm credentes in genere balantũ humilitatis admonet,naturámque ipsarum describens, veri eas pastoris vocem audire atque cognoscere docet. Tum etiam quòd gentium vocationis meminit,ac deni que vnũ ouile vnúsque pastor promittitur. Hæc tamen omnia ad ea quæ prius diximus referuntur. Nam & homines ouium imitentur naturam, vt Gentes ad vnius fidei agnitionem per-ducantur:vt denique vnum omniũ ouile sit pastoris in primis requiritur bonitas. Rursum frustrà pastoris desudat industria, vbi qui vocem non alienã,sed proprij pastoris audire debebãt, obsequi & parère recusant,fitque omnino vt vocationũ ordini bus neglectis,cùm illi rectè præesse,hi obsequi renuunt,totius sequatur Reipublicæ confusio. Proinde Euangelicæ lectionis sequentes seriem, principiò pastoris, deinde & ouium quan-tum eius pro tempore licebit describatur qualitas. Vos inter-ea animis adeste æquis: & quẽadmodum omnium hîc agitur negotium,sic omnium dicentis animo faueat intentio. Nemo ipsam Euangelij lectionem propterea vilem existimet, quòd communibus non exquisitis pro mundi huius scientia verbis
1. Cor. 1 descripta est, multóque minus contemnat. Placuit enim Deo per stultitiam prædicationis saluos facere credentes. Imò ma-gis gratias agamus Deo, quòd notis ac vulgaribus verbis di-uinam voluntatẽ suam nobis patefacere sit dignatus. Omnes autem intelligimus, quid sit pastor, quid mercenarius, quid oues. quid lupus, quid denique ouile. Et principiò quòd Chri-stus se pastorem bonum dicit, examinandum est diligentius. Non enim simpliciter dixit: Ego sum pastor bonus, sed: Ego sum pastor ille bonus. Id quod articulus Græcus habet ὁ. Quo sanè hoc innuitur, ꝙ Christus ipse singularis ille & mortali-bus omnibus necessarius, inq; Prophetis promissus sit pastor. Pastor enim Latinis, à pascendo dicitur. Et Christus propriè pascit, & perfectissimo modo, corpus atque animã nutriens, quia Deus ipse omnia fouet, homo hominibus promissus est.
Psal. 125 Dauid enim de illo loquens: ait: Qui dat escam omni carni,
Psal. 144 Et alibi ad ipsum conuerso sermone: Oculi, inquit, omnium
in te

in te ſperant Domine, & tu das eſcam illis in tempore opportuno. Aperis tu manum tuam, & imples omne animal benedictione. Et: Dante te illis, colligent: aperiente te manum tuam, omnia implebuntur vbertate. Sic cibauit populum *Exod. 16*
Iſraëlem in deſerto manna & coturnicibus, & aqua de petra fluente potauit. Sic Moſen & Eliam quadraginta diebus ſine *Deut. 9*
corporali alimento ſuſtentauit. Paſcit ac fouet etiamnum, *3. Reg. 19*
quando homines, iumenta, malos atque bonos, obedientes, *Matt. 5*
contumaces, neminem à naturæ paſtu ſecludit, ſed ſolem facit lucere ſuper bonos & malos, & pluit ſuper iuſtos & iniuſtos. Quemadmodum olim Ioſeph in Aegypto, fratres ſuos, *Geneſ. 45*
quos pro meritis pœna afficere potuiſſet, iniuriarum oblitus, onuſtos remittit domum, poſtea etiam fauet ipſis & conſeruat. Sed paſtoris eſt non modò paſcere, ſed & curam gregis gerere, vt ſecurè paſcatur: de qua re Iacob ad Laban loquitur. *Geneſ. 31*
Cùm ergo paſtorem ſe Chriſtus promittit, curam & ſolicitudinem ſe noſtri gerere dicit. Vnde in Zacharia curam ſuam *Zach. 2*
inſinuans, Ego, inquit, ero eis murus ignis in circuitu. Et in Iſaia: Nunquid obliuiſci mulier poteſt infantem ſuum, vt *Iſa. 49.*
non miſereatur filio vteri ſui? Et ſi illa oblita fuerit, ego tamen non obliuiſcar tui. Ecce in manibus meis deſcripſi te, muri tui coram oculis meis ſemper. Hanc etiam Dauid mirificè prædicat. Vt cùm ait: Dominus regit me, & nihil mihi *Pſal. 22*
deerit, in loco paſcuæ, ibi me collocauit: ſuper aquas refectionis educauit me, animam meam conuertit. Et: Domi- *Pſal. 26*
nus illuminatio mea, & ſalus mea, quem timebo? Auxilium *Pſal. 120*
meum à Domino qui fecit cœlum & terram. Ecce non dormitabit neque dormiet, qui cuſtodit Iſraël. Dominus ſolicitus eſt mei, non timebo quid faciat mihi homo. Et Chriſtus de patre: Scit pater veſter, quid opus ſit vobis, antequam pe- *Matt. 6*
tatis eum. Et Petrus: Omnem curam proiicite in eum, quo- *1. Pet. 5*
niam ipſi cura eſt de vobis. Et hæc de eo dicta ſint, quòd corporaliter nos paſcit, & curam noſtri gerit paſtor Chriſtus. Eſt autem & alio modo paſtor, cùm animas noſtras ſe ipſo, verbo Euangelij, atque Sacramentis paſcit: quod beneficium eò maius eſt, quo corpore anima præſtantior eſt. Et hac ratione animarū paſtor, & Epiſcopus propriè dicitur. Id quod Petrus teſtatur cùm Gentes, qui aliquādo ſine paſtore oues errātes fuerāt, ad paſtorem & Epiſcopum animarū ſuarum conuerſos eſſe dicit. Quibus verbis Apoſtolus Chriſtum inſinuat, quemad- *1. Pet. 2*
modum

modum ipse quoque omnes ad se inuitat, & venientibus vi-
Matt. 11 tam & animarum requiem promittit. Quo sensu pleraque
Ioan. 6 in sexto Ioannis capite intelligenda sunt, vbi in se pane viui-
fico & cælesti immortalitatis nutrimentum promittit. Hoc
nulli alteri competit: solius enim Christi hoc est munificen-
Genes. 4 tiæ. Fuerunt quidem & alij pastores, & ipsi boni. Bonus pa-
stor erat Abel, qui de primogenitis gregis sui, & de adipi-
Genes. 31 bus eorum attulit Deo. Fuit & Iacob pastor bonus, qui vi-
ginti annis seruiens Laban, præterquam quòd arietes gregis
non comedit, etiam omne damnum reddidit, summis vigi-
Exod. 3 liis, atque curis greges pauit. Fuit & Moses pastor adeò bo-
nus, vt pastor & dux totius Israëlis tãquam gregis à Deo con-
stitueretur: adeò fidelis, vt Pauli eulogio propè solus videa-
Hebr. 3 tur fidelis seruus fuisse in omni domo Dei. Nec Pauli solùm,
Num. 18 sed ipsius etiam Dei testimonio, bonæ fidei credatur seruus
Psal. 77 Dei. Fuit & Dauid bonus pastor, & pastor gregis dominici
constitutus est, de quo Scriptura loquens ait: Et elegit Dauid
seruum suum, & sustulit eum de gregibus ouium, de post fœ-
tantes accepit eum. Pascere Iacob seruum suum, & Israël
hæreditatem suam. Et pauit eos innocentia cordis sui, & in-
tellectibus manuum suarum deduxit eos. Fuerunt & Aposto-
2. Petr. 1 li pastores boni, Petrus enim de se loquens, ait: Non negli-
gam semper commonere vos de his. Iustum autem arbitror
quandiu sum in hoc tabernaculo, suscitare vos in commotio-
1. Cor. 4 ne: certus quòd velox est depositio tabernaculi mei. Et ex-
pressius de se atque aliis Paulus testatur: Sic nos existimet ho-
mo, vt ministros Christi, & dispensatores mysteriorum Dei.
Hic iam quæritur inter dispensatores, vt fidelis quis inuenia-
tur. Etiam si decem millia pædagogorum habeatis in Chri-
1. Cor. 11 sto, sed non multos patres. Ego vos in Christo Iesu per Euan-
gelium genui. Et alibi: Existimo enim me nihil minus fe-
cisse à magnis Apostolis. Et enumeratis quæ perpessus erat
multis, præter illa, inquit, quæ intrinsecus sunt, instantia
1. Thes. 2 mea, quotidiana solicitudo omnium Ecclesiarum. Quis in-
firmatur, & ego non infirmor? Et tanquam nutrix fouens fi-
lios suos, ita desiderantes vos, cupidè volebamus tradere vo-
bis non solùm Euangelium Dei, sed etiam animas nostras.
Act. 21 Et Cæsareæ: Quid, inquit, facitis flentes & affligentes cor
meum? Ego non solùm alligari, sed & mori in Hierusalem
paratus sum propter nomen Domini Iesu. Sed denique etiam
post

post Apostolos, & quidem longo tempore in Ecclesia boni pastores inuenti sunt plurimi: sed ne vnus quidem ita bonus, quemadmodũ Christus. Nemo vel pro seipso sufficit, nedum aliis satis rectè præsit. Christus seipso pascit, & vt alij pascere possint, largitur. Hinc est, quòd cùm multi alij pastores & piscatores promittuntur, peculiari tamen ratione ipse tanquam pastor pastorum in Prophetis prædicetur atque exoptetur. Moses ad dominum precatur, dicens: Prouideat Dominus Deus spirituum omnis carnis hominẽ, qui sit super multitudinem hanc, & possit exire & intrare ante eos, & educere eos vel introducere, ne sit populus Domini sicut oues absque pastore. Et Michæas Propheta, Pasce, inquit, populum tuum Domine in virga tua, gregem hæreditatis tuæ, qui solus manet in sylua. In medio carmeli pascentur Basan & Galaad, iuxta dies antiquos. Et Dauid: Erraui, inquit, sicut ouis quæ periit, require seruum tuum. Quibus quasi respondens Dominus, ait: Ecce ego ipse requiram oues meas, & visitabo eas sicut visitat pastor gregem suum, in die quando fuerit in medio ouium suarum dissipatarum. Sic visitabo oues meas, & liberabo eas de omnibus locis in quibus dispersæ fuerant in die nubis & caliginis. Et educam eas de populis, & congregabo eas de terris, & inducam eas in terram suam, & pascam eas in mõtibus Israël in riuis & in cunctis sedibus terræ. In pascuis vberrimis pascam eas, in mõtibus excelsis Israël erunt pascua earum. Ibi requiescent in herbis virentibus, & in pascuis pinguibus pascentur super montes Israël. Ego pascam oues meas, & ego eas accubare faciã, dicit Dominus Deus. Ecce promissionem Dei, qui seipsum pastorem venturum esse promittit. An non huic promissioni respondet Christus, cùm se illũ ipsum promissum pastorem dicit esse? Et quid illa sibi volunt? Principiò vt confirmemus fidem nostram in Christum Iesum vnicum & verum animarum nostrarum pastorem. Illa enim solidum spiritalis structuræ fundamentum est, sine qua cætera omnia vana sunt, cuius vel consequendæ vel firmandæ causa, quicquid Euangelia habẽt, traditum est. Multa de fide, & quidem doctore Christo Apostoli audierant, non tamen pro augmento Dominum orare fidei puduit. Domine, inquiunt, adauge nobis fidem Petrus Christum filium Dei viui, non carnis sanguinisue, sed cælestis patris reuelatione confessus erat, nihilo minus opus habebat, vt Christus pro ipso patrem rogaret, ne

Num. 27. *Mich. 7.* *Psal. 118.* *Ezech. 34* *Luc 17.* *Matt. 16.* *Luc 22.*

Luc. 18. fides eius deficeret. Atque in nouissimis temporibus quando iudicium instabit, tam rara in terris fides erit, vt Christus ipse quasi subdubitans quæsierit: Filius, inquiens, hominis veniēs, putas inueniet fidem in terra? Permultum igitur refert, hanc nostram de Christo pastore confirmare fidem, quæ hoc præstabit, vt peccata deponamus, in morte contráque mortem nosmet confirmemus, & denique inferni horrorem abiiciamus. Hanc ob causam isthoc verbum: Ego sum pastor bonus, non modò mox post resurrectionis solennem diem in Ecclesiis sonat, verùm etiam octiduo toto ingeminatis vocibus hominibus inculcatur: Surrexit pastor bonus, qui posuit animam suam pro ouibus suis, & pro grege suo mori dignatus est. Nempe vt cum intelligimus vnum illud quod boni pastoris est, expleuisse eum, scilicet pro ouibus suis animam suam posuisse, cætera quoque de ipso firma fide expectemus: vt quod ait, se suas oues cognoscere, nos curæ esse Deo adeò, vt capillos etiam capitis nostri omnes numerauerit, credamus. Quæ res quantum piis mentibus consolationis adferat, vix dici potest. Vt enim ingenti horrore mens humana concutitur, si quando derelictam se à Deo iudicauerit, quemadmodum Iob & ipse Christus testimonio sunt, cùm ille ait: Quare

Iob. 42. Matt. 27 faciem tuam ô Deus abscondis? hic verò clamat: Deus Deus meus, vt quid dereliquisti me? Ita plenum gaudium est, vbi nos ad eius cognitionem pertinere non iam vniuersalem, sed singularem illam, qua vt filios pater cognoscit nos, nobis certò persuademus. Vnde Dauid ait: Dominus cognoscit figmen-

Psal. 102 tum nostrum. Et Dominus ad Mosen: Noui te ex nomine. Et

Exod. 33. de Iob loquens, quòd similis ei non sit in terra, testatur, sic se-

Iob 1. ptem milia virorum cognouit in omni populo, qui non curua

3. Reg 18. uerunt genua sua ante Baal. Sic Dauid inter reliquos fratres

1. Reg. 16. minimum cognouit. Vnde ait ad dominum Dauid: Domine

Psal. 138. probasti me & cognouisti me, tu cognouisti sessionem meam & resurrectionem meam. Sed & hoc de pastore nostro credamus, quod quemadmodum in hoc Euangelio dicit alias se habere oues, sed non ex illo ouili, quas oporteat adducere, iam

Psal. 75. compleuerit in nobis gentibus. Nec quasi indignos huius fi-

Matt. 15. dei cosortio nos terreat, quod Dauid ait Deum in Iudæa notum esse, in Israël magnum eius nomen glorificari: & quod ipse ait, se non nisi ad oues quæ perierunt domus Israël esse

Psal. 2. missum. Nam ad ipsum pastorem pater in Psalmis loqui-

tur. Postula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam. Et in Isaia: Dedi te in lucem gentium, vt sis salus mea vsque ad extremum terræ. Et ipse Christus ait: Ab ortu solis vsque ad occasum magnum esse nomen suum in gentibus, multósque ab occidente & oriente venturos esse, qui cum Abraham, Isaac, & Iacob recumbant in regno patris, eiectis filiis regni. Quin cum habere se dicit Gentes, quasi alias oues, ipsos quoque in sua se cura habere gentes insinuat, sicut Apostolus in genere loquitur. Elegit nos, inquit, in Christo ante mundi huius constitutionem, Quod si ergo perpendere possemus, quid sit à Deo haberi, imò iam adductos esse in ouile Ecclesiæ, qui aliquando sine lege, sine testamento longè aberrauimus in plusquam Cymmeriis tenebris, ipsi tenebræ profectò ingens hoc esse Dei beneficium agnosceremus, nostrámque fidem fortissimè muniremus hoc ipso quòd se illum pastorem bonum dixit. Verùm non tantum fides firmanda hoc dicto est, sed & exemplum hoc dicentis sequendum est, id quod dicturum me esse initio receperam, & nunc dicam. Christus bonus pastor ille est, & vt sciremus quia ipse est, quod boni pastoris est fecit, animam suam pro ouibus suis posuit. Idem princeps pastorum hoc munus aliis commendauit, qui se ablato ad cælos, vices suas subirent, in iustitia & scientia pascerent. Neque enim soli Petro, quæ solicitudo, quis erga oues affectus requiratur, ostendit. Omnes misit sicut ipse missus erat à patre. Id quod Paulus apertè testatur. Dedit, inquit, quosdam Apostolos, quosdã verò prophetas, alios verò Euangelistas, alios autem pastores, & doctores ad consummationem sanctorum in opus ministerij, in ædificationem corporis Christi. Vnde & Petrus eos monens, ait: Pascite qui in vobis est gregem Dei, prouidentes non coactè, sed spontaneè, secundum Deum: neque turpis lucri gratia, sed voluntariè: neque vt dominantes in cleris, sed forma facta gregis ex animo: & cùm apparuerit princeps pastorum, percipietis immarcessibilem gloriæ coronam. Hanc formam etiam veteris Instrumenti ea de re præcepta præscribunt. vt ad Isaiam: Clama, ne cesses, quasi tuba exalta vocem tuam, & annuncia populo meo scelera eorum, & domui Iacob peccata eorum. Et ad Ezechielem: Fili hominis, speculatorem dedi te domui Israël, & audies de ore meo verbum, & annunciabis eis ex me: & quæ sequuntur. Hinc Paulus necessitatem sibi incumbere euange-

Isa. 49. *Mal. 1.* *Matt. 8.* *Eph. 1.* *Ephe. 2.* *Ioan. 20.* *Ephe. 4.* *1. Pet. 5.* *Isa. 58.* *Eze. 3. 33.* *1. Cor. 9.*

lizandi affirmans: Væ, inquit, mihi est, si non Euangelizauero. De magistratu ciuili alibi dicemus, nam & his necessitas quædam incumbit omnia ad ædificationem mystici corporis Christi referre studia. Hic de Ecclesiasticis agimus. Et quidam mandatum promissio sequitur, non modò corporalium, sed & spiritalium rerum. Id quod nomina ipsis indita significant. In Matthæo atque Marco, Sal terræ, lux mundi dicuntur. Et hæc appellatio cùm honorifica sit, præstantius tamen aliquid de ipsis Malachias propheta pronuncians: Sacerdotes, inquit, custodiunt scientiam, & legem ab ore eius requirent, quia angelus domini exercituum est. Sed omnium præstantissimum Psalmista addit, cum ipsos alloquitur in persona Dei, Ego dixi dij estis & filij excelsi omnes. Et quid hoc titulo præstantius? Sed ne dicas mihi, hæc omnibus credentibus ex æquo conuenire, audi quid præcedat: Stetit Deus in synagoga Deorum, in medio autem Deos diiudicat. Ecce Deorum differentiam, quos ipse Deus secreuit. Denique & Daniel de quodam pastorum priuilegio loquitur: Qui autem docti fuerint, fulgebunt quasi splendor firmamenti, & qui ad iustitiam erudiũt multos, quasi stellæ in perpetuas æternitates. Et hæc quidem de spiritali præmio dicta sint. Quod autem ad corporalia, Paulus ait: Rogamus vos fratres, vt noueritis eos, qui laborant inter vos, & præsunt vobis in domino, & monent vos, vt habeatis illos abundantius in charitate propter opus illorum, & pacem habete cum eis. Et ad Timotheum primæ capite quarto scribit, vt qui benè præsunt presbyteri, duplici honore digni habeantur, maximè qui laborant in verbo & doctrina. Dicit enim scriptura: Non alligabis os boui trituranti. Et: Dignus est operarius mercede sua. Hic iam conferamus mandatum & mercedem, cum eorum qui hac tempestate præsunt Ecclesiastarum negligentia, an non mirum in modum & admirandum & dolendum est, eos nec mandato incitari, nec promissione duci, vt suæ pro officio vocationi respondeant? Bonus pastor animam suam dat pro ouibus suis. Hæc regula est, vt secundum tres animæ potentias, & extrema nostra pro ouibus impendamus, bono pietatis exemplo præcedamus: postremò liberaliter, verbo, sacramentis, etiam animæ periculo ipsis prouideamus. Qui ergo minora negat, quando præstantiora impendet? Amore dignitatis atque lucri cupiditate omnes sese ingerunt

Matt.5. Mar.9. Mal.3. Psal. 81. Dan.10. 1.Thes.5. 1.Tim.5. Deut.25.

runt, boni pastoris exemplum sequuturos se promittunt, sed nihil præstant. Tot annos de Ecclesiæ matrimonio viuunt atque ditescunt, nec tamen miseris modis quassatæ opitulan tur. Tot pereunt oues, nemo miseretur. Quò tandem res deueniet? Omnes quærunt quæ sua sunt, non quæ Iesu Christi, planéque illa in Ecclesia est eorum facies, quæ olim, cùm spiritussanctus in prophetis conquerebatur de pastorum iniuria. Speculatores eius (Ecclesiæ) cæci omnes, nescierunt *Isa.56.* vniuersi, canes muti non valentes ad latrandum, videntes va na, dormientes & amantes somnia, & canes impudentissimi nescierunt saturitatem. Ipsi pastores ignorauerunt intelligen tiam, omnes in viam suam declinauerunt, vnusquisque ad auaritiam suam, à summo vsque ad nouissimum. Venite sumamus vinum, & impleamur ebrietate, & erit sicut hodie, sic & cras, & multo amplius. Et in Ieremia: Sacerdotes non di- *Iere.2.* xerunt: Vbi est Dominus? & tenentes legem nescierunt me, & pastores præuaricati sunt in me. Vide Ieremiam ibidem & *Idem 23.* alibi. Paruuli petierunt panem, & nemo erat qui frangeret. Et *50. & 25.* in Ioële primo, Naum tertio, Ezechielis trigesimoquarto, Za *Thren.4.* chariæ vndecimo capitibus. Talis Ecclesiæ status erat illorum temporibus, talis erat Christi tẽporibus, cum populum aber- *Matt.9.* rantem vidit veluti gregrem sine pastore: & messem multam, *Mar.6.* sed operarios paucos. Christus & Apostoli Apostolicique viri, vt reducerent sudauerunt, & non omnino frustra laborauerunt. Cum enim Mileti Paulus Ephesinæ Ecclesiæ seniores conuocaret, ipsísque valediceret, florebat Ecclesia. Sed quid Paulus ait ad ipsos? Contestor vos hodierna die, quia mundus sum à sanguine omnium. Non enim subterfugi, quo minus annunciarem omne consilium Dei vobis. Attendite vobis & vniuerso gregi, in quo vos spiritus- *Act.20.* sanctus posuit Episcopos, regere Ecclesiam Dei, quam acquisiuit sanguine suo. Ego scio quoniam intrabunt post discessionem meam lupi rapaces in vos, non parcentes gregi. Et ex vobis ipsis exurgent viri loquentes peruersa, vt abdu cant discipulos post se. Hæc ille. Nunquid non hæc tempora respexisse putatis? Eandem & Dauid calamitatẽ præuidit, cùm *Psal.76.* ait: Vineam de Aegypto transtulisti, eiecisti gentes, & plantasti eam. Dux itineris fuisti in conspectu eius, plantasti radices eius, & impleuit terram. Et mox: Vt quid destruxisti maceriam eius, vt vindemiant eam omnes qui prætergrediuntur

 viam

viam? Exterminauit eam aper de sylua, & singularis ferus
Chrys. in depastus est eam. Aper & fera syluestris diabolus est, atque
2.5. omnis illius potestas. Agrestis ferocitas est impura eius au-
Phil.hō.6 dacia. Hanc diaboli naturam, & Christus in hoc Euangelio
descripsit: Lupus, inquit, rapit & dispergit. Hæc ferarum na-
Ian.10. tura est, cui se pastor opponere debuit, etiam ad effusionem
sanguinis vsque. Sed negligit, non quia ignorat: vidit enim
Ioan.11. lupum venientem & fugit. Ex pastore factus est mercena-
Act. 9. rius. Fugit & Christus & Paulus, sed non cùm lupus veniret,
non vt oues desererēt, sed vt diutius illis præesse possent. Mer
cenarius est, qui tempore pacis oues pascit, sed lucri gratia,
tempore belli gregem derelinquit. Non bonus pastor est, imò
nec pastor est. Nec tamen omnino malus est, qui nec fur nec
latro est. Verùm quia non bonus est, & hic pœnam dominos
derelinquentium incurrit. Et quid hic faciendum ouibus?
Nunquid contra iniquos illos debachandum? Cupiunt atque
gestiunt hoc quidem, sed non oues. Timendus est lupus, fures
& latrones auersandi sunt. Ouina natura derelinquenda non
est. orandum est. Quid verò? Audi Dauid formam tibi præ-
Psal. 79. scribentem. Deus virtutum conuertere, respice de cælo, & vi-
de, & visita vineam istam, & perfice eam, quam plantauit dex-
tera tua. Et quæ sequuntur. Audi Mosen dicentem: Prouideat
Num.27. Dominus Deus spirituum omnis carnis hominem, qui sit su-
per multitudinem hanc, & possit exire, & intrare ante eos,
& educere eos, vel introducere, ne sit populus Domini sicut
oues absque pastore. Audi & Christum, & obedi: Messis, in-
Mat.9. quit, quidem multa, operarij autem pauci. Rogate ergo Do-
minum messis, vt mittat operarios in messem suam. Sed nec
hoc solùm orandum est, vt ipsi quoque in ouium numero si-
mus, precemur. Non enim omnes cognoscit pastor pasto-
Ioan.14. rum. Non de omnibus dico, inquit, ego scio quos elegi. Ne-
que enim omnes qui dicunt illi Domine, Domine, intrabunt
Mat.7. in regnum cælorum. Deus nouit qui sunt eius. Multi nunc
2. Tim.2. quidem coram hominibus ouina pelle teguntur, sed hos
Mat. 25. quoque dies indicabit, quæ seiunget hædos ab ouibus. Pro-
inde quia hæc differentia secernit oues ab hædis, cognoscunt
me meæ, & vocem meam audiunt, & sequuntur. Hoc labo-
Ioan.7. randum est, vt seposita Iudaica ignorantia, quæ nescit vnde
hic pastor sit, fidem nostram de & in Christo pastore verè bo-
no confirmemus, vt eum hic quantum licet cognoscamus, &
al

ab ipso olim cognoscamur perfectius: hic ipsum confitentes sequamur, vt & ipse nos in maiestate sua coram patre confi- 1. *Cor.* 14
teatur, qui cum eodem patre & Spiritusancto viuit & regnat *Luc.* 9.
Deus in secula. Amen.

DOMINICA TERTIA PASCHAE IVBILATE, EVANG. IOANNIS XVI.

Modicum & iam non videbitis me, & iterum modicũ & videbitis me, quia vado ad patrem. Dixerunt ergo ex discipulis eius ad inuicem. Quid est hoc quod dicit nobis, modicum & non videbitis me, & iterum modicum & videbitis me, quia vado ad patrem? Dicebant ergo: Quid est hoc, quod dicit modicum? Nescimus quid loquitur. Cognouit autem Iesus, quia volebant eum interrogare, & dixit eis: De hoc quæritis inter vos, quia dixi vobis, Modicum & non videbitis me, & iterum modicum & videbitis me. Amen amen dico vobis, quia plorabitis & flebitis vos, mundus autem gaudebit. Vos autem contristabimini, sed tristitia vestra vertetur in gaudium. Mulier cùm parit, tristitiam habet, quia venit hora eius. Cùm autem peperit puerum, iam non meminit pressuræ, propter gaudium, quia natus est homo in mundum. Et vos igitur nunc quidem tristitiam habetis: iterum autem videbo vos, & gaudebit cor vestrum, & gaudium vestrum nemo tollet à vobis.

EADEM DOMINICA EPISTOLA, I. PET. I.

CHarissimi obsecro vos, tanquam aduenas & peregrinos, abstinere vos à carnalibus desiderijs, quæ militant aduersus animam, conuersationem vestram inter Gentes habentes bonam, vt in eo quod detrectant de vobis tanquam de malefactoribus, ex bonis operibus vos considerantes, glorificent Deum in die visitationis. Subiecti igitur estote omni humanæ creaturæ propter Deum: siue regi quasi præcellenti: siue ducibus, tanquam ab eo missis ad vindictam malefactorum, laudem verò bonorum: Quia sic est voluntas Dei, vt benefacientes obmutescere faciatis imprudentium hominum ignorantiam. Quasi liberi, & non quasi velamen habentes malitiæ libertatem, sed sicut serui Dei. Omnes honorate, fraternitatem diligite, Deum timete, Regem honorificate. Serui subditi estote in omni timore dominis, non tantùm bonis, sed etiam discolis.

SERMO.



SI quis nescit quæ patrum fuerit in Ecclesiasticis rebus diligentia, huc oculos mentémque conuertat, & intelliget. Ita enim hoc Euangelium cùm Epistolæ lectione in hoc tempus ordinata sunt, vt rectiùs nequeant. Nam cùm in ipsa resurrectionis solennitate Christus vti fortis atque vnicus mortis infernique triumphator progreditur: proximè sequenti dominica die fructus ipsius resurrectionis, vt sunt gaudium, pax, Spiritussanctus, peccatorum remissio, recensentur: tertiò deinde sermone cùm pastoribus tum omnibus credentibus exemplum proponitur: quid superest, nisi vt hic discamus qua spe præsentis vitæ tribulatio deuoranda sit cum Christo? Atque hæc Euangelica lectio, illa tam conuenienti ordine tradit, vt nulla alia. Consolatur enim Christus in ea suos variè efficacitérque, ita vt si quis vim atque ordinem verborum horum

rum iusta consideratione in animum reposuerit, quiduis aduersitatis facilè fit deuoraturus. Proinde patres sequētes, eam exhibeamus in meditandis his rebus diligentiam, qua illi in ipsis disponendis. Principiò ergo cùm & fortis & infallibilis hæc est Christi Iesu consolatio, videamus quibus hominibus conueniat his Christi verbis consolari. Rectè autem & soli hic consolationem aduersitatum suarum petunt, qui nullū aliud in hoc mundo refugium norunt, præter Christum abiecti in mundo, contēpti, omnibus inuisi, etiam à Deo, impiorum iudicio, proiecti, quales erant Apostoli, cùm hæc ad eos loqueretur Christus. Hi enim in mūdo quod proprij habuerant, propter Christum abiecerant, Christum nudum nudi sequebantur. Ecce inquiūt, nos reliquimus omnia, & sequuti sumus te. *Matt.19.* Consolatur & credentes omnes, qui ipsum imitātur. Non est capax cōsolationis huius mundus, quia non tristatur propter Christū: imò gaudet & lætatur, sicut Dominus loquitur. Magna ergo differentia est inter discipulos Christi, & mundum. Quemadmodum tristari, & plorare non est quod gaudere & ridere. Vnde necessariò hic altero oculo in Christi cōsolationem, altero in nos ipsos respicimus, an eorū è numero simus, quibus hæc verba conueniant. Nam vt iniquè sibi hæc verba vsurpat mundus, & qui propter impietatem vitiáq; torquentur, ita infœlicissimè quidā id genus cōsolationū sine delectu quibuslibet publicè atque priuatim promittunt: videas enim (vt hæc sunt iniquissima tēpora) quosdam nihil agere præter consolari, omniáq; sperata promittere. Atqui hoc nō est Euangelium totum prædicare, hoc non est ædificare, non est Christo venięti perfectos Christianos formare, vel ipsis etiam testibus, qui ante paucos annos dum lasciuiens ætas tulit, id solùm sequuti sunt, nunc verò nobiscū secùs sentiunt. Audi quid in Isaia loquatur Dominus: Popule meus, inquit, qui te beatū *Isa.3.* dicunt, ipsi te decipiunt, & viam gressuum tuorum dissipant. Stat ad iudicandum Dominus, & stat ad iudicandos populos. Et de iniquis prædicatoribus loquens: Curabant, inquit, con- *Iere.6. & 8.* tritionem filiæ populi mei ad lænitatem, dicentes: Pax pax, & non erat pax. Christus verò, & qui eum in veritate diligunt, quibus sua aliorúmq; salus cura est, rectiùs prædicant Euangelium, cùm totum proponētes fidelibus, quod rei est, maiori cùm fructu salutem operātur auditorum. Taceo hic quod qui tristes non sunt, & qui non flent, consolationis diuinę par-

ticipes esse non possint. Verùm, hoc dico, quòd ea sacræ scripturæ cõsuetudo est, ea ipsius Dei natura est, quæ & probatissimorum medicorũ est, qui prius pericula, deinde sanãdi mo-
2.Tim.4. dum indicant. Atq; ita nobis conuenit, dũmq; alij sibi magistros coaceruant prurientes auribus, & auditũ à veritate auertunt, vt consutis sub vtroq; cubito puluillis benè quiescãt: no-
Isa.30. bis meliora erunt vulnera diligẽtis, quàm fraudulẽta oscula odientis. Ad ipsos tamẽ qui consolantur eos, qui nec tristãtur
Prou. 27. nec flẽt, cum Salomone loquor: Noli Regibus ô Lamuel, hoc
Prou. 31. est, qui tibi proximus videris esse Deo, noli Regibus dare vinum, ne fortè bibãt, & obliuiscãtur iudiciorũ, & mutent causam filiorũ pauperis. Date siceram mœrentibus, & vinum his qui amaro sunt animo. Bibãt & obliuiscãtur egestatis suæ, & doloris sui non recordentur amplius. His verbis quid sibi Sapiens velit, cogitent, & cõsolationis vinũ, quòd propriè mœrentibus debetur, iis qui bellè sibi quasi reges placẽt, non porrigant humilibus, tristibus, & quibus præterea cõsolatio nulla superest. Sic Christus discipulos, sed tristes, hac parabola so-
Ioan. 16. latur: præmisit enim: Flebitis & plorabitis, deinde subdit: Tri-
1. Reg. 2. stitia vestra vertetur in gaudiũ. Mortificat & viuificat, deducit ad inferos & reducit: nempe non possunt nisi mortificati, viuificari: nec reduces fieri, nisi deducti. Huc pertinet quod in
Isa.66. Isaia loquitur: Ad quem respiciã, nisi ad pauperculum & con-
Psal.33. tritũ spiritu, & trementẽ sermones meos? Et quod Dauid: Prope est dominus his qui tribulato sunt corde, & humiles spiri-
Zach. 13. tu saluabit. Et dominus rursum in Zacharia: & conuertã manum meam ad paruulos, & vram eos sicut vritur argẽtum, & probabo eos sicut probatur aurũ, & dicã: Populus meus es: & ipse dicet: Dominus Deus meus. Ecce hic Deo cõsolandi modus est. Mũdus contrà si quos videtur cõsolari, quæ nouit mala futura, tacet ne molestè accipiãt, quos exhilarare cupit. Sed exitus acta probat. Sæpè extrema luctus occupat, quorum initia plena fuerãt gaudij. Tũc passim clamatur: Non putaram, ne sperare quidẽ potui. Tũc demũ lusos se à mundi cõsolationibus intelligunt: sed serò sapiunt Phryges. Neq; verò hic de iis loquor, qui volunt fallere, sed quos nolentes ipsos fallit opinio. Christus ergo rectè consolatur, qui cùm læta denunciat, aduersa futura præmittit. Non ea ipsius natura est, vt velit mœrorem inducere: sed cùm ea, quæ nos manent mala prædicit, alienum à se opus facit, suũ vt deinde opus in nobis
comp

compleat. Optat quidem nosipsos illa præuidere, & quantum licet cōstanti mente mitigare: sed cùm nos id non possumus, ipse quod potest facit. Nemo ergo, cùm audit Christum futura mala, & hinc natos ploratus & fletus prædicere, quasi in nostris malis exultet, auersetur: nemo aduersis immeritò aut etiam non planè sine merito pressus, quasi à Deo abiectus, desperet. Oportet sic fieri. Oportuit Christum pati, oportet & Christianos omnes pati. Vis scire quia ita est? audi Apostolum dicentem: Omnes qui piè volunt viuere in Christo Iesu, persecutionem patientur. Vis ergo non cum mundo, in mundo piè in Christo viuere, vis capitis illius membrum esse, vis à Christo Christianus non ficto nomine dici? quod in ipso capite, quod in magnis illis & multis membris vides, tu quoque expecta, suscipe, perfer. Non leue malum, nec vnum, sed multa & ingentia te expectant, intus, foris, in anima, in corpore, in bonis. Id quod Christus voluit, cum tria illa copulauit: Vos contristabimini, plorabitis, & flebitis: vt tristitiam ad animam, ploratum ad corpus, fletum referas ad externa. Quanquam & alia quædam eius farinæ prædicit, quæ superiora tria illa augent, vt quod dicit: Non videbitis me, vado ad patrem, mundus gaudebit. Sed hæc eò referuntur, vt & timorem & tristitiam intelligamus prædictam. Quicquid enim pios hic premit, aut timoris aut tristitiæ est causa. Mox enim vbi aduersa sibi imminere intelligunt pij, quæ voluntati suæ contraria sunt, abhorrent ac timent, quæ declinare non possunt, tristantur præsentibus malis & eorum cognitione. Mala enim si non cognoscantur, tristitiam nullam generant. Timor semper tristitiam habet, imò hæc illius effectus est, & non econuerso. Et quidem quod ad timorem piorum attinet, vt Apostoli, ita timemus omnes. Habebant illi secum Dominum Iesum, & in ipso omnia. Hunc auferri à se, sine quo bene viuere non poterant, timebant. Nos eundem in nobis spirituali quodam modo habemus. Habemus autem thesaurum istum in vasis fictilibus, atque in via glabra portamus: tum quòd Christus ipse ab ingratis recedat, quòd hominis à Christo relicti nouissima peiora fiant prioribus, quòd non nisi vehementibus suspiriis atque lacrymis amissa semel recuperetur gratia, nouimus. Id quod in Dauid videre est. Vnde meritò semper timemus. Quod & Paulus docet, cum fide stantes, ne altum sapiant, sed magis timeant, monet. Et Petrus: Si, in

Luce 24
1. Tim. 3
Timor piorum.
2. Cor. 4
Matt. 12
Psal. 50
Rom. 11
1. Petr. 1

Si, inquit, patrem inuocatis eum qui sine acceptione personarum iudicat secundum vniuscuiusque opus, in timore incolatus vestri tempore conuersamini. Et iterum: Qui stat, inquit, videat ne cadat. Et Salomon beatum dicit hominem, qui semper est pauidus. Timori autem ex multis aduersitatibus conflatæ coniuncta est tristitia. Et quidem quod ad Apostolos attinet, tristati sunt propter absentiam Domini, sed tantum triduo: tristati sunt postea in officio propter aduersa præsentia. Id quod demonstratione non eget. Apertè Christus ait: Ecce ego mitto vos, sicut agnos in medio luporum. Et: Venit hora, vt omnis qui interficit vos, arbitretur obsequium se præstare Deo. Id quod Dauid olim prædixerat, cùm ait: Euntes ibant & flebant mittentes semina sua. Et acta Apostolorum completa esse testantur. Quorum initium fuit tum, quando resurrectionem ex mortuis annunciantes, Iudæorum Magistratus, apprehensos in carcerem posuerunt. Quare & Paulus ait: Puto quòd Deus Apostolos nouissimos ostendit morti destinatos: quia spectaculum facti sumus mundo & Angelis & hominibus. Nos stulti propter Christum, vos autem prudentes in Christo. Nos infirmi, vos autem fortes. Vos nobiles, nos autem ignobiles: vsque in hanc horam & esurimus & sitimus, & nudi sumus, & colaphis cædimur, & instabiles sumus, & laboramus operantes manibus nostris. Maledicimur, & benedicimus: persequutionem patimur, & sustinemus: blasphemamur, & obsecramus: tanquam purgamenta huius mundi facti sumus, omnium peripsema vsque adhuc. Et: Propter te mortificamur tota die ô Deus, æstimati sumus sicut oues occisionis. Sed nec Apostolis solum hæc dicta sunt, nec ipsi soli his malis pressi. Omnes pij persequutionem passi sunt, patiuntur & modò, eritque hæc conditio communis omnibus vsque ad eum diem, quo apparebit is, qui secernit inter oues & hædos. Interea dum in mundo sunt pij, imò quia in mundo sunt, tristantur. Quia enim in medio luporum hic sunt, rapinam bonorum suorum ferre coguntur, Vt quondam in Aegypto Israël. Quia, vt Ezechiel, hic in medio scorpionum habitant, opprobria maledictáque, vt olim Dauid ab impio Doech, perferunt. Quia in medio hostium sunt, ignea nequissimi Diaboli tela suscipiunt. Quia vndique spinis septi sunt, tribulationes & punctiones angustiásque cordis sentiunt. Quia in regno Diaboli versantur,

Marginalia: 1. Cor. 10 — Prou. 28 — Matt. 10 — Psal. 125 — Act. 4 — 1. Cor. 4. — Matt. 10 — Hebr. 10 — Ezech. 2 — 1. Reg. 22 — Ephes. 6 — Cant. 2

Dei sui Optimi Maximi blasphemias, atque peccata videre atque audire cum summo animorum dolore coguntur. Quia in Babylone, in confessione, in exilio sunt, canticum Domini in terra aliena cantare non possunt. Vt Dauid, cum quæritur: Hei mihi, quia incolatus meus prolongatus est, *Psal.* 139
habitaui cum habitantibus Cedar. Et Tobias: Quale gau- *Psal.* 119
dium mihi erit, inquit, qui in tenebris sedeo, & lumen cæ- *Tob.* 5
li non video? Et Paulus: In hoc, inquit, ingemiscimus, ha- 2. *Cor.* 5
bitationem nostram quæ de cælo est superindui cupientes: si tamen vestiti, & non nudi inueniamur. Nam & qui sumus in hoc tabernaculo, ingemiscimus grauati. Et: Scimus quòd omnis creatura ingemiscit & parturit vsque adhuc. Expe- *Rom.* 8
ctatio creaturæ reuelationem filiorum Dei expectat. Nec minima tristitia est, suspendi diutius promissa Dei. Nam cùm huc omnia nostra spectent, vt cum Christo beatè viuamus, quo longius desiderata vita suspenditur, eo magis tristitia nostra augetur. Vnde Dauid, Sicut ceruus desiderat *Psal.* 48
ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te Deus. Et
iterum: Quis dabit mihi pennas sicut columbæ, & volabo, *Psal.* 54
& requiescam? Et Paulus: Cupio dissolui, & esse cum Chri- *Philip.* 1
sto. Et hæc omnia cùm vehementer contristent, hoc magis *Hebr.* 12
premit, quòd circunstat, & in nobis est peccatum. In nobis est, quod à nobis procedit: circunstat nos, quod in aliis nostris fratribus videmus. Vtriusque causa contristamur. De proprio & quod in nobis est Dauid testatur: Peccatum meum *Psal.* 59
contra me est semper. Turbatus est à furore oculus meus. *Psal.* 6
Laboraui in gemitu meo. Lauabo per singulas noctes lectum meum, lacrymis meis stratum meum rigabo. Laboraui clamans, raucæ factæ sunt fauces meæ. De alieno & quod nos circunstat, Paulus loquitur: Tristitia mihi magna est, & continuus dolor cordi meo. Optabam enim ego ipse *Rom.* 9
anathema esse à Christo pro fratribus meis. Et iterum: Mul- *Phil.* 3
ti ambulant, quot sæpè dicebam vobis (nunc autem & flens dico) inimicos crucis Christi, quorum finis interitus est. Ecce quot & quas tristitiæ causas in hoc mundo pij sustinent, cum vndique malis sint septi innumeris. Neque tamen adhuc nulla alia & quidem vrgens tristitiæ causa superest. Superest profectò. Nam quas hucusque posuimus, omnes sub eo comprehenduntur, quod ait Christus. Non videbitis me. Et verè magnæ sunt causæ tristitiæ, si in his omnibus se

Christus

Christus, quasi nolit respicere, se à nobis abscōdat, quemadmodum nihil sunt, vbi Christus sese nobiscum esse ostendit. Nobiscum ille semper est nósque respicit: sed sæpe non ostendit se nobiscum esse, sæpe nos ipsum non videmus. Sic Iob quæritur:
Iob 13 Cur faciem tuam abscōdis, & arbitraris me inimicum tuum? Et Dauid petit, vt Deus respiciat in se, & misereatur sui. Non quia præsto Deus non sit, sed quòd se, vti dictum est, præsentem non ostendit. Adhuc igitur alia causa tristitiæ restat, & ipsa grauis. Quæ illa? Mundus gaudebit. Magnam, inquam, piis mentibus tristitiam adfert mundi gaudium. Vt enim aduersa nonnihil mitigantur, si quis cōdoleat patienti, ita augentur, si quis propterea exultet. Grauis illa tentatio est. Nam si humanam sequutus fueris hac in re rationem, Deum impiis fauere, piis verò aduersari iudicabis, id quod fidei nostræ repugnat. Pro-
Abac. 1 pterea pij hæc Dei iudicia semper vehementissimè admirati sunt. Abacuc ad dominum loquens, queritur hac de re. Vsquequo domine clamabo, & non exaudies? Quare respicis cōtem-
Iere. 12 ptores, & taces conculcante impio iustiorem se? Et Ieremias: Iustus, inquit, tu quidem es domine, si disputem tecum, veruntamen iusta loquar ad te. Quare via impiorum prosperatur?
Psal. 78 Bene est omnibus, qui præuaricantur & iniquè agunt. Et Dauid: Pedes mei, inquit, penè moti sunt, penè effusi sunt gressus mei. Quia zelaui super iniquos, pacem peccatorum videns. Sed quòd vanè & inutiliter cogitationes suas in hoc consumpserint, idem propheta testatur. Existimabam me posse cognoscere, sed labor est ante me. Et: Vt iumentum factus sum apud te. In tantis igitur & tam multis tristitiæ causis positi (neque enim si piè hic viuere volumus, tristitia caremus, ad Christi consolationes respiciamus. Illæ enim tam certæ, támque validæ sunt, vt nulla aduersitas tam acerbum vulnus dare possit, cui pro sua præstantia mederi non queant. Idem enim Dauid
Psal. 93 cùm multa de impiorum in pios sæuitia dixisset, tandem sub-
2. Cor. 1 iungit, dicens: Secundum multitudinem dolorum meorum
Psal. 22 in corde meo, consolationes tuæ lætificauerunt animam meam. Et: Parasti in conspectu meo mensam aduersus omnes qui tribulant me. Hinc Paulus exclamans, ait: Bene-
2. Cor. 1 dictus Deus & pater domini nostri Iesu Christi, pater misericordiarum, & Deus totius consolationis, qui consolatur nos in omni tribulatione nostra, vt possimus & ipsi consolari eos qui in omni pressura sunt. Cùm igitur Christus
ait

ait: Iterum videbo vos, & gaudebit cor vestrum, & gaudium vestrum nemo tollet à vobis. Hæc dicit, quòd ipsius ad nos redeuntis aspectus totum illud semel sit à nobis discussurus tristitiæ quicquid hic mundus antè per longum tempus intulerit, quemadmodum ipso abeunte & faciem suam à nobis auertente, omnis lerna malorum esset inuasura nos. Auertisti faciem tuam à me, & factus sum conturbatus. Et contrà: Audiuit Dominus, & misertus est mei: Dominus factus est mihi adiutor. Conuertisti planctum meum in gaudium mihi, conscidisti saccum meum & circundedisti me lætitia. Consolabitur ergo Dominus ipse Sion, & consolabitur omnes ruinas eius. Quis tu vt timeas ab homine mortali, & à filio hominis, qui quasi fœnum ita arescet? & oblitus es Domini factoris tui? Si enim nobiscum Deus, vtique pro nobis est: quis ergo contra nos? Iterum videbo vos, & gaudebit cor vestrum. Vis scire quia ita factum sit? Audi quid Ioannes dicat, Gauisi sunt discipuli viso Domino. Inuenimus autem eos & post ascensionem Domini, cùm iam Spiritussanctus venisset in eos, fuisse gauisos. Ibant gaudentes (Apostoli) à conspectu concilij: quoniam digni habiti sunt pro nomine Iesu contumeliam pati. Et Iacob. Omne gaudium existimate fratres mei, cum in varias tentationes incideritis. Et hæc prima consolatio, quòd iterum nos scit visurus Christus. Secunda consolatio est, quòd tristitia nostra in hoc mundo breuis admodum sit, quemadmodum & mundi gaudium breue est. Hinc Christus ait: Modicum & non videbitis me. Modicum autem intelligimus variè. Nunc enim triduum nobis significat. De quo in Osee Propheta scriptum est: Viuificabit nos post duos dies, in die tertia suscitabit nos, & viuemus in conspectu eius. Nunc totum huius vitæ tempus intelligitur. Quemadmodum hoc tempus æternitati collatum, quasi vna dies, vna hora videtur. Hinc calix dicitur, quod quemadmodum calix seu potio vnico haustu, & quàm velocissimè absorbetur, ita omnis huius vitæ acerbitas quasi momentanea perit. Sicut ipse Christus suæ mortis acerbitatem calicem dixit, & horam. Calix quidem qui in manu domini est, quo vnicuique secundum suam voluntatem infundit, alteri plus, alteri minus. Hora verò dicitur, quòd tempus sit nulli pio euitabile. Hinc in Apocalypsi legimus; Væ terræ & mari; quia descendit Diabolus ad vos habens

Psal. 29 *Isa. 51.* *Rom. 8* *Ioan. 20* *Act. 5* *Iacob. 6* *Ioan. 16.* *Osee. 6* *Ioan. 13* *Psal. 74* *Apoc. 12*

habens iram magnam, sciens quòd modicum tempus habet. Et ipse Dominus ait: Ecce ego venio citò, & merces mea mecum est, reddere vnicuique secundum opera sua. Vn-
Apoc. 6 de animabus interfectorum dicitur: vt requiescant adhuc modicum tempus, donec compleantur conserui eorum, & fratres eorum, qui interficiendi sunt, sicut & illi. Et Pau-
Hebr. 10 lus, Adhuc, inquit, modicum & aliquantulum, qui ventu-
1. Petr. 1 rus est veniet, & non tardabit. Vnde Petrus in nouissimo tempore exultandum esse iis, qui hic modicum in variis tentationibus contristantur, ait. Non quia modico siue exiguo tempore durent huius temporis aduersa, sed etiam quia ipsorum acerbitas modica sit, si conferatur ad futuram gloriam.
1. Pet. 5 Sicut idem Apostolus eiusdem epistolæ fine dicit: Deus, inquit, omnis gratiæ, qui vocauit nos in æternam suam gloriam, in Christo Iesu, modicum passos, ipse perficiet, confir-
Rom. 9 mabit, solidabítque. Et Paulus: Existimo, inquit, quòd non sunt condignæ passiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis. Et quis igitur modicum illud acerbitatis, quod ad horam imò momento vno contristat, non libenter deuorabit, sciens quòd operetur in nobis indicibiles vitæ æternæ fructus? Adhuc fortior ea restat conso-
Ioan. 16 latio, quòd dicit: Vado ad patrem. Vult enim hoc dicto ostendere, quòd in sese nostram naturam ad cęlestem gloriam euehens, diuinitatis honore glorificet, pérque passionem suam nos faciat Deos. Quemadmodum Iacob quondam propterea nomen Israël, hoc est, potens Dei, siue potens cum Deo, in-
Gene. 32. ditum fuit, quòd ab incepto itinere iustitiæ, licet lassus, non
Mar. 9 deuiasset, etiam cum Angelo lucta contendisset. Monuit autem vt quemadmodum ipse omnia aduersa hic tolerauisset pro consequenda gloria sua, ita & nos omnia fidei vi (cui
2. Cor. 5 omnia possibilia sunt) illo ipso fine vincamus, nihil in hoc mundo quæramus consolationis, nullius deliciis afficiamur, scientes dum in hoc corpore viuimus, peregrinari nos à Domino, quòd simus aduenæ & peregrini in hoc Sa-
1. Pet. 2 tanæ regno, His autem consolationum generibus erectos, quis timor poterit deiicere? Videbit ille nos iterum, &
Isa. 66 gaudebit cor nostrum. Sicut in Isaia prædictum legimus. Gaudium illud nostrum nemo tollet à nobis, quia sempiternum erit. Tum hæc tristitia breuis est, sequens nos
Ioan. 16 tanquam vmbra, sed exiguo tempore manens. Non ergo

turbetur cor vestrum, neque formidet. Confidamus potius in eo qui vicit mundum, & in se vno victoriam promisit & requiem. Quòd si nondum vetus ille homo noster acquiescere vult, quid sumus, qui contra Dei iudicia & prædestinationem velitamus? An satis non est scire, quia sic oportet fieri, & quia Christo non est dignus, qui ipsum mortis vitæq; genere non sequitur? Et ita placuisse Deo, vt qui volunt consortes esse glorificationis Christi, hic sint quoque passionum socij? Mutet Dei iudicia qui potest. At quia nemo mutare potest, ipsis pareamus omnes, ac subditi, ipsius qui nutu regit omnia, custoditque suos, voluntas vt fiat, precemur. Hæc Euangelij huius summa, quam necessariò & sequenti parabola exposuit lucidius, & omnibus magis magisque commendatam esse voluit. Neque enim cuique sacrarum scripturarum facilè patent arcana, quòd sæpe corpus corruptioni obnoxium aggrauat animam multa cogitantem, nec rarò etiam pro affectibus suis, non qui sensus est scripturæ, sed quæ suæ intentionis est, opinionem inde confirmare nituntur homines. Vnde pij semper sancti exoptauere præsentiam spiritus, vt qui autor est sacrarum literarum, idem sit & interpres earundem. Dauid enim ait, Da mihi intellectum, & scrutabor legem tuam, & custodiam illam in toto corde meo. Deduc me in semitam mandatorum tuorum, quia ipsam volui. Inclina cor meum in testimonia tua. Vias tuas demonstra mihi, & semitas tuas edoce me. Et Salomon. Da mihi Domine sedium tuarum assistricem sapientiam. Mitte illam de cælis sanctis tuis, & à sede magnitudinis tuæ, vt mecum sit, & mecum laboret, vt sciam quid acceptum sit apud te Domine. Difficilè enim æstimamus, quæ in terra sunt, & quæ in conspectu sunt inuenimus cum labore. Quæ in cælis sunt autem, quis inuestigabit? Sensum tuum quis sciet, nisi tu dederis sapientiam, & miseris Spiritumsanctum tuum de altissimis? Sic enim orantibus & credentibus promissionis veritatem non negat, sed respondet, Intellectum tibi dabo, & instruam te in via hac, qua gradieris firmabo super te oculos meos. Vt ergo omnes intelligamus hanc consolationem, vt quia omnibus opus est, re notissima explicuit. Mulier, inquit, cum parit, tristitiam habet, quia venit hora eius. Cum autem peperit puerum, iam non meminit pressuræ, propter gaudium, quia natus est homo in mundum. Piorum congregationem, Ecclesiam dico, similitudinem

Rom.8
Ioan.11
Sap.9
Psal.118
Psal.24
Sap.9
Luc.11
Psal.31
Ioan.16
Mulier

pregnans dinem habere in ſcripturis mulieris, & quidem prægnantis,
Eccleſia. rarum non eſt, vt in Regum libris, in Iſaia, 6. 26. & 37. in Iere-
4. Reg. 19 mia, 6. in Michæa, 6. capitibus. Nam ſæpè aliàs Eccleſia mulie
ri, vt Epheſ. 5, 2. Cor. 11. Oſeæ 2. & alibi 6. hic verò & parienti
comparatur, nec abſurda ſimilitudo eſt. Mox enim vbi conce-
piſſe ſe mulier intelligit, gaudet, & ſpe naſcendæ ſobolis, flo-
ret. Sed quia vidit alias ſæpè fœminas in ipſo partu doloribus
victas ſuccumbere, ſæpe etiam monſtra, aut membro aliquo
vitiatos edere fœtus, & ſibi & concepto embryoni timet. Om-
nes tamen dolores etiam morti proxima, licet triſtetur, con-
ſtanter perfert, timorémq; ipſa ſibi mitigat, quòd hanc præ-
gnantibus omnibus communem pariendi rationem eſſe no-
uit, deinde quòd breuis ſit dolor futurus, tertiò quòd ſubſe-
quuturũ ſit gaudium, imò quòd finis doloris initium ſit gau-
dij. Optat quidem ſine dolore parere, ſcit tamen fieri non poſ-
ſe, propterea etiam vi ac animoſitate quadam quod declinare
non poteſt, perrumpit. Ita & nos. Mox enim vbi verbũ (quod
eſt ſemen atq; Euangelium, amplectimur) per fidem concipi-
mus Spiritumſanctum, cuius ſtatim fructus, id eſt, vitæ æter-
Gala. 5 næ ſpe exultamus. Vt Paulus ait, Gloriamur in ſpe gloriæ fi-
Rom. 8 liorũ Dei. Et, Omnis creatura ingemiſcit & parturit adhuc.
Phil. 3 Et, Expectamus ſaluatorem Dominum noſtrum Ieſum Chri-
Tit. 2 ſtum, qui reformabit corpus humilitatis noſtræ configuratũ
Coloſ. 3 corpori claritatis ſuæ. Et, Expectamus beatam ſpem & aduẽ-
tum gloriæ magni Dei. Et, Vita noſtra abſcõdita eſt cũ Chri-
ſto in Deo, cum autem Chriſtus apparuerit vita noſtra, tunc
1. Ioan. 3 & vos apparebitis in gloria. Et Ioannes, Nunc, inquit, filij Dei
ſumus, & nondum apparuit quid erimus. Sed prægnantes li-
cet ſpem habeamus, tamen quia tempus cõſtitutum expectã-
dum eſt, multus metus magnáq; nos triſtitia ſolicitat. Vide-
mus enim & alios Euangelium audire, ſed recidere eoſdem,
videmus eos verbi ſemen concipere quidem, ſed non conſer-
uare, auſpicia quidem bona habere, ſed deficere, vt in Saul,
Iſraëlitis, Iuda, atq; aliis videre eſt, propterea noſtram imbe-
cillitatem non ignorantes, timemus, neq; enim nobiſipſis cõ-
fidere audemus, quòd ſtabiles nec ne ſimus perſeueraturi, ne-
Prou. 28 ſcimus. Huc pertinet quod ſuprà diximus, Beatus qui ſemper
1. Cor. 10 eſt pauidus. Qui ſe exiſtimat ſtare, videat ne cadat. Fide ſtas,
Rom. 11 noli altum ſapere, ſed time. Si enim Deus naturalibus ramis
Luc. 10 non pepercit, ne fortè nec tibi parcat. Et Chriſtus, Videbam

Satanam ficut fulgur de cælo cadentem. Propterea nolite in hoc gaudere, quia spiritus vobis subiiciuntur. Sed non modò metu premimur verùm etiam tristitia, quòd propter concepti verbi fœtum multa nos dolore afficiant. Id vnus omnium nomine demonstret suis verbis Apostolus Paulus, Supra modum grauati sumus supráq; virtutem, ita vt tæderet nos etiã viuere. Et in veteri testamento Ieremias. Tribulatio, inquit, apprehendit nos, dolores vt parturientem Cupimus quidem eniti sine dolore, sed scimus quia qui amat animam suam hoc in mundo, perdet eam: contrà vero, qui odit eam in hoc mundo, in vitam æternã custodiet eam. Et quod Christus ait, Qui vult venire post me, abneget semetipsum, & tollat crucẽ suã, & sequatur me. Propterea inter spem & metum hęrentes necesse est vt nos ipsos consolemur eo modo, quo se consolantur prægnantes. Primò hæc vnica via est ad speratum gaudium, Crucis semita. Deinde omnes qui vnquam Deo placuerunt, eadem via eò peruenerunt. Tertiò, quòd exigui temporis & modica hæc est omnibus tribulatio. Quartò, quòd perstantibus certa maneat, deuoratis doloribus, lætitia. Tum licebit dicere, Transiuimus per ignem & aquam, & eduxisti nos in refrigerium. Lætati sumus pro diebus quibus nos humiliasti, annis, quibus vidimus mala. Venite & reuertamur ad Dominum, quia ipse cepit & sanabit nos, percutiet, & sanabit nos. Viuificabit nos post duos dies, in die tertia suscitabit nos, & in conspectu eius viuemus. In sex tribulationibus liberauit nos, & in septima non tanget nos malum. Ecce hac ratione Christus nos consolatur. Faxit Deus pater omnis consolationis vt eo modo consolemur in omni aduersitate vt constantes eò perueniamus, quò nulla persequutio appropinquat. Amen.

1.Cor.1 *Iere.6* *Ioan.12* *Mat.16* *Act.14* *Heb.11* *Psal.63* *Psal.89* *Osea 6* *Iob 5* *2.Cor.1*

DOMINICA QVARTA PASCHAE, CANTATE,

EVANG. IOANNIS XVI.

ET nũc vado ad eũ qui misit me, & nemo ex vobis interrogat me quò vadis. Sed quia hæc locutum sum vobis, tristitia impleuit cor vestrũ. Sed ego veritatẽ dico vobis, expedit vobis vt ego vadam. Si enim nõ abiero, Paracletus nõ veniet ad vos, Si autẽ

abiero,mittã eũ ad vos,& cũ venerit ille,arguet mũdũ de peccato,& de iustitia,& de iudicio.De peccato quidẽ,quia nõ crediderũt in me.De iustitia verò, qa ad patrẽ vado,& iam nõ videbitis me.De iudicio autẽ, qa princeps huius mũdi iam iudicatus est, Adhuc multa habeo vobis dicere,sed nõ potestis modò portare. Cùm autem venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem, non enim loquetur à semetipso,sed quæcunque audiet, loquetur, & quæ ventura sunt, annuntiabit vobis, Ille me clarificabit,quia de meo accipiet,& annuntiabit vobis.

EADEM DOMIN. EPIST. IACO. I.

OMne datũ optimũ, & omne donũ perfectũ desursum est,descẽdẽs à patre luminũ,apud quẽ non est transmutatio,nec vicissitudinis obumbratio.Voluntariè enim genuit nos verbo veritatis,vt simus initiũ aliquod creaturæ eius. Scitis fratres mei dilectissimi. Sit autem omnis homo velox ad audiendum, tardus autem ad loquendum,& tardus ad iram.Ira enim viri iustitiã Dei non operatur,Propter quod abijcientes omnem immunditiam & abundãtiam malitiæ,in mansuetudine suscipite insitum verbũ,quod potest saluare animas vestras.

SERMO.



PLanè cõsolatoria hæc Euãgelica lectio est. Cùm enim duo præcipuè sunt,quæ nos in mũdo molestia grauãt,tędiũ miseriarũ huius vitæ,& desideriũ cœlestis patriæ, vtrũq; tamẽ vt ex Christi recessu nascitur,ita eiusdẽ promissis mitigatur, & quodãmodo suaue redditur.Impleta erant discipulorũ corda, ꝙ Dominus abiret, tristitia, tristamur & nos ꝙ nõ liceat illo tanquã vnico animarũ nostrarũ desiderio,summoq; bono nostro frui.Sed si Christi verbis edocti,ad ea quæ modò ex ipsius recessu accepimus bona,respicere,& his subsequutura perfectiora cogitare voluerimus, profectò licet alterius vitæ desiderium

deriũ nõ tollatur omnino, ita tamẽ tolerabile reddetur, vt & pręsentia mala rectius laturi simus, & ea quę soli immortalitati sunt seruata, hoc in corpore petituri nõ simus. Hãc vim ipse Christus etiam primę illi voci, Vado ad patrem, inesse sciens, non semel, sed sæpissime inculcare studuit. Si dilígeritis me, gauderetis vtique, quia vado ad patrem. Et, Qui credit in me, opera quæ ego facio, & ipse faciet, & maiora horum faciet, quia vado ad patrem. Et iterum, Modicum & non videbitis me, quia vado ad patrem. Idem prædixerat & alibi quidem, sed aliis verbis tristitiam augentibus, Ecce, inquit, Filius hominis tradetur Principibus Sacerdotum & scribis, & condemnabunt eum morte, & tradent eum gentibus ad illudendum & conspuendum & crucifigendum. Sed illic rei ordinem prędicere, hic effectus voluit innuere. Non enim quod hic dicit, Vado ad eum qui me misit, de ascensione, sed de passione & morte intelligendum est. Id quod verborum circunstantiæ conuincunt. Nam quòd ante hoc Euangelium dixerat, se Patrem velle exorare, vt alium nobis Paracletum mitteret, non ascensionem, sed mortem intelligimus. Ante enim ascensionem pater exoratus erat, sed mortis Christi meritum, Spiritussancti missio erat. Propterea antequam ascenderet, Spiritum illum Sanctum dabat. Insufflauit, & dixit eis, Accipite Spiritumsanctum, vt Ioannes refert. Qui ergo ante ascensionem datus est, vtique non ipsa ascensione tandem à patre fuit impetrandus. In diebus autem carnis suæ preces supplicationésque ad eum, qui possit illum saluum facere à morte, cum clamore valido & lacrymis offerens, exauditus est pro sua reuerentia. Nec pater reuocauit, pro quo filius rogans exauditus est, nec ficte filius ante ascensionem Spiritumsanctum dedit. In morte impetrauit eum à patre, & ipse granum frumenti cadens in terram hunc nobis fructum attulit, & mortis chirographum, quod aduersus nos erat, sanguine suo deleuit, in quo & baptizati, & à peccatis nostris, quæ inter Deum & nos diuidebant, loti sumus. Peccatum inter nos & Deum diuidebat, hoc sublato, Spiritussancti facti sumus capaces. Sed non ascendens peccatum sustulit. Mortuus est propter delicta nostra. De ascensione ergo, quod hic dicit, Vado, intelligi non potest, viam crucis ire voluit, quæ propriè ducit ad patrem. Ideo autem sic loquitur de cruce, vt crucis vitet scandalum, & quòd mors piis, quasi ad meliorem

Ioan.14
Ibidem
Ioan.16
Mar.20
Mar.10
Ioan.14
Ioan.20
Heb.5
Ioan.12
Colos.2
Rom.6
Apoc.1

vitam fit transitus. Quo in primis mundi iudicium reprehendit. Solent enim homines eos tantùm beatos dicere, qui longissimè ab aduersis & cuiuscunque generis malis absunt. Contrà damnare, & quasi Deo etiam inuisos vitare, qui quacunque aduersitate premuntur. Id quod Dauid expertus est,

Psal.3 *Psal.70* quando dicebat, Multi dicunt animæ meæ, Non est salus ipsi in Deo eius. Dixerunt inimici mei mihi dicentes, Deus dereliquit eum, persequimini & comprehendite eum, quia non est qui eripiat. Sic Iob cùm tentaretur, iniustus & Deo inuisus æstimatus est, etiam à familiaribus suis. Sic Paulus homicida dicebatur ab iis, qui manum eius à vipera inuadi videbant. Et quid multa? Ipse Christus in cruce pendens sustinuit hominum opprobria. Confidit in Deo, liberet eum nunc si vult. Dixit enim quia filius Dei sum. Alios saluos fecit, seipsum non potest saluum facere. Si rex Israël est, descendat nunc de cruce, & credimus ei. Et quid ad hæc Christus? Vado ad patrem, iudicet pro sua voluntate mundus, ego hac me via ad patrem, ad æternam gloriam redire scio. Deinde cùm crux non modò mundo scandalum est, verumetiam afflictis sæpè grauis, rursus hoc dicto Christus, Vado ad patrem, mitigauit acerbitatem eius, ac pressos consolatur. Ego qui Deo patre verus Deus natus in hoc mundo vixi, non alia quàm crucis via ad propriam meam gloriam redire debui, nec aliud cœlestis patriæ iter est, quin caput, magistrum, Dominum, sequimini membra, discipuli, serui? Hinc Apostoli cæterique, deinde pij omnes tam intrepide tormenta subière, pertulêre, vicerêque constanter. Hinc Paulus pro se atque aliis piis omnibus loquitur, Gloriamur, inquit, in tribulationibus, scientes quòd tribulatio operatur patientiam, patientia autem probationem, probatio verò spem, spes autem non confundit. Et, Ego iam immolor, & tempus resolutionis meæ instat. Bonum certamen certaui, cursum consummaui, fidem seruaui, in reliquo reposita est mihi corona iustitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die iustus iudex. Sic Iob confidenter ait, Scio quòd Redemptor meus viuit, & in nouissimo die de terra surrecturus sum, & in carne mea videbo Deum meum. Et Dauid, Renuit consolari anima mea, memor fui Dei, & delectatus sum. Et iterum, Dominus suscepit me; ideo non timebo milia populi circundantia me. Quòd si nos quoque (vt æquum est) his verbis intenderimus, & quæ in iis latet consola

Marginal references: *Act.28* (Sic Paulus homicida); *Mat.27* (sustinuit hominum opprobria); *Act.4* (vicerêque constanter); *Rom.5* (omnibus loquitur); *2.Tim.4* (Bonum certamen); *Iob 13* (ait, Scio); *Psal.76* (Et Dauid); *Psal.3* (delectatus sum).

consolationis dulcedinem gustauerimus, haud dubiè officij nostri & vocationis recordabimur, ne quid præter aduersa hic expectemus, & rectius contra insultus mundi nosmet confirmabimus. Quæ enim nos expugnabit aduersitas, oppugnet licet maxima, si hac Christi voce nos muniuerimus, Vado ad patrem? Impugnet nos Satan, solicitet caro, agitet mundus, & vehementissimè & semper delicias nostras iudicabimus, hæc tantùm si firma fuerit mentis intentio, Vado ad patrem. Quòd ergo ad quæuis irritamenta mundi huius tam citò atque leuiter trepidamus, hinc est, quòd nos in via esse, ad patrem ire, melioremque vitam quærere non cogitamus. Vides igitur quomodo consoletur nos Christus hac voce, Vado ad patrem? Crux, inquit, mea, mundo quidem iniquè iudicanti scandalum est, sed mihi iter ad patrem est. Si membra mea estis, & hæreditatem communem vtrisque appetitis, quod in me videtis, ipsi quoque præstate. Iam verò quod ait, Veritatem dico vobis. Expedit vobis vt ego vadam, vtilitatem passionis & mortis suæ significauit. Ante videbatur ignauiam ipsorum arguere, quòd nemo eorum interrogasset, quò abiret. Hic verò (quæ ipsius est bonitas) conuerso sermone tristitiam, quæ interrogare impediebat, tollere studet, ab vtili. Et quidem multos fructus sui recessus enumerare potuisset, vt peccati remissionem, iustificationem, corporum clarificationem, ipsámque vitam æternam, de quibus superiores sermones pertractant. Sed solùm vnum fructum recenset, sed eiuscemodi, qui omnibus omnium malis medendis facilè sufficiat vnus. Et hunc tam certò ex recessu pollicetur suo, morte, inquam, vt nisi abierit, fructus nullus ad nos venturus sit. Et quis ille fructus? Spiritussanctus, consolator, veritatis doctor. Hic, nisi Christo passo dari nobis non potuit. Non quòd Christus non posset, sed quia nos accipere eum nequiuimus. Primò enim Apostoli adhærebant Christo propter terrenum regnum, vt in duobus Ioanne & Iacobo Zebedæi filiis videre est. Deinde nemo doni illius cælestis capax erat, nisi reconciliatus Deo. At reconciliari nemo, nisi Christi morte & sanguine potuit. Tertiò, inconueniens erat deitatem communicare nobis eum, qui ipse adhuc mortalis esset. Postremò, iniquum esset, nos membra Spiritusancto clarificari in mundo, capite ipso sine specie, sine decore in passione posito. Vt ergo vadam, inquit, expedit vobis. Si enim

abiero, mittam vobis Paracletum Spiritumsanctum, ac si dicat, Non prohibet corporis mei præsentia Spiritussancti aduentum, sed dum corpus hoc cernitis, nil nisi corporalia cogitatis, regnum imperiúmque terrenum, gloriam meam esse fingitis, hic mihi à dextris atque sinistris esse vultis. Propterea quæ Spiritus sunt, non intelligitis, nec altius quicquam quæritis. Si autem à vobis abiero, si corpus, cui inhæretis, ab oculis vestris subduxero, Spiritum dabo, qui vos ea quæ Spiritus & suprà vos sunt, sapere doceat. Non vado vt vos derelinquam solos, sed, vt quantumuis vobiscum manentem, me
Ioan. 14 tamen non videatis. Manducaturi estis carnem meam, bibi-
Mat. 28 turi sanguinem meum, mansionem apud diligentes me faciam, & vobiscum ero vsque ad consummationem seculi, hac sola ratione vado, vt corpus hoc non videatis, morte perempta, in cælo immortale locatum. Et quid contristamini? Non intelligitis modò quæ loquor vobis. Mittam vobis Spiritumsanctum, Paracletum. Hic cùm venerit, suis se iudiciis manifestum reddet omnibus. Veniet autem per arcanam mentium vestrarum illuminationem, veniet per Euangelij verbi Dei prædicationem. Et quibus indiciis manifestum se reddat, quæritis? Sunt, fateor, multi Spiritus mendaces, quorum forma multis erroris poterit esse occasio. Nam iudicium ca-
3. Reg. 22 ligat in hominibus etiam industriis. Vt Achab repudiato Michea, in quo verè Spiritus meus Sanctus loquebatur, sequutus est mendacem Spiritum in Prophetis suis, maximo suo malo.
Iere. 38 Vt Zedechias, Ieremia Propheta, per quē Spiritussanctus responsa vera dabat, contempto, alios mendaces Spiritus sequens, templo atque vrbi incendium intulit. Et quid multa? Vt in lege semper inuenti fuerunt Pseudoprophetæ, mendacium Spirituum organa, qui sese populo meo opposuerunt, ita etiam Ecclesia ad consummationem vsque seculi porrò mansura, eorundem præstigiis grauissimè atque turmatim oppugnabitur, ita planè, vt non sine magna industria & vigilantia depelli possint. Sed Spiritum ego Sanctum vobis mittam, veniétq; in vos. Non plures Spiritus venient in vos à me atq; patre, sed vnus. Huius officia erunt arguere, cōsolari, esse & docere veritatē, nō à semetipso loqui, sed quę audit futura annuntiare, Christū me clarificare. His signis sese manifestabit Spiritussanctus, quę vbi cognoueritis, meū Spiritū esse scitote, vbi verò his cōtraria signa intellexeritis, cauendū vobis esse

esse mementote. Videte, fratres Domini Iesu amorem erga nos, videte solicitudinem nostri. Consolatur nos longè alia ratione, quàm mundus. Hoc enim agit, vt certa & infallibilis sit consolatio nostra cauétq; omnibus modis, ne qua parte deficiamus. Veræ hîc piæ mentes sentiunt, quod olim Salomon ait: Fauus mellis verba dulcia, dulcedo animæ, sanitas *Prouer.16.*
ossium. Neq; enim de vllius alterius, quàm de Christi verbis, rectè hoc intelligi potest. Id quod Petrus etiam testatur, cùm ait: Verba vitæ æternæ habes. Et Iudæi ipsi: Nũquam sic alium *Ioan. 6.*
hominem locutũ fuisse, sicut Christum testantur. Quo etiam *Ioan. 7.*
verum se Messiam esse declarauit Christus. Dauid enim hoc genus verborum inter Messiæ facta præcipua referre videtur, cùm ait diffusam esse gratiam in labiis eius. Quis enim *Psal.44*
pater filios suos dulcius affatus est vnquam? Quid præterea facere pius & fidus pater debuit? Agite ergo tanto studio dicta, nostro cõmodo examinemus aliquanto diligentius. Grandis enim vt id faciamus, vrget necessitas, præsénsq; vt diligentissimè faciamus monet periculum. Nemo enim est, qui non quæ multitudo atque violentia, imò etiam diuersitas atque pugnantia sit spirituũ, quorum tamen hoc proprium est omnium, vt sanctus spiritus hîc à Christo seruatore Ecclesiæ suæ promissus videri atque haberi velint, videat. Sed rectè iudicare spiritus in tanta diuersitate præsertim cùm nequam spiritus fucati incedant, non ita facilè erit. Quibus ergo signis verus Dei spiritus veniat, Christus optimè & magno nostro cõmodo docuit. Ergo quòd spiritum sanctum, non spiritus sanctos dicit, consideremus. Neque enim in Ecclesia vna Christi *Spiritus*
Catholica, nisi vnus spiritus esse potest, sicut vnum baptis- *sanctus*
ma, vna fides, vnúsque Christus in ea est. Vnus autem spiri- *vnus.*
tus eadem semper & vbique docet & inspirat. Illi ergo hoc *Ephe. 4.*
spiritu edocti fuêre, qui licet tempore atq; locis separati, consentiẽtia vnanimiter tradiderunt, quorum alij Apostolorum temporibus, alij mille annos postea, alij hodie scripserunt, alij in Occidente, alij in Oriente vno tempore docuerũt. Non habent hunc spiritum qui propriis opinionibus seducuntur, ideoque non modò à maioribus, verùm etiã à suis vnius temporis atque loci sociis dissident, ne dicam, vnius aut alterius anni interiecto tempore à semetipsis (quod hac tempestate & à multis fit) dissentiunt. Quis autem numerare potest, quot modis inter sese & secum pugnent quidam, & quidem in ma

ximo Christianæ fidei negotio? Sed bene res habet. Doctrina fide consentiens ab vno hoc doctore spiritu sancto profecta, Ecclesiæ fines vsque ad occasum ab Oriente propagauit, atque in hanc diem saluam conseruabit. Quicquid verò à propriis opinionum sensis profectum, licet magnũ & spatiosum visum fuit, semper suo tempore disparuit. Hoc secũ diligentius cogitẽt, qui cùm sibi omnem scientiam iniquè atque ineptè vendicent, piis doctisq; maioribus nostris omnem autoritatem adimunt. Non alium spiritum sanctum olim Ecclesiæ doctoribus, alium modò dedit: nec Ecclesiam reliquit vsque ad hæc vltima tẽpora (vt falsò iactitant pneumatici) sed vnus idémq; fuit, eritq; modo spiritussanctus, quem Christus Ecclesiæ suæ hîc promisit, qui & datus vnicuique nostrûm, dat pro sua voluntate & arbitrio ad ædificationẽ non destructionem Christi corporis mystici cooperare. Cogitent & alij ipsum hoc, vt quemadmodum fidẽ, quã in ecclesia edocti sunt, amplecti cœperunt, sic Deo & aspirãti & inspiranti acceptã referãt, nihilq; sibi (vt quidã) tribuãt. Id si fecerimus, planè intelligemus cõmodissimè. Christũ non multos se, sed vnũ spiritũ sanctũ missurũ promisisse. Sed vt adhuc rectius agnoscamus eundem spiritũ, quid Christus dicat, audiamus: Cum venerit ille

Spiritus sanctus arguit. (inquit) arguet mundum de peccato, de iustitia, & de iudicio. Rectè quidẽ ad differentiã mẽdacium spirituum hoc addidit. Mundus enim & Christi regnum pugnãt inuicẽ, & qui mendaces spiritus à principe huius mundi mittuntur, non possunt arguere mundum, ne dissipent regnum: sed pacem loquuntur

Ezec. 15. vbi non est pax, consuunt puluillos sub omni cubito manus, & faciunt ceruicalia sub capite vniuersæ ætatis ad capiendas animas, vt viuificent quæ non viuunt, & interficiant quæ non

Roma. 16. moriuntur, vt per dulces sermones & benedictiones seducant corda innocentũ: & vt id possint, veniunt specie, non quã ge-

Matt. 7. nus indidit, sed quã prauitas mentitur: & in vestimentis ouiũ, lupi rapaces sunt. Sed quid de his Dominus ait? Popule meus

Isaie 3. (inquit) qui te beatum dicunt, ipsi te decipiunt & viam gressuum tuorũ dissipant. Spiritussanctus verò è mundo, & à diabo li tyrannide liberare suos, inq; Christi regnum ducere vult. Propterea quæ sunt tenebrarum harum opera dissoluit atque destruit. Hinc quos ipse mittit ministros, arguere docet. Cla-

Isaie 58. ma, ne cesses, inquit, quasi tuba exalta vocem tuam; & annuncia populo meo scelerã eorum; & domui Iacob peccata

eorum. Vade & dices populo huic: Audite audientes, & nolite intelligere. Et: Ecce constitui te hodie super Gentes & super regna, vt euellas, & destruas, & disperdas, & dissipes, & ædifices, & plantes. Ecce dedi faciem tuam valentiorem faciebus eorum, & frontem tuam duriorem frontibus eorum vt adamantem, & vt silicem dedi faciem tuam. Sic Ionæ præcepit Dominus prædicare populo impio. Sic Paulus Timotheum instruit, vt prædicet verbum, instet opportunè, importunè, arguat, obsecret, increpet, fore enim aliquando vt homines sanam doctrinam non sint laturi, coaceruaturi sibi magistros auribus prurientes, à veritate auersi ad fabulas conuersuri. Sic denique hoc spiritu edocti Apostoli, arguere mundum, nec erubuerunt, nec timuerunt. Sed videamus in quibus rebus arguat mundum spiritus Domini. De peccato, & de iustitia, & de iudicio. Varia horum expositio est, sed hic omnium opiniones recensere, quam quisque sententiam intellexerit, huius temporis non est. Nolim tamen vllius sententiam conuenientem respuere, multò minus pro arbitrio diuersum quid commentari. Scio quanto cum tremore sacra scriptura sit pertractanda, ne illotis (quod dicitur) manibus Ioui vinum libemus. Maximè verò eiuscemodi loci, qui nonnihil obscuritatis & mysterij habent, & ne ipsis quidem Apostolis intellectu faciles sunt, imò omnem sensum humanum exuperant. Humilis est ad sacrarum literarum intellectum ianua, & Deus ipse superbis resistit: humilibus autem dat gratiam, & abscondens mysteria sua à sapientibus & prudentibus, reuelat ea paruulis, & super contritos corde requiescens, quibus vult scientiæ claue, quam solus habet referat arcana cælestia, facitque vt per stultos mundo & pusillos, mundi confundatur sapientia. Propterea cum Dauid rectè precabimur: Da mihi intellectum Domine, & scrutabor legẽ tuã, & custodiã illã in toto corde meo. Deduc me in veritate tua & doce me. Nihil igitur de nobis præsumentes, sed planè in eius gratia confidentes, qui aperit, & nemo claudit: claudit & nemo aperit. Videamus quibus in rebus mundum arguat Spiritussanctus. De peccato, inquit Dominus, quia non crediderunt in me. De iustitia verò quia ad patrem vado, & iam non videbitis me: de iudicio autem, quia princeps huius mundi iam iudicatus est. Arguit mundum, non eos qui diligunt Deum, hi enim sese corripiunt & iudicant

Isaia 6
Ierem. 1
Ezech. 3
Ionæ 1
2. Timo. 4
Ioan. 16
Iacob. 1
1 Pet. 5
Matt. 11
Isai. 66
Apoc. 3
Psal. 118.
Psal. 24
Apoc. 3.
Ioan. 16
1 Cor. 11

Iere.6 cant, vt non iudicentur à Domino. Mundus autem non potest
Prouе.12 se arguere, quia nescit erubescere, & via stulti recta in oculis
1.Cor.3 eius. Id quod Paulus quoque de Iudæis testatur, quum vela-
Ephe.4 men super corda ipsorum positum esse scribit Corinthiis. Et de omnibus in genere loquens, ait in vanitate sensus sui ambulare, tenebris obscuratum habere intellectum, alienatos esse à via Dei per ignorantiam suam, propter cæcitatem cordis sui. Propterea rectè à Spiritusancto arguuntur. Vide autem quid dicat, de peccato, de iustitia, de iudicio. Peccato quidem nos: iustitia, seipsum: iudicio, Satanam intelligi vult. Vbi enim grauius peccatum, nisi in nobis? vbi iustitia, nisi in ipso? cui rectius quàm Satanæ debetur iudicium & damnatio? Hoc opus, hic labor Spiritui sancto, vt mundus intelligat nos esse peccatores omnes, Christum Iesum iustitiam, & Satanam iudicatum esse. Neque enim à semetipso aliquid horum intelligit aut credit. Spiritussanctus autem dicit. Crede homo, quòd peccator sis, crede quòd Christus iustitia sit, crede quòd certa diabolo damnatio maneat. Volumus autem scire quia ita est? Primò non dicitur, de peccatis, sed de peccato. Non quia vnũ tantùm sit peccatum in mundo, sed quòd vnicum sit radice, vnde alia omnia nascantur. Et quale hoc? Incredulitas ipsa,
* Cum * sine qua etiam iustitiæ studium coram Deo peccatum est.
Rom.14 Hinc Dominus ait, Qui non crediderit, condemnabitur. Qui
Mar.16 non credit, iam iudicatus est, quia non credit in nomine vni-
Ioan.3 geniti filij Dei. Hoc autem est iudicium mundi, quia lux venit in mundum, dilexerunt homines magis tenebras quàm
Ioan.8 lucem. Si non credideritis, quia ego sum, moriemini in pec-
Ioan.11 cato vestro. Qui spernit me, & non accipit verba mea, habet qui iudicet eum. Sermo quẽ locutus sum, ille iudicabit eum in nouissimo die. Nec mirum videri debet cuiquam incredulitatem damnare homines, cùm solis Christi meritis iustificamur, quod sine fide nobis applicari non potest. Dedit eis
Ioan.1 Deus potestatem filios Dei fieri, sed his tantùm, qui credunt in nomine eius. Incredulitas radix, nil præter peccata profert.
Gen.17 Id quod in Adam videre est, qui seposita fide, quam erga Dei verbum habere debebat, mox in omne genus impietatis corruit, auersúsque à Deo, ad ea quæ non sunt Dei, conuersus est.
Rom.7 Vnde, Paulo teste, omnes sub peccatum sumus venundati, quotquot ex infideli Adam nascimur. Propterea Propheta conqueritur, dicens, Domine, quis credidit auditui nostro?

Hoc

Hoc peccatum Christus à Spiritusancto arguendum dicit, *Ioan.16*
quod & fecit, quando omnes conclusit sub peccatum, & indi- *Rom.3*
gere gloria Dei ostendit. Non hoc lex arguit, arguit homici-
dia, furta, adulteria, idque genus externa. Non natura arguit *Rom.2.*
hoc, arguit autem externa, accusantibus se inuicem cogita- *Gen.3*
tionibus hominum, id quod Adam docet, qui statim vbi pec-
casset, diuinam præsentiam metu exhorruit. Sed & mundus
externa arguit, incredulitatẽ verò nõ arguit. Quanquã eò res
humanæ deuenerũt, vt ne ipsa quidẽ crassa & enormia delicta
peccatũ æstiment, ne dicã, arguãt multi. Deinde arguet mũdũ *Ioan.18*
de iustitia Spiritussanctus, quia ad patrem vadit Christus, &
iam non videbimus eum. Rectè hoc quidem. Quid enim pro-
desset argui mundum propter peccata, nisi doceretur vbi iu-
stitia quærenda esset? Christus solus iustitiam habet iustifi-
cantem. Vnde hoc sciam? Quia ad patrem ascendit. Nemo *Ioan.3*
enim ascendit in cælum, nisi qui descendit de cælo, filius ho-
minis qui est in cælo. Qui descendit è cælo, ipse est, qui & *Ephe.4*
ascendit. Hanc iustitiam Spiritussanctus docet. Sed non modò
docet, verumetiam mundum, iustitiæ huius contemptorem,
arguit, & de hoc ipso arguit, quòd propriam volens iustitiam
constituere, iustitiæ Dei in Christo non sit subiectus. Iudæi
enim in lege, Gentes in virtute iustitiam atque salutem quæ-
runt. Sed quid Spiritussanctus in Scripturis dicit? Si per le- *Gala.2*
gem iustitia, ergo gratis Christus mortuus est. Et, Cùm co- *Rom.1*
gnouissent Deum, non vt Deum glorificauerunt. Ergo non
iustificabitur in conspectu Dei omnis viuens. Ipse enim quasi
ignis conflans. Et quis stabit ad videndum eum? Rectè ergo *Malac.3*
Spiritussanctus arguit omnes, quotquot propriam iustitiam *1.Pet.2*
quærunt, docétque in Christo (qui nullum peccatum, sed *Ioan.8*
ea omnia semper quæ patri placent, fecit, & qui resurrexit
propter iustificationem nostram) sperare salutem, & quan-
tum in nobis est, cum Psalmista dicere, Ne intret Dominus *Psal.143*
in iudicium cum seruo tuo. Arguet autem & eos, qui cùm
propriam iustitiam nullam habent, etiam Christi iustitiam
respuerunt, conueniunt, rident. Sed & illos arguet, qui nec
Christi, nec sanctorum iustitiam sequuti sunt, quia quò Chri-
sti ad patrem euntis, & sanctorum ipsum sequentium gloria
maior est, eò mundi huius contemptoris pœna grauior erit.
Tertiò, arguet mũdum de iudicio, quia princeps mũdi huius *Ioan.16*
iam iudicatus est. De iudicio quo iniquè Christum morti ad-

iudi

judicarunt. Sicut quondã Petrus arguit Iudæos. Virũ approbatũ, inquit, à Deo in vobis virtutibus, & prodigiis, & signis quæ fecit Deus per illum in medio vestri, per manus iniquorum crucifixũ interemistis. De iudicio, quod iustè sententiam de impiis ferre docebit, De iudicio quia cùm vident principem huius mundi iudicatum esse, inermi tamen resistere volunt. De iudicio, quod proprium sequuti, dereliquerũt Deum & sese Satanæ iam iudicato mãciparunt. De iudicio, quo mundi regnum extollunt, & non potius condemnant. Denique & maximè de iudicio, quia cùm vident principem mundi huius iam iudicatum esse æternisq; cruciatibus deputatum, ipsi tamen credendo, benéq; viuendo iudicium declinare nolũt, falsò sibi impietatis suæ impunitatem promittentes ab eo, qui angelis nobilissimis omniũ creaturis, ne quidem parcere voluit propter impietatem. Ecce hoc modo, hisq; de rebus spiritusſanctus mundum arguet. Si ergo spiritusſancti iudiciũ est, arguere mundũ de peccato, de incredulitate, déque iudicio, profectò non sunt à spiritusancto, qui ad peccata cõniuent, iustitiam respuunt, aut non iustitiam quærunt, & deniq; futuram dãnationẽ tam parui faciunt. Verùm sunt & alia eius iudicia, vt cõsolari, vnde paracletus dicitur. Et hîc vide quã differentia loquatur Christus. Mundũ arguet, pios verò consolabitur vnus idemq; spiritus. Omnino ita est, aut enim pius es, & consolationẽ eius sentis, aut impius argueris. Sed & hoc eius signum est, esse spiritum veritatis, & docere veritatem. Non sunt ex hoc spiritu, qui errores disseminant. Sed nec à semetipso loquitur spiritusſanctus. Nõ ergo sunt ex spiritusancto, qui sese ingerunt, qui currunt antequam mittantur. Sed quæcũque audit, loquitur. Ergo qui aliquid horũ, quæ in scripturis de fidei rebus scripta audiuntur, tacent, huius spiritus non sunt, vt sunt qui propter potentiam aliorum, suam verò vtilitatem, nil nisi placentia canunt. Denique spiritusſanctus futura annunciat. Ergo nec hi ex ipso sunt, qui sine metu spéque futurorum viuunt, vt quidam in Isaia fecerunt. Edamus & bibamus, inquiũt, cras enim morimur. Postremò, spiritusſanctus Christum clarificat. Non igitur ex hoc spiritu sunt, qui quicquã eorũ, quæ ad Christi clarificationẽ, gloriam, & honorẽ faciunt, abscondunt: vt Gentes, qui hũc honorẽ idolis tribuunt: Iudæi, qui legis operibus hanc laudẽ vendicant. Nemo enim in spiritu Dei loquẽs, dicit anathema Iesu, & nemo

Act. 2. 10

Spiritus S. consolatur.

Spũſanc. veritatẽ docet.

Spũſanc. à se non loquitur.

Iere. 23.

Spiritus sanctus ventura annũciat.

1. Cor. 12.

mo poteſt dicere: Dominus Ieſus, niſi in ſpirituſan. Agnoſcamus ergo Chriſti pietatem, qui nos tam firma conſolatione erigit, etiam in hac vita, in ſpirituſancto nobiſcum manet. Agnoſcamus hoc donum cæleſte, à patre deſcendens luminum, & cùm multi mendaces nos ſolicitare poſſunt, his ſignis veri Dei ſpiritus diſcernamus, probemúſque (vt omnia) ſpiritus, ſolúmque eum ſequamur, qui à Deo datus veritatis Doctor, nos in omnem inducere poteſt veritatem. Cui cùm patre & filio laus & gloria. Amen. *Iacob. 1*

DOMICA QVINTA POST PASCHAE, VOCEM IOCVNDITATIS EVAN. IOAN. XVI.

AMen amẽ dico vobis, ſi quid petieritis patrẽ in nomine meo, dabit vobis: vſque modò nõ petiſtis quicquã in nomine meo. Petite, & accipietis, vt gaudium veſtrum plenũ ſit. Hæc in prouerbiis locutus ſum vobis. Venit hora, cùm iam non in prouerbiis loquar vobis, ſed planè de patre meo annunciabo vobis. In illo die, in nomine meo petetis. Et non dico vobis, quia ego rogabo patrẽ de vobis. Ipſe enĩ pater amat vos quia vos me amaſtis, & credidiſtis, q̃a à Deo exiui. Exiui à patre, & veni in mũdũ, & vado ad patrem. Dixerunt ei diſcipuli eius: Ecce nunc palàm loqueris, & prouerbium nullum dicis. Nunc ſcimus quia ſcis omnia, & non eſt opus, vt quis te interroget. In hoc credimus, quia à Deo exiſti.

EADEM DOMINICA EPISTOLA IACOBI.

EStote autem factores verbi, & non auditores tantùm, fallentes voſmetipſos, quia ſi quis auditor eſt

verb

verbi Dei, & non factor, hic comparabitur viro consideranti vultum natiuitatis suæ in speculo, considerauit enim se, & abiit, & statim oblitus est qualis fuerit. Qui autem perspexerit in lege perfectæ libertatis, & permanserit in ea, non auditor obliuiosus factus, sed factor operis, hic beatus in facto suo erit. Si quis autem putat se religiosum esse, non refrenans linguam suam, sed seducens cor suum, huius vana est religio. Religio munda & immaculata apud Deum patrem, hæc est, visitare pupillos & viduas in tribulatione eorum, & immaculatum se custodire ab hoc seculo.

SERMO.



Ostulat hic ordo vt quia hæc quinta & postrema dies Dominica est à læta resurrectionis festiuitate, priusquam ad huius Euangelij enarrationem veniamus, quid quæq; præcedentiũ voluerit, quæ summa fuerit, perstringamus. Sic enim rei necessariæ series apparebit lucidius, & superioris temporis sermones in memoriam recurrent facilius. Ac principiò quidem nemo est, qui totum hoc tempus in Domini nostri Iesu Christi resurrectionis meditationem impendendum esse non putet. Est enim illius resurrectio totius fidei prædicationisq; fundamentum, ac futuræ nostræ cùm resurrectionis tum beatitudinis causa. Et meritò id cogitamus semper, in eóq; animus noster occupatur sedulò, quòd totius vitæ huius finis est. Ipsa enim resurrectionis Dominicæ dies, fidem docuit, quòd verè à mortuis Christus re-
Rom. 10 surrexit. Quemadmodum & Paulus eandem fidem magnificè prædicat. Hoc est, inquit, verbum fidei, quod prædicamus, quia si cõfitearis in óre tuo Dominum Iesum, & in corde tuo credideris, quòd Deus illum suscitauit à mortuis, saluus eris.
1. Cor. 15 Et, Si Christus non resurrexit, inanis est prædicatio nostra, inanis est & fides nostra. Prima deinde post eam dies Dominica fructus resurrectionis docet, ne fidem eius tanquam vanã & inutilem aspernemur. Secunda verò, exempla proposuit,
1. Pet. 2 cùm pastoris, tum ouium. Id quod & Petrus vult, cùm Christum pro nobis passum asserit, ac nobis exemplum reliquisse,

cuius ſequamur veſtigia. Et hoc ideo, vt intelligamus nudam
fidem ad ſalutem minus ſufficere. Tertia porrò ad patientiam
hortatur. Nempe Chriſtianum eſt, & bene agere, & mala cum
æquanimitate perferre. Quarta denique, vnde vtriuſque ho-
rum virtus atque ſufficientia veniat, oſtendit, cùm Spirituſſan
cti præſentiam atque operationes declarat. Hic enim & do- *Ioan. 16.*
ctor, & conſolator, & Dei virtus eſt. Et quid reſtat, niſi vt qua
ratione aut via, Spiritus ſanctus ad tantas res neceſſarius acci- *Ioſue 3.*
piatur, diſcamus? Altior ille cælo eſt, & quis aſcendet ad dedu
cendum eum? Hanc ergo viam præſens Dominica dies de-
monſtrat, cui perappoſitè eiuſcemodi lectio, patrum diſpoſi-
tione deputata eſt, quæ nos multis modis non modò orare, ve
rumetiam qualis debeat eſſe oratio, qualis etiam orantis ani-
mus, docet. Complectitur quidem & alia quædam, vt quod ve *Summa*
luti ſumma quædam eſt dictorum factorúmque Chriſti in car *Euang.*
ne, cùm ſe multa Dominus in prouerbiis loquutum eſſe Apo-
ſtolis, adeſſe verò nunc tempus, quo palàm ſit de patre annun-
ciaturus, affirmat, & Apoſtoli diuinitatem ei tribuentes, om- *Ioan. 16.*
nia eum noſſe, nec vt quis interroget opus habere, à Deo exi-
uiſſe, ſcire ſe atteſtantur: quòd veluti viam futuræ ſolẽnitatis,
aſcenſionis (inquam) parat, vt intelligamus quid ſit & deſcen-
ſio eius & aſcenſio, cùm ſe exiuiſſe à patre, & in mundum ve-
niſſe, iterum relinquere mundum, & ire ad patrem, teſtatur:
quòd ſuo Chriſtus exemplo exiguum eſſe huius tabernaculi
tempus docet, vt hoc quod gratiæ datum eſt tempus, dignæ
meditationi impendamus, cæleſtia appetamus, Dominum
dum inueniri poteſt, quæramus, eúmque dum propè eſt, inuo-
cemus. Sed hoc præcipuè agit, vt nos orare doceat, ádque oran *Iſaie 55.*
dum mentes noſtras inflammet, nihilque prætermittit in ea
Chriſtus, vt quod noſtro bono vult, perſuadeat, & quod agit
perficiat. Promiſsionem præmittit ante mandatum, & manda
tum promiſsione mitigat. Qua ratione iſthæc ſanè lectio ve-
ram Euangelij naturam refert. Plures hic mundus habuit do-
ctores, verbis acutos, ſententiis graues, eloquentia celebres,
quorum tamen nullus doctrinam ſuam Euangelij nomine
exornare potuit. Sed & Moſes etſi mandato Dei verba ad popu
lum faceret, ínque annales referret, non Euangelium, ſed le-
gem libros ſuos inſcripſit. Et Prophetæ cæteri omnes ab hac
Euangelij appellatione abſtinuerunt. Viſiones dixerunt, vt
Iſaias & Abdias: aut onera, vt Nahum & Abacuc: aut ſimpli-

citer verbum Domini, vt Ieremias, & alij. Solus Christus,
Isaia 61. quemadmodum Isaias quoque de eo promiserat, suę doctrinæ Euangelij nomen inscribere potuit. Idque hac maximè lectione declarauit. An fortè lætum nuntium non est, quòd Christus promittit daturum esse patrem, quicquid suo in nomine petierimus? An non etiam lætius est, quòd iubet, atque vt oremus, præcepto compellit, quo gaudium nostrum plenum
Psal. 33. sit, vt degustemus quàm bonus Israël Deus? vt Dauid clamat: Iste pauper clamauit ad Dominum, ex omnibus tribulationibus liberauit eum. Accedite, & illuminamini, & facies vestræ non confundentur. Gustate & videte quàm suauis est Dominus. Beatus vir qui sperat in eo. Lætissimum verò, quòd Christus ipsum patrem nos amare ait, eò quòd nos se amauerimus, crediderimúsque, quòd à patre exiuerit. Considerate autem quale sapientiæ donum sit, scire qua ratione cum Deo sit agendum: quæ dignitas inter omnes omnium nationum Gentes soli Christiano concessum esse Deum accedere, eúmque patrem suum appellitare, atque amicitiam eius certò sibi polliceri: denique (quòd omnes mundi huius quantumlibet admirandos thesauros superet) scire se Deum exoraturum esse, & exaudiri. Et hæc sanè omnia hic nobis Christus ipse, non per Apostolum aliquem, neque per Angelum, neque per visionem, sed suo ipsius ore promittit, etiam non sine
Ioan. 13. iureiurando. Nemo autem Christum nobis bene velle igno-
Ioan. 6. rat. Apertè enim Ioãnes de ipso affirmat, quòd amet nos perpe
Ioan. 10. tuò, & in finem vsque complectatur, quotquot in hoc mun-
Ioan. 17. do illius sumus. Nec quenquam nostrûm ad se venientem repellet. Nouit enim nos, & vt bonus pastor suam ipsius animam pro nobis ponit, próque suorum sanctificatione, patrem, à quo pro sua reuerentia semper exauditur, exorat. Imò ne sine suis etiam in cælo esse vult, cùm vt vbi ipse est, illic sint & discipuli sui, vult. Rectè igitur de ipso Salomon:
Eccle. 10. Verba, inquit, oris sapientis gratia. Et Ecclesiasticus: Sa-
Eccle. 20. piens, inquit, in verbis producet seipsum, & homo prudens
Prou. 31. placebit magnatibus. Verè enim hic Christus verus ille Lamuel, non regibus, hoc est, in se ipsis confidentibus, non superbis, dulcíque fortuna ebriis, sed mœrentibus, pereuntibus, Apostolis, inquam, multa tristitia proiectis, vinum illud diuinæ consolationis infudit. Sæpè quidem & multa non planè ab hoc genere consolationum aliena propinauerat
antè

antè, sed nescio quid vbique subreptare consueuerit humani:
diuersum enim semper à Domini intentione aut quærebant,
aut affirmabant Apostoli. Hic verò vbi & orare præcipit, &
modum orandi præscribit, & patris Dei amorem ostendit do
minus, discipuli, veluti sui obliti, altius transcendunt humana
ingenia: & quod rarissimè antè, rotundis verbis diuinitatis
testimonium proferunt. Tantum apud eos hoc Christi Euan-
gelion potuit. Nimirū virtutem inesse verbis intellexerunt,
patrísque voluntatem cognouerunt, eóque demum quæcunq;
premeret aduersitas, ad orationem, veluti sacram anchoram
confugere consueuerunt. Nec Apostolorum solummodo hæc
consuetudo fuit, omnes pij, quorum mentibus diuina se vn-
quam insinuauit voluntas, Deum precari primùm habuerunt.
Taceo hic Mosen, Dauid, cæterósque alios. Ingens illud Iosa-
phat præ omnibus testimonium est, Qui cùm ignoremus, in-
quit, quid agere debeamus, hoc solùm habemus residui, vt ocu
los nostros dirigamus ad te Deus. Atque hinc supplicationes 2.Par.20
illæ per totam septimanam hanc prioribus seculis vsitatissi-
mæ. Siue enim (vti circa hoc idem tempus ferè solet) bella
rumorésque bellorum audirentur, siue terra fructus expecta-
tos negaret, siue febres morbíque corpora incenderent, sem-
per huius lectione Euangelij erecti ad diuinæ miserationis
asylum orantes, confugerunt patres. Quos inter maximè lau
datur Mamercus ille Viennæ (quæ metropolis est Delphina- *Mamer-*
tus Galliæ) Episcopus. Hic enim Zenone Imperatore, cùm *cus primus*
efferos homines, lupis ferísque puniret Deus, ita vt ne quidem *supplica-*
in castellis vrbibúsque satis tuti habitarent, summæ fidei vir, *tiones pu-*
ardentísque pietatis Antistes, non superstitione, non hypocrisi *blicas in-*
ductus, sed ouium suæ diligentiæ commissarum cura motus, *stituit.*
primus huiusmodi stationes atque supplicationes indixit,
súbque Christi crucis vexillum & orationis præsidium suos
confugere docuit. Qui mos in Occidentali Ecclesia ad nostra
hæc vsque tempora, multis licet pro sua id impietate iniquè
ferentibus frementibúsque, perdurauit. Atque vtinam nostri
homines saperent & intelligerent. Vtinam pristinis ac piis il-
lis veterum vestigiis bene pressis insisterent. Vtinam quòd
Christi promissio suadet, præceptum postulat, ipsáque neces-
sitas vrget, præstaremus omnes. Quæ enim illa mentium hu-
manarum pertinacia est, vt ad suam ipsarum certam perni-
ciem, nec promissione duci, nec præcepto trahi, nec vlla de-

mum necessitate vrgente incitari ad orandum Deum, velint? Eò enim res humanæ deuenerunt, vt multi planè obliti sint huius tam sanctæ actionis, nec vnquam recordentur eius, perinde atque cum pietate omni, ipsum etiam Christianum nomen abiecissent. Imò inuenias qui orare tàquàm inutile quid, & à fide alienum rideant, atque contemnant: scilicet, persuasum habent omnia necessaria quadam naturæ vi, aut diuina prædestinatione fieri, eandem esse & orantis & ridentis conditionem. Inuenias qui auersentur & refugiant orationes, tanquam malas, quod vel in iis, quos præsens tempestas nullo veterum exemplo aduexit, libris legerint, vel ab insulsis quibusdam verbi ministris audierint, opera bona nihil ad salutem facere, eáque Christi meritis detrahere, & factores huiusmodi quantumlibet pios, quodam tamen modo conscientia accu-
Matt. 6. 23. sante damnari. Huc etiam adferunt, quæ Christus in Euangelio, & Dauid in Psalmis de Pharisæorum Samaritanorúmque
Ioan. 4. orationibus tradiderunt. Nimirum hæc illa tempora, in qui-
Psal. 108. bus precari scandalum est, eáq; omnia ferè quæ olim laudem veram, nunc extremam ignominiam mereantur. Genua flectere, manus inter orandum leuare, caput inclinare, pectus percutere quàm insuetũ, quàm ridiculum, quàm nullis non sannis dignum est? An non res plena miseratione est, orationes, quarum autoritas nõ modò apud veteres Christianos, verũetiam apud Gentes, Iudæos, atque Turcas plurimũ valuit, sic pessum iri? Atqui nec gentes vllæ, nec Iudæi, neque Turcæ, tot promissa, tot habent præcepta, quibus precari discãt, quot Christiani. Quid enim Christus ad hanc summam facere potuit reliqui?
Ioan. 16. An non ingens certáque promissio est? Amẽ amen dico vobis, inquit, si quid petieritis patrem in nomine meo, dabit vobis. Neque hîc tantùm eam promissionem locum habere voluit.
Ioan. 14. Alibi ait: Amen amen dico vobis, qui credit in me, opera quæ ego facio, & ipse faciet, & maiora horũ faciet, quia ego ad patrem vado: & quodcunque petieritis patrem in nomine meo, hoc faciam, vt glorificetur pater in filio. Si quid petieritis me
Ioan. 15. in nomine meo, hoc faciam. Et iterum: Si manseritis in me, & verba mea in vobis manserint, quodcũque volueritis, petetis, & fiet vobis. Voluit enim sæpè repetitis verbis, & promissionis certitudinem demonstrare, & ad orandum solicitare. Nam quòd ait: Si quid petieritis, nihil determinat quid sit petendum, quid ue non: omnia autẽ includit, ostenditque Deum
poten

potentem esse omnia præstare. Quemadmodum & Dauid *Psal. 32.*
refugium dicit Deum, non in vna aliqua tribulatione, sed in
omni. Tum illud quoque monemur, vt non sit nihil, sed
aliquid, quod à Deo petimus. Peccatum nihil est, & quic-
quid peccato coniunctum est. Sed nec corporalia huius mun-
di aliquid magni sunt. Cælestia verò, & quæ propter animam
expetuntur, momenti aliquid habent. Iam illud quoque, quòd
Deum patrem nostrum dicit, ingentem spem parit. Non ho-
stem, non insidiatorem, non inimicum, sed patrem dicit:
nec semel, sed sexies hoc vnico capite. Quis autem accedere
auderet Deum, nisi patrem eum esse nouisset? Moses fidelis
seruus in domo Dei erat, attamen audit Deum vetantem: Ne *Exod. 3.*
appropies, inquit, solue calceamentum de pedibus tuis: locus
enim in quo stas, terra sancta est. Et de populo Israëlitico, li- *Exod. 19.*
cet per triduum sanctificato, Mosi Dominus mandat: Descen-
dat, & contestetur populum, ne fortè velit transcendere termi
nos ad videndum Dominum, & pereat ex eis plurima multitu
do. Sic Abraham & ipse amicus Dei gratus, cum Domino lo- *Gen. 18.*
qui, corámque stare timuit, terram se atque cinerem vocat, *Exod. 20*
& ne irascatur Dominus loquenti, orat. Et quid multa? Mo- *Deut. 4.*
ses Dominum non patrem, sed ignem consumentem, for-
témque zelotem nuncupat. An ergo horrendum non esset, ho
minem imbecillem, caducum peccatorem, in hoc infimo hu-
milique terrarum orbe reptantem, cum Deo colloqui, cuius
maiestas & potentia in immensum supra cælos extenditur, cu
ius magnitudinem ne animo quidem liceat concipere? Ex-
horrescimus, si Rex aut Cæsar nobis exorandus sit, acerrima
coitio prima cum Satrapa aut principe, qui eadem, qua nos
natura nati sunt, & non timebimus cum Deo loqui? Sed ser-
uiliter timeant, qui Deum patrem suum ignorant, qui se pa
tris tutela abdicant: credentibus verò atque piis Christi pro-
missione pater appellandus est. Et si nos cùm simus mali, no
uimus bona data dare filiis nostris, quantò magis ipse pater
noster dabit cum spiritu omnia bona petentibus se? Quan-
quam & ideo patrem dicit, vt magnitudinem beneficij agno-
scamus, & ipsi naturali communis patris huius filio nostræ
adoptionis munus acceptum feramus. Id quod & conse-
quenter innuit, cùm in suo nomine orandum esse voluit.
Non enim in iustificationibus nostris prosternimus preces *Dan. 9.*
nostras ante faciem Dei. Sed & virtutem nominis huius

significat, quòd omnia posit apud patrem, præstet omnia, propter ipsum pater omnia velit, de quo infrà dicemus.
Gene.22. Sic denique quòd ait daturum esse patrem, exauditionem
Heb.6. certam promittit, & ne quis hæsitet, iuramento consueto, quæ dixerat, confirmat. Ita enim & alibi per semetipsum, cùm superiorem se non habeat, iurare consueuit, vt immobilitatem consilij sui atque præscientiæ demonstret. Quòd si igitur hominis iuramentum fidem meretur, cur non potius diuinis promissionibus firmis atque immutabilibus illis assentimur? Sed hoc inter verè credentes & hypocritas diuidit, ita diuinis promissionibus acquiescere, vt licet necdum appareat quod orauimus, verè tamen exauditas esse preces nostras, certò nobis persuadea-
Tob.3. mus. Vt Tobiæ oratio longè antè exaudita fuerat, quàm appareret. Videte ergo quàm nulla etiam dictio promissionis huius consolatione sit vacua, quæ non singulari aliquo modo pias mentes afficiat, & ad precandum soli-
1.Ioan.5. citet. Sanè apud Apostolos permultum hæc valuit promissio. Id quod vel vnius Ioannis testimonio videre licet. Is enim in prima sua Epistola in hæc verba scribit: Hæc est (inquit) fiducia quam habemus ad Deum, quia quodcunque petierimus, secundum voluntatem eius, audit nos. Et scimus quia audit nos, quicquid petierimus: scimus quòd habemus petitiones quas postulauimus ab eo. Vnde enim alioqui tantam hausisset fiduciam, nisi ex hac Christi promissione? Enimuero nos quoque hac ipsa ratione ad orandum Deum induci possemus, si (vt æquum esset) immutabilitatem diuinæ promissionis intelligeremus. Quam, quia non omnes concipiunt, mandato Christus firmat: imò quòd nihil eo vsque petierint exprobrat, vt vel sic in his prementibus angustiis ad tutum illud diuinæ pietatis asylum, capax (inquam) omnium humanarum miseriarum præsidium confugere impellamur, qui nuda promissione non ducimur. Vsque modò (inquit) non petistis quicquam in nomine meo. Petite, & ac-
Luc. 11. cipietis, vt gaudium vestrum plenum sit. Iisdem penè ver-
Luc. 18. bis alibi quoque precari iubet. Petite (inquit) & dabitur
Matt. 6. vobis: quærite, & inuenietis: pulsate, & aperietur vobis. Om-
26. nis enim qui petit, accipit: & qui quærit, inuenit: & pul-
Rom. 11. santi, aperietur. Orate ne fuga vestra fiat hyeme. Orate

ne intretis in tentationem. Sed & Apostoli idem preceperunt. Paulus vult nos orationi instare, atque idipsum suo exemplo ut abũdantius faciamus hortatur. Petrus verò prætereà etiam vigilantiam quærit in orando. Nempè ipsi præceptis Christi obedierunt, & obedientiæ suæ exempla scripto atq; facto post se relinquere voluerunt. Intellexerunt enim obedientiã apud Deum plus valere quàm victimam, contemptum verò præceptorum Dei multam diuinæ iustitiæ iram secũ trahere. Grauissimè enim Deus in contemptores sui præcepti animaduertit. Et meritò: Quis enim Rex famulum minus obsequentem ferret? Aut quis pater dona oblata aspernanti filio non irascetur? Si autem homo contemptum sui indignè fert, quanto rectius Deus suorum præceptorum contemptores vlciscitur? Hinc cõteptoribus Salomõ sub persona Dei loquitur: Quia vocaui, & renuistis: extendi manum meã, & non fuit qui aspiceret: despexistis omne consilium meũ, & increpationes meas neglexistis, ego quoque in interitu vestro gaudebo, & subsannabo, cum vobis id quod timebatis, aduenerit. Cùm irruerit repẽtina calamitas, & interitus quasi tẽpestas ingruerit, quãdo venerit super vos tribulatio & angustia. Tunc inuocabunt me, & non exaudiam: mane consurgent, & non inuenient me. Deo exorato cuncta succedunt prosperè, at idem si inexorabilis fiat, omnia in desperatis habemus. An non vobis videtur hac tempestate, in que hac nostra calamitate ridere Deus, inexorabilem se nobis exhibere? Malorum quibus premimur non est numerus, & grauiora expectamus. Nemo interpellat, nemo deprecatur: & si qui orant, nònne his misericordiæ aures videntur obstructæ? Non quòd Deus non benè velit nobis, aut non possit præstare quod petimus: sed quòd aut ita metemur, aut non sicuti oportet petimus. Pernecessarium igitur est, vt si promissionum magnitudine non ducimur, saltem præcepti huius autoritate atque vi trahamur. Petite, inquit, & accipietis, vt gaudium vestrum plenum sit. Sed & Epistola huius diei obedientiam præcepti huius à nobis exigit. Nec nulla eius apud pios erit autoritas. Quid enim ad nos, si proptereà quòd præter fidem etiam obedientiam verbi postulat, eleuatur, & straminea dicitur, indignáque Apostolo Christi iudicatur? Catholicis enim semper Apostolica fuit, & ipsa quidem multorum vesaniam vicit, perdurabítque ad finem, vsque, ipsius etiam inferorum portis repugnantibus.

Rom. 12. *1. Thes.* *1. Pet. 4.* *Prov. 1.* *Iacobi Epistola.*

In ea, inquam Apostolus vult, vt quæ Christo mandante percepimus, obedientes facto præstemus. Quòd si cæteris scripturis ipsiúsque adeò Christi verbis Apostoli consilium consonum est, pareamus, sin verò, negligamus. Estote ergo, inquit Apostolus, factores verbi & non auditores tantùm, fallentes vosmetipsos. Huic cõsentiens Dauid, Misericordia, inquit Domini ab æterno & vsque in æternum super timentes eum, & iustitia illius in filios filiorum, iis qui seruant testamẽtum eius, & memores sunt mandatorum eius ad faciendum ea. Et Ezechiel illo clarius 18. atq; 33. capitibus. Rursum Apostolus ait, Quòd si quis auditor sit verbi, & non factor, hic comparetur viro consideranti vultum natiuitatis suæ in speculo. Considerauit enim se & abiit, & statim oblitus est qualis fuerit. Huic Christus consentit, dicens: Non omnis qui dicit mihi Domine Domine, intrabit in regnum cælorum, sed qui fecerit voluntatem patris mei qui in cælis est, ipse intrabit in regnum celorũ. Rursum Apostolus fallere homines semetipsos docet, qui salutem in solo verbi Dei auditu ponunt. Christus verò apertè dicit: Omnis qui audit verba mea hæc, & nõ facit ea, similis erit viro stulto, qui ædificauit domum suam super arenam. Rursum Apostolus Christi doctrinam legem, & quidem perfectè libertatis legem dicit. Sic etiam ante eum Isaias. De Sion, inquit, exibit lex, & verbum Domini de Ierusalem. Imò alibi regem Christum & legislatorem populi nominat. Idem & Paulus audet: Alter alterius onera portate, inquit, & sic adimplebitis legem Christi. Denique quod Apostolus dicit, factorem operis in facto suo beatum fore, idipsum Dauid primo Psalmo luculentissimè: Paulus verò in ea quam ad Romanos scripsit Epistola, & Christus ipse contestatur, dicens. Si hæc scitis, beati eritis, si feceritis ea. Lucæ duodecimo, Seruus sciens voluntatem Domini, & non faciẽs eam, vapulabit plagis multis. Hinc ergo intelligitis (puto) quàm sibi consentiant prophetarum Christi, atque Apostolorum doctrina, cum hac D. Iacobi Epistola. Quæ si cogitassent, ac diligentius considerassent homines, nullo modo hanc Epistolam reiecissent, enimuero moniti Apostoli verbis, quæ Christus in Euangelio nostro omnium bono præcipit, fecissent, promptáque obedientia ad orandum Deum confugissent. Ille quidem omnia ea, quibus indigemus sine prece nostra dare, quemadmodum, & saluare nos sine nostro opere, posset

Iac. 1.
Psal. 102.
Ezech. 33
Matt. 7.
Ibidem.
Isa. 2.
Isa. 33.
Gal. 6.
Rom. 2.
Ioan. 13.

possent, tamen exigit, vtque oremus, monet. Non vt tum demum ex verbis nostris intelligat necessitatem nostram, sed vt nos de nobis diffisi, omnia ab eo sperare, & ab ipso tota fiducia pendere discamus, tum pro munificentia eius ipsi gratias agamus. Quòd si nec præceptis Christi trahimur, quid restat, nisi ipsa necessitate, periculorúmq; magnitudine tandem discamus, quod cùm rectè valeremus, agnoscere noluimus? Tres sunt hominis hostes capitales, Caro, Mundus, & Diabolus, qui coniunctis viribus obnixè tendũt in perniciem animarum. Quibus si non succumbere, si repugnare & vincere voluerimus (vt certè necessum est) omnino ad diuinæ virtutis armamentarium recurrendum erit. Neque enim in nobis tanta virtus est, vt resistere, vel vni eorum possimus. Nam vt caro quiescat, & nihil aduersum nos moliatur, qui semper circumiens quærit quem deuoret, Diabolus, quomodo mundi huius tot machinis repugnare possumus? An non vnus Turca omnes ferè Christianorum vires superat? Non furor populi, non minæ, non periuria militum, non tragica verba quicquam proderunt, proderit humilis ardénsque oratio, proderit, & vincet. Non in exercitu, ait Dominus, nec in robore, sed in spiritu meo. Idque tot pulchra veteris testamenti exempla commonstrant. Orante Mose vicit Israël Amalechitas, oratione Ezechias ciuitatem hostibus vndique cinctam liberauit. Sic Dauid antequam bellum faceret, Dominum consueuit consulere. Idem & Saul fecit, licet impius. Habuerunt & Romani, & modò Turcæ homines sine Deo, omnia sua auspicia, auguria, oracula, expiationes, procurationes, idque genus alia monstra, quæ tamen solam religionis opinionem habent. Soli Christiani hanc placandi numinis omnium pulcherrimam actionem, quæ verè atque adeò sola veritati innititur, negligunt. Et quis finis tandem expectandus erit, nisi quòd qui nunc sine lacrymis fraterno Christianorum sanguine terram inundari permittimus, aliquando facta deditione indigna, proiecta religionis pietate, atque fide, sub immanissimo hoste, fœdissima seruitute sumus torquendi? Sed ecce totus ferè hic sermo querelis nobis consumptus est, quòd nec promissione allicimur, nec præcepto ducimur, nec denique necessitate præsentissimáque omnium calamitate ad orandum trahimur, vt diuina placata ira, quietis beneficio, Deo & Domino nostro liceat ser-

Exech. 4.
4. Reg. 10
1. Reg. 30.
1. Reg. 13.

uire. Verùm ne qua in me sit culpa, paucis quid orare, quæ orationis otantísve esse debeat qualitas, breuiter perquiramus.

Oratio. Equidem orationem non modò verba aut preces oris, sed vota etiam, & desideria, & gemitus suspiriáque mentis intelligo. Hæc enim Deus requirit præcipuè atque intuetur, sed & gratiarum actiones & laudem Dei, & si quid prætereà lingua nostra cum Deo agendum est. Sunt enim huiuscemo-

Ose.14. di labiorum nostrorum vituli illi, quos Oseas propheta Domino reddi præcipit, precari, gratias agere, atque laudare. Et hæc omnia Dauid vnico ferè Psalmi versiculo complexus est. Nam cum in persona Dei ait: Inuoca me, preces: cùm honorificabis me, gratiarum actiones: cùm denique immola Deo sacrificium laudis, tertium, nempè Dei laudem voluit innuere. Et orationis quidem causam sæpè necessitas adfert: verè enim & ex animo precabitur is, qui aduersis qua-

Psal.68. titur, vt Dauid tum demùm saluari se orabat, quum vsque ad

Matt. 8. animam suam aquas intrasse sentiret: & Apostoli tum obnixius Domini opem implorabant, cùm periclitarentur de vita: sed & ipse Christus cùm iam morti propinquior esset fa-

Ioan.12. ctus, ex illa hora saluari se postulauit. Gratiarum actio se-

Psal.102 quitur beneficia accepta, id quod Dauid etiam ostendens: Benedic, inquit, anima mea Dominum, & noli obliuisci omnes retributiones eius: Qui propitiatur omnibus iniquitatibus tuis, qui sanat omnes infirmitates tuas, Qui redimit de interitu vitam tuam, qui coronat te in misericordia, & miserationibus. Laudes verò ex pia diuinæ illius maiestatis, sapientiæ, bonitatis, omnipotentiæque nascuntur consideratio-

Psal.4. ne. Vt idem Dauid exclamans, Magnus, inquit, Dominus, &

Psal.1. laudabilis nimis, in ciuitate Dei, in monte sancto eius. Et: Domine Deus meus magnificatus es vehementer, confessionem & decorem induisti, amictus lumine sicut vestimento.

Diuisio. Orationem ergo cùm nomino, gratiarum actionem atque laudem Dei cum petitione intelligo. Est autem triplex orationis genus: priuatum, publicum, & quotidianum. Priuatum dico, quo pro se quisque absconditè cum Deo loquitur. Publicum, cùm ad solennes supplicationes homines conueniunt. Quotidianum, quod alio nomine horas canonicas dicimus. De priuato legimus Matthæi sexto. Lucæ vndecimo, vbi modum orandi Christus docet: Matthæi vigesimosexto. Ioannis decimosexto, vbi præcipit. Lucæ 3. & 22. Ioannis 8. & 17.

& 17. Matth. 26. & 28. vbi ipse orat. 1. Petr. 5. Philip. 4. Ephes. 3. vbi Apostoli hortantur, De publico, 2. Paralip. 20. Iosaphat. Exod. 15. Israël, Ioel. 2. propheta. Ione 3. 3. Regum 8. 2. Esa. 9. De quotidiano 1. Paralipo. 25. figura 2. Paralipo. 5. 29. 35. Salomon, Ezechias, Iosias. & huius tempus, Psalmo 118. 54. 56. Dan. 6. Exod. 29. Act. tertio & decimo. Iam verò siue priuatim in cubiculo, siue in publica statione, siue quotidie cum Deo agimus: certè talis oportet oratio nostra sit, qualem omnino Scriptura depingit, ac Deus ipse requirit. Primò igitur orandum est in fide, sine vlla hæsitatione. Ideo enim promisit Deus *Iac. 1.* exoraturum se esse nos, vt ipsi nos curæ esse credamus. Quomodo *Rom. 10.* enim inuocabunt, clamat Apostolus, in quem non crediderunt? *Ioan. 4.* Deinde in spiritu & veritate oremus oportet, vt ex profundo mentis affectu procedat oratio, quomodo quondam orauit Dauid. Tertiò secundum non nostram, sed Dei *Psal. 119.* patris voluntatem dirigatur. Pater, inquit Christus, non mea, *Mat. 26.* sed tua voluntas fiat. Idémque nobis eâdem formulam, quam sequamur præscripsit. Quartò in nomine Iesu orandum est. *Psal. 30.* Huius enim gratia pater nostri miseretur, & in ipso omnes *24. 78.* promissiones Dei sunt Amen & Ita, Christo dicente: Ipse pa- *1. Cor. 1.* ter, inquit, vos amat, eò quòd vos me amastis, & credidistis quia à patre exiui. Nomen autem Christi est, non literæ illa *Christi nomen.* series, sed incarnatio, passio, mors, meritum: quicquid propter hoc nomen, hoc est, propter incarnationem, passionem, mortem atque merita Christi petierimus, consequemur. De *Ioan 1.* ipsius enim plenitudine accepimus omnes, & ipse vnicus me- *1. Tim. 2.* diator Deique hominúmque per sese accessum nobis ad pa- *Io. 14.* trem aperit, nec quisquam nisi per hoc ostium eò peruenire potest. Quintò, orandum est in iustitia. Peccatores enim quos odit Deus, non exaudit. Hinc ergo quò expeditior esset ora- *Ioan. 9.* tio, veteres duas ei alas tribuerunt, alteram contemptũ mun- *Tob. 12.* di, alterã castigationem carnis. In Tobia angelus ieiunium, & eleemosynam addidit. Alij verò ignoscentiam in delinquentes, & beneficentiam in egentes apposuerunt: atque id ipsum dixerunt iustitiam, iisque ornatum virtutibus precantem, in iustitia orare. Quò verò hæc actio gratior fieret hominibus, Christus eam primùm ab honesto commendat, quòd nulla homini conuenientior sit actio, quàm cum Deo loqui, cuius ne seipsum quidem puduerit. Deinde etiam nihil illa iucundius esse sancti tradiderunt. Gustate, inquit Dauid, & videte

Psal.33 quàm suauis est Dominus. Et Paulus, Accedamus, inquit, ad
Hebr. 4 thronum gratiæ. Sed & lucrosa res est oratio. Multi enim fru-
Psal.49 ctus eius. Inuoca me, inquit dominus, in die tribulationis tuę,
Psal.90 eruam te, & honorificabis me. Clamabit ad me, & ego exau-
Mat. 26 diam eum, cum ipso sum in tribulatione, eripiam eum, & glorificabo eum. Denique & ipsa necessaria. Id quod Christus docuit, cum Apostolos vt orarent monuit, vitandæ causa tentationis. Neque verò nuper tandem inuenta est oratio, cum hominibus habet originem. Et licet laborem suum habeat, nec nullius diligentiæ sit verè orare Deum, hac tamen parte facilitate commendabilis, quòd nec certo, nec longinquo aliquo loco, aut certis, obscuris, atque ignotis verbis alligata sit, nam in omni loco præsto Deus est: & incomprehensibile cum sit numen, balbutientium tamen pius pater filiorum gaudet affectu. Imò verò si ideò natus est homo, vt Deum factorem suum atque redemptorem prædicet, nihil magis homini proprium erit, quàm orare. Et ita quidem proprium, vt cum omnibus bonis (præter animam) spoliari possit, cum anima tamen propriam sibi seruet orationem. Persequutio Ananiam
Dan. 3 sociósque eius in ignem, Danielem in lacum leonum, abiice-
2.Mac.7 re, Susannam falso iudicio capitis damnare, Machabæorum
Act. 7 linguas ex ipsis faucibus præcidere, Stephanum lapidare potuit: ne tamen hi omnes orarent, prohibere non potuit. Agnoscamus ergo nostram & egestatem & fœlicitatem, pareamus (& quidem nostro bono) monenti Deo, purásque manus cum mentibus ad cælestia attollamus, vbi Christus in dextra Dei patris aduocatus sedet. Amen.

DOMINICA SEXTA PASCHÆ. EVANGELIVM, IOAN. XV. ET XVI.

Cum autem venerit paracletus, quem ego mittam vobis à patre, spiritum veritatis, qui à patre procedit, ille testimonium perhibebit de me. Et vos testimoniũ perhibebitis, quia ab initio mecum

estis. Cap. 16. Hæc locutus sum vobis, vt non scandalizemini. Absque synagogis facient vos. Sed venit hora, vt omnis qui interficit vos, arbitretur obsequium se præstare Deo. Et hæc facient vobis, quia non nouerunt patrem neque me. Sed hæc locutus sum vobis, vt cum venerit hora, eorum reminiscamini, quia ego dixi vobis.

EADEM DOMINICA
Epistola, 1. Pet. IIII.

Estote itaque prudentes, & vigilate in orationibus: ante omnia autem mutuam in vobismetipsis charitatem continuam habentes: quia charitas operit multitudinem peccatorum. Hospitales inuicem sine murmuratione. Vnusquisque sicut accepit gratiam, in alterutrum illam administrantes, sicut boni dispensatores multiformis gratiæ Dei. Si quis loquitur, quasi sermones Dei. Si quis ministrat, tanquam ex virtute, quam administrat Deus, vt in omnibus honorificetur Deus per Iesum Christum, cui est gloria & imperium in secula seculorum. Amen.

SERMO.



T temporis ita etiam Euangeliorum rationem habet Ecclesia: illic, vt quasi præsens ob oculos ponatur nobis, quicquid Christus diuersis temporibus in corpore gessit: hic ne historiæ confundatur ordo, laborat. Optimè igitur hoc Euāgelio hac die vtimur. Quemadmodum enim medium quodam modo tempus hodie tenemus intra Ascensionem & Pentecosten, ita conuenienter eiuscemodi Euangelium proponitur, quod vtrunque festum coniungit. Ascensionem igitur refert hæc lectio, cum huius temporis atque mundi persequutionem piis manentem annunciat: Pentecosten verò, cum non solum Spiritumsanctum promittit, verumetiam quæ ipsius effecta sunt declarat. Hæc duo Euangelium habet. Sed nunquid

dignæ

dignæ res sunt, quę & intelligantur ab omnibus, & cogitentur sedulò? Vnde enim tot impatientiæ notæ, nisi ex ignorantia Dei, quòd nec Dei, voluntatem cogitamus, nec crucis causas nouimus, nec consolatoris præsentiam animaduertimus? Sanè hæc tanta tentatio & pios pariter solicitat, & impios. Diuersò tamen modo. Et piorum quidem ingens perturbatio est, cur Deus qui iustus & omnipotens creditur, cuius scientiæ omnia patent & aperta sunt, bonos patiatur affligi, malos verò pro-
Psal. 72 sperari. Ipse Dauid de se fatetur, quòd vi tentationis penè præcipitatus, & à fiducia in Deum habenda deturbatus fuerit, cum videret felicitatem impiorum, quibus omnia ex animi sententia succederent, & rursum quantis miseriis plerunque subiacerent pij & amici Dei. Et certè si Dauid id accidit, nobis quoq; idipsum euenire potest, quibus non semper eo modo
Psal. 72 spiritus Dei præsens est. Sed & impiorum naturam idem propheta refert, cùm ait: Posuerunt in cælum os suum, & lingua eorum transiuit in terra: & dixerunt: Quomodo scit Deus, &, si est scientia in exelso? Videntes nempè piorum crucem, nolunt amplecti pietatem, ne cruci subiiciantur ipsi. Quin amplius hoc scandalo merguntur, cum hoc ipso quod malis afficiantur pij, aut contrariam Deo religionem Christianorum, aut iniquum Deum, aut si iustum, certè inscium horum quæ hic aguntur, opinãtur: & quid velit Deus, cum affligi quidem permittit bonos ad tempus, ignorantes: contra Deum, hominis finem aut nullum, aut huius tantum æui constituunt. Vtrobique igitur hæc tentatio valida est, cuius præcipua causa est ignorantia, cum pij secum cogitant, curétne Deus terrena, an ipsi quoque Deo chari sint. Impij verò sine noxa se pios affli-
Sap. 5 gere arbitrantur. Vt clarè eorum animos expressos in sapientiæ libro legimus: Hi sunt (de piis loquuntur) quos aliquando habuimus in derisum, & in similitudinem improperij: nos insensati vitam illorum æstimabamus insaniam, & illorum finem sine honore. Ecce quomodo cõputati sunt inter filios Dei, & inter sanctos sors illorum est? Et Paulus impiorũ non iam in pios, sed in ipsum etiam piorum caput Christum malitiam ignorantiæ asscribit, cùm ait: Si enim cognouissent, nunquam
1. Cor. 2 dominũ gloriæ crucifixissent. Id quod ex Christi in cruce pendentis hausisse verbis videtur, dicentis: Pater dimitte eis, quia
Luc. 23 nesciunt quid faciunt. Et paulò antè ad discipulos: Et hæc fa-
Ioan. 16 cient vobis quia non nouerunt patrem, neque me. Nempe si
Deum

Deum verè cognoscerent, pœnam iniquè factorum timerent, & à nefandis facinoribus si non amore, saltem metu abstinerent. Neque enim Dei timor tam multa, tam impia facta admitteret. Sed quia Deum ignorant, non vno persequutionis genere contra pios tumultuantur. Vt singulatim Christus hic enarrat. Nam cum principiò in genere dixisset: Odit vos mundus, addit deinceps persequutiones in specie. Absque synagogis facient vos. Fuit hoc quidem graue, iam enim antè composuerant Iudæi, vt si quis Christum confessus fuerit, extra synagogam fieret. Nec aliud erat illis extra synagogam esse, quàm nobis est, in communione Ecclesiæ non numerari, ab Ecclesia credentium exemplum esse, partem inter pios non habere. Qualis verò hæc infamia fuerit, facilè cuilibet intelligere est. Et certè non fefellit vaticinium hoc, experti enim sunt Apostoli vera prædixisse Christum, cum non solum extra synagogam, hoc est, doctrinæ communionem & familiaritatem, verumetiam extra ciuitates eiecti sunt, vt testis est Lucas in Actis. Et Paulus conqueritur: Tanquam purgamenta facti sumus huius mundi, imò omnium peripsema vsque adhuc, id est, sicut Ethnici & publicani, quibus cum nemo communicaret æstimati. Et hic licebit videre, quæ sit conuentio regni Belial cum regno Dei, quæ pars fideli cum infideli. Nulla profectò, vt nec vlla iustitiæ cum iniustitia, luci cum tenebris. Dum enim in hoc mundo pij sunt, peregrinantur à Domino: & quia non conueniunt opera eorum, & mundus lucem odit, ne eius à luce arguantur opera, nihílque in mundo est, nisi concupiscentia carnis, concupiscentia oculorum, & superbia vitę, ideo non potest diligere nisi quod suum est, odit alienum, & infensissimè persequitur. Duæ olim simul ædificatæ ciuitates, Hierusalem & Babylon. Illa Dei & piorum, hæc dæmoniorum & impiorum. Nunquam his conuenit. Non igitur nouum nec mirum si Babylonij persequantur Hierosolymitas. At verò piis si persequantur, timendum nihil est, nec est quòd propterea se conformes reddant mũdo, quia persequutionem patiuntur à mundo: quia si voluerint esse amici mundi & placere mundo, serui Christi non erunt, imò inimici Dei erunt. Aduenæ igitur cum sint in hoc mundo pij, non est quod quærant quid iucundi in illo. Oportet enim eos qui volunt in regnum Dei intrare, per multas tribulationes intrare. Sic enim præcessit caput nostrum Christus naturalis hæres illius regni

Ioan. 15
Ioan. 16
1.Cor. 5
Act. 4
Act. 7
Act. 16
1.Cor. 3
Matt. 18
2.Cor. 6
2.Cor. 5
Sap. 2
1.Ioan. 2
Ioan. 15
Rom. 12
Galat. 1. & 6
Iacob. 4
Act. 14
Luc. 24

Genes. 7 regni, nec id sine exemplo facimus. Sic Noë inter peccato-
Genes. 19 res, Loth inter Aegyptios, Moyses inter Israëlem. Sic ziza-
Exod. 14 nia vt crescat inter triticum permittendum est, donec veniant
Matt. 13 Angeli & separent malos de medio iustorum. Nam & cum Noë archam intraret, Loth ciuitate Sodoma excederet, Moyses Aegyptum exiret, subita malos Dei oppressit & deleuit
Ioan. 16 iustitia. Sed porrò, inquit, venit hora, vt omnis qui interficit vos, arbitretur se obsequium præstare Deo. De Iudæis hoc dictum intelligere debemus. Etsi enim martyres, id est, testes, Christi à Gentilibus interficerentur, non tamen Deo hi, sed suis diis falsis se obsequium præstare arbitrati sunt. Eóque grauius est pro Dei nomine ab iis trucidari, qui patre fideli Abraham procreati, de Dei gloriabantur cognitione. Tum etiam tolerabile fieret, si mundus agnosceret, immerita se pios iniuria afficere. Sed non agnoscit, eóque dementiæ peruenit, vt piorum homicidium Deo putet obsequium. Nec ab hoc scelere Gentes eximimus. Omnis, inquit, qui interficit vos. Vterque enim populus cōspirauit in necem Apostolorum, vt qui nouam doctrinam afferentes, publicam tranquillitatem dissipare putarentur. Tertium & maximum subiungit, Si me persequuti sunt, & vos persequentur. Si sermonem meum seruauerunt, & vestrum seruabunt. Vtrunque conditionaliter posuit. Sed illud affirmatiuè, hoc negatiuè. Persequuti sunt Christum. Non seruauerunt sermonem eius. Et persequentur igitur Apostolos aliósque pios, & sermonem eorum non seruabunt. Et hæc maxima est tentatio, vehemens & ingens perturbatio est, verbum ipsum non seruari, contemni, despici. Non sine causa in veteri testamento toties dicitur, Audi Israël. Et, hæc dicit Dominus Deus. Moyses fidelis seruus in domo Dei, de populi Israël rebellione contra verbum Domini conquestus fuit. Et cum seruantibus præcepta Dei terra Chanaan promissa fuisset, duo
Num. 14 tantùm Iosue & Caleb, qui intrarent inuenti sunt. Et Esaias
Isa. 33 de hoc ad Dominum clamat: Domine, inquit, quis credi-
Isa. 41 dit auditui nostro? Et iterum: Et nunc dixit Dominus formans me, ex vtero seruum sibi, vt reducam ad se Iacob: Israël
Osee 7 autem non congregabitur. Et Oseas: Cùm sanare vellem Israël, reuelata est malitia Effraim, & malitia Samariæ. Et paulò pòst: Ego redemi eos, & ipsi loquuti sunt contra mendacia. Hucusque mundi impietas progreditur, excludit pios,

occidit innocentes, & sermonem saluificum non seruorum, sed ipsius Domini, cuius sunt serui contemnit, despicit, abominatur. Et quid efficit in seruis? Triplex malum inuenio. Primum, cùm futura expectatur persequutio, timore & terrore mentes occupat: cùm præsens adest, dolore & mœrore siue tristitia premit: cùm transiit odij semina, & vindictæ cupiditatem post se relinquit aduersus persequutorem. Et has Christus persequutiones non paruas ipsis Apostolis, quos hic in mundo dilexit, prænunciat, vt cum scimus ita necesse esse vt veniant scandala, non ideò à Dei exclusos esse cura arbitremur, quantumuis multa atque ardua patiantur pij. Prædixit ergo, ne quis subitò & inopinatè obruatur, ne quis scandalizetur, ne quis hic sibi pacem polliceatur: omnes in Christo pacem habeamus, qui in mundo premimur. Sed nunquid ad confortandas piorum mentes sufficit, quòd aduersitates prædixit? Non in hoc pij parentis quiescit affectio: quin tristes fratres de suo discessu alterius cuiusdam numinis consolatur aduentu. Ego, inquit, rogabo patrem, & alium paracletum dabit vobis in nomine meo. Consideremus hic Christi curam erga suos. Intellexit contristari Apostolos de suo discessu, & consolatur eos de alterius aduentu: nouerat mœstos, & aduenientis spiritus præsentia facit lætos: propter mundi persequutionem deiicit, sed propter promissum paracletum rursus erigit. Sic semper miscet amaris suauia, nec vlla tam acerba pro Christi nomine acцепta calamitas, quin secretiori aliquo intus reficiat gaudio. Quicquid hic mundus machinatur mali, quicquid nostræ naturæ contrarium, id omne fit per spiritumsanctum dulce & iucundum. Cum igitur nostra fortitudo nulla est, per quam sanè Christus paternè facit, tot modis Spiritussancti iterās promisionem: paracletus autem Spiritussanctus, quem mittet pater in nomine meo, ille docebit vos omnia. Et: Nisi ego abiero, paracletus non veniet ad vos. Et in hoc ipso Euangelio: Cum venerit paracletus, quem ego mittam vobis à patre spiritum veritatis, qui à patre procedit, ille testimonium perhibebit de me: quid vel promittere vel dare potuisse præstantius, quid magis necessarium? Sanè spiritussanctus dignum Deo donum, digna Christo promissio est. Illo in nobis habitante, vnum corpus cum Christo efficimur, filij Dei nominamur & sumus. Vt ergo omnibus Spiritussanctus innotescat, prius eum describit Christus à persona ipsius. A patre igi-

Heb. 12. Iob. 6. Ioan. 14. Ioan. 15. Ioan. 16.

tur Deo procedit Deus spiritussanctus. Quòd si quæras, sitnè habenda illi fides cum testatur, audi ꝙ spiritus dicatur veritatis. Sed veritas mentiri non potest nec fallere. Si pergis quærere, quod eius sit testimonium, & quæ testimonij ipsius virtus, paracletum eum Christus dicit, hoc est, eum, cuius testificatio non in nudis verbis, sed in opere & effectu: non aures hominum inani feriat tinnitu, sed ad cor hominis loquatur, inspiret & permoueat. Nec hoc facit aliquo tempore tantùm, sed in æternum. Semper de Christo fert testimonium, semper docet, semper consolatur. Id quod Christus vult, cum in præsenti posuit, Qui à patre procedit. Alia enim ratione vtitur,
Ioan.16. cùm de seipso loquitur. De se loquens ait: Exiui à patre, & ve-
Psal.18. ni in mundum: loquitur de præterito. Iam enim tum à patre
Ioan.7. exierat tanquam sponsus de thalamo suo. Sed spiritussanctus nulli datus fuerat, quia Christus nondum clarificatus erat. Semel tantum Christus venerat, caro factus, & quemadmodum non morietur amplius, ita mortalis non veniet vltrà: spiritussanctus processit tūc à patre & filio, procedit etiámnum, & procedet vsque in finem seculi, vt illuminet & sanctificet, & adornet templum nostrum, dignúmque Deo habitaculum efficiat. Sed nec necesse fuit sæpius exire Christum, Semel enim in verbo virtutis suæ Deus consummauit omnia, quę ad creationem: semel etiam per idem verbum, quæ ad redemptionem confecit. Sed quia ad cōseruationem rationabilium creaturarum non nisi assidua spiritussancti processione perficiuntur, hinc Ecclesia iustè canit, quòd sine eius numine, ni-
Paracletus. hil sit in homine, nihil sit innoxium. Hoc ergo primum in descriptione eius, quod paracletus hoc est consolator sit. Et soli spirituisancto hoc conuenit epitheton. Quicquid enim aliunde nos consolari videtur, fallit nos, perfectam cōsolationem non habet. Vnde scripturæ mos est, vt vbicunque huius æui solatia & gaudia vult innuere, comparatione aliqua vtitur. sic dicitur: Sicut lætantium omnium habitatio est in te. Non dicit quòd lætentur verè, sed tantùm quòd sint lætantibus similes. Sic alibi: Sicut qui lætantur in messe. Certè messores in messe etsi gaudium aliquod habeant, quod de fructibus, quos metunt, percipere cogitant: tamen quòd laborantes æstum interea sustinent, perfectum gaudium non habent. At
Spiritussanctus. Spiritussanctus verè nostra in labore requies, in æstu temperies, in fletu solatium est. Quòd si consolari est ex spiritu-

ſancto, ſequitur non eos è ſpirituſſancto loqui, qui triſtes mœrentium mentes illaqueando penè ad deſperationem adigunt. Denique non ſimpliciter eum ſpiritum dicit, ſed ſpiritumſanctum. Nec immeritò. Non enim in ſe tantùm ſanctus, ſed & eos quos inhabitat ſanctos facit. Vnde ſequitur neminem niſi per ſpiritum ſanctificari, & impiè, aut ſaltem non ſanctè viuentes ex ſpirituſancto non eſſe. Poſtremò, quòd ſpiritum *Luc. 11.*
veritatis dicit, & à patre dari, ſicut & in Luca legimus, Pater *Spiritus*
ſpiritum bonum dabit petentibus ſe: hoc vult oſtendere, quòd *veritatis*
à patre à quo omne donum perfectum, & omne datum opti- *quem pa-*
mum donetur fidelibus, ſpiritus ſit veritatis, hoc eſt, Chriſti, *ter mittit.*
qui dicit: Ego ſum via, veritas, & vita. Sed & in nomine ſuo *Ioan. 14.*
dandum ſpiritum illum ſanctum aſſerit, id quod triplici modo poteſt accipi. Primò quòd propter Chriſtum ſit dandus, & *Ioan. 14.*
huc referatur quod ait: Ego rogabo patrem, & alium ſpiritum dabit vobis. Et quod Ioannes ſcribit: De plenitudine eius om- *Ioan. 8.*
nes accepimus, gratiam pro gratia. Secundò in nomine meo, intelligere poſſumus, vt ſit eiuſdem voluntatis, eiuſdem ſententiæ, eiuſdémque propoſiti cuius erat Chriſtus. Vel tertiò, *Iſa. 61.*
in nomine meo, quaſi idem illi mecum nomen, & quemadmodum ego huc uſque vos conſolor, ita & ille vos conſolabitur: me pater miſit, vt mederer contritis corde. Eadem de cauſa & ſpiritum illum pater mittet. Adhuc addit: Ille vos docebit omnia. Non externo verborum ſtrepitu, ſed arcana inſpiratione & illuſtratione, ſcribens legem Dei in cordibus noſtris. Vnde ſi Chriſtus nullum Eccleſiæ alium doctorem pro- *Hiere. 31.*
miſit, quàm ſpiritumſanctum, ſequitur hoc ſolùm de diuinis rectè ac verè ſentire, qui hunc habeant ſpiritum, contrà, errare illo carentes. Quandoquidem nemo ſcit quid ſit in homine, *1. Cor. 8.*
niſi ſpirituſſanctus qui eſt in homine. Docet ergo ſpirituſſanctus etiamnum quos vult, & quod vult. Non enim omnia omnes docet, ſed aliis atque aliis alia atque alia, ſecundum menſuram donationis ſuæ vnicuique diſtribuit. Et ea docet omnia quæ ad ſalutem conſequendam ſunt neceſſaria. Aut quæ dixi vobis in memoriam reuocabit, aut quæ dicenda vobis adhuc habeo (ſiquidem omnia non poteſtis portare modo) manifeſtabit vobis. Vltimum, ille teſtimonium perhibebit de me. Primum in corda veſtra omniúmque fidelium inſcribet, quod ego verus Meſsias filius ille Dei ſum: deinde etiam toti mundo per ſigna euidentiſsima idem manife-

ſtabit. Nam principiò vos timidos modò fortes & inuincibiles reddet, indoctos intelligentia ſacrarum literarum replebit: vnius linguæ hominibus varietate omnium linguarum
Act.2. donabit, & virtute Dei vos ex alto induet. Poſtremò, quemadmodum nihil in me factum eſt præter quod ſpirituſancto dictatore in veteri teſtamento de me ſcriptum eſt, ita idem ſpiritus conuincet quæcunque in veteri lege ſcripta ſunt de me, omnia completa eſſe in me. Sed & faciet idem ſpiritus vt ſua præſentia in vobis oſtendat, quia ego Deus & pater veſter, vóſque pia vita veſtra palàm de me teſtificetis, quòd re-
Rom.8. dempti ſitis per me, & ſanctificati in ſanguine meo. Tum reddet ſpiritui veſtro teſtimonium, quòd filij Dei eſtis, ad quem clamare audeatis, tanquam patrem. Et hoc erit teſtimonium veſtrum, quod vos mihi perhibebitis, primùm in conſcientia veſtra, deinde per orbem operibus fide dignis, vt decet ſanctos in hoc mundo. Teſtimonium ergo perhibent Chriſti Apoſtoli, vita ſimul & moribus, tum verbi prædicatione. Vtrunque autem non ex ſeipſis, ſed ex Deo per ſpiritumſanctum, cuius donum eſt, & quod credimus, & quod fidei noſtræ duci teſtimonium perhibemus. Nemo igitur ſpiritumſanctum habet, qui quicquam ſe præter aut contra verbum ſibi habere perſuadet. Nam ſpirituſſanctus dona ſua per verbum elargitur, & opus ſuum in nobis perficit. Non tamen ſine nobis. Coniuncta hæc duo ſunt in teſtificatione de Chriſto, cum & ſpirituſſanctus teſtatur, & nos ad teſtificandum inflammat. Seipſos ergo primùm de Chriſto certos reddant prædicatores verbi, vt ſciant vbi figendi pedes, ne ipſi quouis doctrinæ vento circumagantur, deinde alios docere ac de Chriſto teſtificari progrediantur. Non etiam quod ore fatentur, factis impiis negent. Si enim aliud verbis ſonant, aliud vita exprimunt, teſtimonium de Chriſto corrumpunt, teſtiúmque dignitatem & auctoritatem perdunt. Videmus ergo quàm appoſitè Chriſtus in hoc Euangelio duo illa diuerſiſsima coniungat, quorum altero quid in mundo; altero quid expectare debeamus è cælo admonemur. Grauis perſequutio eſt, reſpice ſpirituſſancti vir
Eze.16. tutem, fiet leuior. Sint tibi cordi prophetarum Ezechielis &
Ioel.2. Ioëlis oracula, apprehende Chriſti promiſſa, vide quid hodie
Pſal.26. precetur Eccleſia. Quæ tibi ex te videntur impoſsibilia, ſpiri-
1.Pet.4. tus promiſsi ſupplebit præſentia. Confide in Deo: & quem timere debeas non erit. Reſpice ad ea quæ Petrus in hodierna epiſtola

epiſtola præſcribit: Vigilantia cum ſobrietate, & prouidentiâ ſuſcipe: tum cum oratione Dauid ſecutus dominum, qui te ſpiritu ſuo principali imbuat atque confirmet, ora. Deinde ne quem precando accepiſti improuidus amittas, aut ne per crapulam expulſum repetere neceſſe habeas, ardentius quod incepiſti oratione inſta. Pius pater ſuorum miſertus, quem fecit, ſuum agnoſcet: & quem corporis ſui myſtici membrum eſſe agnoſcit, ſpiritu ſancto non priuabit: ſed magis, ſalutaris ſui lætitia reddita, faciet vt non ſolùm pericula, aduerſáque mundi huius nõ timeas, verumetiam vatem perſequutionum atque mitigatorem Ieſum Chriſtum conſtanter prædices, corámque omni populo teſtificeris. Atque hæc in nobis idem Chriſtus præſtet, qui maius teſtimonium hoc noſtro habet, à patre & ſpiritu ſancto viuens in ſecula Deus. Amen. *Pſal. 50.*

IN MAGNA PENTECOSTES SOLENNITATE EVANGELIVM IOAN. XIIII.

SI quis diligit me, ſermonem meum ſeruabit, & pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & manſionem apud eum faciemus. Qui non diligit me, ſermones meos non ſeruat. Et ſermonem quem audiſtis, non eſt meus, ſed eius qui miſit me patris. Hæc loquutus ſum vobis, apud vos manens. Paracletus autem ſpiritus ſanctus, quem mittet pater in nomine meo, ille vos docebit omnia, & ſuggeret vobis omnia quæcunque dixero vobis. Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis. Non quomodo mundus dat, ego do vobis. Non turbetur cor veſtrum, neque formidet.

Audiſtis quia ego dixi vobis, vado & venio ad vos. Si diligeritis me, gauderetis vtique, quia vado ad patrem, quia pater maior me eſt. Et nunc dixi vobis priuſquam fiat, vt cùm factum fuerit, credatis. Iam non multa loquar vobiſcum. Venit enim Princeps mundi huius, & in me non habet quicquam. Sed vt cognoſcat mundus, quia diligo patrem, & ſicut mandatum dedit mihi pater, ſic facio.

EPISTOLAE LOCO LECTIO, ACTORVM II.

ET dum complerentur dies Pentecoſtes, erant omnes pariter in eodem loco, & factus eſt repentè de cælo ſonus, tanquam aduenientis ſpiritus vehementis, & repleuit totam domum vbi erant ſedentes. Et apparuerunt illis diſpartitæ linguæ tanquam ignis, ſeditq́ ſupra ſingulos eorum. Et repleti ſunt omnes Spiritu ſancto, & cœperunt loqui varijs linguis, prout Spiritus ſanctus dabat eloqui illis. Erant autem in Ieruſalem habitantes Iudæi viri religioſi ex omni natione, quæ ſub cælo eſt. Facta autem hac voce conuenit multitudo, & mente confuſa eſt, quoniam audiebat vnuſquiſque lingua ſua illos loquentes. Stupebant autem omnes, & mirabantur, dicentes: Nonne ecce omnes iſti qui loquuntur Galilæi ſunt? Et quomodo nos audiuimus vnuſquiſque linguam noſtram in qua nati ſumus? Parthi & Medi, & Elamitæ, & qui habitant Meſopotamiam, Iudæam, & Cappadociam, Pōtum, & Aſiam, Phrygiam, & Pamphyliam, Aegyptum, & partes Libyæ, quæ eſt circa Cyrenem, & aduenæ Romani: Iudæi quoque & Proſelyti, Cretes & Arabes, audiuimus eos loquentes noſtris linguis magnalia Dei.

SERMO.

Veni sancte Spiritus, reple tuorum corda fidelium, & tui amoris in eis ignem accende, qui per diuersitatem linguarum cunctarum gentes in vnitate fidei congregasti.



ADEST illa dies quam prædixerunt prophetæ, adumbrarunt figurę, adesse prænunciauit Christus, celebrauerunt Apostoli, totúsque hic orbis admiratur, connumerata quidem aliis diebus, sed celebrior cæteris omnibus. In hac enim prisca illa ac genuina Dei imago, expulso diabolico dolo Christi sanguine redemptis redditur hominibus: & effuso super omnem carnem de Spiritusancto cælitus, noui creantur homines, renouatáque terræ nostræ facie, fit vt in carne hac mortales conuersationem nostram in cælis habentes, spirituales efficiamur & immortales. Non est auditum à seculo, Deum vna vice tanta bonitatis suæ dona præstitisse hominibus. Cætera enim omnia quæ Deo nostro meritò accepta ferimus, cùm eximia sint & magna, in huius tamen beneficij, quod hodie fidelibus collatum est mentibus, comparatione vilescunt, & autoritatem suam quodam modo perdunt. Magnum profectò creationis nostræ beneficium est, & quia non profuisset nasci, nisi datum fuisset & renasci, redemptionis munus maius est. Sed quia Spiritussancti missio redemptionis, hoc est, mortis, resurrectionis, atque ascensionis Christi meritum, & fructus, hæc vt est postremum donum, ita est & maximum. Quòd si nullo nostro commodo, nulla necessitate nostra euidenti, tantùm quod olim semel atque iterùm hominibus nostri similibus Spiritussanctus datus sit, hanc diē celebrem ducere iuberemur, sanè quia tot vaticiniis, tótq; figuris, deniq; etiam apertis promissionibus & præuisa, & prænūciata fuit, non sine maxima Christiani nominis iniuria hodie ab ea, quā Spiritussancti meretur missio, admiratione, gratiarūq; actione ac oratione cessaremus. Nunc verò quia multis rationibus atq; testimoniis ad nos quoque hoc beneficium pertinere docemur, quid nostri sit officij, quiuis facilè intelligere potest. Proinde quātum hoc sermone eius fieri potest, principiò quibus verbis, qua ratione olim in vtroq; testamento hæc solennitas prænunciata atq; celebrata sit, deinde quid Spiritussan- Propos. 1. 2. 3.

ctus, qui ipsius effectus, & denique quomodo à nobis quoque consequatur, atque nobiscum fit, operetúrque inuestigemus. Res quidem ardua hæc est, magníque momenti, sed tamen si vos præsentibus animis adesse non dedignemini, cum magna & voluptate & vtilitate hoc negotium à me tractandum suscipi non despero. Rectè autem hic veteris cum nouo Testamento consensum considerabimus. Id quod hac ipsa die etiam Petrus Apostolus fecit, qui pro rei magnitudine eleuata voce coram viris Iudæis cæterísque Hierusalem ciuibus vniuersis, quos secum haberet discipulos excusans, veterísque Testamenti oraculis hoc beneficium Dei in homines promissum fuisse demonstrans, Non, inquit, sicut vos æstimatis, hi ebrij sunt, cùm sit hora diei tertia. Sed hoc est quod dictum est per Prophetam Ioel: Et erit in nouissimis diebus, dicit dominus, effundam de spiritu meo super omnem carnem, & prophetabunt filij vestri & filiæ vestræ, & iuuenes vestri visiones videbunt, & seniores vestri somnia somniabunt: & quidem super seruos meos & ancillas meas in diebus illis effundam de spiritu meo, & prophetabunt: & dabo prodigia in cælo sursum, & signa in terra deorsum, sanguinem, & ignem, & vaporem fumi. Sol conuertetur in tenebras, & Luna in sanguinem, antequam veniat dies Domini magnus, & manifestus. Et erit omnis quicunque inuocauerit nomen Domini, saluus erit. Quo sanè Ioelis testimonio similes prophetarum locos indagare nos monuit. Sciebat enim Spiritusancto repletus Apostolus atque suo ipsius exemplo intelligebat suauissimam hanc esse harmoniam, vbi promissionibus veteris Instrumenti, nouæ legis respondent magnalia, & delectationem quandam peculiarem adferre credentibus intelligere, sic beneficia Dei impleri tempore gratiæ, quomodo ea quondam vaticinati sint Prophetæ. An non enim dulcissimus concentus est, vbi promissio atque exhibitio ipsis etiam nominibus conueniunt? Ioel tempus designans: Erit inquit, in nouissimis diebus. Ioannes verò Apostolus, vnus ex iis qui Spiritumsanctum acceperunt hodie, nouissimam horam illud tempus dicere non abhorruit. In Ioele, donum hoc spiritus dicitur. In nouo Testamento vbique eodem nomine designatur. Effundam de spiritu meo. Cuius hæc promissio est? Dei. De Dei igitur spiritu missum est. Et in nouo Testamento idem spiritus non modò spiritus Christi, verumetiam

[Margin notes: Act. 2. (beside "sum fuisse demonstrans"); Ioel. 2. (beside "nominibus conueniunt"); 1. Io. 2. (beside "in nouissimis diebus"); Rom. 8. (beside "est? Dei.")]

ſanctus dicitur. Vtique quia nemo verè ſanctus eſt, niſi Deus Spiritusſanctus,ſpiritus Dei eſt. Iam verò quod Ioel ait: Super omnem carnem effundi ſpiritum Dei omnibus, quãtum quidem in Deo eſt, hoc dari poſſe donum oſtendit. Id quod hodierna etiam lectio docet, vbi Lucas omnes repletos fuiſſe eodem Spirituſancto commemorat. Sed & effectus vtrobique demonſtrantur. Nam & Ioel, Prophetabunt, inquit, filij veſtri, & filiæ veſtræ. Et Lucas cœpiſſe ait Apoſtolos loqui variis linguis. *Act. 2.* Poſtremùm, quòd Ioel prodigia daturum eſſe Deum dicit, Lucas factum innuit, cùm hominum linguas diſſectas, ac veluti igneas ſupra ſingulos diſcipulorum ſedere, videntium ſtuporem admirationémque commemorat. Et quid hac collatione atque ſymphonia ſuauius? Quid ad roborandem fidem noſtram commodius, & præſtantius? Sed nec ſolus Ioel hæc omnia præuidit, nec ita prædixit, vt non alij etiam Prophetæ maiora demonſtrauerint: Iſaias enim Propheta, cùm gaudium huius diei, tum virtutem Spiritusſancti claris verbis edocet: Confortare manus ſolutas, genua debilitata roborare, non timere à Domino doceri, & in iuſtitia fundari. *Iſa. 35. Iſaiæ 54. 55.* Sed & Apoſtolorum officium, quod eos hoc accepto Spiritu faciendum manebat, apertè prædixit: Annunciabunt, inquit, gloriam meam gentibus, & adducent omnes fratres veſtros de cunctis gentibus donum Domino. *Iſa. 66.* Sed & Ieremias & Ezechiel, & Zacharias hoc Spirituſancto multa hominibus præſtari aſſerunt. *Iere. 31.* In perſona enim Dei loquens Ieremias, Poſt dies illos, inquit, dabo legem meam in viſceribus eorum, & in corde eorũ ſcribam eam, & ero in eis Deum, & ipſi erunt mihi in populum. Et non docebit vltrà vir proximum ſuum, & vir fratrem ſuum, dicẽs: Cognoſce Dominum. Omnes enim cognoſcent me à minimo eorum vſque ad maximum. Et Ezechiel quidem: Effundam ſuper vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus inquinamentis veſtris, & ab vniuerſis idolis veſtris mundabo vos. *Ezech. 36.* Et dabo vobis cor nouum, & ſpiritum nouum ponam in medio veſtri. Et auferam cor lapideum de carne veſtra, & dabo vobis cor carneum, & ſpiritum meum ponam in medio veſtri. Et faciam vt in præceptis meis ambuletis, & iudicia mea cuſtodiatis, & operemini. Porrò in Zacharia angelus ad Iſraëlem ait: Et habitabo in medio tui, & ſcies quia Dominus exercituum miſit me ad te. Hanc ergo tam multiformem promiſsionem de

Spiritusan̄cto in Prophetis scriptam, Christus in Euangelij historia multis repetit. Nam quod in Isaia scriptum est, Spiritum hunc confortare & roborare, Christus ad discipulos
Zach.2. loquens repetit. Accipietis, inquit, virtutem superuenien-
Act.1. tis Spiritussan̄cti in vos, & eritis mihi testes, & ego mittam promissum patris mei in vos. Vos autem sedete in ciuitate,
Luca 24. quoadusque induamini virtute ex alto. Quod in Ieremia est:
Ioan.14. Ero eis in Deum, omnes cognoscent me. Christus in Ioanne confirmans ad Apostolos, Non, inquit, relinquam vos orphanos, veniam ad vos. In illo die cognoscetis, quia ego sum in patre meo, & vos in me, & ego in vobis. Quod autem in Ezechiele Dominus de aqua munda loquitur, Christus in
Ioan.4. eodem Ioanne confirmans: Qui biberit, inquit, ex aqua quam ego dabo ei, non sitiet in æternum: sed aqua quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam. Et iterum:
Ioan.7. Si quis sitit, veniat ad me, & bibet. Qui credit in me (sicut dicit scriptura) flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ. Hæc enim ipsum de Spiritusan̄cto dixisse Euangelista continuo sermone testatur. Denique quod Zacharias ait: scies, quia Dominus exercituum misit me ad te, Christus vult, cùm à patre ait Spiritumsan̄ctum mitti, suo in nomine. Iucundus admodum hîc scripturarum veteris atque noui testamenti consensus est. Sed non minus etiam voluptatis figuræ habent, quæ
Exod.19. & ipsæ hanc missionem prædicant. Nam quinquagesima
Leu.23. die, posteaquam Aegyptum exiuisset Israël, legem à Deo ac-
Leu.25. cepit: & quinquagesima à celebrato phase Domini anniuersaria die, primitiæ frugum offerebantur, & quinquagesimus Iubilæus erat, erátque tum cuiuis ad relictas possessiones redire licitum. Nos quidem nomen quinquagesimę retinemus, quòd quemadmodum quadragesima tristitiæ, & pœnitentiæ (vt Gen. septimo. Numer. decimoquarto, Deuter. nono, Ioan. tertio, Matthæi quarto videre est) sic illa lætitiæ tempus est. Sed Pentecosten nostrum longè verius rectiúsque celebremus. Accepta enim cælitus lege in cordibus nostris per Spiritumsan̄ctum, fructus, non frugum, sed labiorum nostrorum offerimus, & libertate Iubilæi beneficio recuperata, cælestem patriam, auitámque hæreditatem, spe quodámodo iam nunc
2.Par.6. consequuti sumus. In libris etiam verba dierum huius gaudij atque solennitates figura est. Completa enim & perfecta Domini domo, cùm iam finem orandi fecisset Salomon, ecce
ignis

Ignis descendit de cælo, maiestásque repleuit domum Domini. Cui respondet, quòd consummato opere, quod pater dederat Christo, hoc est, incarnato Christo, mortuo, & post resurrectionem in cælos assumpto, ignis verus, cœlitùs elapsus Gen.19. est super homines, non qualis super Sodomam quondam Gomorrémque, & principem ad Eliam missum, cecidit, sed 4. Reg.1. Gen.1. ad saluandum: ignis non comburens, sed illuminans, sed purgans, sed sanctificans. Omitto id genus alias figuras, vt quòd in mundi exordio super aquas ferebatur spiritus, & quòd Elizeus spiritum Eliæ duplicem petiit, ne prolixior 4. Reg.2. sermo fastidium generet, & nauseam. Perappositè autem his promissionibus atque figuris aliorum quoq; vatum pronunciata, atque orationes addiderimus. Adeò enim certa hæc Dei promissio fuit apud pios, vt non modò quasi iam venisset Spiritussanctus, loqueretur, verumetiam pro consequendo illo, vt sine quo nihil esset in homine, sæpe atque ardenter orarint. Salomon tanta fide hanc promissionem Sap.1. apprehendebat, vt Spiritussancti totum hoc negotium descri pturus, iam factum esse non dubitarit asserere. Spiritus, inquit, Domini, repleuit orbem terrarum, & hoc quod continet omnia, scientiam habet vocis. Eandem fidem, & alibi Sap.9. declarat, vbi optione data, sapientiæ spiritum postulauit sibi cooperatorem. Rectè quidem illud. A patre enim pio, pius isthæc acceperat. Triplicem enim Dauid pater à Deo petierat spiritum; Spiritusancto innouaretur in visceribus suis, Psal.50. ne Spiritusancto priuaretur, sed magis principali spiritu con firmaretur, orans. Sed quî non pro se oraret, qui omnibus Psal.103. eundem spiritum adesse optauit? Emitte, inquit, Domine spiritum tuum, & creabuntur, & renouabis faciem terræ. Hæc veteris Testamenti vates de Spiritusancto pronunciarunt, his orationibus ipsius præsentiam exoptauerunt. Et certè magnum est quòd petierunt, nempe à Spiritusancto creari & renouari. Quanquàm in Hebræo non est Emitte, sed Emittes, vt præcedentibus respondeat: Auferes spiritum tuum, & turbabuntur. Vtrunque autem, & quòd creantur, & quòd renouantur homines, Spiritussancti opus est. Alterum enim Psal.32. Dauid & Iob testantur, quorum ille verbo Dei cælos firma- Iob 26. tos esse, & spiritu oris eius omnē virtutem illorum: hic verò Spiritusancto cælos ornatos esse. Alterum verò Ezechiel atq; Exech.36. Ioel claris verbis indicāt. In creationes corporaliter, in reno- Ioel.2. uatione

uatione ſpiritualiter operatus eſt. Illic corporales cælos, hic ſpirituales creauit. Illic ſtellis ornauit cælos, hic gratiis decorauit cælos Apoſtolos. Illis terram, hic hominum mentes fœcundat. Illic formauit homines ad imaginem ſuam, hic reformauit ad ſimilitudinem diuinam. Illic benedixit vt multiplicarentur, hic verò vt ſanctificarentur. Facies humana recta fuerat creata, vt & in fide Deum agnoſceret, & ſpe ſequeretur, & charitate diligeret. Hanc faciem ſpiritus nequam fœdauerat, cum peccato fidei perſtrinxerat oculos, pro ſpe deſperationem, vt charitati contrariam à Deo auerſationem induceret & odium. In hac deformitate humi reptabant omnes, imò terra ſine ſpiritu Dei facti erant omnes, nec per ſeſe ſubſiſtere, nec cæleſtia contemplantes, poterant auxilia quærere. Ideóque quod ſummus parens in creatura ſua perditum videbat, emiſſo viuificatore, & purificatore, & ſanctificatore ſpiritu, qui & mortuos viuificaret, & fœdos purificaret, & peccatores ſanctificaret, vt renouata terræ noſtræ facie, fructum ſuum daret in tempore, hæc omnia veteres illi Prophetæ & conſiderauerunt, & ſummis votis deſiderauerunt optauerúntque, & licet nec dum appareret, tamen quòd ita certò futurum ſperabant, Dei Opti. Maximi beneficia gratis mentibus celebrauerunt. Quanta verò noui Teſtamenti patrum, eorum qui iam tunc renouati erant in hac ſolennitate, fuerit triumphus, quis enumerabit? Quibus verbis, qua etiam alacritate Petrus Apoſtolus hac in ſolennitate hoc Dei beneficium prædicauerit,
Act. 2 Lucas commemorat, & ſuprà dictum eſt. Eadem verò pietas in aliis etiam diſcipulis, atque omnibus iis, qui inde vſque ad noſtra tempora Euangelio crediderunt, videre eſt. Id quod vetuſtatis illa veſtigia, quæ in Eccleſia manſerunt impreſſa, ſatis declarant, ſimúlque noſtram (proh pudor) impietatem accuſant. Taceo hîc, quòd Scripturæ conſentientibus, iiſque diuinis nominibus eum prædicarint: quòd ſit creator Spiritus, paracletus, donum Dei altiſsimi, fons viuus, ignis, charitas, & ſpiritalis vnctio: quòd ſeptiformis munere, quod dextræ Dei digitus ritè promiſſo patris ſermone ditans guttura. Quòd in igne diſcipulis apparuerit, & chariſmatum dona tribuerit, eóſque in vniuerſum mundum ad prædicandum miſerit. Quòd Spiritus almus illuſtrator hominum, amator ſanctus piarum cogitationum,
puri

purificator omnium flagitiorum, qui & Prophetas inſpirarit, & Apoſtolos confortarit, qui Deo omnia creante ſuper aquas exiſtens, eis numen ſuum expenderit, qui animabus viuificandis aquas fœcundet, qui aſpirando det ſpiritales eſſe homines, qui diuiſum per linguas mundum & ritus adunarit Dominus, qui idolatras ad cultum Dei reuocarit magiſtrorum optimus. Quòd pater pauperum, dator munerum, luménque cordium. Quod conſolator optimus, dulcis hoſpes animæ, dulce refrigerium. In labore requies, in æſtu temperies, in fletu ſolatium: lux beatiſsima, ſine quo preces omnes caſſæ atque indignæ Dei auribus creduntur, ſine cuius numine nihil ſit in homine, nihil ſit noxium. Hæc, inquam, omnia etiamſi ſine horum, vti quæ maxima ex parte ad eſſentiam Spiritusſancti pertineant, cognitione verè Chriſtianos eſſe non licet, taceo. Vnica enim illa Eccleſiæ, atque vſitatiſsima his diebus oratio, quid illi de Spiritusſancto crediderint, & qua pietate hanc ſolennitatem celebrarint, abundè ſatis declarat. Veni, inquit Eccleſia, ſancte ſpiritus, reple tuorum corda fidelium, & tui amoris in eis ignem accende, qui per diuerſitatem linguarum cunctarum gentes in vnitate fidei congregaſti, Hallelu Iah. Et, Deus qui hodierna die corda fidelium Sancti ſpiritus illuſtratione docuiſti, da nobis in eodem ſpiritu recta ſapere, & de eius ſemper conſolatione gaudere. Hæc, inquam, oratio antiquitatis illius laudatæ, pietatem redolet. Principiò enim Deitatis confeſsionem habet, quod ad ipſum Spiritumſanctum, & vt ipſe veniat, dirigitur precatio. Diſcernit etiam eum à ſpiritibus aliis omnibus. Habet deinde & humanæ miſeriæ confeſsionem, cùm Spiritumſanctum poſtulantes, non ſine illius præſentia nos poſſe perſiſtere innuimus. Cùm enim vaſa vacua ſumus repleti ab illo, tum extincto charitatis ardore illius amoris igne accendi petimus. Et ne inſolenter videatur petere, veterum beneficiorum admonet, quòd per diuerſitatem linguarum cunctarum, non Iudæos modò, ſed & Græcos ad fidei vnitatem congregauerit. Deinde conuerſo ad patrem ſermone, petit, vt cuius munere Spiritusſanctus tanta effecit, det in eodem ſpiritu recta ſapere, & de eiuſdem ſemper conſolatione gaudere. Neceſſaria profectò & Eccleſia digna oratio. Sapere enim ſibi videntur multi, vt Phariſæi ſuas quaſdam ſine præcepto conſtitutiones præuaricata lege Matt.15 Matt.21

lege

lege Dei introducebant. Et Saducæi sensum scripturarum sibi attribuebant, quibus Christus errorem & scripturarum ignorantiam obiicit: vt Gerazeni Christum è suis finibus re-
Matt. 8 pellentes: vt Petrus mortem Christo dissuadens lauari recu-
Matt. 16 sans, tanta de seipso præsumens: vt cæteri etiam Apostoli de
Ioan. 13 primatu contendentes, primas in mensa sedes ambientes, vin-
Matt. 26 dictámque in alios homines expostulantes. Imò inueniemus
Luc. 22 qui cùm recta intelligunt, contra tamen conscientiam pro-
Mat. 20 priam eadem peruertunt, bonum malum, & malum bonum
Luce 9 dicunt, quales olim fuerunt, quibus Isaias Propheta Væ il-
Isa. 5 lud minitatur, & etiamnum multi sunt. Sunt præterea qui quidem quæ recta sunt, sapiunt: sed quod illud ex Spiritusancti veniat beneficio, inficiantur, sibi ipsis, quantum illud est, attribuentes. Hi omnes non sapiunt in illo spiritu quæ recta sunt. Est enim in eodem spiritu recta sapere, obfirmato animo credere, non quæ ratio, sed quæ Spiritussanctus fide amplexanda præscribit, etiamsi rationi videbantur impossibilia, summa fiducia Dei sperare promissa. Pleno affectu ea quæ iusta sunt amplecti, quæ mala sunt, impigri diligentia euitare, quocunque vocauerit ille alacriter insequi, ac denique cum omni pœnitentia crucem, quæ cuique manet, susti-
Matt. 16 nere atque perferre. Hoc est in Spiritusancto recta sapere.
Ioan. 6 Sic Apostoli in Spiritusancto recta sapiunt, cùm Iesum filium
Mat. 19 Dei viui agnoscunt, cùm apud ipsum se, qui verba vitæ æter-
Act. 2 næ haberet, mansuros esse profitentur, cùm se omnia reli-
Act. 4 quisse, Dominúmque sequutos esse clamant, posteaquam accepissent Spiritumsanctum. Petrus enim Dominum & Iesum à Deo factum esse asserebat. Cùm plus Deo quàm hominibus obediendum esse dicebant, nec se posse tacere quæ viderunt & audierunt, cùm quotidie vnanimiter in oratione perseuerarunt. Sic in Spiritu, se recta sapere cupientes, in eodem ipso consolatione gauisi sunt. Ecce quibus verbis, quibúsve rationibus vtriusque testamenti homines pij de Spiritusancto locuti sunt, qua ratione hunc celebrauerunt. Iam si nos ea omnia coniungere, ac veluti vnius harmoniæ cantum ex iis omnibus conficere voluerimus, vbi alij Spiritum sanctum, quem fide venturum esse sciebant, illic prædicarunt, alij ipsum vt veniat, implorant: alij creationem, alij quoque renouationem, alij denique conseruationem ipsi attribuunt: quàm dulcis, quàm suauis summáque delectatione plena hæc

omnium temporum, omniúmque hominum erit euphonia? Quem etiam applausum merebuntur tot precationes tótque figuræ veteris illius Testamenti, quibus veluti spectaculis quibusdam hæc præludebant? Nimirum vt ita veteres de Spiritusancto loquerentur, & ipsius tanquam Dei dignitas summa, atque ipsorum vrgens postulauit necessitas. Inuenti quidem sunt in illo populo, quales etiam nunc inueniri possunt, qui minus syncerè de Spiritusancto & senserunt & dictauerunt, imò qui Gygantum more bellum ei denunciarunt, quorum alij ministrum eum tantùm patris atque filij esse voluerunt, eò quòd scriptum sit, dicente Christo: Pater eum mittet in nomine meo. Et, Ego mittam eum vobis à Ioan. 15
patre. Vt Macedonius, Eunomius, Sabellus & Noëtbus: alij patris quidem spiritum esse non negant, sed Christi filij quoque spiritum minimè credunt, detrahentes illi, quòd semper cum patre atque filio habet diuinitatis essentiam: alij verò cùm sint lignis atque lapidibus insensibiliores, & ipsius numinis præsentiam non sentiunt, & impietate sua eum à se eiicientes, nunquam habuisse se eum, aiunt. Hinc Sacramentis Ecclesiæ inditam detrahunt gratiam, & ludibrio habentess, quod ritè acceperunt baptisma, reiterando tinctionem, quem tum demum accipere se simulant, propellunt à se longius, & extra limen scholæ spiritus positi, à quouis nequam spiritu rapiuntur, erroribus circumaguntur, celerémque sibi suis opinionibus superinducunt interitum. Omnes autem hi, nec quid Spiritussanctus, aut qui illius effectus sint, intelligunt, nec suam miseriam, aut quàm ipsi illo indigeant, agnoscunt, nec quo modo assequi, & obtinere valeant, intelligunt. Proinde quæ veterum de illo fides fuerit, perscrutemur, vt agnita cum illius maiestate atque potentia, tum nostra miseria, ipsius opem implorare discamus, ipsóque imbuti beatam vitam viuamus. Difficilè quidem erit, illius natu- Sap. 9
ram atque essentiam indagare. Si enim quæ in terra, & quæ Ioan. 3
in prospectu sunt, cum labore inuenimus, quis ea quæ in cæ- Ioan. 1
lis sunt, inuestigabit? Tum ea tantùm loqui possumus, quæ Genes. 18
scimus, & quæ vidimus, testari. At nemo vnquam vidit Exod. 19
Deum. Apparuit quidem patribus olim, sed aliena specie. 3. Reg. 19
Abrahamo visus est in forma hominis, Mosi in forma arden- Matt. 3
tis rubi, Israëli in densissima nube & fumo, Eliæ verò in vo- Act. 2
ce quieta & subtili. Sed nihil horum Dei naturam potuit Matt. 17

demonst

demonstrare, tantúmque præsentiæ Dei signa erant. Sic & Spiritussanctus nunc columbæ, nunc ignis, nunc nubis speciem gerens sæpe multiformis apparuit, quę & ipsæ species tantùm
Exod. 33 argumenta præsentiæ eius fuerunt, non ipse Deus. Non, inquit, ipse videbit me homo & viuet. Verùm aliquid tamen de ipsius scire, licebit essentia. Vnigenitus enim Dei filius nobis
Ioan. 1 enarrauit. Tum per effectus suos multiplices sese spiritus ma-
Matt. 12 nifestat. Quòd enim Deus sit Spiritussanctus, filius apertè demõstrat, cùm remitti hominibus verbum contra filium hominis emissum, verum contra Spiritumsanctũ si quis dixerit ver-
Ioan. 14 bum, non remitti neque in hoc seculo, neque in futuro asserit. Vbi hoc dicere voluit, vt pater maior me est, respectu humanæ, quàm in me cernitis naturæ, ita & Spiritussanctus: & grauius multo delinquit, qui verbum dixerit contra diuinam naturam, quàm qui impugnat humanam. Idipsum in hodierno Euãgelio vult, cùm ait, Paracletus autẽ Spiritussanctus, quem mittet pater in nomine meo. Omnes tres personas coniunxit, patrẽ qui mittit, filium in cuius nomine mittitur, & Spiritum sanctum qui mittitur. Et certè quemadmodum filio diuinitatem non adimit, quòd & ipse missus est, ita nec Spiritumsanctum, quòd mittitur diuinitatis excludit consortio. Et hoc filius alibi clarius asserit, cùm baptizati credentes tam in spiri-
Mat. 28 tussancti, quàm in suo atque patris nomine præcipit. Et hunc
Act. 5 sequutus Apostolus Magistrum ad Ananiam loquens, Quare, inquit, tentauit satanas cor tuum mentiri te Spirituisancto? Non es mentitus hominibus, sed Deo. Ecce quem dicebat Spi
1. *Cor.* 12 ritumsanctum, etiam Deum vocat. Sic Paulus: Nemo potest dicere, Dominus Iesus, nisi in Spiritusancto. Diuisiones verò gratiarum sunt, idem autem spiritus. Et diuisiones ministrationum sunt, idem autem Dominus. Et diuisiones operantium sunt, idem verò Deus. Ecce Spiritussanctus & Dominus & Deus dicitur. Idem rursus: Portate Deum in corpore
1. *Cor.* 6 vestro. Et: Charitas Dei diffusa est in cordibus vestris per
Rom. 5 Spiritumsanctum, qui datus est nobis. Sic Ioannes apertissi-
1. *Ioan.* 5 mè, Tres, inquit, sunt qui testimonium dant in cælo, pater, verbum, & Spiritussanctus. Et hi tres vnum sunt. His testimoniis cum Christi, tum Apostolorum quid clarius apertiúsque dici potest? Accedit huc & Athanasij & Nicæni Concilij confessio, quæ sic habet: Credimus in Spiritumsanctum Dominum & viuificantem, qui ex patre filióque procedit:

qui cum patre & filio simul adoratur & conglorificatur: qui loquutus est per prophetas. Hæc enim confesio & substantiam eius, & æqualitatem æternitatémque declarat. Substantia dominus est & sanctus. Dominum autem confitemur contra eos qui nullo discrimine inter ipsum atque confusas virtutes, seu arcanos illos mentium motus secernunt. In hũc credimus dominum vera latria non dulia, sciẽtes quia Deus honorem suum alteri nulli dat. Sanctum autem dicimus, primò propter effectus. Ipse enim cum per se sanctus est, tum alios quoque sanctificat: deinde etiam propter diuersitatem aliorum spirituum. Cum enim non sit omni spiritui credendum, necessariò probamus spiritus. Multos autem spiritus legimus. Saul inuasit spiritus domini malus. Est & alius quidam spiritus mendax in ore omnium prophetarum. In Isaia de quodam spiritu vertiginis, seu, vt Hebræi legunt, peruersitatum, legimus. Et alibi apud eundem de spiritu ambitioso scriptum est. In Numeris spiritus zelotipiæ proditur. In Osea spiritus iracundiæ describitur. In Salomonis prouerbiis Spiritum hominis legimus. Et hunc ad nouum testamentum facto transcursu principes huius mundi inuenimus spiritu concupiscentiæ carnis oculorúmque regi. Eclesiarum rectores plerunque socordiæ spiritu obdormiunt ad multarum ouium interitum. Plebeios spiritus immundi vexant, cuius Lucas exemplum recitat. Paulus huius sæculi spiritum prodit, atque satanam deinde describit. Et quid in tanta diuersitatis numerositate laboro? Minimè Christi spiritus atque illis omnibus tanquàm Belial conuenit, nec vlla ex parte de sua sanctitate communicat. Deinde viuificantem confitemur. Id quod scripturæ testimonio etiam patri & filio commune est. Sicut pater, inquit Christus, mortuos suscitat, ita & filius quos vult viuificat. Vnde autem ipsi hæc sit viuificandi potestas, subdit: Sicut enim pater habet vitam in semetipso, sic dedit de filio vitam habere in semetipso. At spiritum quoque viuificatorem esse Ezechiel docet. Et Christus: Spiritus est, inquit, qui viuificat. Et quia spiritus eius est, qui suscitauit Iesum, etiam hæc nostra mortalia corpora viuificabit. Postea ex vtroque procedente, tam filij quàm patris spiritum confitemur. Tum autem cum vtroque eum adorari simul, & glorificari dicimus, rectè ad ipsum dirigi preces atque vota docemus, licet non multas orationes in sa-

1. Ioan. 4
1. Reg. 16. & 19
3. Reg. 21
Isaie 19. & 29
Num. 5
Osee 4
Proue. 16
1. Ioann. 2
Ioan. 10
Luce 11
1. Cor. 2
2. Cor. 12
Ioan. 5
ibidem
Ezech. 37
Ioan. 6
Rom. 6

cris literis ei legamus attributas. Aequalis autē cùm sit vtrique, æqualis illi rectè attribuitur honos. Postremò vt æternum,& non alium noui, alium veteris Testamenti spiritum opinentur homines, ipsum per Prophetas locutum fuisse asserimus. Id quod Petrus etiam Apostolus testatur, vbi Spiritu sancto inspiratos sanctos Dei homines loquutos fuisse scribit. Porrò effectus ipsius nomina declarāt, quorum multa suprà recitauimus: & Christus in hoc Euangelio sub vno nomine consolatoris comprehendit. Quicquid enim operatur Spiritussanctus, tantùm fit, vt nos sua consolatione seruet. Ignis, quia purgat nos. Aqua verò, quia reficit nos. Oleum & vnctio, quia conseruat nos. Bonus, quia malitiam, non sustinet. Spiritus filiorum Dei & adoptionis, quia patrem Deum Abba appellare docet, & testimonium dat spiritui nostro, ꝙ filij Dei sumus. Hæc enim omnia idem in nobis operatur spiritus. Quòd si ad hanc Catholicæ Ecclesiæ fidem, quæ tot testimoniis roborata, Spiritumsanctum vnum in patre & filio Deum, coæqualem,& coæternum, omnipotentem, bonúmq; asserit, nostræ, hoc est, humanæ naturæ infirmitatis diligens cognitio accesserit, quàm nihil vel simus vel poſsimus sine illo facilè intelligemus. vtque in nos illabi dignetur, precabimur: vt nobiscum perseueret, solicitè vigilabimus. Ipse est, per quem pater nos ad filium trahit. Ipse est, per quem regeneramur, & ad introeundum regnum Dei præparamur. Abluit nos & purificat à peccatis nostris, & vt templa Dei simus, sanctificat. Carnis desideria in nobis mortificat, suósq; fructus exuscitat. Ipse arrhabo & adoptionis, & ipsius etiā salutis æternæ pignus est. Et quid multa? Vt nec corpus sine vita, ita nec anima sine spiritu hoc vitam habet. Hic nō est eius. Volumus adhuc scire, quàm nos illo indigeamus? Dicam breuiſsimè. In nosmet oculos conuertamus, & quid simus, vbi, & ad quid vocati simus, tum quæ nos certamina moueant, diligenter consideremus, exactè cogitemus. Quid infirmius homine? vbi maius periculum quàm in mundo? Quid Christiana professione operosius: Quid terribilius, quàm cum ipso certare diabolo? Ecquis ergo nō videt, quàm in his omnibus Spiritussancti opus habeamus præsentia? Non est quòd per ignorantiam excusationem quæramus, quasi ipsius præsentiam non intelligamus, aut qua ratione cōsequatur, ignoremus. Vtrunque hoc refugium nobis præclusum est. Notissima

[Margin notes: 2. Pet. 1 — Luca 12 — Ioan. 4.7 — Psal. 44 — 1. Ioan. 2 — Rom. 5.8 — Ioan. 6 — Ioan. 3 — 1. Cor. 3 — Galat. 5 — Rom. 8 — ibidem]

sima enim eius præsentiæ sunt signa: Fides, vt in Abraham: Spes, vt in cæteris Prophetis: Charitas, vt in Apostolis in hoc Euangelio tantopere commendatur, & ꝙ gaudiũ interioris hominis, vt in Maria psallente: pax, vt in Simeone, & quam Christus in Euangelio dedit: castitas, vt in Ioseph: patientia, vt in Martyribus: dilectio decoris domus Dei, vt in Dauid, Ezechia, Iosia: obedientia mandatorum Dei, quam & ipsam hoc Euangelium sonat, vt in Paulo dicente: Quid vis me facere? Et in Dauid exclamante: Paratum cor meum Deus paratum cor meum. Et deniq; mundi contemptus, vt in Apostolis dicentibus: Ecce nos reliquimus omnia, & sequuti sumus te. Hæc enim, idq; genus alia ipsius præsentiæ indubitata signa sunt. Eáq; qui habuerunt, in ipso Spiritusancto exultauerunt, eundémq; laudauerunt & prædicauerunt: qui non habuerũt, sibi ipsis indoluerunt, & magnis animis de promittentis Dei veritate confisi, humiliter & aperto mẽtium ostio vt veniret, orauerunt. Et harum rerum vestigia quidem veterum, non studium in Ecclesia videmus. Hinc enim lætantium voces in ea hodie exaudiuntur, sonántque exclamationes. O quàm bonus Israël Deus, his qui recto sunt corde! O quàm magna multitudo dulcedinis tuæ, quam abscondisti diligentibus se! Secundum multitudinem dolorum meorum consolationes tuæ lætificauerunt animã meam. Gustate & videte quàm suauis est Dominus. Beatus vir qui sperat in eo. Hinc etiam preces tam multæ atq; piæ, quibus nunc pater & filius, vt mittant quẽ promiserunt, nunc ipse spiritus obtestatur vt veniat promissus, mansionémq; in nobis faciat. Hinc prõpta mandatorũ Dei obediẽtia, qua alij malũ relinquere student, sciẽtes spiritũ sapientiæ in maleuolã animã nõ intrare, nec habitare in corpore subdito peccatis, alij relicto quod oderũt malo, operãtur iustitiã, diligentésq; Deũ, sermonẽ eius seruãt. Atq; hæc omnia fratres videmus, intelligimus & laudam⁹ in aliis. O ergo beatos nos, si aliorũ exẽplis moniti, piis conatibus ipsorũ studiũ fuerimus secuti! qđ vt faciamus, præstet Spũssanctus cũ patre & filio vnus, sempiternus, oĩpotẽs ac clemẽs Deus. Amen.

Luce 1
Gene. 39
Acto. 9
Psal. 107
Matt. 19
Psal. 72
Psal. 30
Psal. 93
Psal. 33
Sapien. 1

FERIA SECVNDA PENTECO. EVANG. IOAN. III.

SIc Deus dilexit mundum, vt filium suum daret vnigenitum, vt omnis qui credit in eum, non

 pereat

pereat, sed habeat vitam æternam. Non enim misit Deus filium suum vt iudicet mundum, sed vt saluetur mundus per ipsum. Qui credit in eum, non iudicatur. Qui autem non credit, iam iudicatus est, quia non credit in nomine vnigeniti filij Dei, Hoc est autem iudicium, quia lux venit in mundum, & dilexerunt homines magis tenebras, quàm lucem. Erant enim eorũ mala opera. Omnis enim qui malè agit, odit lucem, & non venit ad lucem, vt non arguantur opera eius. Qui autem facit veritatem, venit ad lucem, vt manifestentur opera eius, quia in Deo sunt facta.

EADEM FERIA EPISTOLAE LOCO LECTIO, ACTO. X.

APeriens Petrus os suum, dixit: In veritate comperi, quia non est personarum acceptor Deus, sed in omni gente qui timet eum, & operatur iustitiam acceptus est illi. Verbum misit Deus filijs Israël, annuncians pacem per Iesum Christum: hic est omnium Dominus, hunc Deus suscitauit tertia die, & dedit eum manifestum fieri, non omni populo, sed testibus præordinatis à Deo, nobis qui manducauimus & bibimus cum illo, postquam resurrexit à mortuis. Et præcepit nobis prædicare & testificari populo, quia ipse qui constitutus est à Deo, iudex viuorum & mortuorũ. Huic omnes Prophetæ testimonium perhibent, remissionem peccatorum accipere per nomen eius omnes qui credũt in eum. Adhuc loquente Petro verba hæc, cecidit Spiritussanctus super omnes qui audiebant verbum. Et ob-

stupue

ſtupuerunt ex circunciſione fideles qui venerant cum Petro, quia & in nationes gratia Spiritusſancti effuſa eſt. Audiebant enim illos loquentes linguis, & magnificantes Deum. Tunc reſpondit Petrus: Nūquid aquam quis prohibere poteſt, vt nō baptizentur hi qui Spiritumſanctum acceperunt, ſicut & nos? Et iuſſit eos baptizari in nomine domini noſtri Ieſu Chriſti.

SERMO.

QVerelam de feſtorum dierum multitudine non emendationis, non reformationis ſtudium, ſed iniquum maleuolorū in Eccleſiā Catholicam peperit odium. Cū enim eam oderunt, omnia ab ea profecta vno inſequuntur animo. Quod ſi nō vrgentibus cauſis feſti dies inſtituti ſunt, diminuātur, & maiorum noſtrorū audaci facinore violetur autoritas. Sed plurimæ, & neceſſariæ, & euidētes cauſæ ſunt. Qua de re cum alibi me multa dixiſſe nemini, hic ſuperſedeo. Magiſtratus autem officium eſt, ſi qui feſtis diebus abutuntur, punire, ſuáq; autoritate abundantem iniquitatem reprimere. Paulus enim *Rom. 1* cum nō ſolum facientes ea, quæ mala ſunt, verumetiam conſentientes, morte dignos eſſe affirmat, magiſtratum ſui officij maximè admonuit. Cuius ſi dicta negligunt, ſuis in humeris, teſte conſcientia, omnium accumulari peccata non neſciant. Nos inſtitutū proſequamur noſtrum. Et primùm quidem ſi cui fortè videbimur ſine graui cauſa Pentecoſtes ſolennitatem, in hanc atque ſequentem diem producere, ꝙ Spiritumſanctum hominibus dari nouum nō ſit, is ſciat non ignorare nos multis antè temporibus hunc ſpiritum dari cœpiſſe. Da- *2.Reg.23* uid enim ſe ex Spirituſancto loquutum fuiſſe teſtatur. Et Pe- *2.Pet. 1* trus omnes prophetas ex eodem loquutos eſſe ait. Tum ſi ve- *Rom.8.* rum eſt quod Paulus ait, vt eſt maximè, non eſſe Chriſti, qui *Ioan.8* eius ſpiritum non habet. Vtique & Abraham cæteriſque patriarchis Spirituſſanctus datus eſt. De Abraham enim Chriſtus loquens, vidiſſe diem ſuum & fuiſſe gauiſum indicat: cæteri etiam Patriarchæ, quia Chriſtum cognouerunt, eúmque prædixerunt, & quia ſine ſpiritu Dei nemo poteſt dicere, dominum Ieſum, vtiq; Spiritūſanctum acceperūt. Sed & in nouo Teſtamento idē Spirituſſanctus innotuit, & datus eſt. Cu- *1.Cor.12*

Matt. 1 ius obumbratione verbum Dei caro factum est, qui super fi-
Ioan. 1 lium hominis in Iordane baptizatum visus est, in quo Chri-
Matt. 5 stus miracula fecit, quo donante etiam Apostoli magnas vir-
Luc. 11. tutes operati sunt. Sed nunquã tam multis datus est, nec tam
Ioan. 20 manifestè. Datus est enim discipulis numero centũ & viginti.
Act. 2. Deinde tribus hominum milibus. Posteà etiã in omni natio-
ne omnibus credentibus, & quidem cunctis videntibus & rei
nouitatem admirantibus. Mutabãtur enim, quos ille spiritus
impleuerat, omnes in nouos homines, maximè Apostoli, qui
antequam hunc accepissent, cuius spiritus essent, non obscurè
significabant. Vnde enim inter ipsos illa de magistratu con-
tentio? Vnde ad dextrã sinistrãque sedendi appetitus? Vnde
Matt. 18 vltricem ignẽ è cælo in Samaritanos postulãtiũ vindictæ cu-
Matt. 20 piditas? Vnde quod Christo ne vel pateretur, Matt. 16. vel Iu-
Luc. 9 dæam repeteret dissuadẽt? Nẽpè ex antiquo illo mundi spiri-
Ioan. 11 tu: ex illo, inquam, quo gladio percutere, mox fugere, negare,
Luc. 22. clausis ianuis timere, idq; genus alia didicerãt. Ideóq; etsi hic
Ioan. 20 primum datus non est, post ascensionẽ tamẽ primum & nouo
modo datus est, ac propterea huic tanto beneficio rectè consi-
derando plures nõ absurdè, nec sine causa dies attributi sunt.
Si enim Spiritussancti missio tantum beneficium est vt non
modò figuris, sed etiam expressis multorum vatum dictis an-
tè prædici & celebre fieri oportuerit, cur non & postea, quàm
factum fuit, celebrari, & sæpe à multis dicit? Ioel atque Eze-
chiel hoc beneficium antè prædicauerunt, vterque & magni-
Ioel. 2 ficè celebrauit, & celebre magnificauit. Ioel in persona Dei
promittens, ait: Et erit post hæc, effundam spiritum meum,
& dabo prodigia in cælo, & in terra sanguinem & ignem, &
vaporem fumi. Et paulo suprà: Effundam spiritum meũ su-
per omnem carnem, & prophetabũt filij vestri, & filiæ vestræ.
Ezechiel quoque cùm multa de aquis atque torrẽte à templo
Ezec. 47 manante prædixisset, inducit Deum loquentem. Et, inquit om
nis anima viuens quæ serpit, quocunque venerit torrens, vi-
uet: & erunt pisces multi satis postquam venerint illuc aquæ
istæ. Et sanabũtur & viuẽt omnia ad quæ venerit torrẽs & sta
bũt super illa piscatores. Quid autẽ aqua illa, nisi spiritussan-
ctus? Hic enim è cælo, imò ex latere Christi dextro demana-
uit, vt cuius sanguis & mors, pretium est missi Spiritussan-
cti. In hac aqua alij ambulauerunt vsque ad talos, alij ad ge-
nua, alij ad renes vsque, quia Spiritusancto ante legem pau-
ci

ci, sub lege plures, sub gratia multi purificati sunt: consummato seculo, transuadari non poterit. Tanta illi de Spiritusan cto quē nos eramus accepturi prædicauerūt: quid fecissent, si ipsis ea gratia illo, quæ nobis modo collatā fuisset? Ingrati profectò erimus: & tātę gratię indigni, nisi sūmo studio accepta dona magnificauerimus. Sanè vt hoc faciamus, multa nos diligentissimè cōmonent, Euangeliū in primis. Licet em̄ si nudam literā inspicias, nihil ad hanc festiuitatem videatur facere: tamen nucleum inueniemus, si nucem fregerimus, & bene rem edocti, iudicabimus rectius, & permultū ad hoc nostrum institutū intelligemus facere. Quiescant hic in natura audacium iudicia, nec suam ipsi in diuinis rebus prodāt ignorantiam, cùm datur latêre & delitescere. Vt enim quod prouerbij locum obtinuit, qui clarè intelligit, clarè docet: ita sæpe ignari impia iudicant bona, & econuerso. Cùm autē multa sint, cur huic festo hoc Euangeliū sit deputatū, tria notatu maximè necessaria inuenio. Principiò & quo fonte, quo merito hoc beneficium permanauerit, ostendit: nempe ex patris dilectione, & filij missi morte. Deinde quibus datum sit: non Apostolis, non Iudæis, non nobis tantùm, sed vniuerso mūdo. Sic inquit. Deus dilexit mundum, vt filium suum daret vnigenitum, vt omnis qui credit in illum, nō pereat, sed habeat vitam æternā. Tertiò, quibus in rebus nobis sit Spiritusancto opus, nempe ad timorem, ad pœnitentiam, ad fidem, denique etiam ad dilectionem. Quòd enim certam incredulorum denūciat damnationem, vtique timorem: quòd ingratitudinem obiicit, pœnitentiam: quòd non semel, sed ter vnica hac dilectione certam credentibus salutem promittit, fidē: quòd denique patris dilectionē prædicat, vtique in nobis quoque dilectionem exuscitat. Enimuero hic Christianæ vitæ ordo iustissimus est, in qua initium timor est, timor pœnitētiam solicitat, pœnitētē fides erigit & cōfirmat atq; seipsam Dei proximiq; dilectione exornat. Atq; hæc oīa idē in nobis operat̄ spiritus. Vbi enim spiritus nō est, ibi nec timor, nec pœnitētia, nec fides, neq; dilectio vlla est. Et q̄ hic saluti spes supererit? Breuiter ergo ista ordinē Euangelij sequētes inuestigemus, discamus, conseruemus. Sic Deus dilexit mūdum, inquit, vt filium suum daret vnigenitum. Nullius hic meriti fit mētio, sed causam nostræ salutis ex fonte Deo eiúsque dilectione emanasse ostendit. Non dicit, Deus loquutus est aut bene fecit mundo *Ioan. 3*

sed dilexit mundum, vt dilectionis vocabulo diuini illius atque paterni affectus nos commonefaciat. Quis enim magnitudinem Dei animo complecti, ne dicam eloqui, potest? Immẽsa enim eius est dilectio, qua ipse totum cõplectitur mundum, eoq; præstantior est in diuina illa mente, quòd mũdum
1. Ioan. 4 adhuc inimicum Deo, & prius complexa est. In hoc est charitas Dei, non quasi nos dilexerimus Deum, sed quòd ipse prior dilexit nos, & misit filium suum propitiationem pro peccatis nostris. Et inde, Si cùm inimici essemus, reconciliati sumus Deo per mortem filij eius, multò magis reconciliati salui
Roma. 5 erimus in vita ipsius. Nunc filij Dei sumus. Nunquid autem
1 Ioan. 3 obliuisci potest mulier infantem suum, vt non misereatur fi-
Isaia 59 lio vteri sui? Et si illa oblita fuerit, ego tamen non obliuiscar tui. Quòd si nondum præstantiam eius intelligitis, quæ inimicos nos prius complexa est, quid dicat veritas, attendite. Sic pater dilexit nos, vt filium suum daret vnigenitum, vt omnis qui credit in illum, non pereat, sed habeat vitam æternam. Hæc paternæ in nos dilectionis probatio est, filij missio. Quid pater Deus præstantius dare potuit filio suo & quidem vnigenito? Cuius filius? Dei, vtique Deus ipse. Non enim ille adoptionis vt nos, sed vnigenitus, & ipse Deus qui in se credentibus à perditione seruatis, vitam donat æter-
Matt. 3 nam. Plures filios Deus pater non habet, habet vnicum, eúmque vnicè dilectum, & suum, proprium habet nullius alterius participatione secundum. Hunc suæ dilectionis pignus dedit: dedit inquit, non ostendit, aut videndum solummodo
Psal. 68 exhibuit. Dedit autem in carnem naturámque nostram, ne ab eius maiestate homines abhorrerent: dedit in mortem, vt solueret quæ non rapuerat. Quis vnquam pater filium dedit, vt seruum redimeret? Solus Deus hoc fecit. Sed & iustitiam eius & merita nobis dedit: dedit & carnẽ eius, & sanguinẽ nobis in cibum atque potum. Et quis adhuc de patris dilectione dubitare potest? qui proprio filio non pepercit, sed pro nobis
Roma. 8 omnibus tradidit illum, quomodo nõ etiam cum illo omnia donabit? Quòd ergo filius nobis datus est, patris effecit dilectio, non meritum nostrum. Sed dicet quis, Quomodo Spiritusſanctũ ex eodem fonte demanasse intelligimus? Audi quid
Ioan. 16 filius dixerit, cùm iamiã ipsum Spiritumsanctum impetraturus abiret. Ego inquit, veritatem dico vobis, expedit vobis vt ego vadam. Si enim non abiero, paracletus non veniet ad vos.

vos: si autem abiero, mittam eum ad vos. Ecce quomodo vt Spiritussanctus veniret filius abiit: nec filius abiret, nisi pater dedisset, & vt daret, dilectio paterna mouisset. Ex vno ergo eodémq; fonte, & filius, & Spiritussanctus venit. Vt enim filius datus est in mūdum, non vt iudicet mūdum, quemadmodum Iudæi de suo Messia somniant, sed vt mūdus saluetur per ipsum (primus enim Christi aduētus gratiæ est, nec Deus delectatur in perditione hominum) ita etiam Spiritussanctus missus est, non Iudæis, non Apostolis, non nobis tantùm, sed vt omnes qui credunt in illū non pereant, sed habeant vitam æternā. Fidei pretiū vitā æternā esse. Christus ait, ne videretur grauius qd à nobis postulare, & vt Nicodemū Pharisæū à iustitia operū retraheret, & q̄ fides bonorū operū radix sit, soli Deóq; omnē honorē tribuat: cōtrariū verò incredulitas obtineat. Omnibus autē per hanc fidei ianuam ad salutē voluit patere aditum. Neque enim Deus hunc vberrimum fontem vnius causa populi ebullire ac scaturire voluit. Patens enim est, & ad ablutionem peccatoris atque menstruatæ totū mundum irrigat. De quo Petrus aperto ore clamat: In veritate comperi, inquit, quia non est personarum acceptor Deus, sed in omni gente qui timet eū, & operatur iustitiam, acceptus est illi. Et mox cum multa de Christo perorasset, addit. Huic omnes prophetæ testimonium perhibent, remissionem peccatorum accipere per nomen eius omnes qui credūt in eum. Et Paulus: Idem, inquit, dominus omnium diues in omnes. Hinc Ioannes de Christo loquens, ait: Ipse est propitiatio nostra pro peccatis nostris: non pro nostris autem tantùm, sed etiam pro totius mundi. Hoc Christus in Euangelio voluit vniuersaliter omnes & mundū nominans, ne cum multa de spiritusancto audimus, nostrum quoque eum esse, nobisque dari dubitemus. Quotquot enim ex hac vita salutis consequendæ desiderio ducimur, quicunque timorem, pœnitētiā, fidem atque dilectionem volumus, spiritusancto indigemus. Non enim timorati erimus, vt Simeon, nec per pœnitentiā in alios homines conuertemur, nec dicemus Dominum Iesum per fidem, nec denique charitatem Dei proximiq; habebimus, nisi in spiritusancto. Propterea enim Christus ministeriū reconciliationis Apostolis mandauit, vt euntes in mundum vniuersum prædicent hoc Euangelium. Ideo etiam spiritussanctus qui ipsa Pentecostes die super Apostolos & eos qui erant ex

Zach. 13
Actor. 10
Rom. 10.
1. *Ioan.* 2
Ioan. 3
2 *Cor.* 5.
Actor. 10

Iudæis elapsus erat, postea in Cæsarea super omnes qui cum Cornelio erant, cecidit. Nempe Deus vt omnes saluos fieri voluit, ita Spiritumsanctum omnibus necessarium esse ad salutem innuit. Vt ergo ardentius illius numinis præsentiam auxiliúmq; postularemus, sine quo nihil possumus, ecce Euangelium hoc non solum credẽtium salutẽ, verũ etiam incredulorũ iudicium dãnationémq; ante oculos nostros, in his Pẽtecostes solenniis, posuit. Nempe, nihil rectius, nihil cõuenientius egerimus, quã si cum iis qui iam acceperũt Spiritumsanctum, exultauerimus: cũ iis verò qui eius aduentum expectãt & adhuc præstolantur ardentibus votis ad gratiæ solium vt veniat supplicauerimus. In hunc enim vsum tot voces lætitia plenæ, tot gratiarũ actiones, laudes, hymni, tot preces, supplicationes, vota, suspiria in Ecclesiæ canticis his diebus leguntur. Et quis, est, qui non veluti à graui somno exuscitatur hoc Euangelio crepante? Cui non incutit timorem, quoslibet incredulos iam iudicatos esse? Quẽ ad pœnitentiã non reuocat hæc ingratitudinis humanæ querela? Et illud quidẽ Christus
Ioan.3. præmittens, Qui non credit, inquit, iã iudicatus est, quia non credit in nomine vnigeniti filij. Et, Lux venit in mundum, & dilexerunt homines magis tenebras quã lucẽ: erãt enim opera eorum mala. Enimuero si incredulitas iudiciũ suũ portat, vtiq; & cætera mentis peccata ex incredulitate nata iudicantur, imò nulla externa delicta erũt nisi ex hoc fonte. Propterea Christus non simpliciter dicit: Qui non credit, iudicabi-
Rom. 5 tur, sed iam iudicatus est. Manet enim super eum primi hominis damnatio, qui per fidem non est renatus, & incredulitas ipsa damnatio est. Vt Christus ait: Si non credideritis quia
Ioan.8 ego sum, in peccatis vestris moriemini. Sed licet needum in infernum proiectus descendat, causam tamen certæ damnationis portat. Vt Adam mox vbi peccasset, licet adhuc in
Gen. 3 paradiso esset, ac viueret, exilij tamen & mortis sententiam antea latam sustinebat. Cognoscere quale sit pro incredulitate iam damnatum esse, ac propterea ne & ipsi eandem damnationem incurramus timere non ex nobis, sed ex illu-
Psal.4 minante & docẽte Spiritusancto est. Deinde lux venit in mundum. Principio enim Deus illuminauit eum lumine rationis, quòd Dauid vult cum lumen vultus domini super nos signatum esse dicit. Illuminat deinde verbo veritatis suæ, vt idem Dauid canens: Lucerna, inquit pedibus meis verbum tuum

Domin

Domine; & lumen & limen semitis meis. Sed & alia lumina incendit, vt homines sanctos, verba moresq; piorum. Deniq; ipsa sempiterni substatia luminis in orbem terrarum prodiit illuminare omnem hominem venientẽ in hunc mundũ. De *Ioan.1* Christo enim hoc rectè intelligemus. Vt enim lumẽ primùm abscõdita manifestat, deinde illuminat, ita & Christus primò occulta mentium aperit, & accusat, postea qua via incedendum sit ostendit: qui duo gradus sunt iustificationis nostræ, cognoscere delictum & petere iusticiam. Et ideo quidem hæc in lumine illo considerãtur, ne quis quo se excuset habeat. At quid mundus? atq; vtinam solum mundus. Dilexerunt homi- *Ioan.9* nes magis tenebras, quàm lucem. Tenebras ignorantiam atq; *Rom.13* cæcitatem intelligimus, deinde etiam, Paulo teste, peccatum. *Psal.131* postremò quicquid mundus suspicit & admiratur, sapiẽtiam, honores, diuitias, potentiam. Ideo ergo iudicatur mundus, quia noluit intelligere vt bene ageret, noluit se peccato abdicare, noluit oblatas & veras diuitias suscipere, odit lucẽ, quia malè agit. Videte quid dicat. Non malũ, sed malè agit, hoc est, peccat; & ex proposito peruersè agit: in tenebris est, tenebras diligit, lucem non quærit, nec diligit, imò refugit. Nam & iusti quandoq malum agunt, hoc est, peccant, sed nõ malè agũt, hoc est in peccato nõ perseuerant. Et hic vide quã necessarius nobis sit Spiritussanctus, qui nos agnito peccato tenebras refugere, & per pœnitentiam ad lumen illud mentiũ transire docet. Sic etiam in eo Spiritussanctus nobis necessarius erit, vt credamus & diligamus. Vtriusq; Euangeliũ mentionẽ facit. Illius quidẽ cũ in Christũ credentibus vitã æternã promittit huius verò cum Dei patris summã illam & infinitã dilectionem nobis proponit. Vtriusq; etiam Spiritussanctus autor est, vt & rectè credamus, & verè diligamus. Atque hæc ideo dicta sunt, tũ vt quã spiritus nobis necessarius sit agnoscamus, tum etiã vt q̃ hæc Euãgelica lectio huic festo cõueniat, intelligamus. Nũc verò qa iuxta verbi prædicationẽ, etiã cõfirmationis sacramẽtũ administrari credẽtibus hodie cõsueuit, visum est operæ pretiũ facturũ esse me, si aliqd de eodẽ Sacramẽto in mediũ attulero: maximè iuuẽtutis causa, vt & vsũ & fructus eius percipiãt. Nec est q̃ puellæ etiã ætatis hui⁹ tędeat. Neq; enim dubito quin & inter ipsos sint, q nec fidei Christianę, nec sacramẽtorũ causas reddere norunt. Ac principiò quidẽ eorũ refutanda opinio est, qui nulla necessitate hoc Sacramentum

dari

dari autumant. Quid, inquiunt, prodest confirmatio? Nunquid, ipso testante Christo, qui baptizatus fuerit, saluus erit? Verè quidem dicunt, si hoc de baptizatis intelligimus, qui statim post baptisma hinc decedunt. Ita enim esse multa milia sanctorum didicerunt. Sed licet hic cum Paulo dicere possint, Tu es qui Deo repugnas, tamen hoc dico, quod ideo nobis hoc sacramentum necessarium est, quia transito mari rubro in desertum mundi huius deuenimus, vbi aduersus internos externósque hostes assiduè pugnandum est, & nostra imbecillitas magna est. Non enim qui in baptismo datus est Spiritussanctus hoc pręstat, vt confirmati resistere & vincere possimus, pręstat autem peccatorum remissionem, & cum peccatum tollit debilis naturæ vitium non tollit. Sed vt hoc tollatur alia Spiritussancti gratia opus. Hinc est quòd Christus præcipit Apostolis, quorum peccata remissa erant, ab Ierusalem non discedere, sed expectare promissum patris. Gratia enim baptismo collata amitti potest. Id quod in Simone Mago videre est. Et Christus pro Petro se orasse dicit, ne eius fides deficeret, quam Satanas tentando subripere conatus fuerat. Quemadmodum enim piratæ, non vacuas sed onerarias naues inuadunt. Ita Satan non mundi huius filios iustitia liberos, sed baptizatos, Spiritu imbutos & pietate ornatos impedit. Sic Petrus Samaritanis baptizatis manus imposuit, & acceperunt Spiritumsanctum. Sic Paulus & Barnabas eos quibus antè prædicauerant, confirmarunt. Sic idem Paulus discipulos qui erant Ephesi baptizauit, & per manus impositionem confirmauit. Et certè nemo dixerit hæc Apostolos sine mandato Christi fecisse. Alioqui si præter mandatum fecissent, quomodo Spiritussanctus ad eorum manus impositionem venisset? Vnde considerare licet, & si non necessaria videatur baptizatis confirmatio sacræ tamen scripturæ autoritate non hoc solum probari, quod Apostolorum temporibus in vsu fuerit, sed & quod Christi mandato exempto, Apostoli confirmarint credentes, vt quod à baptismo incepissent Spiritu, si confirmati deinceps præstare pergerent. Nam quod etiā pòst Apostolorum temporibus eius vsus in Ecclesia manserit, Clemens & Dionysius testantur, quorum ille Petri, hic Pauli Apostolorum fuerunt discipuli. Quomodo autem aut nihil, aut non necessarium erit, quod tot figuris adumbratum fuerit? Eius enim figura columna nubis & ignis per diem atque noctem

Marginal references: Rom. 9; Luc. 24; Act. 1; Act. 8; Luc. 22; Act. 22; Act. 14.15; Act. 19

noctem fuit. Sicut & manna de cælo, & aqua de petra, quibus *Exod. 13*
ſeruabantur filij Iſraël. Et quid tibi nomina illa multa & va- *Exod. 16*
ria volunt, quòd regenerationis dicit Spiritus, & conſolator, & doctor, & conſeruator, & cuſtos, niſi quod per ea diuerſitas gratiarum deſignatur, per alia atque alia Sacramenta veluti inſtrumenta porrigitur hominibus. Quòd ſi oleũ ſeu chryſma nauſeam tibi mouet, non ignoro Apoſtolis hoc Sacramentum per adhortationem & manuum impoſitionem administrandi conſuetudinem fuiſſe, nullo addito oleo. Sed nec opus tum erat, quando Spiritusſanctus viſibili ſpecie ſeſe exhibebat. Et tueri quidem huiuſmodi, diuinæ præſentiæ ſignis atque prodigiis opus erat. Nunc verò propagata fidei doctrina deſierunt illa, & ſucceſſerunt alia quædam externa, ad ſignificandam eam, quę confertur gratiam. Interrogatus ergo, quo & cur confirmeris, reſpondeas, Baptiſmo te quidem remiſſionem peccatorum per Spiritumſanctum accepiſſe, & quia tunc diabolo abrenuntiaueris, Deo autem Chriſto tua ſtudia conſeruaueris, nec vt hoc præſtes virtutem in tua natura inuenis, ideo te caput manui Sacerdotis ſacramenti huius miniſtri ſubmittere, vt per eius miniſterium eum Spiritum conſequare, cuius præſentia deinceps & peccata fugere, & pietati poſſis ſtudere. Olim præcedentibus ieiunio & confeſſione hoc Sacramentum adminiſtrabatur, nunc præter alios abuſus, etiam ieiunium deſiit. Sed cui rectè & cum vtilitate illud ſuſcipiendi affectus eſt, huic ieiunium, & confeſſio grauis non erit, ſed & de ſeipſo deſperans totum ſe in Dei promiſſionem coniiciet, & tandem pro accepta gratia gratus erit, hoc eſt, gratiam acceptam non negliget. Hæc de confirmatione breuiſſimè addere operepretium viſum eſt, vt qui ex Euangelio Spiritumſanctum nobis neceſſarium eſſe intelligimus, ipſo dignum habitaculum præparare diſcamus. Eius igitur nobis vbique adſit & cooperetur gratia. Amen.

FERIA TERTIA,

EVANGEL. IOAN. X.

AMen Amen dico vobis, qui non intrat per oſtium in ouile ouium, ſed aſcendit aliunde, ille fur eſt & latro. Qui autem intrat per oſtium, paſtor eſt


ſtor eſt

ſtor eſt ouium. Huic oſtiarius aperit, & oues vocem eius audiunt, & proprias oues vocat nominatim, & educit eas. Et cùm proprias oues emiſerit, ante eas vadit, & oues illum ſequuntur, quia ſciunt vocem eius. Alienum autem non ſequuntur, ſed fugiunt ab eo, quia non nouerunt vocem alienorum. Hoc prouerbium dixit eis Ieſus. Illi autem non cognouerunt quid loqueretur eis. Dixit ergo eis iterum Ieſus, Amen Amen dico vobis, quia ego ſum oſtium ouiũ. Omnes quotquot venerunt, fures ſunt & latrones, ſed non audierunt eos oues. Ego ſum oſtium, per me ſi quis introierit, ſaluabitur, & ingredietur, & egredietur, & paſcua inueniet. Fur non venit niſi vt furetur, & mactet, & perdat, ego veni vt vitam, & abundantius habeant.

EADEM FERIA EPISTOLAE LOCO LECTIO, ACT. VIII.

CUm autem audiſſent Apoſtoli qui erant in Ieroſolymis, quia recepiſſet Samaria verbum Dei, miſerunt ad eos Petrum & Ioannem. Qui cùm veniſſent, orauerunt pro ipſis, vt acciperent Spiritumſanctum. Nondum enim in quenquam illorum venerat, ſed baptizati tantùm erant in nomine Domini Ieſu Chriſti. Tunc imponebant manus ſuper illos, & accipiebant Spiritumſanctum.

SERMO.



Vod heri dictum à me eſſe meminiſtis, hic repeto. Nemo de eo quod non intelligit, iudicet. Vt enim heſternum Euangelium, ita & hodiernum, ſi literam conſideremus, nihil de Spirituſancto loquitur. Ideo autem quaſi minus huic tempori conueniens iudicare, abſurdum planè eſt. Pulchrè enim ſi penitius introſpicias, heſterno & illo

illo quod in magna illa Pentecostes solennitate audiuimus Euangeliis cõiungitur, quorum alterum Apostolis Iudæisq; Spiritum missum esse ostendit, alterum quod etiam Gentibus aduenerit idem Spiritus, demonstrat, quãdo Petro non modò Iudæis, sed & Gentibus in Cæsarea prædicante super vtrunq; populum cælitus elapsus est. Et Christus se pro dilectione patris, non vni alicui Genti, sed toti mundo venisse prædicat, vt omnis qui in se credit, non pereat, sed habeat vitam æternam. Et quid hic superest, nisi vt quæramus vbi & quomodo Spiritussanctus operetur, & inueniri possit, & quibus in hoc Spiritus negotio ministris opus sit? Sanè eam ob causam isto ordine Euangeliũ atq; epistola coniuncta sunt, vt videamus Christianam rempub. vnicam esse & sempiternam, & quemadmodum cum illic vbi boni pastores ipsi, deinde etiã Apostoli pascebant, cæteri credentes pastoris voci obaudiebant, Spiritussanctus datus est, ita nunc quoq; in eo tantùm cœtu, qui rectè credentium est, inueniri & dari quærentibus. Et ipse quidem pro sua deitate vbiq; præsto est, sed non vbiq; datur hominibus. Facilè quidem dictum est, Ecce hic, ecce illic est, nobiscũ est. Nunquam enim vllam tam peruersam Satan exuscitauit hæresim, quæ non de eius præsentia sibi persuaserit multa, & iactitauerit, imò fuerunt qui seipsos Spiritumsanctum dicerent, vt Marciõ & Manichæus. Sed quid Christus? Si dixerint vobis, ecce in deserto est, nolite exire, ecce in penetralibus, nolite credere. Et alibi de Spiritusancto loquens Mũdus, inquit, non potest eum accipere, quia non videt eum, neq; scit eum. Vos autem cognoscetis eum, quia apud vos manebit, & in vobis erit. Huc pertinet quod alibi de vno ouili loquitur Christus, & quòd Paulus vnum corpus Christi mysticum cõponit. Et quòd Ioannes vnicum tabernaculum Dei cum hominibus, vnicam sponsam Christi vidit. Quicunq; ergo ab hoc cœtu ouili, corpore, tabernaculo, ab hac Christi spõsa sese segregãt, hi nec salutis, nec Christi, nec Dei, nec Spiritussancti erunt participes. Quemadmodum enim vnus Spiritus noster, non nisi corpus vnũ, viuificat, nõ autẽ in amputatas corporis partes se diuidit transfunditve, ita & Christi capitis nostri Spiritus eos solos viuificat, qui adhærent corpori eius, non autem corpore relicto mẽbra sequitur, ideo vt nihil impedit cuiuscunq; cõditionis homo sit, antequã in hunc piorũ albũ ascribatur, siue Iudæus, siue Græcus, siue seruus, siue liber, siue mas, siue

Act. 2
Act. 3
Mat. 24
Ioan. 14
Ioan. 10
Ephe. 4
Apoc. 21
Rom. 10

Gala.3 siue fœmina, Deus enim acceptor personarũ non est, & è duo-
Act.10 bus populis vnã plebẽ vt sit vnus pastor & vnũ ouile, & nõ di-
Ephe.2 cat filius aduenæ, qui adhæret Domino, separãdo diuidet me
Ioan.10 Dominus à populo suo, & nõ dicat eunuchus, Ecce ego lignũ
Isa.50 aridũ, ita profectò necesse est, vt iam vocati in sortẽ filiorum Dei, vnitã illam cõiunctionẽ conseruemus. nec satis putemus hanc coniunctionem non dissoluere, & inerti interim otio in hoc cœtu torpescere, fortibus hic gnauibúsque viris opus est, fortes Spiritussanctus in piis conatibus adiuuat. Et scire quia in vnica Catholica Ecclesia sit Spiritussanctus, admodũ parũ proderit, nisi & ipse quibus ex signis cognoscẽdus sit, cognoueris. Nam vt lateat eos quibus mẽtis aciem velat caro, non nullo tamen indice piis cognoscitur. Quemadmodum enim ignis ardẽs vbicunq; ille fuerit, abscõdi nequit, sed nullo alio indice sui ipsius est proditor quã fumo, splendore, aut calore, ita & Spiritussanctus, qui & ipse ignis est, vbicúnq; est, cæteris (quod aiũt) paribus, minimè latere potest, operatur, & quidem ardua efficit. Propterea vt multa de illius presentia iactitemus, opus nõ est: seipsum enim ille manifestat tibi, vbi est. Exẽplo sunt Ioseph, Moses, Dauid, Daniel, & alij. De his enim nusquã legimus quod de Spũsancto gloriati fuerint. Verũ ita in ipsis illis diuin' Spiritus præsto fuit, eáq; in ipsis effecit, vt impij etiã Pharaones, Saul, Nabuchodonosor & alij eius præsentiã in ipsis fateri coacti sint. Eadẽ mens in Apostolis eorũq; successoribus videre est, quibus de Spũsancto multa gloriãtibus, nemo fidẽ habuisset, nisi factis egregiis, & istã eorũ autoritatẽ dignos habere se eũ demõstrassent. Eóq; nõ immeritò ab iis qui de Spũsanctò multa gloriantur, ipsum ex factis illo
Iacob.2 dignis, quẽadmodũ Iacob Apostolus, ex operibus fidẽ, ostendi nobis petierimus. Nã effectus illius obscuri esse nõ possunt, & qua forma visus est veniẽs, eadẽ naturã refert inhabitãs. Visus est nubis, ignis atq; colũbę specie. Et quẽadmodũ nubes humectat ignis sursum ascendit, colũba sine felle creditur animal, ita ille pia corda in hac lacrymarũ valle primũ gemitus lacrymis irrogat, deinde sursum attollit ad cælestia, tertiò sine amarulentia sineq; inuidia cuiusquã docet vincere. Malè igitur vbi hęc tria nõ apparẽt, de Spũsancti pręsentia sibi applaudẽt homines, frustra & impiè cælũ terrãq; clamoribus implẽt. Iã verò & tribus his signis illius pręsentia certò adesse intelligitur, triplici ratione præsens conseruatur. Et hic rursum ignis

naturam

naturam retinet. Nam quemadmodum vt ignem foueas, necesse est ligna componas, insuffles, atque cinerem adaggeres, ita ad nutriendum Spiritumsanctum assidua atque constanti rectè factorum meditationúmque coaceruatione precum spiritualium exsufflatione, atque terrenæ huius miseriæ iugi ac humili cōsideratione opus est. Vt hoc modo ligna, rectè facta, insufflationem, preces, cinerem ex nostræ miseriæ consideratione natam humilitatem intelligimus. Quæ omnia cum nusquam rectius, nusquam apertius & docentur & videtur, quod in vnica illa Christi atque Catholica Ecclesia, rectè in ea sola Spiritussanctus esse Christo promittente, intelligitur, & propterea illius cœtus vnitatem necessariò admiramur atque amplectimur, quicunque tanti numinis consortio, ex terra cælum, ex inimicis amici, ex aduenis & peregrinis ciues sanctorum & domestici Dei, ex mancipiis gehennæ filij Dei fieri laboramus. Et hæc quia ad omnes pertinent, Christus omnibus nota similitudine hoc Euangelio proposuit. Amen, amen dico vobis, inquit, qui non intrat per ostiū in ouile, sed ascēdit aliundè, ille fur est & latro. Nemo quid ouile, quid oues sint, ignorat, nec quicquam ferè tam abiectum est in mundo, quod oues pascere: & tam simplex illud animal est, vt ouium mores de insipiētibus prouerbium abierint. Nempè naturam Euangelij Christus retinuit, quo mundi sapientibus nihil magis stultum est. Ouium autem nomine homines intelligi, etiam Dauid in Psalmis & Ezechiel. 34. cap. & Zach. 13 Prophetæ indicāt. Idque duplici ratione, cum vt nostræ infirmitati (inter omnia enim animantia maximè ouis bono pastore eget, vt quæ denique celeritatem ad fugam habet) admoneamur, qui ex nobis sine Deo nihil possumus facere, tum vt qui mores nos maximè deceant, discamus. Humile enim ouis animal est, & mite, & patiens, & vtile. Ouile autem Ecclesiam siuè rectè credentium cœtum intelligimus. Multam enim hæc illius similitudinem habet. Primò enim vt necesse est tutū sit ouile propter luporum concursus, ita etiam Ecclesia firma sit & munita oportet propter hæreticorum insultus, in qua ipse pastor murus sit aheneus, suámque animam pro ouium salute deponat. Secundò, vt calor in ouili requiritur, ne frigore pereant oues, ita charitatis ardor Ecclesiæ necessarius est, cum pastoris ad reliquos, tum reliquorū etiam inter se inuicem

Eph. 2 *Ioan. 10* *1. Cor. 1* *Psal. 94* *Ioan. 15* *Ezech. 13* *Ioan. 10*

Ioan. 21 cem. Simon Petre, inquit Christus, diligis me, pasce oues meas. Quasi diceret, cura hæc dilectionem requirit: si nõ diligis, pascendis ouibus aptus non eris. Et, Deus est charitas,
1. Ioan. 4 inquit Ioãnes, & qui manet in charitate, in Deo manet. Nempe charitatem requirit Christi & Ecclesiæ cõmunio. Tertiò, vt ouili mundicies propter morbi contagium necessaria est, ita Ecclesiam puritas decet & sanctitas. Estote sancti, inquit
Leui. 19 Dominus sicut & ego Deus vester sanctus sum. Et Paulus, An
1 Cor. 5 nescitis, inquit, ꝙ modicum ferméti totam massam corrũpit. Expurgate vetus fermentum. Quartò, vt in ouili requiritur quod substernatur ouibus, quo requiescãt melius, ita & in Ecclesia pastoris est clemẽtia pietate, comitate, ac lenitate subuenire suis. Quemadmodũ princeps pastorũ omnes illius ordi
Matt. 10 nis homines ad suæ mãsuetudinis & humilitatis exemplum
Gal. 6 inuitat. Et Paulus hac ratione monet vt si quis aliquo delicto
Act. 5 præoccupatus fuerit, ab iis q spirituales sunt in lenitatis spiritu instruatur. Et Petrus in Ierosolymitano cõcilio graue legis onus à credentiũ humeris aufert: cõtra verò iniquè faciũt veteris Testamẽti pastores, de quibus Ezechiel conqueritur,
Ezec. 34 qui exẽplo Roboam & Pharisæorũ ligant onera grauia & im
3. Reg. 12 portabilia in humeros hominũ, digito aũt suo nolũt mouere.
Matt. 23 Quintò, in ouili requiritur pabulũ, sic in Ecclesia pastoribus vigilandũ erit, ne verbi diuini desit pastus, ne quod in Ieremia scriptũ est, paruulis petentibus nõ sit qui frangat. Postremò in
Thren. 4 ouili requiritur amplitudo, vt locus sit capax, & tamen clausus: ita etiã necesse est, vt suis constet Ecclesia limitibus, quæ transgredi non liceat. Id quod Dauid innuit, cũ non modò bo-
Psal. 132 num, sed & iocũdum esse habitare fratres in vnum, habitare cũ admiratione pronunciat. Et Paulus monuit, cũ vt idipsum
1. Cor. 1 sapiamus omnes, & nõ sint in nobis schismata hortatur. Iam verò quod ad ostium attinet, per illud nũc Iesum Christum, nunc Scripturam sacram, nunc ordinariam vocationẽ intelligimus. Nec Christus hic arguit eos, qui omnino nõ intrant in ouile, sed eos solũ qui non ea qua debent parte intrant. Hos fures & latrones corripit. Sunt autẽ Pharisæi. Hi enim reprobato Christo, nec ipsi per eũ saluari voluerunt, nec aliis vt saluentur permiserunt. Id quod Christus alibi clarius exponens, Væ vobis Scribæ & Pharisæi, inquit, q clauditis regnũ cælo-
Matt. 23 rũ ante homines. Vos enim nõ intratis nec introeuntes sinitis introire. Hi etiam scripturam Sacram non sequebantur, sed per

per legem,quæ peccata ostendere,non remittere poterat,iustitiam sibi promittebant.Imò neglecta Dei lege propriá sibi traditioné constituebant.Hi denique successione ad sacerdotale munus & dignitaté non peruenerát,nec à Deo, vt Aaron vocati erát.Sunt etiam pseudochristiani omnes, qui in Christum non credunt.qui de fonte nolentes bibere, ipsi sibi lacunulas effodiút. Sunt & illi qui scripturarum sensum peruertunt,bonum malum,& malum bonũ affirmant.Sunt denique qui quoquo modo sese ad Ecclesiastica munia ingerunt: alij enim precio veniunt,vt Iason & Simon Magus: alij vendunt, vt Giezi Helizæi seruus:alij rapiunt vt Alchimus,1. Mach.7. alij per seditiones,vt Chore,Dathan & Abyron: alij per vim, vt Osias. inuadunt.Qui omnes furum atq; latronum nomine rectè significátur:omnes enim quæ sua sunt quærũt,non quæ Iesu Christi.Iam porrò veri pastoris naturam describens ait: Qui autẽ intrat per ostium,ille pastor est ouium. Pastoris ergo signum est, per ostium intrare,in Christo sibi suisque veram vitá promittere,legitima successione vocari.Huic ostiarius aperit. Ostiarium quoq; aliquando Christum intelligimus,quẽadmodum ipse & via & veritas & vita est. Aliquando etiam Spiritumsanctũ ostiarium accipimus. Nam cũ aperire est Scripturas sacras interpretari, vterq; aperit, cũ legitimè vocatos ad Euangelizandum instruit. Filius enim qui aperit, & nemo claudit, claudit & nemo aperit, in Apocalypsi loquitur: Ecce dedi coram te ostium apertũ, quod nemo potest claudere.De Spiritusancto filius ait: Cum venerit Spiritussanctus, ille docebit vos omnia, & ducet vos in omnem veritatem. Et ipse dominus in Propheta: Ego dabo vobis os & sapientiam cui non poterũt resistere omnes aduersarij vestri. Est autẽ hæc prima & maxima legitimi pastoris promissio.Secũda verò est: Oues vocẽ eius audiunt,meritò id quidẽ, sua enim cum vtilitate pastoris vocẽ oues audiunt. Nisi enim audirent,oues Christi nõ essent. Christus enim ad Apostolos tanquam bonos pastores ait:Qui vos spernit, me spernit. Porrò promissioni addidit officium. Proprias, inquit, oues vocat nominatim, & educit eas, vadit ante eas. Mira hæc diuinæ pietatis dignatio est. Cum enim omnes Christi sint oues, pastor tamen suas proprias suas facere potest, Nempè cum nominatim vocat,hoc est, vniuscuiusque conditioné explorans nouit, infirmum sanat, perditum quærit, errantem reducit:

Matt. 15
Ioan. 11
Hebr. 5
Isa. 5
1. Mach. 4
Act. 8
4. Reg. 5
Num. 16
2. Par. 26
Ioan. 10
Apoc. 3
Ioan. 14
Luce 14
Ezech. 18
Isa. 53

cum quotidie eis acclamat, docet, instat, opportunè impor-
tunè, nec cessat quousque emendationem viderit: cum vni-
Isa.66 cuique se tractabilem, pium, mitémq; exhibet, neminem in
Ioan.9 humanitate propulsat: cum eis nomen non quod ab Adam ac-
Eph.5 ceperunt, sed quod Deus promisit, & gratia indidit, quod no-
minentur, sintq; Dei filij, non peccatum illorum proteruè, vt
1.Cor.6 Pharisæi cæco nato faciebant, obiicit, sed quod tales fuerint:
nunc autem abluti sint, sanctificati sint in alios homines mu-
tati sint, tribuit. Et hæc omnia pastor ouibus suis præstat. De-
inde & educit eas, Semel ex tenebris in lucem, ex peccatorum
fœditate in iustitiæ puritatẽ educti per sanguinẽ Christi su-
mus. Sed quia in hoc mundo nequam sumus, rursus sæpenu-
mero ad lutum reuertimur, & sordescimus. Pastoris hoc of-
Ioan.11 ficium est, vt quotidie ex ea sentina educat. Vt Lazarum mor-
1.Cor.5 tuum Christus vt Corinthios facinorosos, & orantes Galla-
Gal.4 thas Paulus euocauerũt & reduxerunt. Atq; hæc duo pastoris
officia: Proprias oues nominatim vocare & educere, ad præ-
dicationem pertinent. Quod autem sequitur: Et cũ proprias
oues emiserit, ante eas vadit, & oues illum sequuntur, quia
sciunt vocem eius: ad vitæ exemplũ pertinet. Aequum enim
est, vt pastor oues quas nominatim vocat, & exhortationis ser
mone educit, etiã piæ vitæ exemplo præcedat, ne quod Pau-
Rom.2 lus in ea quam ad Romanos scripsit Epistola quibusdam fa-
cit, obiiciatur ei: Qui alium inquit, doces, teipsum nõ doces:
qui prædicas non furandum, ipse furaris: qui dicis non mœ-
1.Cor.9 chandum, mœcharis. Sed quẽadmodum ipse Paulus: Castiget
II.Tim.4 corpus suum, inq; seruitutem redigat, ne fortè cũ aliis præ-
Ti.2 dicauerit, ipse reprobus efficiatur, & iuuentutis suæ contem-
ptores sustinere cogatur: sed sit exemplum fidelium in verbo,
in conuersatione, in Charitate, in fide, in castitate, in integri-
tate, in grauitate: sitque in summa omnibus exemplum bo-
Matt.23 norum operum. Hoc enim verè esset ante oues ire. Et quid
mirum si talem pastorem sequantur oues? Si enim Christus
faciundum esse docet quæ Pharisæi non veri pastores dicũt,
multo magis ij sequendi sunt, qui & sermone & vita, quan-
tum fieri potest, sequendus est. Sed & ostium ipse est ouium.
Bis autem se ostium dixit, cum vt se esse eum per quem in
veteri & in nouo Testamento, pastores ad oues introeunt,
doceat: tum quod & pastores ad oues, & oues ad cælestem
patriam per se vnum perueniãt, innuat. Sed & ideo se ostium
bis

bis dixit, quod per ipsum nō modo ad gratiā, sed ad æternam
quoque vitā pateat aditus. Omnes autem quotquot venerunt
ante me, inquit, fures sunt & latrones. Nō tempus sed doctri-
nam significat. Venerunt enim ante eum Moses & Prophetæ,
qui tamen nec fures nec latrones sunt. Notat autem eos qui
neque à Deo vocati sunt, neq; ab Ecclesia electi: sed sua spon-
te non missi cucurrerunt. Notat & eos, qui homines in men- *Hier. 23*
datio cōfidere docent, quales olim fuerunt dicentes: Pax, pax, *Ezech. 13*
cum non esset pax: & quales etiamnum multi sunt. Maxime
vero eos designat, qui se Christum dixerunt, vt Teudas, Iudas
Galilæus, Simon Magus. Habuerunt & hi suos sed hædos non *Act. 5*
oues. Oues enim non audiunt eos neque sequuntur, sed fu- *& 8.*
giunt, quia fures esse & latrones intelligunt. Christus autem
ostium est, & via est, quia per ipsum pater ad nos venit, & *Ioan. 14*
nos accessum habemus ad patrem, & per ipsum quisquis in- *Eph. 2*
troierit, saluabitur, & ingredietur, & egredietur, & pascua
inueniet. Qui in ipsum crediderit, qui per charitatem ipsi
adhæserit, qui per fidem & gratiam verè credentibus com-
municauerit, qui doctrinæ, vitæque Christi regulam sequu-
tus fuerit, hic inueniet vitam, & hauriet salutem à domino:
Pari libertate & seueritate patietur spiritus. Vbi enim spiri- *Prouer. 7*
tus Dei, ibi libertas. Deinde non timebit sibi à quoquam, si- *2. Cor. 3*
ue vita, siue mors ingruerit. Id quod Michæas olim innuens: *Mich. 4*
Sedebit, inquit, vir subtus vineam suam, & subtus ficū suam,
& non erit qui deterreat. Postremò omnium bonorum copia
affluet. Timentibus enim Deum, teste Dauid, nihil deerit. Est *Psal. 33*
enim Pascua hæc, Euangelium, verbum vitæ, iustitia, vita,
salus, & quicquid magnum & splēdidum in inexhausto illo
diuinæ pietatis thesauro est. Olim secundò tantùm qui in-
grediebantur inueniebant pascua, hoc est, qui non cæremo-
niis Iudaicis nascebantur, Moyse & Prophetis soluebantur,
sed ex hac vita egrediētibus nulla parata erat fœlicitas. Clau-
sum enim erat cælum in quo solo hæc bona reposita sunt.
At nunc apertum cælum est. Pastor enim pastorum præcessit
nos eò, præparauitque omnia. Atque hæc omnia ideò Chri-
stus dixit, vt se sequendi & secum in ouili Ecclesiæ manendi
voluntatem in nobis suscitet. Quod si nullo promissionis de-
siderio ducimur, tantùm aduersarij impietate sæuitiáque
formidabili impellamur. Quæ illa sæuitia? Fur, inquit, non
venit, nisi vt furetur & mactet & perdat. Diabolus nimirum

qui primis parentibus nostris immortalitatis habitum, innocentiæque candorem, dolo sustulit, atque furatus est, in iisque totam humanam naturam mactauit, occidit, perdidit. Hic enim ab initio homicida fuit. Sed & ille fur est, quicunque Satanæ exemplo Ecclesiæ ouile dissipat. Tum & illi sunt fures, qui saluificam doctrinam ouibus suffurantur, & falsant eorum corpora, qui sibi non applaudunt, persequuntur atque mactant, applaudentium vero animas perdunt. Atque hi peruersæ doctrinæ semper fuerunt fructus: corporum persequutio, & animarum perditio: quorum contraria veram doctrinam sequuntur. Videte ergo hac similitudine Christus Ecclesiam nobis, & quæ in ea sunt bona, rémque publicam descripsit, vt in ea Spiritumsanctum esse, regere, omniáque administrare, extra eam verò fures & latrones, qui non nisi ad furandum, mactandum atque perdendum, bona, corpora, animas veniant, intelligamus, eius vnitatem concordiámque foueamus, in ea esse & regi studeamus. Huc ergo mentes oculósque conuertamus, & quod reliquum est temporis huic rei totum impendamus. In quo conatu nos adiuuet, qui omnium piorum affectus dirigit Spiritussanctus, vnus cum patre atque filio Deus. Amen.

DOMINICA SS. TRINITATIS, QVAE EST POST PENTECO. PRIMA, EVANG. IOAN. III.

ERat autem homo ex Pharisæis Nicodemus nomine, princeps Iudæorum. Hic venit ad Iesum nocte, & dixit ei: Rabbi, scimus quia à Deo venisti magister. Nemo enim potest hæc signa facere quæ tu facis, nisi fuerit Deus cum eo. Respondit Iesus, & dixit ei: Amen amen dico tibi, nisi quis renatus fuerit denuo, nō potest videre regnum Dei,

Dicit ad eum Nicodemus: Quomodo poteſt homo naſci cum ſit ſenex, Nunquid poteſt in ventrem matris ſuæ iterato introire,& renaſci?Reſpondit Ieſus: Amen amẽ dico tibi, niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spirituſancto,non poteſt introire in regnum Dei. Quod natũ eſt ex carne ,caro eſt,& quod natum eſt ex ſpiritu, ſpiritus eſt. Non mireris quia dixi tibi oportet vos naſci denuo. Spiritus vbi vult ſpirat ,& vocẽ eius audis,ſed neſcis vnde veniat , aut quo vadat. Sic eſt omnis qui natus eſt ex ſpiritu. Reſpõdit Nicodemus,& dixit ei: Quomodo poſſunt hęc fieri? Reſpondit Ieſus,& dixit ei: Tu es magiſter in Iſraël, & hæc ignoras?Amen amen dico tibi,quia quod ſcimus loquimur , & quod vidimus teſtamur &teſtimonium noſtrum non accipitis.Si terrena dixi vobis,& nõ creditis, quomodo ſi dixero vobis cęleſtia credetis?Et nemo aſcendit in cælum, niſi qui deſcendit de cælo,filius hominis qui eſt in cælo. Et ſicut Moſes exaltauit ſerpentem in deſerto, ita exaltari oportet filium hominis , vt omnis qui credit in ipſo non pereat , ſed habeat vitam æternam.

EADEM DOMINICA EPISTOLA, ROMA. XI.

O Altitudo diuitiarum ſapiẽtiæ & ſcientiæ Dei, quàm incomprehenſibilia ſunt iudicia eius, & inueſtigabiles viæ eius. Quis enim cognouit ſenſum Domini,aut quis conſiliarius eius fuit? Aut quis prior dedit illi , & retribuetur ei : Quoniam ex ipſo & per ipſum ,& in ipſo ſunt omnia , ipſi gloria in ſæcula ſæculorum. Amen.

SERMO.



Exod. 14
Exod. 16
N veteri Teſtamento cum multa Deus in Iſraël operatus fuiſſet magnalia, cauſam addit cur ea fecerit omnia: Glorificabor, inquit, in Pharaone & in omni exercitu eius, & ſciẽt Aegyptij, quia ego dominus, Et: Scietis qa ego Dominus Deus veſter. Idipſum nobis quoq; dici reor hac die. Cum enim iam multò tempore anni in Eccleſia nobis propoſitum eſt, quid Deus pater, quid Deus filius, quid Deus Spirituſſanctus in creatione, in redemptione, inq; illuminatione, nobis præſtiterit, conuenienti modo, hodie vnitatem in triade cognoſcere, & triadem in vnitate venerari docemur. Neceſſarium omnino ad ſalutem, vt rectè deitatem agnoſcamus, vereq; honoremus. Nam in hunc finem creatus homo eſt, & hæc agnitio vi-
Ioan. 15 ta æterna. Vt Chriſtus cum datam ſibi dixerat poteſtatẽ omnis carnis, vt vitam æternã eis det, quos pater dederat addit: Hæc eſt autem vita æterna, vt cognoſcant te ſolum Deum ve-
2. Para. 6 rum, & quem miſiſti Ieſum Chriſtum. Et Salomon qui figu-
Oſee. 2. ram Chriſti quondam gerebat cõpleta templi ſtructura, hoc
Exech. 39 à Deo petit: Vt ſciant omnes gentes nomen tuũ. Sed & in aliis
Sap. 13. Prophetis legimus ideo Deum magna feciſſe populis legimus nationum, vt in hoc cognoſcerẽt, quia ipſe dominus. Contrà verò non agnoſcentibus pœnas denuntiat. Salomon clarè dicit: Vani ſunt omnes homines, in quibus nõ eſt ſcientia Dei, & de iis quæ videntur bona, nõ potuerũt intelligere eum qui eſt, neque operibus attendentes agnouerunt quis eſſet artifex, ſed aut ignem aut ſpiritum, aut citatum aërem, aut gyrũ ſtellarum, aut nimiam aquam, aut ſolem & lunam rectores orbis
Roma. 1 terrarum deos putauerunt. Et Paulus Romanos arguit, quòd Deum quem potuerunt ex creaturis cognoſcere, nõ vt Deum glorificarunt. Tum alios idẽ terret cũ ait: Qui ignorat igno-
1. Cor. 14 rabiť. Propheta Baruch exclamat dicẽs: Beati ſumus ô Iſraël,
Baruch. 4 quoniam quæ Deo placent, manifeſta ſunt nobis. Nec immeritò beatum Iſraël dixit, quia cum non poteſt dilectio perſiſtere in homine ſine cognitione, iiſque tantum bonus Iſraël Deus qui ſe diligunt, non obſcurum eſt quanta infœlicitas maneat eos qui nec diligunt Deum, nec vt diligere poſſint cognoſcere ſtudent. Deum quidem nemo vidit
Ioan. 1 vnquam, ipſo dicente: Non videbit me homo, & viuet. Tum
Exod. 34 certè Apoſtolicis & propheticis ſcriptis admonemur, ne altum

tum ſapiamus, quòd qui ſcrutator eſt maieſtatis opprimatur *Rom.2*
à gloria. Et ſi Chriſto terrena nobis diceti nō credimus, quo- *Pro.25*
modo ſi cœleſtia dixerit credituri ſumus? Imbecillior noſter *Ioan.3*
ſenſus ad intellectum diuinitatis eſt, Sicut & Petro Chriſtum
filium Dei viui confitenti reſpondet Dominus quòd eam di- *Matt.16*
uinitatis Chriſti confeſſionem non ex carnis ſanguiniſque re-
uelatione acceperit, ſed ex inſpiratione patris, qui eſt in cęlis. *Exod.34*
Sic Moſes vultum inſpicere Iſraël non potuit, niſi velamine
tectum, quòd ex Dei viſione clarior eſſet, hi verò carnales ha-
berent oculos. Caro hac in re nihil prodeſt: obeſt magis, ani-
mámque cœleſtia cogitantē deprimit. At beati mundo corde
quoniam hi Deum videbunt. Latet ille quidem in ſcripturis *Mat.5*
ſanctis tanquam in agro abſconditus, & patet omnibus, à Deo *Matt.13*
tantum illuminatis agnoſcitur oculis. Paulus ipſe vas electio-
nis, & Chriſti Ieſu Apoſtolus, de arcanis & abſconditis Dei
myſteriis ſermonē inſtituens, ex abrupto exclamare non eru- *Rom.11*
beſcit: O altitudinem ſapientiæ & ſcientiæ Dei, quàm incom-
prehēſibilia ſunt iudicia eius & inueſtigabiles viæ eius? Quis
cognouit ſenſum Domini, aut quis conſiliarius eius fuit? Et
Auguſtinus ait, nihil vtilius inueſtigari, at nihil difficilius in
ueniri. Imò in nullo facilius & periculoſius erratur, quàm in
Triadis ſacro ſanctę myſterio. Interrogatus Philoſophus quid
eſſet Deus, tres dies deliberationi ſibi poſtulat dari, quibus ex-
pletis, decē alios poſtulat, his quoq; tranſactis, centum petiit.
Cur id faceret rogatus, Reſpondit: Quò diutiùs quæro, eò mi-
nus quid reſpondeam inuenio. Iob ſanctus in multa cum eſſet
tribulatione inueſtigare voluit iudiciorū & operū dei cauſas:
ſed, ita interrogationibus diuinis fatigatur, vt tādē diceret ſe
leuiter locutū, nec reſpondere quid poſſe. Manū, inquit, meā
ponā ſuper os meum. Idē & Eſdræ contigit, cui Angelus: Si *Iob 39*
eſſem interrogās te, dicēs: Quantæ habitationes ſunt in cor- *4.Eſdr.4*
de maris, aut quātæ venæ ſunt in principio abyſſi, aut quantæ
venæ ſunt ſuper firmamentū, aut qui ſunt exitus paradiſi: di-
ces mihi fortaſſis: In abyſſum non deſcendi, neq; in infernum
adhuc, neque in cœlum vnquam aſcendi. Nunc autem inter-
rogaui te de igne, & vento, & die per quam tranſiſti, & à qui-
bus ſeparari nō potes, & non reſpondiſti mihi de iis. Idē ſcio-
los noſtros interrogare & reſpondere liceret, qui humana ra-
tione cęleſtia volūt indagare. Iſaias verò vno verbo viā oſtēdit
qua incedendū eſt: Niſi, inquit, credideritis, non intelligetis. *Iſa.6*

Fide ergo ea omnia intelligimus quæ ad salutẽ sunt necessaria, ac cum in multis aliis religionis nostræ rebus, cùm certè quàm maximè in Trinitatis articulo nostrã rationẽ captiuare æquum est. Non vt pecudum more nihil cogitemus quã quę

2. Cor. 13 videmus, sed ne vltrà quã oportet sapiamus, sapiamus ad sobrietatem. Nam vult per quædã etiã agnosci Deus, vt Paulus testatur, nos nunc videre per speculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciẽ videbimus, sicuti est: nũc ex parte cognoscimus & ex parte prophetamus. Præterea enim quæ filius, qui

Specula. non est in sinu patris enarrauit, tria sunt quæ Paulus speculum dicit per quæ nunc videmus: Creaturarum natura, sacra scriptura, & quæ intra nos est anima. Natura creaturarũ vnũ

Psal. 99 Deum docet, quando omnis creatura clamat de Deo: Ipse fecit nos, & non ipsi nos. Tum & in singulis triadem inuenimus, cùm in omnibus substantiam, formam & vsum intelligimus. In substantia verò creaturarum Dei potestatem: in forma, Dei sapientiam: in vsu, Dei bonitatem intelligimus. Et sic triadem sanctam, cùm potestas patri, sapientia filiò, bonitas Spirituisancto appropriata est agnoscimus. Adhuc in aliis creaturis clarius id & apertius ostenditur: vt in sole tria, eáq; inseparabilia, vt substantiam, splendorem & calorem consideramus, vnus tamen sol est. Idèm de igne dicere liceret. Ecce quomodo natura creaturarum speculum est triadis. Sed multo euidentius per scripturæ speculum Trinitas & vnitas

Deut. 6 patefacta est. Vt cum Moses ait: Audi Israël, Dominus Deus

Exod. 3. tuus, Deus vnus est. Et Deus ipse: Ego sum qui sum. Qui est

Exod. 20 me misit, dices. Et: Ego sum Dominus Deus tuus, qui eduxi te de terra Aegypti. Non habebis Deos alienos coram me. Et in canticis: Dominus nomẽ illi. Et in Ioanne: Ego & pater vnũ

Vide de fide ad Grati, Lib. 1. cap. 5. sumus. In quem sensum D. Ambrosius illum quoque locum explicat, qui est Isaiæ quadragesimotertio capite, qui habet: Propterea scietis & credetis mihi atque intelligetis, quòd ego sum ante quem non est formatus Deus neque post me erit.

1. Ioan. 5 Ego ego sum Dominus, & præter me non est saluator. Huc spectat quod Ioannes in Canonica dicit: Tres sunt qui testimonium dant in cælo, pater, verbum, & Spiritussanctus. Et hi tres vnum sunt. Trinitas verò significatur, vt cùm ait:

Gen. 1 Faciamus hominem ad imagimẽ & similitudinem nostram.

Gen. 18 In Genesi quoque Abraham tres angelos vidit, & vnum

Isaiæ 6 adorauit. Isaias cùm videret in solio maiestatis suæ seden

dentem Deum, audiuit vocem angelorum trina acclamatione, Sanctus, Sanctus. Sanctus, glorificare trinum Deum eúmque maximum confiteri, cum aiunt: Dominus Deus zabaoth. *Psal. 2*
Sic Dauid ex persona patris ad filium: Filius meus es tu, *Isa.43*
ego hodie genui te. De qua quidem generatione Isaias etiam *Psal.66*
loquitur: Generationem eius quis enarrabit? Rursum Dauid trinitatem, cum ter dicit Deum: Benedicat nos Deus, Deus noster, benedicat nos Deus, & addens confitetur vnitatem. Et, inquit, metuant eum omnes fines terræ. Idem: Verbo *Psal 32*
Domini cæli firmati sunt, & spiritu oris eius omnis virtus *Matt.28*
eorum. Et in nouo Testamento Christus: Ite docete omnes Gentes, baptizantes eos in nomine patris, & filij, & Spiritussancti. Et Paulus, Misit Deus Spiritum filij sui in corda no- *Gal. 4*
stra. Iterum idem: Si Spiritus eius qui suscitauit Iesum in *Rom.8*
nobis habitat. Ecce ad Galatas Spiritumsanctum, Spiritum filij, ad Romanos verò patris eundem dixit Spiritum. Sed & Gabriel angelus ad Virginem matrem loquens, meminit patris Altissimi, & filij eius, & superuenientis Spiritussancti. Et Baptisma in Iordane audiuit patrem dicentem: *Luc 1*
Hic est filius meus, & cætera. Vidit Spiritumsanctum, vi- *Matt. 3*
dit & baptizauit filium. Sic Rursum ad Romanos Paulus: Ex ipso & per ipsum & in ipso sunt omnia. Vbi Augustinus: Ex patre, ait, per filium, in Spiritusancto. Vide- *Rom.11*
mus ergo quibus verbis Sacra scriptura Deo vnitatem & *Lib.1 cap.*
trinitatem tribuit. Sed & eadem animæ nostræ speculum *6.de Trin*
exhibet. Principiò enim immortalis anima est, tota in toto corpore, tota etiam in qualibet corporis parte. Et sit licet vnica, omnes tamen corporis partes viuificat. Tum etiam libera in operatione sua est. Ac demum vnica cùm est, tres tamen habet potentias, memoriam, intellectum, & voluntatem. Et hæc omnia triadem nobis in vna deitatis ostendunt essentia, eóque scriptura hominem ad imaginem & similitudinem Dei creatum asserit. Et Dauid, Signatum est, inquit, *Gen.1*
lumen vultus tui Domine super nos. Ecce deitatis & vnitas *Psal 4*
& trinitas his tribus speculis, quantum hic satis est, non vbi *Luc.17*
est, sed in ænigmate, ad sobrietatem ostenditur. Intra nos est regnum Dei, non est necesse vt discurramus, quærentes quid & vbi sit Deus. Hoc magis elaborandum vt agnitam, sicut oportet, veneremur deitatem, magnificemus,

hon

honoremus, eiúsque nomen vti æquum est, celebremus: non
Exod. 20 autem dehonestemus, aut in vanum accipiamus. Non enim habebit insontem Dominus eum, qui acceperit nomen Dei sui frustra. Sed & bonitatem eius & misericordiam prædicemus, quia cum Deus ipse est, non dedignetur noster & pater esse & Deus. Hæc enim est gloriatio nostra, vt per Prophe-
Hier. 9 tam quondam dixerat, In hoc glorietur qui gloriatur, scire & nosce me, quia ego sum Dominus, quia facio misericordiam & iudicium & iustitiam in terra. Hæc enim placent mihi. Considerate quid dicat, Dixit se facere misericordiam & iudicium, & iustitiam in terra, & addit, Hæc placent mihi. Nunquid ideo placent quia ipse facit? Vtique quia hæc placent ipse facit, sed non solum ideo placent quia ipse facit,
Mich. 6 sed vt & nos in ipso eadem faciamus ideo placent. Hoc in Michæa apertius, Indicabo tibi ô homo quid sit bonum, & quid Dominus requirat à te, Vtique facere iudicium, & diligere misericordiam, & solicitum (humilem) ambulare cum Deo tuo. Audimus quid nobis præstiterit diuina pietas, præstemus quod eadem à nobis exigit, faciamus iudicium, diligamus misericordiam, solicitè ambulemus cum Deo nostro. Sic fiet vt cum nobis æternum commodet, verè in nobis, non vt in Pharaone glorificetur Deus, sed vt in Deo dilecto Israël ad nostram vtilitatem. Et hæc quidem dicta sunt, vt beneficiorum Dei memores, beneficos nos ostendamus filios, & tempus quod ab aduentu Domini hucusque transiit, cum gratiarum actione concludamus. Verùm quia præteriti temporis pié meminisse satis non est, nisi & bene instituatur futurum, quid porrò faciendum nobis sit, Euangelica edocet historia. Quæ non solùm quid natura simus, verumetiam quid gratia
Ioan. 3 fieri nos oporteat ostendit. Tum etiam qua via peregrinandum sit, hoc toto, quod hodie dicitur, tempore, clarè demonstrat, cum dicit, Sicut Moses exaltauit serpentem in deserto, ita exaltari oportet filium hominis, vt omnis qui credit in illum non pereat, sed vitam habeat æternam. Exaltatus Christus qui habet vitam æternam finis peregrinationis nostræ est, ad hunc accedimus fide, qua toto hoc tempore pergendum est. Fide inquam, pergendum, quia si rationem sequi voluerimus, non attingemus. Non enim magis ratione intelligemus, quare Christum Dei hominísque filium oportuerit exaltari, quàm quomodo vnus Deus trinus esse & dici possit.
Nico

Nicodemus sit nobis exemplo, quem hac parte sequi, non erit incommodum. Videamus ergo quid de eo Euangelica tradat historia. Erat homo ex Pharisæis nomine Nicodemus, princeps Iudæorum, hic venit ad Iesum nocte, & dixit ei, Rabbi scimus quia à Deo venisti magister. Nemo enim potest hæc signa facere, quæ tu facis, nisi Deus fuerit cum eo. Hypothesis est. Suprà enim posuerat, quòd multi credidissent in Iesum, atque hic vnus ex eorum numero. Non enim suam fidem hoc dialogo solùm ostendit, mortuum etiam corpus defuncti, quem reliqui suæ sectæ trucidarant, constanter sepulturæ tradit. Tum etiam in cœtu Pharisæorum dixerat, Num lex nostra iudicat hominem, nisi prius audierit ab ipso, & cognouerit quid faciat? Sitiuit hic iustitiam & esuriit, propterea beatus, & à Deo bonis impletus. In paucis fidelis, super multa constitutus. Ideóque eum Ioannes hoc nomine dignatur quòd homo fuerit, non naturæ ductu, sed & quod ratione vteretur, quod hominis est proprium, & hic homo ex pharisæis. Cur hoc addidit? Primò, vt videamus desiderium fœlicitatis in Nicodemo, non iam incepisse tandem, sed quòd antè etiam eam elegerit professionem, quæ illo tempore certissima erat omnium aliarum sectarum. Propter fidem enim resurrectionis & vitæ sanctimoniam, tum etiam legis cognitione separati ab aliis viuebant. Deinde etiam ex Pharisæis, id est, diuisis. Diuisus à Deo propriam sectam linquens, accessit ad Deum. Accessit autem nocte, vel quia lumen cordis non haberet, vel quòd princeps Iudæorum & Pharisæus dici erubesceret, vel quòd honoris ergò in secta sua manifestè non auderet. Nescio enim quid etiam pij nonnunquam patiantur, affectu magis quàm ratione ducti. Gedeon timens domum patris sui, & ciuitatis illius incolas, nocte destruxit aram Baal. Rabbi, inquit, scimus quia à Deo venisti magister, & nemo potest hæc signa facere quæ tu facis, nisi Deus fuerit cum eo. Exorditur à laude Christi, & respondet nomini suo, siue Hebraicè, siue Græcè Nicodemum dixeris. Quia innocens à persequutione Christi fuit, & hoc ipso populum vicit, quòd pietate cæteros excellit. Ostendit autem cur accesserit Iesum. Nempe vt de quibusdam quæstionibus proponeret, & hoc ipso quàm sibi cordi fuerit religio, declarat. Educatus inter Pharisæos putabat iustificationem legi ac operibus deberi, Christus verò gratiæ & fidei attribuebat.

Ioan.3 *Ioan.19* *Ioan.7* *Luc.1* *Mat.25* *Act.26* *Iudic.6*

Hærebat

Hærebat ergo Nicodemus. Illic Pharisæorum autoritas legis omnino indurata, hic monent Christi signa. Nam signorum apertè meminit. Magistrum siue Rabbi dicit, qui titu-
1.Cor.11 lus inter Iudæos erat clarus. Nondum renatus ex Spiritusan-
Mat.16 cto, Iesum Dominum dicere potuit. Alia confessio in Petro &
Ioan.13 Apostolis, qui viui Dei filium, & Dominum dicebant. Tum quòd malitia non ignorantia, Pharisæi Christum persequuti
Luc.11 sint, ostendit, cùm ait, Scimus quia à Deo venisti Magister.
Ioan.12 Mentiuntur ergo Iudæi, cùm dicunt, In Beelzebub principe
Deut.18 dæmoniorum eiicit dæmonia. Et, Nescimus vnde sit. Hinc sequitur, quia in Spiritumsanctum blasphemarunt, meritò excæcatos esse. Pulchrè autem duo cõiungit, doctrinam & signa. Illa Prophetam promissum intelligit, his verò se cõstantia munit, & aliis, quia signa cessabant, descissentibus in doctrina & confessione perseuerat. Et hæc quidem initia Nicodemi, cui Christus, quia non dolosè accessit, amicè loquitur.
Mat.22 Cæteros illius sectæ semper durè increpat, vt cùm ait, Quid
Mat.15 me tentatis Hypocritæ? Cur vos transgredimini mãdata Dei
Mat.23 propter traditionem vestram? Væ vobis Scribæ & Pharisæi.
Mat.21 Sæpe etiam sine responso dimisit, vt qua isthæc potestate faceret sciscitantes. In duobus igitur malis, illud Christus præposuit, quòd minus erat malum. Magis Nicodemi vacillans animus placuit, quàm cæterorum Pharisæorum pertinax nequitia. Quare duo fecit. Primò ostendit se à patris bonitate & longanimitate non esse alienũ, qui pusillanimes veteris Testa-
Exod.32 mẽti homines sustinuit, spe meliorum sustinuerat Aaronem, qui postulantibus Israëlitis, contra conscientiam suam aureũ erexit vitulum, tantùm ne malè à populo exciperetur, si id fa-
4.Reg.5 cere detrectaret. Et huic non absimilem Naamam, qui noscẽs verè Deum esse in Israël, tamen ab Helisæo veniam postula-
3.Reg.18 bat, si quãdo dæmonum fana cum rege suo ingrederetur. Sed & Abdian hoc morbo laborantem, cùm absconditos cibaret Prophetas, regi tamen suo malè fideles pro sua tyrãnide tractanti repugnare non fuit ausus. Deinde etiam nostris exemplum dedit pastoribus, vt norint compati infirmis & sufferre imperfectos. Sed tamen differentia habenda est. Non enim semper id fieri res postulat. Paulus aliis lacte, aliis verò solido cibo opus esse testatur. Tum Timotheum non solùm vt cum omni lenitate Euangelij negotium agat, verumetiam vt im-
Isai.42 portunè nõnunquã arguat, hortatur. Et hoc Christi exemplo.

Qui

Qui licet superioris ætatis habuerit prophetiã, fore vt quassatum calamum non confringeret, & lignum fumigans non extingueret, legimus tamen quòd aliquando seuerum nobis Heliam præsentauit dicentem, Quousque claudicatis in duas partes? Si Dominus est Deus, sequimini eum, si Baal, sequimini illum. Factus est ergo Christus omnia omnibus, vehemens in pertinaces, blandus in meliora promittẽtes. Verè expertus Nicodemus, quòd habeamus Pontificem, qui norit cõdolere infirmitati nostræ. Quòd ergo initiũ orationis sumit? Amen Amen dico tibi, inquit, nisi quis renatus fuerit denuò, non potest videre regnum Dei. Vbicunq; Christus hac dictione Amen vtitur, res magni momenti expectatur. Sed Ioannes hanc vocem duplicat. Immutabile ergo esse voluit, quod hic dixit, Omnibus renascentiam esse necessariam. Eramus quidem ad fœlicitatem cõditi, sed deprauata natura, facti sumus à salute alieni. Omnes ex vno parente originem ducimus, omnes in illo peccauimus, & morti obnoxij, natura filij iræ sumus, & iuxta Dauidis testimoniũ, inutiles omnes, non est qui faciat bonum. Cùm ergo ex prima generatione carnem tantùm & sanguinem habemus, & illa regnum Dei possidere nõ possunt, alia necesse est generatio, qua & prima maledictio auferatur, & gratia conferatur. Vt enim Israël non potuit vel Aegyptũ exire, vel patriæ iter ingredi, nisi rubro mari trãsito, ita nos maledictionis illius tyrannidem euitare, vel cælestis patriæ semitam inuenire sine baptismate regenerationis nõ possumus. Est igitur illa regeneratio exitus & introitus, cui Christus promissionem dedit, & gratiam indidit. Hanc portam, nisi quis introierit, salutem inuenire non poterit. Sacramentum enim est necessitatis. Consideremus ergo in Nicodemo, quid sit nostrum posse, antequam isthæc generatio in nobis fiat. Natura ne quidem videre possumus regnum Dei, omnes iustitiæ nostræ sicut pannus menstruatæ corã Deo. Quin nec intelligere possumus quæ sunt Spiritus. Vt apertè hìc Nicodemus doctor legis tãtus, Christo de Spiritali regeneratione dicente, carnalem generationem & renascentiam somniat. Quomodo, inquit, potest homo nasci, cùm sit senex? Nũquid potest in ventrem matris suæ iterato introire & renasci? Propterea Christus apertius, quæ sit illa regeneratio, dicit, Amen Amen dico tibi, nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non potest introire in regnũ Dei. Quod natũ est ex carne, caro

3. Reg. 18
Gene. 3
Roma. 5
1. Cor. 15
Ephe. 2
Psal. 13
1. Cor. 15

caro est,quod natũ est ex Spiritu,Spiritus est. Duæ generationes,carnis vna,altera Spiritus. Vna verborum forma manet. Tantũ modũ regenerationis addit,Spiritu & aqua. Quanquã autẽ non desint,qui hæc verba tantũ metaphoricè intelligãt, vt in aqua mortificationem veteris hominis, in Spiritu viuificationẽ noui,propriè tamen intelligi debent,de Sacramento baptismi,sine quo reliqua omnia nihil ad salutem faciunt. Bene autẽ renãscentiã dixit, sicut & Paulus lauacrũ regenerationis & renouationis scripsit,habet enim aliquid similitudinis hæc regeneratio ab illa prima regeneratione. Vt enim in illa pater requiritur & mater, ita in hac etiã Christus pater est,Ecclesia mater. Christus spiritum dat ad viuificationẽ, Ecclesia aquã ministrat ad emundationẽ. Quæris vnde aquæ illa virtus? Respondet August. Accedit verbũ ad elementũ, & fit Sacramentum. Inuocatio nominis Dei,in qua baptizamur, facit vt visibile elementũ, inuisibilis gratiæ teneat effectum.
4.Reg.3 Naamã Syrus leprosus, iussus ab Helizeo vt lauaretur in Iordane, licet contẽneret, & quòd ratio impossibile esse dictitabat,fieri posse non crederet, adhortatione seruulorum tamen lauit se tandẽ,& mũdatur. Nõ in aqua isthæc virtus,sed Deus est, qui operatur in his mediis. Propterea addit, Spiritus vbi vult spirat, & vocẽ eius audis, sed nescis vnde veniat, aut quò vadat. Sic & omnis qui natus est ex Spiritu. Sunt qui hìc spiritum intelligant ventũ,alij Spiritũsanctũ,vt eius intelligatur virtus in creaturis. Iuxta horũ interpretationem hoc voluit Christus. Tres sunt generationes hominũ, prima Adæ de terra,secunda Euę de latere Adam,tertia propagatione vtriusq; sexus. Si ergo nullã harũ intelligimus quæ sunt carnis,multò minus illã regenerationẽ,quæ est Spiritus. Poterit tamẽ priori sensu dictũ intelligi,vt Christus per ventum voluerit nobis vim insinuare Spiritussancti. Aliqd enim ventus habet,vnde operatio Spiritus intelligi potest. Primò enim, natura liber
Roma.9 est, à nullo inhibetur. Sic & Spiritus operatio libera, à nullo cogi potest,qa nullius debitor,& quẽ vult indurat,cuius vult miseretur. Ex pastore Dauid regẽ fecit & Prophetã,ex piscatore Apostolũ,ex publicano Euãgelistam, ex Paulo persecu-
Exod.14 tore,Gentiũ doctorẽ. Secũdò licet nõ videatur, nec palpetur:
Dani.4 imperiosissimè tamẽ alta deiicit,solóq; adæquat. Sic & si san-
2.Mac.9 ctus potẽtes deiicit,vt in Phara. Nabuc. Antiocho,& aliis vi-
Zach.4 dere est. Propterea ad Zorobab. ait Dñs,Nõ per exercitũ,neq;

per vim,sed per spiritum meum. Quis es tu mons magne coram Zorobabel?in planiciem redigeris. Tertia proprietas est,qua se in omnia diuidens,omnia implet,omnia penetrat,à nullo excludi potest. Sic spiritus replet orbem terrarum, & omnia quæ continet orbis. Hoc etiam omnis virtus cælorum firmatur. Hic ad Danielem in foueam leonum, ad Ananiam & socios eius in ignem,ad Paulum in carcerem peruênit. Nec hoc mirum,quia & animos piorum penetrat. Quò igitur ibo à spiritu tuo,& quò à facie tua fugiam? Quartò, vt bonus corpora recreat,ita infectus lædit. Sic Spirituss. bonis vitam tribuit,malis reprobum sensum inducit. Quintò, vt aliquando lenis,ita nonnunquam impetuosus ac vehemens. Sic Spirituss. aliquos afflat leniter, alios etiam cum impetu, puta qui leni flatu non mouentur. Nabuchodonosor & Paulus exemplo sint. Sextò,nunc hinc nunc illinc venit. Sic Spirituss. non semper vno modo homines afflat. Apostolos omnes simul congregatos,Mariam solam, Cornelium & alios in prædicatione verbi. Septimò,voce auditur,sed via eius ignoratur. Sic Spiritussancti præsentia aliquando sentitur,sed qua id via,& vnde,nescitur. Sic ergo omnis qui natus est ex spiritu. Vbi spiritus,ibi libertas,humilitas,erga omnes benignos beneficẽtia, lenitas, facilitas ad bonum. Sed caro & sanguis hæc non intelligit. Hæc quærit: Quomodo possunt hæc fieri? Et quidem hæc eorum vox est, qui sibi in Iudaico populo magistri titulum ascribebant. Quid ergo cæteri intelligere potuerunt? Si sal infatuatum fuerit,in quo salietur? Si lumen quod in te est, tenebræ sunt. ipsæ tenebræ quantæ erunt? Speculatores domus Iacob cæci,Dei sapientiam non habuerunt. Meritò audit: Túne magister es in Israël,& hæc ignoras? Tantam ego ne quidem in infimo plebis suspicatus fuissem audaciam. In vnum igitur coite omnes. Omnes agnoscite inscitiam vestram, ac nobis præbete aurem & fidem. Non sit vobis vanum quod loquimur verbum. Verè enim dico vobis,quia quod scimus loquimur,& quod vidimus testamur,& testimonium nostrum non accipitis. Pater ipse qui misit,& omnes Prophetæ qui loquuti sunt de me, mecum consentiunt, mihíque ex eo quod sciunt & viderunt testimonium ferüt. Ad Prophetas & ad Ioannem, sermo Domini factus est,hinc sciuerunt. Pater & ego vidimus, Ideo loquimur & testamur. Sed vos testimonium nostrũ non accipitis. Videte quid dicat: Nostrum. Non solùm Christi ver-

Sapient.1 *Psal.22.* *Danie.6.* *Daniel.3.* *Act.16.* *Sapien.7.* *Psal.130.* *Rom.1.* *Danie.4.* *Acto 4.* *Acto 2.* *Luce 1.* *Act.10* *Matt.15.* *Luce 6.* *Isa.56.5.* *Luca 3.*

Exod. 4. bum non acceperunt, verumetiam Prophetarũ testimonium
Deut. 9. respuerunt. De hoc enim conquesti sunt Prophetæ. Sic alibi
Isaia 53. dicit: Matt. 23. Et noluistis. Propterea desolabitur domus ve-
Mich. 7. stra, imò auferetur à vobis regnum Dei. Matt. 21. Dixi inscitiam. An non est inscitia? Debuistis cælestium habere intelligentiam, & ecce ne quidem terrenarum habetis notitiam. Ignoti ergo terrenarum, quomodo credetis cœlestia? Addam autem & hoc: Nemo ascendit in cælum, nisi qui descendit de cælo, filius hominis qui est in cælo. Arbitramini posse vestra iustitia cælos penetrare, sed ego quod vidi, testor, nemo ascendit in cælum, nisi qui descendit de cælo, filius hominis qui est in cælo. Hæc dixit, quæ omnia rationem excedunt, excedunt & legis scientiam. Quomodo enim est in cælo, qui descendit de cælo, & in terra loquitur? Implet igitur diuinitas Christi omnia, qua in cælo apud patrem erat, & in terra miracula faciebat. Sed dicunt quidam: Nemo ergo ascẽdit in cælum. Contrà Christus: Beati pauperes spiritu, quia ipsorum est regnum
Mat. 5. 6. cælorum. Et Paulus apertè: Scimus, inquit, quoniam si terre-
2. *Cor.* 5. stris domus nostra huius habitationis dissoluatur, quòd ædificationem ex Deo habemus, domum non manu factam, sed æternam in cælis. Sed hæc sententia: Christus caput, qui non est membrum in corpore mystico huic capiti compactus, non potest ingredi. Hic sine culpa descendit de cælo filius naturalis & hæres, pro suo iure rursum propria virtute ascendit. Nemo sua iustitia ascendit præter hunc solum, qui ipse ascendit: & via est per quam alij ascendunt. Et sicut Moses exaltauit serpentem in deserto, ita exaltari oportet filium hominis. His verbis pandit viam ad cælos. Oportet exaltari filium hominis, vt omnis qui credit in illum, non peccet, sed habeat vitam æternam: propter peccatum lædebantur Israëlitæ. Nemo à serpente læsus, sanari potuit, nisi viso æneo serpente. Propter peccatum omnes morti sumus obnoxij: sed fide intuentes in exaltatum filium, vitam consequimur æternam. Contrà, non intuentes, manent obnoxij. Qui enim est incredulus filio, non videbit vitam, sed ira Dei manet super eum. Hæc ergo huius Dialogi capita. Regeneratio necessaria est omnibus ex Adam progenitis. Regeneratio cõsistit in spiritu & aqua. Ratio, quia quod natum est ex carne, caro est: quod verò ex spiritu, spiritus est. Hæc proprietas regenerandi ex spiritu, quæ etiam spiritui, vt sit liber. Sed hæc regeneratio vim suam habet ex eo, qui suo

merito propria virtute ascendit in cælum, figuratus æneo serpente exaltatus est, vt omnia traheret ad se. Hic ergo iustificationis modus, vt credamus in eum, nullam iustitiam in lege quæramus, Dominus Iesus, qui nostra causa exaltatus est, humiles nos aliquando pro sua dignatione in æterna fœlicitate exaltet. Amen.

DOMINICA SECVNDA POST PENTECOSTEN EVANGELIVM, LVCAE XVI.

HOmo quidam erat diues, qui induebatur purpura & bysso, & epulabatur quotidie splendidè. Et erat quidam mendicus, nomine Lazarus, qui iacebat ad ianuam eius vlceribus plenus, cupiens saturari de micis quæ cadebant de mensa diuitis, & nemo illi dabat. Sed & canes veniebant, & lingebant vlcera eius. Factum est autem vt moreretur mendicus, & portaretur ab angelis in sinum Abrahæ. Mortuus est autẽ & diues, & sepultus est in inferno. Eleuans autem oculos suos, cùm esset in tormentis, vidit Abraham à longè, & Lazarum in sinu eius, & ipse clamans, dixit: Pater Abraham, miserere mei, & mitte Lazarum vt intingat extremum digiti sui in aquam, vt refrigeret linguam meam, quia crucior in hac flamma. Et dixit illi Abraham: Fili recordare, quia recepisti bona in vita tua, & Lazarus similiter mala: nunc autem hic consolatur, tu verò cruciaris. Et in his omnibus, inter nos & vos chaos magnum firmatum est, vt hi qui volunt hinc transire ad vos, non posint, neque inde huc transmeare. Et ait: Rogo ergo te pater, vt mittas eum in domum patris mei.

Habeo enim quinque fratres, vt testetur illis, ne & ipsi veniant in hunc locum tormentorum. Et ait illi Abraham: Habent Moysen & Prophetas, audiant illos. At ille dixit: Non pater Abraham, sed si quis ex mortuis ierit ad eos, pœnitentiam agent. Ait autem illi, Si Moysen & Prophetas non audiunt, neque si quis ex mortuis resurrexerit, credent.

EADEM DOMINICA EPISTOLA, IOANNIS IIII.

Deus charitas est. In hoc apparuit charitas Dei in nobis, quia filium suum vnigenitum misit Deus in mundum, vt viuamus per eum. In hoc est charitas: non quasi nos dilexerimus Deum, sed quoniam ipse prior dilexit nos, & misit filium suum propitiationem pro peccatis nostris. Charissimi, si Deus dilexit nos, & nos debemus alterutrum diligere: Deum nemo vidit vnquam. Si diligamus inuicem, Deus in nobis manet, & charitas eius in nobis perfecta est. In hoc cognoscimus, quoniam in eo manemus, & ipse in nobis, quoniam de Spiritusancto suo dedit nobis. Et nos vidimus, & testificamur, quoniam pater misit filium suum saluatorem mundi. Quisquis confessus fuerit, quoniam Iesus est filius Dei, Deus in eo manet, & ipse in Deo. Et nos cognouimus & credidimus charitati, quàm Deus habet in nobis.

SERMO.

Q Vanquã hæc, quæ hodie recitata est lectio Euangelica, plurima fidem nostram concernentĩa habeat, vt aliam post hanc, viam esse, certã pro cuiusque meritis mercedem vel pœnam manere, nullam in inferno manumissionem esse, nihil fidem valere sine operibus ad salutem, mercedem vel pœnam, non secũdum fidei, sed operum qualitatem manere, defunctis erga viuos hic affectũm inesse, ac demum in omnibus Scripturam sacram esse certissimam fidei & vitæ normam; Tamen si animad

animaduertamus præcedentia in Luca, inueniemus hæc dicta à Christo de auaris diuitibus, déque pauperibus & egenis. Audiuimus præcedenti Dominica, quomodo post baptismũ, post etiam agnitionem beneficiorum Dei, assumpto animæ nostræ viatico, iter aggressi sumus versus cęlestem patriam, vbi Christus caput nostrum sedet in dextera Dei patris. Omnes propositum spei nostræ brabeum esse assequi anhelantes, post Christũ in stadio currimus, vt ab ipso, qui hoc iter ante nos perfecit, trahamur cupientes. Sed ecce paululũ progressi, duas vias, dissimiles planè ante oculos cõspicimus, aliam angustiorem nec bene tritam, aliam verò latam, quã multi ambulauerunt. Illa tristior, Lazari mẽdici & martyrum vestigia dudum impressa, iámque ferè cespite abolita, habet: hæc lætior ac iocunda seculi potentes & epulones iamiam cateruatim transisse recentibus indicat vestigiis. Illa virtutis, hæc est voluptatis. Hic sistere gradum melior mens dictat & ratio. Venit in mentem litera Pythagoræ discrimine secta bicorni humanæ vitæ speciem (quæ) præferre videtur. Nam via virtutis dextrum per ardua callem, difficilémque aditum primum spectãtibus offert, sed requiem præbet fessis in vertice summo. At molle ostẽtat iter via lata, sed vltima meta præcipitat captos, voluitque per ardua saxa. Placet quidẽ angustior, sed arridet latior. Obuiam igitur nobis venit Christus, multis stipatus sociis, qui omnes se sequamur, hortantur, non hoc consideremus, quòd alia illa sit lætior, magísq; trita: saltẽ hoc cogitemus, quòd hæc quam ipsi ingressi, sola ad finẽ perducat beatum, illa ad extremum exitium. Hæc summa huius Euangelij cui optimè Dauid coniungitur, qui omnes ad audiendum cohortans, de sapientia se dicturum promittit, nec quicquã dicit, præter finẽ malorum & opulẽtium huius mundi esse interitum, eóq; in paupertate degẽtibus, nec desperandũ à propria inopia, nec timendũ à diuitũ abũdãtia. Sed nũquid hæc nõ est necessaria doctrina? Placet vtriusq; personã examinare diligẽtius, vt meditatione hac, verũ præsentiarũ vsum teneamus. Ac principiò quidẽ diuitis personam describens, non meminit nominis illius. Qua id videtur significare, vt & celebres sint in mundo lætiore fortuna ebrij, omnibus licet noti sint, Deo tamen ignoti, eo quòd plerunque diuites, vel nihil vel parum de Deo sciant. De quibus per Apostolum dicitur: Qui ignorat, ignorabitur: Hominis tantum enim dignatur nomine: nempe indicare

1. Cor. 9. *Matt. 7.* *Psal. 48.* *1. Cor. 14.*

care voluit, vnde tam peruersa in diuite natura, nempe ex radice, qua primus homo peccauit, delinquit etiam hic. Humana natura ad malũ inclinata est iam inde ab origine. Et quod ex ea carne natum est, caro est, & omnino eiuscemodi caro, in qua bonum non habitat. Quod vitium non vnius alicuius est, sed omnium: Omnes, inquit Dauid, inutiles facti sunt, non est qui faciat bonum. Homini huic datæ erãt diuitiæ, vnde diues dictus. Sed nunquid hoc malum, quòd diues fuerit? Non ideo dixit diuitem fuisse, quòd malum sit diuitias habere: sed quia fecit diues, quæ pauper non fecisset, ideo dixit diuitẽ. Fuerunt enim huic mali occasio diuitiæ, non causa. Nec quomodo has acquisierit, est scriptũ, sed quòd iis malè vsus sit, hoc est significatum. Quãquam vnum Deus medium posuerit, quo ea quæ necessitatis sunt, acquiruntur, cùm dicit: In sudore vultus tui vesceris pane tuo: tamen eò res humanæ rediêre, vt statim ad appellationem diuitis non eum cogites, qui labore & sudore sibi eos parauerit, sed qui aut ipse iniquus, aut iniqui hęres sit, intelligas. Tot artes Satan excogitauit, vt ferè non liceat diuitias habere, nisi per dolos, iniquitatem, mendacia, furta, sacrilegia, homicidia, & id genus alia comparentur, vt per eadem conseruentur. Hinc Mãmona iniquitatis dictæ, & ipsius quidem Pauli testimonio, qui diuites volunt fieri, incidunt in tentationem, & in laqueum diaboli, & desideria multa inutilia & nociua, quæ mergũt homines in interitum & perditionem. Radix enim omnium malorum est cupiditas. Et quia difficillimè fiet, vt qui eo modo diuitias congessit meliori ratione distribuat, duplici damnationi obnoxij sunt, & quòd malè parauerunt, & quòd malè parta iniustissimè perdidêre. Multis alioqui Dominus contulit diuitias, vt Abrahæ, Iob, Dauid, aliisque. Sed illi agnouerunt vnde eas accepissent, & in quem vsum haberent. Abraham hospitalis fuit, Iob item vide quàm multa laude digna fecit suis diuitiis, quàm fuerit pius in alios? Et Dauid atq; alij idem fecerunt. Et quare hæc de illis viris scripta sunt? Nempe quia scriptũ est difficilè esse diuitem intrare in regnum cælorum: nemo ex difficultate faciat impossibilitatem, cùm viderit alios præstitisse, quod sibi quoque est iniunctum. Volumus autẽ scire, quia Deus verum vsum diuitiarũ requirat? Duo inuenio in scripturis quæ hoc testantur: Primò, Deus abutẽtes diuitiis corripit: Prou. 10. 20. Dan. 11. Matt. 13. Marc. 4. Lucæ 8. Secundò, [illegible]um diuitiarum vsum

Margin notes: Gen. 6. / Ioan. 3. / Rom. 7. / Psal. 13. / Gen. 3. / Luc. 16. / 1. Tim. 6. / Gen. 18. / Iob 31. / Matt. 19. / Luca 12. / Iac. 5.

vsum laudat, ac ritè iis vtentes, benedictionibus implet. Beatus vir qui timet Dominum, in mandatis eius volet nimis. *Psal. 111.* Potens in terra erit semen eius, generatio rectorum benedicetur. Gloria & diuitiæ in domo eius, & iustitia eius manet in seculum seculi. Exortum est in tenebris lumen rectis, misericors & miserator & iustus. Iocundus homo qui miseretur, & commodat, disponit sermones suos in iudicio, in æternum non commouebitur, In memoria æterna erit iustus, ab auditione mala non timebit. Dispersit dedit pauperibus, iustitia eius manet in seculum seculi, cornu eius exaltabitur in gloria. Ecce benedictiones bonorum dispensatorum. Tum Petrus hanc charitatem in proximos, dicit, multitudinem peccatorum operire: & Tobias, Elemosynam à morte liberare ait. *1. Pet. 6.* *Tob. 4.* Atque ideo Christus ait: Pauperes semper habebitis vobiscum, nempe vt diuitibus rectæ dispensationis offeratur occasio. Quin & misericordiam præcipiens: Estote, inquit, misericordes, sicut & pater vester misericors est. *Luca 6.* Lucæ 11.3.1. Ioannis 3. Eccles. 29. Deut. 15. Et certè à vero alienum non est, hunc diuitem nostrum epulonémve, hac ratione à Deo diuitias accepisse, vt bonus esset dispensator, & misericordiæ, charitatísque suæ perciperet benedictionem. Non enim (vt dixi) quòd malè quæsierit, scriptum est, sed quòd malè perdiderit. Maximè verò de tribus abusibus culpatur: Primò, quòd indutus fuerit bysso & purpura: Secũdò, quòd epulatus sit, & quotidie & splendidè: Tertiò, quòd petenti Lazaro immittis micas mensæ suæ denegauerit. Ac primò, quòd de vestitu dixit, notandum est. Sunt qui negent superbè vestiri, peccatum esse, scilicet quia bona creatura Dei, in hoc nobis data, vt ea vtamur. Sed hos quæro, qua ratione contra apertam veritatẽ audeant pugnare. Primò enim non est idem dicere, vestiri & superbire. Nam facilè hoc concedemus, quia bona creatura Dei ad vsum nobis datam esse. Non tamẽ inde luxus sequitur, vestitúsque licentia. Quod si superbè vestiri non est, quomodo indui hunc epulonem purpura & bysso, ad abusum & peccatum imputatum est? Quomodo econtra Baptista laudatur ab eodem Domino de vestitus sui vtilitate? Imò quomodo qui mollibus vestiuntur inepti ferè Euangelij regno iudicantur, quòd in huius seculi Principum, ac regum aulis sint? *Matt. 11.* *Luca 7.* *1. Cor. 6.* Quin & infideles Romani vestimentorum luxum contempserunt, qui potentissimi orbis monarchæ auri vsum vix sciuerũt, pu-

blico edicto vetãtes, ne qua matrona ornatu suo excederet fe-
miunciam. E quid hos in exemplum adfero, quãdo omnes hi-
storiæ Neronem, Lucullum, Heliogabalum, & alios pro sua
vestitus superbia traducant & contemnant? Atq; eò id Chri-
stianos minus decet, quòd illa copia ornatus iniquè sæpe com-
paretur, adeóque in multos competit Prophetæ dictũ: In alis
Hiere. 2. tuis inuentus est sanguis pauperum & innocentium. Et quod
Isaiæ 9. Isaias ait: Vestimentum tuum sanguine mixtum, ideóq; erit
in combustionem & deuorationẽ ignis. Porrò quàm placeat
Isaiæ 3 Deo iste abusus vestium in eodem Propheta legimus: Pro eo,
inquit, quòd superbierunt filiæ Sion, ambulauerunt extento
collo, & nutibus oculorum ibant, & plaudebant, & ambula-
bant, & pedibus suis composito gradu incedebant, decaluabit
Dominus verticem filiarum Sion, & Dominus crinẽ earum
nudabit. In die illa auferet Dominus ornamentũ calceamen-
torũ, & lunulas, & torques, & monilia, & armillas, & mitras,
& discriminalia, & periscelidas, & murenulas, & olfactorio-
la, & inaures, & annulos, & gemmas in fronte pendentes, &
mutatoria, & palliola, & linteamina, & acus, & specula, & sin-
dones, & vittas, & Theristra. Et erit pro suaui odore fœtor,
pro zona funiculus, & pro crispanti crine caluicium. Ecce hic
primus diuitiarum abusus est. Non hunc natura postulat, quę
membra contegi, non ornari docuit, eóq; Petrus non iam in
1. Pet. 3. viris, sed etiam in mulieribus reprehendit ornatum: Mulie-
rum, inquit, non sit extrinsecus capillatura, aut circumdatio
auri, aut indumenti vestimentorum cultus: sed qui absconditus
tus est cordis homo in corruptibilitate, quieti & modesti spi-
Rom. 13. ritus, qui est in conspectu Dei locuples. De hoc indumenti ge-
Ephes. 4. nere & Paulus loquitur: Induimini Dominum Iesum. Et ad
Ephesios: Induite nouum hominem, qui secundum Deũ crea-
Apoc. 3. tus est in iustitia & sanctitate veritatis. Hoc indutus satis or-
natus est, hoc exutus, etiam si Salomonem vestimentorũ glo-
ria superet pauper & egenus, & nudus, & miser est. Notãdum
autem hîc, quòd duo posuit byssum & purpurã: byssum qui-
dem ad molliciem, purpuram verò ad splendorem.
Lucæ 16. Secundus abusus est, quòd ait: Epulabatur quotidie splen-
didè. Videte quid dicat: Quotidie & splendidè. Planè contra
Scripturam. Paulus iubet operari manibus quod bonum est,
Ephes. 4. & laborare, vt habeamus vnde tribuamus necessitatem pa-
Lucæ 21. tienti. Quantò igitur magis à crapula & ebrietate abstinen-
dum

dum, vt ex eo quod superest, reficiantur alij? Christus expresse dicit: Attendite vobis, ne fortè grauentur corda vestra in crapula & ebrietate, & curis huius vitæ, & superueniat vos illa dies repentina. Basilius distinguit. Est autem ebrietas nimius vsus vini, crapula verò anxietas & nausea, quę est in ebrietate, à motione capitis, Græco vocabulo dicta. Hoc ipso Sodoma peccauit Domino: Superbia, saturitate panis, & abundantia, & otio, & quòd manum egeno & pauperi non porrigebat. Et Paulus luxuriam numerat inter opera carnis, in ea quam ad Galatas scripsit epistola. Tum alibi prohibet ebrietatem. Nolite, inquit, inebriari vino, in quo est luxuria. Sed hoc solo excusare volunt, quod negare non possunt. Sic mos est facere, ita omnes consueuerunt. Ridetur id præstare detrectans. Sed audiamus quid Paulus dicat: Nolite nos conformare huic seculo. Quòd si nos cum hoc epulone conformes reddere voluerimus mundo, hoc expectandum est, vt non solùm trãseamus, verumetiam cum omni concupiscentiá eius damnemur. Omnino necessaria est distinctio inter mundum, & Christianos. Tam enim non conueniunt, quàm distant lux, & tenebræ. Nunquam in scripturis mundus hic benè audit, sed quia totus in maligno positus est, ideo elegit nos Christus de mundo, vt nos quoque non simus de mundo, sicut nec ipse est de mundo. Eramus quidem & nos aliquando tenebræ, nunc autem facti sumus lux in Domino. Eramus aliquando longè, nunc autem facti sumus propè in sanguine Christi. Separati sumus & selecti de mundo. Mundus gaudium, epulas, lætitiam, voluptates sequitur: nos tristitiam, tribulationem, aduersitates habemus. Quomodo igitur conformes esse quærimus cum mundo? Non sic didicistis Christum, inquit Paulus, sed necesse est deposuisse nos veterem hominem secundum pristinam conuersationem, & secundum desideria inter gentes. Audiuimus filiorum huius mundi studium, & gaudium, audiamus nunc porrò piorum erumnas in hoc mundo. Et erat, inquit Euangelista, quidam mendicus nomine Lazarus, qui iacebat ad ianuam eius, vlceribus plenus, cupiens saturari de micis quæ cadebant de mensa diuitis, & nemo illi dabat. Sed & canes veniebant & lingebant vlcera eius. Videmus asperitatem viæ angustæ quã ingressus est Lazarus. Diuiti opponitur mendicus. Duæ res diuersissimæ, diues & mendicus. Sed tamen à Deo, vt sunt diuitiæ, ita ab eodem sunt, & inopiæ

Basilius. *Ezech. 16* *Galat. 5.* *Ephes. 5.* *Rom. 12.* *2. Cor. 6.* *Io. 15.* *Ioan. 17.* *Ephes. 5.* *Ioan. 16.* *Ephes. 4.* *Luca 16.*

inopiæ. Coniunctos Deus vult in mundo, cùm tamen elegit de mundo. Mira res hanc voluntatem Dei à multis non animaduerti. Expressè dicit: Pauperes semper habebitis vobiscum. Nec tamen erubescunt quidam profligare mendicos è finibus suæ ditionis. Quin si ex verbis Christi, voluntatem Dei non intelligimus, ex ipso facto consideremus. Profligamus peregrinos, sed ecce, vt verum sit quod dixit: Pauperes habebitis vobiscum, alios Deus dat mendicos vicinos. Repellimus in plateis obuios, & ecce numero auget domesticos. Hæc non considerare, nónne extrema est cæcitas? Sed consideramus scio. Cur autem repugnamus? Propter auaritiam. Ecce iacet in via mendicus, in platea, ante ædes, rogat te: si das, numulus decrescit de tuo, si recusas, si transis, & si non erubescis diues, mendico stipem denegare durus: mordet tamen quia Christus iubet misericordem esse te, torquet quòd iudicium denunciatur sine misericordia tibi, qui non facis misericordiam, debet quòd in humanitate hac dissimilis es à patris cælestis pietate. Vt ergo hunc scrupulum cordi de tuo eximas, vt cruciatum effugias, mendicos è medio tollere laboras. Sed frustra sudas. Neque enim hic diues sine Lazaro esse potuit, nec tu opulentus sine mendico eris. Hoc obseruauit Euangelista, vt exposita diuitis vita, mox adiungeret mendici erumnas: Erat, inquit, quidam mendicus, nomine Lazarus. Hunc nouit Christus, hunc vero dignatur nomine. Hic Dei atrium, Dei in hoc moratur adiutorium. Non hæc profectò parua solatio pauperum. Gaudete, Christus ait ad suos, quia nomina vestra scripta sunt in cælis. Cognoscit Dominus qui sunt eius, & nouit eos eripere de tentationibus huius seculi. Quin etiam ipse agnoscitur à suis, qui & vocem eius audiunt, & sequuntur eum quocunque ierit. Et quomodo non agnosceret etiam nominatim, quos suos esse voluit, quorum & regnum cælorum esse fecit? Hi sunt spiritu pauperes, qui cum Propheta dicere possunt: Ego mendicus, & pauper sum. Hoc respicit humiles, verùm alios spiritu à longè tantùm cognoscit. Nec mirum: Potest enim Deus (cui corda patent omnium) aliquid magnum in humili cognoscere, quod longè antecellat omnium diuitum omnes copias. Mundus theatrum est, personati circuimus in huius vitæ fabula. Vt enim in ludis pauperrimo nonnunquam persona datur diuitis, humilibus ortus

Mar. 26. Ioan. 12. Luce 10. 2. Tim. 2. Ioan. 10. Matt. 5. Psal. 3.

parent

parentibus Regis larua induitur, contrà: atque finito ludo, exutis quam quisque pro autoris arbitrio sumpserat personis, veri apparent homines: sic quousque hîc viuimus sub mendici specie, sæpe latet Deo diues, & in corpore sano Deo languens anima. Mundo diues notus, Deo ignotus. Mundo eidem Lazarus ignotus, Deo optimè notus. Diues in mensa epulabatur indutus bysso & purpura, Lazarus ante diuitis ianuam iacebat plenus vlceribus. Hîc dilucidè apparet, non esse cogitationes Dei, cogitationes hominum. Quid vltra huic *Isa. 55* homini potuisset accidere infœlicius? Mendicus erat, plenus vlceribus ægrotabat, dolores sustinuit famelicus. Longè à suis, diuitis luxum vidit, micas petiit, nemo dedit nec tamen murmurat, nec contra Deum ponit os suum. Insigne insignis patientiæ exemplum. Contrà, immanis inhumanitas, talem tam miserè affectum hominem, eiusdem professionis in medio luxu & gaudio tam propè ante oculos positum, tantillum petentem, & se accepturum esse de discumbentis commiseratione confidentem, spernere: nullo pietatis, nullo com miserationis, nullo denique humanitatis affectu moneri: neque etiam irrationabilis animantis exemplo commoueri. Quod homo potuit, homini præstare noluit: Canis quod potuit, præstitit. Quanquam autem per canes eos etiam intelligere possumus, qui ex aliorum infœlicitate suum quæstum quærunt. Vt canes dum litigunt, non hominis sanitatem, sed proprium commodum quærunt. Nemo dabat. Videte aulicorum mores, dixeram ferè parasitorum. Malus rex, malus *Prou. 29* populus: Impius rex, impios alit satellites. Videmus ergo & alterius angustæ viæ asperitatem. Quid huic misero restabat? Auxilium ab omnibus denegatum fuit. Potuit ergo Spiritu *Psal. 36* sancto moneri: Iacta cogitatum tuum in Dominum, & ipse te enutriet. Per multas enim tribulationes oportet nos intrâ- *Act. 14* in gloriam Christi, propterea & gloriandum in tribulationibus. Quoniam si hoc faciunt in viridi, in arido quid fiet? At- *Rom. 5.* que hinc leuatis ad Deum manibus, cum magna fiducia dicere est: Tibi ô Domine derelictus est pauper, orphano tu eris *Luc. 23* adiutor. Oportet enim iudiciũ Dei à domo Dei incipiat. Ve- *Psal. 9* rè cum Dauid dicere potuit: Pater meus, & mater mea dere- *1. Petr. 4* liquerunt me. Amici mei & proximi mei aduersum me ap- *Psal. 37* propinquauerunt. Spectaculum factus sum mundo, & Ange- *1. Cor. 4* lis, & hominibus. Et quomodo non exaudiretur pietatis ple-

num pect

Luc. 16 num pectus, tanta constantia aduersa sustinens? Vidimus ambos in via, videamus etiam in patria. Factum est, inquit Dominus, vt moreretur mendicus, & portaretur ab Angelis in sinum Abrahæ. Mortuus est autem & diues, & sepultus est. Hîc mutatio incipit dexteræ excelsi. Vnus quidem exitus impij & pij, sed pio mors fuit ad vitam, impio verò ad mortem
Hebr. 9 secundam, ad damnationem æternam. De vtroque dicitur, mortuus est. Hic finis huius vitæ. Statutum est omnibus hominibus semel mori, post hoc autem iudicium oportet corruptibile hoc induere incorruptionem. Mendico quidem grata fuit mors, finem enim attulit ærumnarum. Et quidem si attendere liberet, quas hîc pij sustineant tribulationes, omnes liberari ex hoc corpore mortis, ex maligno hoc seculo
Cic. de Senect. peteremus. Quanta pietate Cato ille Senior, Ethnicus licet, de morte loquitur? Non, sibi si optio daretur, istam canitiem, cum fortunatissimo adolescente commutaret. In hoc lætatur, quòd cursum pœnæ consummauerit, quòd non frustra in mundo, quòd nullius damno, verùm plurimorum commodo, vixerit. Nec mirum igitur, si sancti martyres tanto desiderio mortem concupiuêre, certi de reposita spe, quam promisit is, qui fallere nescit. Quomodo enim huic Mendico non fuisset non grata mors? In sinum Abrahæ ab angelis portatur mortuus, qui famelicus virens despiciebatur ab hominibus. Non libet disceptare quid sit sinus Abrahæ, cùm certum est promissionis Abrahæ factæ exhibitionem intelligi.
Genes. 15 In hac enim obdormierunt omnes pij. Ero merces tua magna nimis. In hanc promissionem obdormiens Lazarus dicere
Psal. 72 potuit: Tenuisti Domine manum dexteram meam, & in voluntate tua deduxisti me, & cum gloria suscepisti me. Quid enim mihi est in cælo, & à te quid volui super terram? Defecit caro mea & cor meum. Deus cordis mei, & pars mea Deus in æternum. Et respiciens ad infernum vbi diues: Ecce qui elongant se à te, peribit, perdidisti omnes, qui fornicantur abs te.
Iob. 24 Nec mirum si hæc dicat: Ipsa enim misericordia obliuiscetur
Psal. 72 impiorum, & in memoria hominum non erunt in patria, qui
Matt. 25 non fuerunt in labore hominum in via. Hic audiuit: Euge serue bone, intra in gaudium. Veni benedicte patris mei,
Sap. 3 percipe regnum. Ita planè diuinæ conuenit iustitiæ, vt iusto-
Rom. 8 rum animæ in manu ipsius sint. In paucis vexati, in multis bene disponentur. Non enim sunt condignæ passiones huius
tempor

temporis ad futuram gloriam quæ reuelabitur in nobis. Tanta enim præparauit Deus diligentibus se, quæ nec auris audiuit, nec oculus vidit, nec in cor hominis ascenderunt. Sed quid interea diues? mortuus est, & sepultus. Lazarus forte sepulturam non habuit, habuit diues. Sed quid profuit illi: qui tam miserè torquetur? Exclamat Propheta: O mors quàm amara est memoria tua. Sed quid addit? Nunquid egeno Mendico? Non, sed homini pacem habenti in substantiis suis, qui prosperatur in omnibus viis suis. Hic verè apparet, quòd vanitas vanitatum & omnia vanitas sit: quòd mundus præterit, & omnis concupiscentia eius: quòd diuitiæ à morte non liberant. Vidi, inquit Dauid, impium superexaltatum sicut cedros libani, & transiui, & respexi, & ecce non est inuentus locus eius. Sed quid huic post mortem? Non ideo solùm impiis amara mors, quòd finem imponat luxui & deliciis, verumetiam ac multò magis quòd initium sit doloris & cruciatuum. Sequitur enim: In inferno autem eleuans oculos suos, cùm esset in tormentis, vidit Abraham à longè, & Lazarum in sinu eius, & ipse clamans dixit: Pater Abraham miserere mei, & mitte Lazarum vt intingat extremum digiti sui in aquam, vt refrigeret linguam meam, quia crucior in hac flamma. Iustus es Domine, & rectum iudicium tuum. In vita diues induebatur purpura & bysso: hic circundatur flammis. Epulabatur quotidie splendidè: hic aquæ guttam ad refrigerandam linguam petit. Impius in via dum prosperatur, nunquam eleuat oculos suos ad Deum, hic eleuat ad hominem sed sero. Quàm præstaret hoc exemplo moniti cum Psalmista diceremus: Ad te ô Domine leuaui oculos meos, qui habitas in cælis. Ecce sicut oculi seruorum in manibus dominorum suorum, ita oculi nostri ad Dominum Deum nostrum, donec misereatur nostri. Et: Illumina oculos meos, ne vnquam obdormiam in morte. Hic epulo duo mala sentiit, & quòd ipse concutiebatur in flamma, & quòd Lazarum consolari videbat in patria. Lazarus in mundo plenus vlceribus, delicias videbat epulonis. Petit Lazarus micas, nemo dabat. Petit epulo guttam, Abraham recusat. Quoniam tamen Abraham patrem agnoscit, licet non sequutus sit eum operibus, filij appellatione dignatur nominare. Fili, inquit, recordare quia recepisti bona in vita tua, & Lazarus similiter mala: nunc autem hic consolatur, tu verò cruciaris, & quæ

Eccl. 41
Eccles. 1
Ioan. 2
Prou. 11
Psal. 36
Luc. 16
Psal. 118
Psal. 13

sequun

sequuntur. Hic finis vtriusque. Quòd Lazarus consolatur, causa est, quia mala recepit in vita sua. Ideo diues cruciatur, quia bona recepit in vita, & recepta malè locauit. Pauperi misericors non fuit, charitas fraternitatem non amauit. Sola charitate potuisset hos cruciatus effugere. Sed quia eam non
Luc. 6 præstitit, hæc meritò patitur. Væ vobis diuitibus qui habe-
Mat. 6 tis consolationem vestram. Væ vobis qui saturati estis, quia esurietis. Væ vobis qui ridetis nunc, quia lugebitis & flebitis. Thesaurisastis vobis non in cœlo, vbi neque tinea deuastat aut demolitur, vbi nec fur surripit: sed thesaurisastis vo-
Psal. 36 bis in terra. Et quæ congregastis, cuius erunt? Plorate vlu-
Iacob. 5 lantes in miseriis vestris, quæ superuenient vobis. Diuitiæ vestræ putrefactæ sunt, & vestimenta vestra à tineis comesta sunt. Aurum & argentum vestrum eruginauit, & erugo eorum in testimonium vobis erit, & manducabit carnes vestras sicut ignis. Thesaurisastis vobis iram in nouissimis diebus.
Prou. 21 Qui obturat aures suas ad clamorem pauperis, & ipse clama-
Iacob. 2 bit & non exaudietur. Iudicium enim sine misericordia erit
Luc. 6 ei, qui non facit misericordiam. Nam qua mensura fuerit
Amos 3 quis aliis, remetietur ei. Ecce leo rugit, quis non timebit? Sustinuit Deus hunc diuitem, sustinet & modò huic similes. Nõ enim arbitrabimur, quasi hic solus interierit epulo. Quòd si causa similis in nobis est, eadem erit & perditio. Ante eum, auaros, epulones, immisericordes, fuisse testantur Prophetæ.
Osee 4 Audite verbum Domini filij Israël, inquit Oseas, quia iudicium Domino cum habitatoribus terræ. Non est enim veritas, non est misericordia, & non est scientia Dei in terra. Similem lamentationem super hominum inclementia Isaias
Michæ. 6 profert, cap. 59. Michæas omnibus misericordiam commendatam cupit: Indicabo tibi ô homo, inquit, quid sit bonum, & quid requirat Dominus à te. Vtique facere iudicium, & diligere misericordiam, & solicitum ambulare cum Deo tuo.
Lucæ 6 Sed & euangelica nos idem monet Scriptura. Christus ipse
Colos. 3 ait: Estote misericordes, sicut & pater vester misericors est. Et Paulus: Induite, inquit, viscera misericordiæ. Et ad Timotheum scribens: Diuitibus, inquit, præcipe non sublime sapere, neque sperare in incerto diuitiarum. Et quid Ioannes in epistola vult, cùm toties nobis commendat charitatem, nisi vt cogitemus nos vnum esse corpus, alterum alterius opera iuuandum? Coniunge quæ Ioannes de Dei in nos dilectione
scripsit

ſcripſit, & quod Chriſtus apud Lucam monet. An non ideo Ioannes patris dilectionem nobis ob oculos ponit, vt Chriſto hortanti obediamus, cùm ait, Eſtote miſericordes ſicut & pater veſter miſericors eſt? Sed ſurdo narratur fabula. Omnes habent quod prætexent, vt iuſtè immites videantur. Scripturæ non credimus, ſigna quærimus, nec meminimus quid dicat veritas: Generatio adultera quærit ſignum, & ſignum non dabitur ei. Matt. 12 Habent Moſen & Prophetas, audiant illos, nec denique vel verarum hiſtoriarum exemplis, vel veriſimilium parabolis monemur. Reſtat ergo vt æternos gehennæ cruciatus expectemus. Hæc ergo cogitemus. Cogitemus & caueamus. Adhuc tempus eſt, in via ſumus, non in patria, ſequamur Chriſtum, imitemur, qui nos præceſſerunt, pios. Auerſemur impios & immites. Viam horum non eamus. Beatus enim qui non abiit in conſilio impiorum & in via peccatorum non ſtetit.

DOMINICA TERTIA POST PENTECOSTEN EVANGELIVM, LVCAE. XIIII.

HOmo quidam fecit cœnam magnam, & vocauit multos, Et miſit ſeruum ſuum hora cœnæ dicere inuitatis, vt venirent, quia iam parata ſunt omnia. Et cæperunt ſimul omnes excuſare. Primus dixit ei: Villam emi, & neceſſe habeo exire, & videre illam. Rogo te, habe me excuſatum. Et alter dixit: Iuga boum emi quinque & eo probare illa. Rogo te, habe me excuſatum. Et alius dixit: Vxorem duxi, & ideo non poſſum venire. Et ſeruus nunciauit hæc domino ſuo. Tunc iratus paterfamiliàs, dixit ſeruo ſuo: Exi cito in plateas & vicos ciuitatis, & pauperes ac debiles & cæcos & claudos introduc

huc

huc. Et ait seruus: Domine factum est vt imperasti, & adhuc locus est. Et ait Dominus seruo: Exi in vias & sepes, & compelle intrare, vt impleatur domus mea. Dico autem vobis, quòd nemo virorum illorum qui vocati sunt, gustabit cœnam meam.

DOMINICA III. POST Pentecosten Epistola, 1. Ioan. III.

NOlite mirari fratres, si odit vos mundus. Nos scimus quoniam trãslati sumus de morte ad vitam, quoniam diligimus fratres. Qui non diligit manet in morte. Omnis qui odit fratrem suum: homicida est. Et scitis quoniam omnis homicida non habet vitam æternam in se manentem. In hoc cognouimus charitatem Dei, quoniam ille animam suam pro nobis posuit, & nos debemus pro fratribus animas ponere. Qui habuerit substantiam huius mundi, & viderit fratrem suum necesse habere, & clauserit viscera sua ab eo, quomodo charitas Dei manet in eo? Filioli mei, non diligamus verbo, neque lingua, sed opere & veritate.

SERMO.



IT A hoc Euangelium cum præcedentis dominicæ lectione per omnia coniungitur, vt non possim hunc sermonem alio modo instituere, quàm vt superiori respondeat, indéque hic initium sumat, vbi ille finem. Illic audiuimus quæ pios maneat consolatio in alia vita, quæ impios damnatio, cum Lazari proposita est requies, & diuitis epulonis cruciatus æternus. Non ergo diffido esse inter vos qui spretis epulonum diuitiis, relicta viæ prosperioris amœnitate, arduam asperitate cum paupere Lazaro semitam ingressi, vocantem sequantur Christum. Sed quia illud quoque timendum est, alios in via subsistere, alios furiis actos relabi & declinare, ideo necessarium iudicauimus hac Euangelica parabola acclamare

clamare omnibus,hos monere, hortari alios, vt si quis forte veterem adhuc sequens conuersationem salutis aspernatur mensam,nec vocanti,vt sequatur obedit: domini piam voluntatem agnoscat,gratiam quam acipere potest apprehendat, & ne alius acipiat coronam, teneat. Hoc enim ipsum hæc vult parabola,quæ Dei vocantis munificentiam, serui sedulitatem. vocatorum damnosam excusationem, & subintrantium cùm fœlicitatem tum numerositatem insinuat. Digna profectò parabola,quæ & examinetur diligẽtissimè,& cogitetur semper. *Apoc. 3.* *Propos.*

Et principiò quidem quod ad Dei vocantis munificentiam attinet,tãtum meritò apud omnes meretur, vt remotis quæ nos remorantur impedimentis,alacres obsequamur, in proposita curriculi via pergere animemur & confirmemur. Quis enim non sequeretur ad tantam cœnam,per illum seruum quem filium vnicum vnicè dilexit pater, tam paternè vocantem? vtique ingens ipsius munificentia insinuatur, cũ homo magnam cœnam fecisse,multos vocasse, seruum vt inuitatos adduceret misisse perhibetur.Homo quidam cœnam fecit magnam.Cur homo Deus? Nempe cum essentiãlẽ bonitatem eius non intelligis, homo humanitatis recordatione diuinam munificentiam agnosceres. Vnde Scripturæ mos est, vt vbicunque insinuare vult pietatem,hominis vocabulo significet.Nam & Danieli regnum in hominibus accepturus, quasi filius hominis veniens,visus est.Filius hominis quasi vnius non duorum hominum filius dicitur. Vbi verò ira & indignatio eius inducitur,ferarum appellatione significatur.Sic Amos: Leo,inquit, rugit,quis non timebit? Et Hieremias: Vrsus factus est mihi & leo in abscondito. Et Oseas in persona Dei: Occurram illis quasi vrsa orbata catulis & dirumpã interiora cordis eorum, & consumam eos quasi Leo. Primum ergo hoc munificentiæ diuinæ iudicium,quod dira ferarum appellatio recessit, noua hominis significatio successit. Sed quid potuit munificentius exhibere nobis homo ille hominibus quàm quod exhibuit? Cœnam fecit magnam, & vocauit multos. Optimè profectò magna.Magnus dominus & magna virtus eius,ait Dauid. Et quid potuit à magno nisi magnum,egregium,& excellens venire? Et certè magna sit oportet,in qua multi accumbent. Sed & ideo magna,quia magnificus apparatus eius. Illic tibi frumentum & vinum apponitur virgines faciẽs, gratia (nempe) remissio delicti,pax,vita æterna, imò eiusmodi quæ nec ocu- *Dan.7.* *Amos 3.* *Thren. 3.* *Ose.13.* *Psal.146* *Zach.13.*

lus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascenderunt.
Isa. 46. Quur autem non ideo etiam magna, quòd magno constet?
2. Cor. 2. Ipse vnigenitus torcular calcauit solus, deditque nobis noui testamenti calicem, sanguinis proprij rubore perfusum. Ipse & panis noster. Et hæc morte propria parauit & propina-
1. Cor. 6. 7 uit cœnam. Vnde Paulus: Empti estis (inquit) pretio ma-
Apo. 9. gno, glorificate & portate Deum in corpore nostro. Beati ergo qui ad cœnam agni vocati sunt, & vocationi obediunt. Vocantur enim multi, sed veniunt electi pauci: tum etiam dis-
1. Tim. 2. cumbentium quanta diuersitas? Non vocantis culpa, sed vo-
Rom. 3. d. catorum negligentia. Ille enim saluos fieri cupit omnes, & ad
Ro. 10. c. agnitionem veritatis venire. Nec est vllus personarum respe-
Aug. sup. ctus apud eum, nulla distinctio Iudæi & Græci. Vt omnes pec-
Ioan. 10. cauerunt, ita omnes iustificat, Iudæos ex fide, Gentes per fidem. Cuius quidem vocationis causa essentialis, ipsa voluntas Dei est, & gratia. Gratia, inquit Paulus, saluati estis per fidem,
Ephe. 2. & hoc non ex vobis, Dei enim donum est non ex operibus, ne
Tit. 3. quis glorietur. Et apparuit benignitas & humanitas saluatoris nostri Dei, non ex operibus iustitiæ quæ facimus nos, sed secundum suam misericordiam saluos nos fecit. Accidentalis verò, reprobatio aliorum. Nam & quod Iudæi vocati sunt primùm, ex accidente etiam est, quia ceciderant angeli. Et quod Gentes vocati sunt, accidentalis caussa est, Iudæorum
Rom. 11. reprobatio. Vt Paulus in ea quam ad Romanos scripsit Epistola, disputat. Indidit Deus vtrique genti naturale desiderium fœlicitatis, ostendit modum consequendi, Iudæis quidem per legem sese manifestans, gentibus per visibilia mun-
Rom. 1. di huius elementa. Et hæc vocatio iam inde ab origine mundi durauit. Vbi verò venit plenitudo temporis, & vespera, mundi senectute ingrauescente, sol occumberet. Ideo enim cœna dicitur quod vltimo tempore parata, & quod ea peracta sempiterna sequatur requies. Seruum suum misit dicere inuitatis vt venirent. Quia parata sunt omnia. Potest quidem seruus ille totus prophetarum cuneus intelligi, quia omnes vno ore vno nempe spiritu parata vocatis omnia prædixerunt, sed propriè per seruum intelligi poterit Christus. Is enim & ser-
Deut 18. uus & missus est. De eo enim Moses prædixit, cum ait: Pro-
Isa. 42. a phetam de gente tua & de fratribus tuis sicut me, suscitabit tibi dominus Deus tuus. Et Isaias in persona patris: Ecce seruus meus, suscipiam eum, electus meus, complacuit sibi in

illo anima mea. Dedi spiritum meum super eum, iudicium gentibus proferat. Et Ezechiel: Suscitabo super ea pastorem vnum, qui pascet ea, seruum meum Iacob. Et néquis miretur quomodo seruus Dei sit filius. Paulus totam eum naturam seruilem sibi associasse testatur, vt in vna eadémque persona vera hominis veráque Dei constaret natura. Cum in forma Dei esset formam accepit serui. Et hoc illi est mitti, quod est seruum fieri. Quemadmodum in Isaia dicit: Spiritus Domini super me, eò quod vnxerit me, ad annunciandum mansuetis misit me, vt mederer contritis corde, & prædicarem captiuis indulgentiam, & clausis apertionem, & prædicarem annum placabilem Domino. Id quod D. Paulus considerans de eadem missione loquitur: vbi venit plenitudo temporis misit Deus filium suum factum ex muliere, factum sub lege, vt eos qui sub lege erant, redimeret. Misit (inquam) eum non à se separatum, quia missus est per hoc quod assumpsit humanam naturam, & tamen erat in sinu patris vnigenitus, qui est in sinu patris æternaliter. Sed ad quid misit? vt loqueretur nobis parata esse omnia. Multifariè multisque modis olim loquutus est patribus in Prophetis. Nouissimè verò, diebus istis locutus est nobis in filio. Hinc ipse pater filium monstrans ait: Hic est filius meus dilectus, in quo mihi complacuit, ipsum audite. Nec solùm vt loqueretur nobis misit eum. Eramus morti obnoxij, & eduxit nos. De manu mortis liberabo populum meum, de morte redimam eos. Eramus sub potestate Diaboli & liberauit nos. Mittet eis, inquit Propheta, saluatorem qui liberet eos. Eramus saucij, & misit saluatorem, vt Dauid: Misit, inquit, verbum suum, & sanauit eos, & liberauit eos de intentionibus eorum. Et quæ infirmitas nostra? Omnem (inquit) escam abominata est anima eorum, ideo appropinquauerunt vsque ad portas mortis. Propterea cum in hunc mundum venisset, legatione quam pater mandauerat functurus, videns hanc hominum infirmitatem conuocans alloquitur: Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis & ego refocillabo vos. Id quod præuidens Propheta, ait: Omnes sitientes venite ad aquas & qui non habetis argentum, properate. Emite & comedite, venite emite absque argento, & absque vlla commutatione vinum & lac. Ecce quomodo perfecerit filius man-

Eze.34.f *Phil.2.* *Isa.61.* *Gal.4.* *Ioan.1.* *Heb.1.* *Matt.3.* *Ose.13.* *Psal.106.* *Matt.11.* *Isa.55.*

datum patris, Misit pater, iubet vt audiamus eum. Fi-
Psal. 94. lius ad se vocat, & vt reficiamur optat, Clamat Dauid ne ob-
Heb. 3. turemus corda nostra audientes vocem eius, ne exacerbetur
in ira sua, sicut eum filij Israël exacerbauerunt in deserto.
Psal. 41. Sed quid fit? Nunquid occurrimus & clamamus: Sitiuit
anima mea ad te Deum fontem viuum, quando veniam
& apparebo ante faciem Dei mei? perinde atque ceruus
desiderat ad fontes aquarum, ita anima mea ad te Deum
fontem viuum desiderat? Minimè. Quid ergo? Alius
dicit: Villam emi & eo videre illam, rogo habe me excusa-
Luc 14. tum. Alius: Iuga boum emi quinque, & vado proba-
re illa, rogo habe me excusatum. Alius denique: Vxorem
duxi, & ideo non possum venire. Et hæc quartus audiens,
multitudinis excusantis & detractantis territus odio, licet
venire & vocanti obsequi proposuerit, quia tamen mundi
amicus odia timet, paratam cœnam negligit, perlatam
viam perditionis, quærens excusationes in peccatis, abit.
Et hoc quidem totius mundi studium. His quatuor enim
impediuntur ad cœnam vocati. Vnde in Canonica scribit
1. Ioan. 2. Ioannes: Omne quod in mundo est concupiscentia carnis
est, & concupiscentia oculorum & superbia vitæ. Aut
hæc humanarum mentium miseranda cæcitas, aut de-
testanda peruersitas est, quòd non huic, sed cælesti vitæ
conditi, has res adeo sectamur, atque diligimus, vt futu-
rorum planè negligentes arguamur & conuincamur. Certè
videre villam recens emptam superbiam: probare boum
iuga, auaritiam: Vxorem duxisse, hoc modo, libidinem
1. Ioan. 5. indicat. Et rectè Ioannes: Totus mundus in maligno po-
situs est. Diuitiis student omnes, nec vllus respectus quo
modo comparentur. Et ita iis cumulandis quidam inhæ-
rent, quasi oblitus Deus facturæ suæ nullam nostri curàm
haberet. Cum apertissimè contra scriptura iubeat, omnem
1. Pet. 5. solicitudinem in eum abiicere, cui cura est de nobis. Nec
mouemur cum vbique impossibilitas nobis obiiciatur no-
stra, quod in vanum laboremus sine Deo, nec potis sit
quisquam ad staturam suam vel vnum cubitum addere.
Matt. 6. Scientes ergo & volentes perimus. Probamus quidem veni-
Sap. 7. re ad cœnam, & excusari cupimus, sed delectat huius fabu-
bulæ negotium. Iam cum strenuè satis sub auaritiæ vexil-
lis militauimus multúmque diuitiarum, hoc est, stercoris col-
legimus

legimus, hoc secundũ studium, vt superbia tumidi, neminem nobis putemus parem; nos prædicemus, reliquos omnes contemnamus, quasi sufficientes ex nobis, nullius egeamus: tunc ædificia nostra exaltamus, & horrea dilatamus, stultáque persuasione miseram decipimus animam, vt quiescat in otio, in diuitiis in plurimos annos collectis speret, confidat, de nullo cogitet. Sed quid dicit Scriptura? Stulte, hac nocte animam tuam repetent à te, & quæ parasti cuius erunt? Ve qui congregat auaritiam domui suæ, malum vt sit in excelso nidus eius, & liberari se putat de manu mali. Sic & qui in hoc vxores ducunt, vt abutentes iis, carnis concupiscentias sectari possint, damnationem non euadent. Honorabile quidem coniugium, sed inter eos, qui in timore domini sunt, non ad voluptatem, sed ad necessitatem pro propellenda libidine, & educãda prole commiscentur, atque ita inuicem viuunt, tanquam non habeant. Potest enim etiam inter coniugatos punienda inueniri fornicatio, quam qui sequuntur, regnum Dei non possidebũt. Longissime diuidit enim inter Deum & homines fornicatio, & fortissimi quíque interfecti sunt ab ea. Ideoque reor, differentia quadam positum esse, cæteris, & qui agrũ, & qui quinque boum iuga coëmerat pro excusatione rogantibus, solus qui vxorem duxerat non posse se venire respondit. Quando igitur ex vino ebrietas, & hinc lasciuus ille Deo repugnans animus est, verè Oseas dixit, quòd fornicatio & vinũ & ebrietas cor hominis auferant. Neque enim quicquam à sanæ men tis ratione, ne dicam à pietate Christiana alienius quàm propter vxorem non posse ad cœnam venire domini. Hæc cogitemus quisque secum. An non nos eiusmodi remorantur impedimenta? Quidam ex gentibus hæc tractantes blandiuntur sibi, in Iudæos hæc reiicientes: Illi, inquiunt, vocati, illi secum Dei filium viderunt & audierunt coram: nos in plateis & ciuitatis vicis, pauperes, cæci atque claudi oberrauimus: nos in viis & sæpibus, alij volentes, alij compulsi, intrauimus. Et quidem aliquid dicunt, cum hoc prætexunt: Nam vocati sunt Iudæi & renuerunt venire, & eorum reprobatio, nostra est assumptio. Nam ipse Christus cum aliquando vt Cananeæ pro filia orantis precibus annueret rogatus, respondit, se non nisi ad oues perditas familiæ Israël missum esse. Et alibi missis in omnem Iudææ regionem Apostolis, In viam gentium, inquit, ne abieritis, & in ciuitates Samaritanorum ne intraueritis, sed

Luc 12.
Abac. 2.
Heb. 13.
1. Cor. 7.
Pro. 7.
Ose. 4.
Matt. 15.
Mat. 10.
Act. 3.

potius ite ad oues quæ perierunt domus Israël, præcipit. Et hoc est quod Petrus loquitur Iudæis: Vobis, inquit, primum Deus suscitatum filium suum Iesum, misit benedicentem nobis. Vt quisque nostrum conuerteret se ab iniquitate sua. Neque enim negari potest quod Iudæi accepta lege & promissione de futuro benedicente semine, ipsam aspernati sunt salutem. Nam apertè id Dominus testatur cum ait: Hierusalem Hierusalem: Quoties volui congregare filios tuos, sicut gallina congregat pullos suos sub alas, & noluisti? Tum reprobatos esse ibidem apertè dicit: Ecce relinquetur vobis domus vestra deserta. Et alibi Paulus & Barnabas ad Iudæos loquuntur: Vobis oportebat primũ loqui verbum Dei: sed quoniam repellitis illud & indignos vos iudicatis æterna vita, ecce conuertimur ad Gentes. Hoc enim pręcepit nobis dominus: posui te in lucem gentium, vt sis salus mea vsque ad extremum terræ. Et iterum: Bene de vobis Spiritusſ. per Prophetam Isaiam loquutus est, dicens: Vade ad populum istum & dic: Aure audietis, & non intelligetis, & videntes videbitis, & non perspicietis. Incrassatum est enim cor populi huius, & auribus grauiter audierunt, & oculos suos compresserunt: ne fortè videant oculis, & auribus audiant, & corde intelligant, & conuertant se, & sanem eos. Notum ergo sit vobis, quoniam gentibus missum est hoc salutare Dei, & ipsi audient. Et maiori vehementia Spiritu repletus mortiq; vicinus Stephanus: Dura, inquit, ceruice & incircuncisi cordibus & auribus. Vos semper spiritui sancto resistitis, sicut patres vestri ita & vos. Iusti vos proditores & homicidæ fuistis, qui accepistis legem in dispositione angelorum, & non custodiuistis. Simile quid in Ieremia scriptum legimus: Et te plantaui vineam electam, omne semen verum. Quomodo ergo conuersa es mihi in prauum vinea aliena? Et mox: Quomodo confunditur fur, quando deprehenditur, sic confusi sunt domus Israël, ipsi & reges eorum, principes & sacerdotes, & prophetæ eorum. Hæc quidem de Iudæis verè dicuntur, & tota scripturæ sacræ pagina abiectos eos & reprobatos esse domini salute testatur. Tum etiam reuersus seruus hæc domino suo nunciauit, vt hoc Euangelium loquitur. Nam & prophetæ ad Deum de incredulitate populi conquerebantur, & Christus indignissimè eorum ferebat pertinaciam. Primus Moyses licet à Deo ad Ierusalem, certo mandato accepto, mitteretur: prævides

Matt. 23. Act. 13. Isa. 49. Act. 8. Isa. 6. Matt. 13. Marc. 4. Luc 8. Ioan. 12. Rom. 11. Act. 7. Ierem. 2.

videns tamen eorum duritiem, ait: Non credent mihi, neque audient vocem meam sed dicent: Non apparuit tibi Dominus. Quin ipse Dominus dato primo atque secundo signo crediturus dubitat, eóque addit tertium. Helias grauius quid ad Dominum refert, & bis conqueritur interrogatus: Zelo zelatus sum pro Domino Deo exercituum, quia dereliquerunt pactum tuum filij Israël. Altaria tua destruxerunt, & prophetas tuos occiderunt gladio, & derelictus sum ego solus, & quærunt animam meam vt auferant eam. Isaias quoque cùm Palestinam intraret, arbitrabatur in illo populo verum Dei cultum in vera agnitione vigere. Sed diuersum offendit, eó- *Isa. 9.*
que ait: Multiplicasti quidem Domine populum tuum, sed *Isaie. 10*
non magnificasti lætitiam. Et addit sequenti capitulo: Si fuerint filij Israël sicut arena maris, vix reliquiæ saluæ erunt. Idem planè desperans se aliquid effecturum apud populum illum quantumuis nulli parceret labori, in admirationem raptus, ait: Domine quis credidit auditui nostro? Similiter *Isa. 3.*
& Ieremias deplorat in id officium natum se esse: Væ mihi, *Here. 15.*
inquit, mater mea. Quare me genuisti virum rixæ, virum discordiæ in vniuersa terra? Mouebatur Propheta peruersitate populi sui. Dixerant enim de Deo, non est ille, & non ve- *Iier. 5.*
niet super nos malum. Et hæc audiens Dominus, Ezechie- *Ezech. 3*
lem mittit denuo ad domum Israël, ad gentes Apostatrices, eóque confirmans eum ait: Fili hominis vade ad domum Israël, & loqueris verba mea ad eos. Non enim ad populum profundi sermonis & ignotæ linguæ quorum non possis audire sermones. Et si ad illos mittereris, ipsi audirent. Domus autem Israël nolunt audire te, quia nolunt audire me. Omnis quippe domus Israël attrita fronte est, & duro corde. Ecce dedit faciem tuam valentiorem faciebus eorum, vt adamantem & vt silicem dedi faciem tuam. Et Michæas miratus raritatem conuiuantium in domo Domini: Væ mihi (cla- *Mich. 7.*
mat) quia factus sum velut qui colligit in autumno racemos vindemiæ. Non est botrus ad comedendum, præcoces ficus desiderauit anima mea. Et vt scias quid velit, addidit: Periit sanctus de terra, & rectus in hominibus non est. Tot ergo querelæ & multo plures, quibus enarrandis multi dies non sufficerent per Prophetas ad Dominum referuntur. Et Christus cùm eandem pertinaciam suo tempore in Iudæis animaduerteret, væ imprecatur ciuitatibus, quod impietate & sce-

lere pessimas quasq; respubl. superarent. Sodomæ & Gomor-
Matt. 11 rhæ, igne cælesti pro scelerum merito extinctis vrbibus to-
Luc. 10 lerabilius in die Iudicii fore affirmat, quod nec verbo credi-
dissent, nec signorum virtute commoti, fuissent conuersi. Si-
milis est (inquit) generatio ista pueris, qui sedent in fori-
bus & acclamant sodalibus, dicentes: Tibia cecinimus vo-
bis, & non saltastis, lugubria cecinimus vobis, nec plan-
xistis: venit Ioannes nec manducans nec bibens, & dicunt:
Dæmonium habet. Venit filius hominis edens ac bibens,
& dicunt: En hominem comedonem & vini potorem, pu-
blicanis & peccatoribus amicum. Quo facto cùm pro-
phetæ tum Christus ipse omnibus, quibus verbi prædica-
tio commissa est, exemplo esse debent. Non enim satis est,
si tu legatione tua fungaris strenuè, si ad cælum vocem ele-
uaueris, si Paulinam sequutus doctrinam arguas & obsecres,
nisi etiam à concione, ab etiam reliquo externo officio do-
mum rediens, Deum vt incrementet semen suum ores, & si
quid duri in populo consideraueris, ipsum vt emollescat in-
stes, & in summa (vt vno verbo dicam) omnia ad Deum
referas, cuius hæc mandato facis. Planè enim iniquum
seruum hunc diceres, si vel non rediisse, vel reuersum non
indicasse domino excusantium & venientium responsio-
Luc. 21 nes, legeres. Sic Christus per diem prædicauit, noctu ad
Act. 5. locum orationis conscendit. Sic Apostoli, sic Petrus in Iop-
Act. 10. pe ad dominum ab officio reuertebantur. Non iam eo ani-
mo vt igne cælitus demisso absumi malos optes, sicut olim
discipuli Samaritis imprecari volebant, vt Lucas scribit, sed
quemadmodum alibi admirantes quærunt patrifamilias ser-
Luca. 9 ui cum dicunt: Nunquid Domine bonum semen semina-
Matt. 13 sti in agro tuo? Vnde igitur zizania? Verùm cum nobis
etiam Dominus dedit legationis huius munus & in nos re-
conciliationis verbum posuit, nec dubium quin aliqui tot
intersint, qui verè vocent, soliciteq; vt plurimi veniant la-
borent, instent, vrgeant: & contrà in populo vocato plurimæ
audiantur eiuscemodi excusationes cum alius ambitiosus,
alius auarus, alius voluptatibus & libidinibus mersus, alius
propter mundi odium timidus venire recusat: certè non vi-
deo qua ratione hæc in solos Iudæos retorquere possimus.
Nostra hic quoque ô fratres res agitur, ad nostram eru-
ditionem hæc scripta sunt. Nam si illa tergiuersatio tan-
tùm-

tùm in Iudæis & non etiam in nobis inueniretur, non haberet Paulus quod moneret Corinthios sic viuere, ne cum venerit aliquando tristitiam habeat super tristitiam. Et sine causa moneret omnes eam vitæ rationem inire, quę verbi ministros recreare posit, vt sine mœrore & tristitia, sed cum quadam etiam animi alacritate praeesse queant. At concedamus de Iudæis dicta tantùm, nemo tamen quin nobis sint exemplum proposita negauerit. Vides ergo quid dicat de vocatis Iudæis? Dico vobis quòd nemo virorum illorum qui vocati sunt, gustabunt cœnam meam. Ne hic pedem figas,& obstreperus Iudæis detrahas. Vide quid Paulus scribat, & quidem huius facti respectu. Veritatem (inquit) dico, non mentior, testimonium mihi reddente conscientia mea in Spiritu Sancto, quoniam tristitia mihi est magna, & continuus dolor. Optabam enim ego ipse anathema esse à Christo pro fratribus meis, &c. Optima profectò, & Apostolico viro digna confessio. Sed quid sequitur post? Quod si aliqui rami fracti sunt, tu autem cum esses oleaster insertus es in illis & socius radicis & pinguedinis oliuæ factus es, noli gloriari aduersus ramos. Quod si gloriaris, non tu radicem portas, sed radix te. Sed dicis: Fracti sunt rami vt ego inserar. Bene: propter incredulitatem fracti sunt. Tu autem fide stas. Noli altum sapere, sed time. Si enim Deus naturalibus ramis non pepercit: ne fortè nec tibi parcat. Hæc ille. Quod si nostram fidem vitamq; examinauerimus: inueniemus affectus in nobis, qui non semper diuinæ vocationi, sed qui sæpe Dominum alioqui mitem & benignum ad iram & indignationem iustam prouocent. Mira & deploranda cæcitas si non videmus quid exemplo Iudæorum nobis mali obuenire posit. Quod si videmus & intelligimus, detestanda profectò iniuria est, nolle emendare quod exitiosum esse possumus intelligere. Christus Iudæis ait: Auferetur à vobis regnum,& relinquitur vobis domus vestra deserta. Paulus nobis loquitur: Noli altum sapere, sed time. Si enim Deus naturalibus ramis non pepercit, ne fortè nec tibi parcat. Potens est Deus religione à nobis sublata, vinum suum quod miscuit nobis, alienis propinare. Et quia potest, faciet certè cùm quòd ita meretur nostra incredulitas, tum quòd non aliter vult diuina bonitas. Sęper enim in ira sua misericordiæ suæ recordatur. Homines ratione sumus præditi, & Dominus dum quod

2. Cor. 2

Luc. 14

Rom. 9

Roma. 11

ſuum eſt facit, noſtro quod noſtrum eſt adimplere relinquit
Pſal. 76. arbitrio. Nunquid in æternum proiiciet Deus? Aut in finem
Pſal. 88 miſericordiam ſuam abſcindet? Aut obliuiſcetur miſereri
Deus? Dauid quondam admiratus dicebat. Et quid reſpondit
vox diuina? Si filij eius derelinquerint legem meam, & in iudiciis meis non ambulauerint. Si iuſtitias meas prophanauerint &c. Viſitabo in virga iniquitates eorũ, & in verberibus peccata eorum. Miſericordiam autem meam non diſpergam ab eis, neque nocebo in veritate mea. Hæc dico: Vt ſi cognoſcimus Iudæos pro incredulitate ab huius cœnæ, conſortio reprobatos, poſſe pro miſericordia Dei reliquias domus Iſraël ſaluari. Pauperes, debiles, cæci & claudi ad diuitis Domi-
Apoc. 3 ni menſam conſedimus. Tam poteſt intromiſſus eiici, quam quondam vocatus reprobari. Studeamus ergo pietati, & vt decet ſanctos in domo Dei conuerſemur, vt quod habemus teneamus, ne alius accipiat coronam noſtram. Plenum enim
Luce 14. terroris eſt quod dicit. Dico vobis quòd nemo virorum illo-
Pſal. 16 rum qui vocati ſunt guſtabunt cœnam meam. Qui ergo guſtum dedit illius cœnæ, det & ſatiari cum apparuerit gloria eius. Amen.

DOMINICA QVARTA POST PENTECOSTEN.

EVANGEL. LVCAE XV.

Erant autem appropinquantes ei Publicani & peccatores, vt audirent illum. Et murmurabāt Phariſæi & Scribæ, dicentes: Quia hic peccatores recipit, & manducat cum illis. Et ait ad illos parabolam iſtam, dicens: Quis ex vobis homo qui habet centum oues, & ſi perdiderit vnam ex illis, nónne dimittit nonaginta nouem in deſerto, & vadit ad illam quæ perierat, donec inueniat eam? Et cum inuenerit eam, imponit in humeros ſuos gaudens, & veniens domum, conuocat amicos & vicinos, dicens illis: Congratulamini mihi, quia inueni ouē meam quæ perierat. Dico vobis, quod ita gaudium erit in
cælo

cælo ſuper vno peccatore pœnitentiam agente, quàm ſupra nonagita nouem iuſtis qui non indigēt pœnitentia. Aut quæ mulier habens drachmas decem, ſi perdiderit drachmam vnam, nónne accendit lucernam & euertit domum, & quærit diligenter donec inueniat eam? Et cum inuenerit, conuocat amicas, & vicinas, dicens: Cōgratulamini mihi, quia inueni drachmam quam perdideram. Ita dico vobis, gaudium erit coram angelis Dei ſuper vno peccatore pœnitentiam agente.

EADEM DOMINICA EPISTOLA, I. PETRI V.

HUmiliamini igitur ſub potenti manu Dei, vt vos exaltet in tempore viſitationis: omnem ſolicitudinem veſtram proiicientes in eum, quoniam ipſi cura eſt de vobis. Sobrij eſtote & vigilate quia aduerſarius veſter diabolus tanquàm leo rugiens circuit, quærēs quem deuoret. Cui reſiſtite fortes in fide: ſcientes eandem paſſionem ei quæ in mūdo eſt, veſtræ fraternitati fieri. Deus autem omnis gratiæ qui vocauit nos in æternam ſuam gloriam in Chriſto Ieſu modicum paſſos, & ipſe perficiet: confirmabit ſolidabitq́. Ipſi gloria, & imperium, in ſecula ſeculorum, Amen.

SERMO.

QVemadmodū ſuperiore Dominica die, pauperes debiles, cæcos & claudos vndecūq; collectos ad præparatā æternæ fœlicitatis cœnā intromiſſos audiuimus, ita hodie eundē patrē familias peccatores & publicanos recipere atq; defēdere cōtra inuidorū rabiem, neminem à gratiæ theſauro propellere, intelligemus. Et hoc illis Euāgelicis lectionib. cōmune, q clarè demōſtrāt, apud Deū verè nō eſſe reſpectū perſonarū, nullam

diſtinct

Rom. 2 distinctionem Iudæi & Græci, sed hanc esse voluntatem Dei,
Rom. 10 vt omnes ad agnitionem Dei perueniamus & saluemur. Quod si huius lectionis summam vno aliquo Scripturæ dicto colligere vtile arbitramur, nullum equidem inuenio accommodatius illo sapientiæ siue ille Philonis siue alterius cuiusque:
Sap. 11 Misereris, inquit, Domine, omnium quia potes omnia, dissimulas peccata hominum propter pœnitentiam. Diligis enim omnia quæ sunt, & nihil odisti eorum quæ fecisti. Primo enim ostendit nos misericordia & dilectione Dei suscipi, ne quis glorietur, secundo quid sit in homine quasi subiectum misericordiæ, circa quod sese misericordia exerceat, nempè peccata hominum: Tertio quid respiciat Deus ex parte hominis in homine: scilicet pœnitentiam. Simile quid Ioannes in Canonica scribit: vbi etiam perapposite Christi personam, eiúsque merita, vt quæ conueniunt
1. Ioan. 1 inter Deum & nos, describit dicens: Si confiteamur peccata nostra, fidelis est & iustus, vt remittat peccata nostra & emundet nos ab omni iniquitate. Et hæc scribo vobis vt non
1. Ioan. 2 peccetis. Sed & si quis peccauerit aduocatum habemus, apud patrem Iesum Christum iustũ. Et ipse est propitiatio pro peccatis nostris, non pro nostris autem tantùm, sed etiam pro totius mundi. Ecce fontem misericordiæ diuinæ merita Christi. Et magnum est quod addit, fidelem & iustum. Nempè fœdus quod pepigit cum patribus nostris certum & firmum
Isa. 43 voluit permanere. Hinc in Isaia loquitur: Ego sum: ego sum ipse, qui deleo iniquitates tuas propter me, & peccatorum tuorum non recordabor. Propter me, ait: vt quem se
Ezech. 18 fore promisit, ipsius sit & credatur esse. Eóque in Ezechiele dicit, non esse voluntatis suæ mortem peccatoris, sed vt reuertatur à via sua mala, & viuat: vias suas rectas, vias verò hominum esse prauas. Deinde quòd in Sapientia scriptum est, propter pœnitentiam, Ioannes requirit confessionem, quæ pars est pœnitentiæ. Postremò sapientia dicit, Deum dissimulare peccata hominum, Ioannes apertius, ipsum dicit re-
Luc. 15 mittere peccata, & emundare ab omni iniquitate. Quæ tria
1. Tim. 1 in hoc Euangelio proposita agnoscimus, vt verè, licet iniquo animo Pharisæi dixerint: Hic peccatores suscipit. Fidelis sermo, & omni acceptione dignus, quia Christus Iesus venit in hunc mundum peccatores saluos facere. Est ergo plenum consolationis omnibus hominibus. Si enim Christus peccatores

tores suscipit, eósque saluare in mundum venit, quid nobis erit gratius ipso Euangelio? Omnes peccatores sumus, & si dixerimus quia peccatum non habemus, nos ipsos seducimus, & veritas in nobis non est. Id ergo principio dicendum, quod omnes peccatores cõstituti sumus & egemus gratia Dei, tum quam paratus sit Deus remittere peccata, & deniq; quales nos esse oporteat, si peccatis exui delectat. Necesse est nolimus velimus nos peccatores esse palam confiteamur. Nam hoc detrectare diabolicum est, nec solùm ante nos sancti quiquè se tales professi sunt: Verumetiam euidenter nos tales esse Scripturæ conuincit autoritas. Diabolicum esse dixi, nolle peccatorem reputari, quia diuinæ illud est veritati repugnare, quæ omne sub peccato cõclusit vt Deus omnium misereatur. Adam cum suadente Diabolo peccasset, eodem autore peccatum celauit quod perpetrauit. Sic Cain peccator esse noluit, qui in fratrem homicidium commisit. Cui non asimiles Pharisæi sunt, qui non solùm sua peccata celantes, sese coram hominibus iustificabant, verumetiam alios condemnabant. Contrà autem pij semper se peccatores confessi sunt, ídque cum magna diuinæ miserationis fide, & peccatorum obtestatione. Et meritò. Quid enim est homo vt immaculatus sit, & vt iustus appareat natus de muliere? Nam & inter sanctos eius nemo immutabilis, & cæli non sunt mundi in conspectu eius, quanto magis abominabilis & inutilis homo, qui bibit quasi aquam iniquitatem? Quin nec in seruis Dei est quisquam stabilis, & in angelis suis reperit prauitatem. Quanto magis ij qui habitant domus luteas qui terrenum habent fundamentum? Hoc agnouerunt Iob, cum ait: Peccaui: Quid faciam tibi ô custos hominum? Et Dauid cum dixit: Sana animam meam quia peccaui tibi: Tibi, inquit, ô Deus, soli peccaui & malum coram te feci vt iustificeris in sermonibus tuis & vincas cum iudicaris. Sed quid singulos enarrare conor per species? Non nos tantùm, sed & patres nostri peccauerunt, & omnes necesse habemus dicere, peccasse nos cum patribus nostris, iniustè iniquitatem fecisse: Multiplicatas esse coram Deo iniquitates nostras, & peccata nostra respondisse nobis, scelera nostra nobiscum, & iniquitates nostras cognouisse nos, peccasse & mentitos contrà Dominum, & auersos esse ne iremus post tergum Dei nostri, vt loqueremur ca-

[illegible] lumniam

(Margin: Iob 15; Iob 4; Iob 7; Psal. 40; Psal. 50; Psal. 105; Isa. 59; Psal. 13)

lumniam & transgreſsionem: In peccatis conceptos: in peccatis natos, iniquè viuere & omnes iuſtitias noſtras eſſe ſicut pannus menſtruatæ eſt. Hæc omnium temporum piorum etiam vox eſt, & confeſsio tam neceſſaria quàm oratio. Qui enim orare iuſsit, idem etiam confiteri, & certa lege orationis & confeſsionis modum tradidit, vt nec orare liceat integrè, niſi & delictorum culpam deprecemur. Dimitte no-
Matt.6 bis debita noſtra. Quod ſi quis ſibi placens ab hac communi lege egregius eſſe voluerit, audiat Paulum, qui, cum ne vnus quidem eſt qui faciat bonum, omnes ſub peccatum includit,
Rom. 7 Scripturæ ductus autoritate, & in ſe omnis carnis naturam exprimens, Scio, inquit, quod non habitat in me, hoc eſt, in
Ibidem. carne mea bonum. Et mox: Infœlix ego homo quis me liberabit de corpore mortis huius? Propterea nec Eccleſia pro peccatis orare erubeſcit. Ne, inquit, Domine memineris ini-
Iſa. 64 quitatis noſtræ, cito anticipent nos miſericordiæ tuæ, quia pauperes facti ſumus nimis. Adiuua nos Deus ſalutaris noſter, & propter gloriam nominis tui libera nos, & propitius eſto peccatis noſtris propter nomen tuum. Scit enim quia pro
Hiere. 5 hoc orabit omnis ſanctus. Neque verò poſſunt aliter, qui-
Pſal 118 bus peccati fœditas, & iræ diuinæ ſeueritas ante oculos eſt,
Epheſ.2 qui verè & ex animo peccauiſſe ſe dolent. Diuidunt enim peccata à Deo ſummè bono, eóque longè à peccatoribus ſalus. Hinc Paulus Epheſiis ſcribens, ait: Eratis aliquando longè à Deo, imò ſine Deo, in hoc mundo alienati à conuerſatio-
Eccleſ.12 ne Iſraël. Ideóque odio habiti Deo, audiunt: Ite maledicti
Matt. 7. in ignem æternum à me operarij iniquitatis. Non igitur
& 25 quiſquam ſibi blandiatur, cum manifeſtum ſit peccatores nos eſſe omnes. Sed nunquid ideo de ſalute deſperandum eſt, quia omnis homo peccator eſt? Minimè. Audi quid hoc Euangelium dicat: Hic peccatores recipit. Fidelis ſermo & omni ac
Ioan. 1 ceptione dignus. Quis ille ſit quæris? Ecce agnus Dei, ecce
1.Ioan.2 qui tollit peccata mundi, clamat Ioannes. Et alius ille eiuſdem nominis Apoſtolus: Ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris, non pro noſtris tantùm, ſed pro totius mundi etiam ne
Gene. 4 quiſquam deſperet vt Cain. In quo triplex nobis conſolatio proponitur, primò quia peccatores vocat ad ſe: deinde quia eoſdem recipit, tertio quia defendit. Et hæc tria ad plenam hominis iuſtificationem requiruntur. Venerunt ſue appropinquauerunt peccatores & Publicani ad Ieſum.

Non

Non est arbitrandum quòd ex sese hoc habuerint quòd appropinquarint. Præstat gratia Dei vt hoc velimus, neque enim sufficientes sumus aliquid cogitare à nobis, quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est. Et nemo venit ad Christum, nisi is, cui fuerit datum à patre cælesti, imò nisi & pater & filius traxerint, alioqui nemo veniet. Id quod Dauid intelligens, ait: Gratia eius præueniet me, & misericordia eius subsequetur me. Vocat autem Christus siue trahit duplici modo, quomodo cuique commodum, & suæ voluntati conueniens nouit: Alios interno & arcano quodam spiritus motu, quando dato spiritu mentes hominum commouet ad obedientiam Euangelij, vt hic publicani & peccatores prius commoti sunt, quam venerunt. Id quod apertè significatur per hoc quod dicitur, vt audirent eum. Israëlem Deus vocauit, sed in virga eos coërcens: testante Psalmista, quòd cum castigaret eos diluculo venerint ad se. Et Saulum pro quo etiam Stephanus orabat, cum non audirent vocantem Deum exemplo Stephani, humiliauit prius, vt obediret maiestati, qui nolebat bonitati. Ecce ergo bonitatem Dei, qui neminem vult perire. Et quomodo non accendimur, vt ipsum sequamur? Iam verò quos vocat, recipit, inque sui familiaritatem suscipit: id verò quantum sit quis dignè eloqui potest? Quem Gigantes expauescentes gemunt sub aquis, quem columnæ cæli contremiscunt, & ad cuius nutum pauent, quem angeli timent & potestates, ecce à publicanis & peccatoribus conuenitur. Non hoc ô Pharisæi vitio ipsi vertere debuistis: summum illud ingentis charitatis indicium est. O plenum pietatis verbum! Hic peccatores recepit. Quis vos hoc dicere docuit? Quæ spes nobis, qui quotidie labimur, superest, si hic peccatores non suscipit? Non hæc prima Pharisæorum vox est: Hic peccatores suscipit. Dixerunt eandem sententiam licet non eadem ipsa verba Prophetæ, confitetur Ecclesia, testantur exempla. Moses hoc ipsi primùm tribuit canticum: Dominator (inquit) Domine Deus, misericors & clemens, patiens & multæ miserationis & verax, Qui custodis misericordiam in milia. Qui aufers iniquitatem & scelera atque peccata. Et Ioël, repetitis his ex ordine verbis addit: & præstabilis super malitia. Et Ieremias: vulgo dicitur si dimiserit vir vxorem suam, & recedens ab eo, nupserit viro altero, nunquid reuertetur ad eam vltra? Nunquid non

[Margin notes: 2. Cor. 3 — Ioan. 6 — Ioan. 12 — Psal. 58 — Luce 15 — Psal. 77 — Act. 9 — Exod. 34 — Ioel. 2 — Hier. 3]

non polluta erit & contaminata mulier illa? Tu autem fornicata es cum multis amatoribus, tamen reuertere ad me dicit Dominus. Et mox: Reuertere auersatrix Israël, ait Dominus.& non auertam faciem meam à vobis, quia sanctus ego sum & non irascar vobis in perpetuum. Et sequenti capite, si reuerteris Israël, dicit Dominus, conuertere. Et alibi:
Hierem.4 Conuertimini ad me, & non computabuntur vobis peccata
Ezech.18 vestra ad perditionem. Et in Ezechiele: nunquid voluntatis meæ est mors impij, & non vt conuertatur à viis suis & viuat? Quod si Deus peccatores non reciperet, quis hominum à facie
Psal.129 iræ eius sustineret? Et, si iniquitates obseruauerit Dominus, quis (oro) sustinebit? Vt ergo certo vobis persuasum sit, esse apud Deum propitiationem & misericordiam, euidentissimis id Christus exemplis docuit, cum magnam clementiam his
Luc.15 Publicanis, maiorem Magdalenæ, maximam latroni osten-
Luc.7 dit. Vnde cum hoc ministerium suis deinceps legatis deman-
Luc. 23 daret, vt esset apud Apostolos absoluendi & ligandi potestas, meritò confiteri iussit in Ecclesia vniuersali remissionem esse peccatorum. Indignum enim ab Ecclesia reiici, quos recipit Christus. Denique si hoc etiam parum videtur quod recipit Christus peccatores, quantum illud erit, quòd etiam defendit? Vides id quòd ad se appropinquantes tantum, nondum iustificatos publicanos, contrà Pharisæorum maleuolentiam defendit, tribus admodum piis & diuina pietate dignis parabolis propositis, & quid eum circa iustificatos facere arbitrandum est? Certè in prima parabola qua pastor, illam vnicam ouem, nonaginta in deserto dimissis, tam sollicitè, tanta cura, tantóque sudore requirit, Dei optimi Maximi nostræ salutis cura proposita est: vt in Secunda Ecclesiæ solicitudo. In tertia verò quomodo peccator reuerti, & pro commissis veniam precari necesse habet. Admiranda Dei in Christo sapientia. Sic moderatur defensionem, vt & inuidis Pharisæis satisfaciat, & pro emendatione appropinquantibus addat fiduciam. Defendere ergo peccatores tertium & proprium diuinæ clementiæ argumentum est. Non autem vt coram mundo defendat, & ab eius iniuria suos vindicet solùm, sed etiam ac multo magis apud patrem id præstet. Hinc illa in Paulo confidentia: Si Deus (inquit) pro nobis, quis contra nos? Quis accusabit ad-
Rom. 8 uersus electos Dei? Deus qui iustificat. Quis est qui condemnet

demnet? Chriſtus Ieſus qui mortuus eſt, imò qui & reſurrexit, qui eſt ad dexteram Dei, qui etiam interpellat pro nobis. Hinc & Ioannes: Ipſe (inquit) eſt propitiatio pro totius etiam mundi peccatis. Aduocatum habemus apud patrem iuſtum Ieſum Chriſtum. Sed ratio ait: Audio quia Chriſtus peccatores ſuſcipit, quia defendit. Quis verò ſcit num pater velit miſereri, quibus miſertus eſt Chriſtus? His ergo & quod pater velit miſereri, quibus miſertus eſt filius. & quod Eccleſia & totus angelorum chorus exultet, ſi tales ſint, quibus rectè Chriſti applicari poſſit miſericordia, Pater in Ezechiele reſpondet, nolle ſe mortem peccatoris, nec velle perire animam, ſed expectare cogitans ne penitus pereat, qui abiectus eſt. Et Sapiens teſtatur, quòd Deus mortem non fecerit, nec lætetur in perditione hominum. Et Paulus: Deus (inquit) vult omnes homines ſaluos fieri & ad agnitionem veritatis venire. Et hoc manifeſtè oſtendit ſemper. Quoties enim Iſraël admonuit, priuſquàm eos in manus inimicorum daret? Et cùm mundum diluuio delere ſtatuiſſet propter impietatem, centum & viginti annos pœnitentiæ dedit. Sic nec Sodomam incendio conflagrauit, niſi vbi prius deſcenderet & videret, ſi verum eſſet, cuius ad ſe fama perueniſſet Sic Chriſtus in Matthæo de patre: Sic non eſt voluntas ante patrem veſtrum qui in cælis eſt, vt pereat vnus de puſillis iſtis: Et ipſe pater teſtatur ſibi in filio complacuiſſe, Sed & Paulus Deum in Chriſto fuiſſe, qui ſibi in ipſo mundum reconciliauiſſet, teſtis eſt. Vna eadémque eſt patris & filij operatio, & quod filius facit, acceptum patri ſemper eſt, quem pro ſua reuerentia exaudit. Et quomodo poſſent patri non eſſe grati, quos Chriſtus ſuſcipit & defendit quorũ aſſumptione cœlum impletur, Diaboli poteſtas minuitur, terra admiratione repletur. & denique angeli gaudẽt? Sed non eſt neceſſe pluribus hic de hac re agamus Vnde enim eiuſcemodi cogitationes in humana mente oriantur, nouimus. Non habet Eccleſia alium magis neceſſarium theſaurum hoc ipſo, quod credimus & confitemur, peccatores per Chriſtum recipi, inque gratiam reſtitutos patris, cohæredes fieri filij Dei. Neque enim ſine hac ſpei certitudine quicquam vel fides vel ſacramenta valebunt. Aeterna inquietudo, pauor & cruciatus horrendus conſcientiarum eſt, vbi remiſſio peccatorum verè non creditur. Hoc ergo bonum Diabolus eripere nobis

Ezech.18
1.Reg.14
1.Tim.2.
Gene.6
Gene.19
Matt.18
Matt.3. 17

M ſoli

solicitè laborans iam Pharisæis Iudæorũ persuadet, alienum esse à persona Dei filij cum Publicanis & peccatoribus commertia habere:non esse eum Christum: iam etiam Christianos adoritur, quos contrario ab illo, dementat toxico. Quid (inquit)tãta cura pietatem sectaris, cur tam sedulus in mandatis Dei teipsum enecas? Quin in quibuslbet obuium respice Christum. Delectatur ille plures habere, quibus suam in remittẽdis delictis facilitatem exhibeat. Quin liberè peccas, vt incrementum gratiæ addas? His ille totum ferè mundum adimpleuit. Nec hoc malum hoc tantum tempore plures necat, Paulus etiam suo tempore fuisse, clarè docet, qui hac persuasione Satanæ inebriati, dixerint: facienda esse mala, vt veniant bona. Et quidem quod ad Pharisæos, suprà ostensum est, vocare, recipere, & defendere peccatores, non quoslibet, sed hoc beneficio dignos, esse opus Christi. Tria enim in peccatore consideranda sunt: natura, peccatum, & pœnitentia. Naturæ debemus compati, peccatum odisse, pœnitentiam absentem desiderare & optare, præsentem exosculari & amplecti. Vera enim iustitia compassionem, falsa indignationem habet. Pharisæi cæci ad trabem quem in oculis suis celare nitebantur, oculatissimi ad festucas proximorum, nec naturæ compatiebantur nec pœnitentiam amplectebantur, sed solùm in peccatum respiciebant. At Christus naturæ compassionem habuit, pœnitentiam quam inspirauit, respexit: ideóque peccatum deleuit, resipiscentes defendit, non hîc solùm, sed & alibi. Hinc etiam cùm Matthæum vocasset, rogantibus Pharisæis cur magister discipulorum manducaret cum Publicanis & peccatoribus, respondit: Non valentes, sed male habentes opus habere medico. Et alibi ait: Misericordiam volo, non sacrificium. Et cùm peccatricem illam absolueret, quanta pietate defendit? Tum etiam cùm deprehensam in adulterio mulierculam adduxissent, & quam ferret sententiam, operirent, licet adulteram non excusaret, pœnitentem, tamen qua clementia defendit? Sic pastor bonus ouem quærere debuit perditam. Sic sapientia Dei accenso lumine, drachmam voluit inuenire amissam. Sic paterna pietas perdito obuiam potuit ire filio. Quiescat ergo Pharisæus inuidus, & salutem quam ipse contemnit, ne aliis inuideat. Cum malè Christianis, reliquum huius sermonis consummare, visum est operæ

Roman. 9 · *Gregor.* · *Matt. 9* · *Osee 5* · *Luca 7* · *Ioan. 8*

operæpretium. Hic peccatores recipit, quia ideo in mundum venit, vt peccatores saluos faceret. Nobis ille natus est, vixit, & passus est. Neque enim aliæ sunt oues, quàm quas ille quæsiuit, & inuentas positas cum omnibus infirmitatibus & doloribus suis in humeros, ad gregem reportauit. Nos oues eius pascuæ, & populus eius. Nos drachma perdita, in qua per peccati vetustatem Dei regis exesa imago fuerat. Sed nunquid ita requisiti & inuenti, vt nihil referat quam vitam viuamus? An desidibus & odio torpentibus, hæc filiorum bona conueniunt? Nolo enim iam de malè agentibus dicere. Vide ergo ne tibi sit ad mortem, quod aliis prodest ad vitam: hic peccatores recipit. Non idem est peccator peccans, & peccator pœnitens. Nam ne longius abducam vos, quos recepit hic Christus peccatores fuerunt, & qui hoc inuidebant, tales, aut certè non multum absimiles fuerunt; sed quia illi pœnitentes, hi peccantes & inuidentes erant: ideo his derelictis, illos recepit. Pœnitentia ergo facit vt recipiaris, inuidentia vero, vt relinquaris, & quemadmodum suprà dictum est, peccata diuidunt à Deo, & longè à salute seponunt, pœnitentia appropinquat ad Deum. Hinc vt horum intelligeres pœnitentiam, dictum est appropinquasse. Sic Matthæus peccator fuit pœnitens, & qui longè à Deo peccatis recesserat, appropinquauit pœnitētia. Talis erat & Zachæus, qui reddendis fraude partis, obstacula inter salutem & se, amouit, ad Christum appropinquauit, salutem quam quæsiuit, inuenit. Hinc nos quoque Scriptura alloquitur, cùm longè positos per pœnitentiam appropinquare hortatur. Clamat Christus: Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis: ego reficiam vos. Tollite iugum meum super vos, & inuenietis requiem animabus vestris. Sed & Iacob Christum sequutus, clamat. Appropinquate Deo, & appropinquabit vobis. Sed quid addit? Emundate manus ô peccatores, & purificate corda vestra duplices animo. Et vt veteris cum noui Testamenti coniungas voces, Isaias clamat: Quærite Dominum dum inueniri potest, inuocate eum dum prope est. Et quid addit? Derelinquat impius viam suam, & vir iniquus cogitationes suas, & reuertatur ad Dominum, & miserebitur eius, & ad Deum nostrum, quoniam multus est ad ignoscendum. Videte ordinem rei, Christus vocat omnes ad se, Apostolus & Propheta iubent vt accedamus ad eũ, sed

Luce 15
1. Timot. 1
Isaie 53
Psal. 94
Ioan. 10
Isa 59. 55
Psal. 128
Matth. 9
Matt. 11
Iacob. 4
Isaie 55

tamen Christus vult vt iugum suum in nos tollamus: Apostolus, vt emundemus manus,& corda purificemus: Propheta, vt relinquamus viam & cogitationes nostras prauas hortantur. Et hæc certè opera sunt pœnitentiæ. Hoc ergo modo accedere nos oportet, si gratiam inuenire delectat. Et cùm aliud inueniendæ gratiæ medium non est, præter pœnitentiam, ideo Ecclesia quotidie salutem suorum exoptans hortatur dicens: Accedamus igitur cum fiducia ad thronum gratiæ, vt consequamur misericordiam,& gratiam inueniamus ad auxilium oportunum. Neque enim mulier illa accenso triplici, admonitionis, orationis,& exempli, lumine: alia via nos ad Christum potuit ducere, quæ nunquam habuit animum seducere. Nouit illa misericordiam & gratiam Christi annunciare, prædicare nouit & pœnitentiam, sciens voluntatem sponsi, & quòd non possit remissio peccatorum intelligi, sine præcedente pœnitentia. Sic præcipit Christus, vt in nomine suo prædicaretur pœnitentia & remissio peccatorum in omnes Gentes D. item Petrus non alia causa eum dicit promissiones suas suspensare, quàm quòd patiẽs erga nos, dum non vult aliquem perire, omnes ad pœnitentiam velit recipere. Et Paulus, Ignoras inquit, ô homo, quòd bonitas & benignitas Dei ad pœnitentiam te inuitat? Et alibi: Obsecramus ergo vos tanquam legatione Dei fungentes, reconciliamini Deo. Idem etiam Ephesiis testatur, Iudæis & Gentibus pœnitentiam se prædicasse. Tum etiam Ioannes in Apocalypsi sua hoc vocabulo pœnitentiæ sæpe vtitur: Pœnitentiam age, & vnde excideris cogita. His ergo apertum fieri arbitror, quòd Christus in peccatoribus pœnitentiam respiciat, at cum omnibus commisereatur, solos tamen pœnitentes recipiat, atque defendat, Cùm igitur Dei in hoc misericordia, qui Christi merita manifestata sint, quòd misereri velit, ac dilectorũ pœnitẽtia ductos in gratiam recipere, quemadmodum hoc Euangelium exemplo simul & parabolis docuit, quid restat, nisi vt eadem via incedamus, qua Christus verè inueniri vult, & se quærentibus peccata dimittere? Fecit ille quod suum est, faciamus nos quod nos decet. Nihil enim proderit, hæc audire, nisi mens est, velle imitari. Accedere oporret ad eum qui habet, quod nos desideramus. Non desidibus hæc dona conueniunt, Sed adhuc qua via incedendum sit, quæris? En tibi Petrum in hodierna Epistola viam

mon

Marginal notes: *Hebr. 4*; *Lucæ 24*; *2. Petri 3*; *Rom. 2*; *2. Cor. 5*; *Acto. 10*; *Apo. 2. 3*

monstrantem: Humiliamini (inquit) sub potenti manu Dei, vt vos exaltet in tempore visitationis. Omnem curam vestram proiicientes in eum, quoniam ipsi cura est de vobis. In eandem sententiam Christus in Euangelio loquitur: Pœnitentiam agite, & credite Euangelio. Duo sunt pœnitentia & fides. Qui ergo sese pœnitentia humiliat, & credens omnem in Christum curam proiicit, hic verè ad Deum appropinquat. Nam & Deus prope est iis qui sunt contrito corde, & humiles spiritu saluabit. Et in Isaia loquens: Super quem (inquit) requiescet spiritus meus, nisi super humilem corde, & trementem sermones meos? Et rursum Petrus: Deus (inquit) superbis resistit, humilibus autem dat gratiam. Sic & prope est omnibus inuocantibus eum in veritate. Sine enim fide placere Deo impossibile est. Proinde accedentem ad Deum, oportet credere: Sed nunquid ad Deum appropinquare satis est? Initium hoc salutis, non consummatio est. Vt gratiam remissionis peccatorum consequare apud Deum, duo necessaria sunt: Fides & pœnitentia. Vt hanc conserues, duo item requiruntur, quæ Petrus indicat: Sobrij, inquit estote, & vigilate, quoniam aduersarius noster diabolus, vt leo rugiens circuit, quærens quem deuoret. Addit secundum: Deus autem omnis gratiæ, qui vocauit nos ad æternam suam gloriam in Christo Iesu modicum passos, ipse perficiet, confirmabit, solidabítque. Vtrunque necessarium. Hostem habemus nostræ salutis inuidum: contra, Deum & patrem omnis gratiæ diuitem fontem: Hosti resistẽdum, Deo adhærendum est. Et hic verus gratiæ vsus, per pœnitentiam quæsitam gratiam, pia & cõstanti vita seruare. Non enim ideo Christo appropinquauimus, nõ ideo Christi humeris ad gregẽ repositi, perditiq; fidei & orationis lumine requisiti, vt quasi de nobis securi nihil timeamus, torpentes nihil agamus, sed magis vt per bona opera vocationem nostram certam facere studeamus. Sit ergo ante oculos Dei pietas, quam ad ignoscendum multus est, cogitemus peccati, quod nos Deo inuisos reddit, fœditatem, & si necdum appropinquauimus, Publicanorum exemplo muniti accedamus, si iam prope sumus, perstantes perseueremus in Christo Iesu domino nostro. Nihil enim proderit hæc audire, ꝙ Publicani appropinquauerint, ꝙ Christus contrà inuidorum rabiem defenderit, nisi talem nobis etiam Christum fore, firmiter crediderimus, & ea pro-

1. Pet. 5 · Marc. 1 · Psal. 35 · Isaie 66 · 1. Petri 5 · Psal. 144 · 1. Petri 5 · 2. Petri 1

pter est ad eum relicta vana conuersatione accelerauerimus. Id quod facere nos præstet gratia Christi, qui viuus regnat & permanet in æuum.

DOMINICA QVINTA POST PENTECOSTEN EVANGELIVM.

LVCAE VI.

ESTote ergo misericordes, sicut & pater vester misericors est. Nolite iudicare, & non iudicabimini. Nolite condemnare, & non condemnabimini. Dimittite, & dimittemini: Date & dabitur vobis. Mēsuram bonā & cōfertā, & coagitatā, & super effluētē dabunt in sinū vestrū. Eadem vero mensura qua mensi fueritis, remetietur vobis. Dicebat autem illis per similitudinē: Nunquid potest cæcus cęcū ducere. Nónne ambo in foueā cadunt? Non est discipulus super magistrum: perfectus autē omnis erit, si sit sicut magister eius. Quid autem vides festucam in oculo fratris tui, trabem autē quæ in oculo tuo ęst, non consideras? Aut quomodo potes dicere fratri tuo, Frater, sine eiiciam festucam de oculo tuo, ipse in oculo tuo trabem non vides? Hipocrita, eiice primùm trabem dę oculo tuo, & tunc perspicies, vt educas festucam de oculo fratris tui.

EADEM DOMINICA EPISTOLA ROMAN.

VIII.

EXistimo enim, quòd nō sunt cōdigna passiones huius temporis ad futurā gloriā quæ reuelabitur in nobis. Nam expectatio creaturæ reuelationē filiorū Dei expectat. Vanitati enim creatura subiecta est, non volens, sed propter eū qui subiecit eam in spe, quia et ipsa crea-

tura liberabitur à seruitute corruptionis in libertatem gloriæ filiorum Dei. Scimus enim quòd omnis creatura ingemiscit & parturit vsque adhuc. Non solùm autem illa: sed & nos ipsi primitias spiritus habentes, & ipsi intra nos gemimus adoptionem filiorum Dei expectantes redemptionem corporis nostri.

SERMO.



Vòd misericodem in remittendis peccatorũ debitis Deum habeamus, proxima Dominica Euangelij testante historia, audiuimus. Planè enim Christus, cùm vera patris imago est, quæ patris natura sit, indicat, cùm peccatores publica infamia notos ad se vocat, venientes in gratiã suscipit, susceptos hîc, contra inuidorum rabiẽ defendit, & patri Deo Deus assistens Pontifex pro sua reuerentia excusat. Cùm igitur eiuscemodi naturam in Deo patre amamus filij, ac vehemẽter illa reficimur, cõuenienti modo ad quid valeat credere quòd misericors sit Deus, hîc docemur. Neque enim arbitrandum est, quòd ideo Deus prædicetur misericors, vt nos ad ipsum misericordiam petitum eamus tantùm (imperfectus enim ille misericordiæ vsus est) verùm etiam ac multò magis, vt paterno ipsius exemplo admoniti filij, misericordiam porrò fratribus præstemus. Qui misericors est, pater noster est, qui misericordiam præcipit & facit, magister & frater est. Quid decentius, quàm filios naturam imitari patris? quid honestius quàm vt fratres & discipuli obediamus monitis? Fide misericordiam Dei credimus, experiẽtia fratres misericordia egere videmus mandato misericordiã præstare monemur. Eiusdem Dei præcepta sunt & credere & misericordiã præstare. Cur ergo misericordiam præstare tardamur? Vt fides promissionem habet & meritum, ita etiã misericordia. Sed & ingens hæc Dei misericordia est, ꝙ cùm præcipit, mercedis promissione allicit: Nempe ꝙ & ipsi misericordiam sint cõsequuturi. Ne scilicet quod præcipitur, graue esse videatur, maximè cùm misericordiæ præceptum, promissionis abũdantia superatur. Lucri spes hominibus laboris quãtumlibet ardui mitigatio est. Vt enim lucrentur, terram colit rusticus, miles castra sequitur, negotiator maris, terræque pericula subit intrepidus. Nec tamen

vel de frugibus agricola, vel de victoria miles, vel de lucro
2 Timo. 2 negotiator certus est. Casus & fortuna reb' in humanis sunt:
veritas in Dei promissione est, & omnis homo mendax est.
Deus vt nullum fallit, sic fallitur à nemine. Non ergo solam
fidem fœlicitate remunerat qui misericordes esse nos vult &
edocet, nec cõcedit quisq; sibi pro suo arbitratu virtutis exercitamenta
seligat, qui modum formámq; virtutis præscribit
& mãdat. Estote, inquit misericordes, sicut & pater vester mi-
Aug. 9 de sericors est. Misericordiam Augustinus alienæ miseriæ in cor
ciui. c. 14 de nostro, cõpassionem dixit, qua vtique si possumus subueni
re impellimur. Fertur enim in alium, non autẽ seipsum tantùm
respicit. Vnde pater cùm nullius indiget, sua misericordia,
qua aliis gratuitò benefacit, suũ gradũ obtinet, & nos ad
suæ misericordiæ fastigiũ vocat. Vbiq; aũt ferè duo coniũgit,
affectũ & manum. Affectum, quo compatimur: manum, qua
Matt. 9 subleuamus, hoc modo intelligendi sunt scripturæ loci. Di-
scite quid sit, misericordiã volo & non sacrificiũ, & scientiam
Ose 6 Dei plus quã holocausta. Sic Michæas: Indicabo tibi, ô homo,
Mich. 6 quid sit bonũ, & quid Dominus requirat à te: vtiq; facere iudicium,
& diligere misericordiam. & solicitum ambulare cùm
Isaia 58 Deo tuo. Et Isaias: Dissolue colligationes impietatis, solue fa-
sciculos deprimentes. Dimitte eos qui confracti sunt libros, &
omne onus dirumpe. Frange esurienti panem tuum, & egenos
vagósq; induc in domũ tuã. Cùm videris nudũ, operi eum,
& carnẽ tuã ne despexeris. Tunc erumpet quasi mane lumen
tuum: inuocabis, & Dominus exaudiet te, clamabis, & dicet:
Ecce assum. Ecce vt Propheta consentiat Euangelio: Autoritate
Prophetica ex Dei mandato misericordię opera pręcipit,
& eodẽ Spiritu misericordiæ præmium promittit. Qua in re
Dauid Propheta regius, cum multa solicitudine misericordię
remunerationes enumerat, beatũ planè hominem in quo illa
Psal. 40 est, pronunciat: Beatus inquit, qui intelligit super egenum &
pauperẽ, siue (vt Hebræus habet) beatus qui prospicit oppres-
so in infirmitate, in die mala liberabit eum Dominus. Dominus
opem ferat illi super lectum doloris eius vniuersum stratum
versasti in infirmitate eius, imò Dominus cõseruet eum,
& viuificet eum, & beatum faciat in terra, & non tradat in
manus inimicorum animam eius. Et alibi: Iocundus homo
qui miseretur & commodat, disponit sermones suos in iudicio,
quia in æternum non commouebitur, in memoria æter-
na

na erit iustus, ab auditione mala non timebit, paratum cor eius sperare in Domino, confirmatum est cor eius, & non commouebitur, donec despiciat inimicos suos. Habet ergo misericordia promissiones & huius & futuræ vitæ. Id quod senior Tobias animaduertens, filium ad misericordiæ opera cohortans, ait: Ex substantia tua fac eleemosynam, & noli auertere faciem tuam ab vllo paupere. Ita enim fiet, vt nec à te auertatur facies Domini. Quomodo potueris, ita esto misericors. Si multum fuerit tibi, abundanter tribue: si exiguum tibi, etiam exiguum libenter impertiri stude. Præmium enim bonum thesaurizas tibi in die necessitatis, quoniam eleemosyna ab omni peccato liberat, & morte, & non patietur ire animam in tenebras. Fiducia magna est coram summo Deo eleemosyna omnibus facientibus eam. Propterea panem tuum cum esurientibus & egentibus comede, & de vestimentis tuis nudos operi. Hinc etiam Daniel regem vt peccata sua eleemosynis redimeret, hortatus est. Iam verò non solùm veteris instrumenti patribus de misericordia præstãda, lex data est, nos etiam idẽ mandatum includit, qui iisdem præmiis gaudere, & eiusdem patris filij esse volumus. Nullus nobis excusationis locus relictus est. Si tibi ipsi propria in domo curta supellex est, nec quod des, habes ipse, beneuolentiæ hactenus sufficit affectus. Si quidem, teste Salomone, is etiam à Domino benedicetur, qui propenso animo est ad misericordiam, siue qui (vt in Hebræo legimus) bono est oculo ad pauperes. Neque vel beneuolentiæ vel beneficentiæ terminis misercordiæ concluditur significatio. Latius hoc vocabulum diffunditur, cùm in omnibus iis rebus erga proximum misericordiam præstare iubemur, in quibus erga nos patris manifestatur beneficentia. Si enim aliquid horum deest, perfecta & ad paternæ misericordiæ mensuram plena non est, nec eò Deo grata, nobisve digna est. Perfecta patris misericordia est, qua & pauperibus nobis necessaria abundè subministrat, & delinquẽtibus ignoscit, & malis benefacit, odientes se denique amat. Quòd autem pauperibus nobis necessaria largitur, Dauidis testimonio comprobatur, qui his eum verbis alloquitur: Tu Domine aperis manum tuam, & imples omne animal benedictione. Et: Omnia à te expectant, vt des illis escam in tempore. Dante te illis colligent, aperiente te manum tuam, omnia adimplebuntur vbertate. Non

Tobiæ 4

Dani. 4

Prou. 12

Psal. 144

Psal. 103

autem: huius solùm vitæ necessaria largitur, sed etiam quæ
Roma. 11 futuræ sunt, imò ipsam salutem: cùm diues in misericordia,
Tit. 3 regeneratos nos in spem viuam saluos facit, & de filiis iræ,
Ephe. 4 filios efficit gratiæ, eripiens de potestate tenebrarum, trans-
Coloss. 2 stulit in admirabile lumen, & in regnum filij dilectionis suæ.
Vnde Christus ipse. Nolite, inquit, timere pusillus grex com-
Luce 12 placuit enim patri, dare vobis regnum. Sic delinquentibus nobis ignoscit, cùm licet vt filios virga corrigit, vt pater tamen miseretur nostri, propter pœnitentiam dissimulans
Psal. 102 peccata hominum. De quo superiore Dominica dictum
Sapien. 11 est. Denique malis nobis & inimicis suis benefaciat,
Roman. 5 quia & cùm essemus inimici, reconciliauit nos patri, prior
Apoc. 1 diligens nos, & lauans nos à peccatis nostris in sanguine suo. Hæc igitur plena & perfecta paternæ dignationis misericordia est. Cùm ergo ita nos Christus misericordes esse vult, vt est pater: vbi, quæso eorum excusatio, qui se paratos quidem misericordiæ opera præstare asserunt, eos tamen qui ea fortè egent dignos non esse, quòd vel in se vel in alios sibi coniunctos, nescio quid indignius aut dixerint aut fecerint? Deus non respicit quòd inimicis be-
Matt. 5 neficia præstet, tantùm suæ naturæ (quæ est bonitas & mi-
Luce 6 sereri) recordatur. Quæris vnde hoc sciam? Audi Christum: Audistis (inquit) quia dictum est: Diliges proximum tuum, & odio habebis inimicum tuum: Ego autem dico vobis: Diligite inimicos vestros, benefacite iis, qui oderunt vos, & orate pro persequentibus vos & calumniantibus, vt sitis filij patris vestri, qui solem suum oriri facit super bonos & malos, & pluit super iustos & iniustos. Si enim diligitis eos qui vos diligunt, quam mercedem habetis? Nonne & publicani hoc faciunt. Et si salutaueritis fratres vestros tantùm, quid amplius faciatis, nonne & Ethnici hoc faciunt? Estote ergo perfecti, sicut & pater vester cælestis
Exod. 23 perfectus est. Adde his quæ Moses summi Dei legislator dictitauit: Si occurreris boui inimici tui, aut asino errati, re-
Rom. 12 duc ad eum. Si videris asinum odientis te, iacere sub onere, non pertransibis, sed subleuabis cum eo. Quin & Pauli monitio hic locum habet: Si, inquit ille, esurierit inimicus tuus, ciba illum: si sitit da potum illi: hoc enim faciens carbones ignis congreges super caput eius. Si ergo indignus tua misericordia inimicus est, cui id præstas beneficij, dignus

 tamen

tamen Deus est propter quem præstas, quique vt facias, iubet. Quòd si indignitatem proximi nimirũ cogitas, ita vt ei quod potes detrahas. Time ne & Deus tuam indignationẽ cognoscat, & cùm eges, & peris, faciem à te suã auertat. Sed ais, Cur ego inuenio viros sanctitate celebres inimicis suis malè precatos, quum potuerunt bene facere, si mihi non licet non benefacere? Inuenio enim quod & Noë filio suo Cham maledixerit, & Dauid Ioab mala multa imprecatus sit. Similiter & Helizæum pueris se illudentibus, & Petrum Simonẽ Magum diris deuouisse legimus. Sed & Paulus excidi optat eos qui conturbabant Galatas. Verùm breuis responsio. Neque enim sua causa impiis mala imprecati sunt, sed propter Dei zelum. Videbant enim Dei nomen per hos blasphemari, ideo sublatos volebant è medio. Quòd si arduum nimis inimicis benefacere, & orare pro persequẽtibus arbitraris (qui duo supremi Christianæ perfectionis gradus sunt) vide quàm tuæ infirmitati Deus consultum expetat. Gradus tibi dilectionis proposuit, vt si summa (carne pressus) attingere statim non potes, ab imis ad summa discas ascendere, Noli irasci, neminem nisi lacessitus lædas, non vltra iustam talionem reddas, nullam vindictam cupias, esto paratus grauiora perpeti ne tibi inimicum damno afficias, quin ipsum diligere, ipsi benefacere, pro ipso denique orare studeas. Hæc ergo huius Euangelij summa est vt paternæ te perfectioni studeas quã simillimum facere, & vt id possis, inferiores aspice gradus, per quos necesse est assurgere. Ideo enim qui mandauit misericordiã, prohibuit iudicium, vt prius discas à malefactis desistere, quã incipias summa virtutis petere. Dicit enim, Nolite iudicare & non iudicabimini. Non vult (vt quidam malè interpretati sunt) vt omne iudiciorum genus auferatur. Est enim iudiciũ conscientiæ, quo Spiritus in nobis inhabitans inferiores rationis affectus diiudicat ac discernit, quod si tollatur, humanarum Respublica mentium ab internæ pacis quiete turbabitur, dissentio orietur, fiétque vt qui præesse debuit supprimatur Spiritus, in vincula denique coniiciatur, & vulgus cupiditatum, sine respectu, præsidis locum obtinebit, quousque tandẽ aliquando gemitu captiui Dominus vniuersitatis motus inter vtrumque iudicet & vindicet. De quo quidem iudicio Paulus ad eos, qui suppresso Spiritu seditio sè secum habitant, loquitur, Quod si, inquit, nosmetipsos diiudicaremus,

Gene.9 *1.Reg.3* *4.Reg.1* *Act.8* *Gala.5* *1.Cor.11* *1.Cor.2*

non

non vtique diiudicaremur. Dum iudicamur autem, à Domino corripimur Et, Spiritalis omnia diiudicat, & ipse iudicatur à nemine. Hoc iudicium sequitur condemnatio, cum Spiritus recuperatis viribus per gratiam Dei, seditiosos affectus in manu carnificum, hoc est, perpetrati mali conscientia, & futuri iudicij horrore, comprimit, quousque facinoris indignitatem agnoscant, & se in iusto officio detineri fateantur.
Rom. 12 & 13 Est præterea iudicium Magistratus, siue superioris potestatis, qui (teste Paulo) Dei ordinatio est. Hic acceptum diuinitus gladium frustra non portat, sed ad vindictam malorum, & ad pacem bonorum stringit. Et verè iudicium habet, quia gladium incognita causa non stringit. Hoc porrò iudicium horũ verborum autoritate abolere, quàm sit indignum, ex eo facile licebit colligere, quod Paulus dicit, quia qui magistratui
Ibidem resistit (ne dicat, planè abolet) Dei ordinationi resistit. Adhæc est iudiciũ fraternę correptionis in quo, qui Spirituales sunt, de carnaliter viuentibus iudicãt ac secernũt. Cuius ipse Christus in Matthæo meminit Si (inquit) peccauerit in te frater
Mat. 18 tuus, vade & corripe eum inter te ipsum solum. Si te audierit, lucratus eris fratrem tuum. Si te non audierit, adhibe tecum adhuc vnum vel duo, vt in ore duorum vel trium stet omne
Chris. 61 verbũ. Quod si non audierit eos, dic Ecclesiæ, hoc est (vt Chrisostomus exponit) præsulibus & præsidentibus. Si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus & Publicanus. Postremò est & iudiciũ rectæ rationis, quo mala, mala esse, bonáq; bona diiudicamus & dicimus. Quod qui peruertit, grauiter delinquit. Isaias enim graphicè, illud Væ omnibus per-
Isa. 5 uersi iudicij hominibus minitatur, Væ, inquit, qui dicitis malum bonum, & bonum malum, ponentes tenebras lucem, & lucem tenebras, ponentes amarũ in dulce, & dulce in amarũ. Et exponens quod ait, porrò addit, Qui iustificatis impium
Prou. 17 pro muneribus & iustitiam iusti aufertis ab eo. Cui Salomon consentiens rectè subdit, Et qui iustificat impium, & qui condemnat iustum abominabilis est vterque apud Deum. Quæ iudiciorum genera necessariò in Republica conseruantur, quibus sublatis horribilis sequeretur omnium ordinum confusio. Loquitur ergo de alio quodam iudicio, déque alia quadam damnãdi libidine. Fit autem vt in foro, ita in hoc etiam peruerso iudicio. Magistratus singulorum vitas scrutatur, cognito malorum facinore, obiiciunt commissa, post palam faciunt,

faciunt, demum lata sententia in sontes seuerius animaduertunt. Hunc modum quidem obtrectatores, non autem veritatem sequuntur. Solicitè vitas rimantur singulorum, & trabis suæ quam cæcucientibus oculis circunferunt obliti, fraternę imperfectionis deprehensa festuca, obiiciunt crimen, deinde palàm enunciant, vt audita vulgi sententia, grauiorem crimine pœnam ipsi excogitent. Séque interea bellè & splendidè prædicant. His ergo dicitur, Nolite iudicare & non iudicabimini. Nolite condemnare & non condemnabimini. Non *Act.9*
aliis faciant, quod ipsi sibi fieri nollent, non esse huius viæ iu- *Mat.27*
dicare. Posse enim qui iustus modò est iniustum fieri, & con- *Luc.23*
tra eum, qui iniustus est, iustum effici. Saulus prius Ecclesiæ persequutor, post factus est vas electum Domino. Latro in cruce in ipso mortis articulo ex filio diaboli, hæres pronunciatur paradisi. Contra Saul & Iudas ad tempus boni, postea *1.Cor.4*
facti sunt omnium pessimi. Propterea Paulus monet, Nolite *Rom.14*
ante tempus iudicare. Neque enim nostrum est de alieno seruo iudicare, qui suo Domino stat & cadit. Sed & falsum est *Act.1*
nostrum iudicium omne, qui vix ea, quæ intra nos ipsos sunt *Psal.7*
nouimus. Deus scrutator est cordium qui & nouit intima *Iere.17*
mentium. Quod si sinistrè iudicandi libido solicitat, magni illius iudicij horror affectum frangat. Nemo enim si forte humanum euitauerit iudicium (quod rarissimè fit) supremi iudicis sententiam effugiet. Hoc si timetur, facile iudicandi alienum seruum peribit affectus. Clamat Dauid, Ne intres *Psal.142*
Domine in iudicium cum seruo tuo, quia non iustificabitur in conspectu tuo omnis viuens. Si iniquitates obseruaueris *Psal.129*
Domine, Domine quis sustinebit? Hic ergo sit tibi primus gradus, qui ad magis ardua conaris pergere. Quisquis enim iusta Dei vult implere, à prohibitis primum debet abstinere. Sequitur enim, Dimittite & dimittemini. Hoc grauius præcedente est. Citius enim non iudicabis aut condemnabis, quàm peccanti in te remittas. Vindictæ enim cupidus omnis homo est, & lacessitus omnis acceptam propellere conatur iniuriam. Id quod clarè in Petro, qui tum adhuc carnem sa- *Mat.18*
piebat, videre est, Domine, inquit quoties peccabit in me frater, & dimittam ei? At si verè Christiani esse, si alta virtutum sectari, si paternæ perfectioni confirmari iuuat, remittendum omnino est, Non quòd ita sit meritus qui fecit iniuriam, sed quia is mandauit, qui vt aliis remittamus, peccatorum nostrorum

strorum ipse præstat veniam. Propterea enim dicit, Dimittite & dimittemini quasi dicat, peccata si non dimiseritis peccantibus in vos, vestra etiam ipsorum manebunt super vos.
Mat.6 Id quod alibi dicit clarius, Si dimiseritis hominibus peccata eorũ, dimittet & vobis peccata vestra pater vester cælestis. Si autem nõ dimiseritis, nec pater vester dimittet vobis peccata vestra, & hac lege oramus, ita nobis nostra delicta dimittat, sicut nos dimittimus nostris debitoribus. Et quia impossibile est iram Dei deprecari si ipsi iram in proximum seruamus,
Marc.11 commodè Christus monet dicens, Cum stabitis ad orandum, dimittite si quid habebitis aduersus aliquem, vt & pater ve-
Deu.27 ster dimittat nobis peccata nostra. Habemus & nos, & illud
Rom.6 quidem ingens, quo Deo Patri obærati sumus, debitum qui pro transgressione mandatorum eius maledictioni obnoxij, peccati meremur stipendium, mortem. Et quæ (malum) nos cœpit iniquitas, vt negemus aliis, quod nobis præstari petimus? Maius est quod nos in Deum facimus illo, quod in nos
Eccle.28 frater. Qui ergo iudicari vult, teste Salomone, à Domino inueniet. Et peccata illius seruans seruabit. Relinque (inquit) proximo tuo nocenti te, & tuo vocanti te. & tunc deprecanti tibi peccata soluentur. Homo homini reseruat iram, & à Deo quærit medelam. In hominem similem sibi non habet misericordiam & de peccatis suis deprecatur? Ipse dum caro est reseruat iram & propitiationem petit à Deo. Quis exorabit
Mat.18 pro peccatis illius? Huic dicet aliquando Deus, Serue ne-
Luc.21 quam, omne debitum tuum dimisi tibi quoniam rogasti me. Nonne ergo oportuit & te misereri conserui tui sicut & ego misertus sum tui? Hic missus in carcerem non exibit donec nouissimum reddat quadrantem, Neque tamen in hoc quie-
Luc.6 scendum. Vt dimittas proximo, pergendum est, dandum etiã,
Luc.11 vt detur nobis. Non vno id modo fit. Alibi dicit, Mutuum da-
Luc.16 te, nihil inde sperãtes. Et, Quod superest, date eleemosynam, & ecce omnia munda sunt vobis Et iterum; Facite vobis amicos, de mammona iniquitatis, vt cum defeceritis, reci-
Eccle.29 piant vos in æterna tabernacula. Et Salomon, Absconde, in-
Prou.19 quit, eleemosynam in sinu pauperis, & hoc exorabit pro te ab
2.Cor.8 omni malo. Qui enim miseretur pauperis, fœneratur Domino. Et Paulus abundanter tribui vult cum ait, Qui parcè seminat parcè & metet, qui seminat in benedictionibus, de benedictionibus & metet. Vtique mensuram bonam & con-

fertam

fertam & coagitatam & supereffluentem recepturus. Magna promissio, pro terrenis cælestia, pro caducis sempiterna recipere. Sic enim mensuram intelligunt patres, vt per bonam, fœlicitatem animæ, per confertam, glorificationem corporum, per coagitatam Angelorum communionem, per supereffluentem, æternam diuinæ maiestatis contemplationem voluerit insinuare. Vt idem sit hanc mensuram recipere quod beatum esse. Dicit enim alibi misericordes beatos, & *Luc 6*
quod sint misericordiam consequuturi. Quòd si quis iudicare, damnare, vindicare, nihilque dare voluerit audiat quid sequitur, Eadem mensura, qua mensi fueritis, remetietur vobis. Et hæc quidem cum omnibus dicta sint, ad eos tamen in primis pertinent qui Apostolico per totum orbem funguntur munere. Quomodo enim misericordiam suadebit immisericors? Quomodo dandum esse persuadebit, qui ipse nihil dat, aut etiam aliena rapit? Quomodo à detractione alios dehortabitur, qui ipsemet detrectator existit? Propterea subditur, Nunquid potest cæcus cæcum ducere? Nonne ambo in foueam cadunt? Non est discipulus super magistrum, *Mat. 5*
perfectus autem omnis erit, si sit sicut magister eius. Et alibi, Quod si sal infatuatum fuerit, in quo salietur? Ad nihil valet vltra, quam vt eiiciatur foras, & conculcetur ab hominibus. Si lumen quod in te est, tenebræ sunt, ipsæ tenebræ quantæ erunt? Quanquam alibi his ferè verbis in aliam sententiam loquutus est. Vt in Matthæo, Si Patrem familias *Mat. 10*
Beelzebub dixerunt quanto magis domesticos eius? Et in *Ioan. 15*
Ioanne, Mementote sermonis mei, quem ego dixi vobis. Non est discipulus maior Domino suo. Si me persecuti sunt, & vos persequentur. Nempè quos præsciuit pater ab æterno, hos & *Rom. 8*
prædestinauit conformes fieri imagini filij sui. Propterea qui sequi vult me, tollat crucem suā & sequatur me. Exemplum *Mat. 16*
enim dedi vobis, vt quemadmodum ego feci, sic & vos faciatis. *1. Pet. 2*
Voluit his verbis ad suæ passionis exemplum Apostolos hortari. Alibi similibus ad humilitatem cohortatur, vt in Ioanne, Vos dicitis mihi Magister & Domine. Et benè dicitis. *Ioan. 13*
Sum etenim. Si ergo ego Dominus & Magister vester pedes laui vestros, & vos alter alterius pedes lauate. Et subdit, Amen Amen dico vobis, non est seruus maior Domino suo, nec discipulus super Magistrum suum. Scitis hoc, Beati estis si hæc feceritis. Ecce quomodo ad suum exemplum hortatur

tatur discipulos, quos maior decebat perfectio. Nos ergo eadem docet, ne cum alios arguimus ipsi reprehensibiles inueniamur. Et festucam in fratris oculo videntes, trabem quæ in nostro oculo non considerare arguamur, aut audiamus ab illo, qui fraterni & nostri scrutator est cordis, Hypocrita, eiice primum trabem de oculo tuo, & tunc perspicies, vt e-
Luc. 6 ducas festucam de oculo fratris tui. Hæc ergo sunt quæ hodiernum docet Euangelium, vt misericordia, æquanimitate & tolerantia ad paternæ perfectionis exemplum, quam proximè, quoquo modo accedamus. Solum Dei mandatum, non quid alij in nos moliantur & faciant respiciamus. Quod si graue est quod mandatur, promissionis abundantia consideretur. Quod si nec hoc sufficit in reliquas creaturas oculos conuertamus, quæ & ipsæ subiectæ sunt vanitati, non volentes, sed propter eum qui subiecit eas in spe, & parturientes ingemiscunt, sicut & nos, qui primitias Spiritus habentes intra nos gemimus adoptionem filiorum Dei, expectantes redemptionem corporis nostri. Habet enim reliqua creatura, quod conqueritur. Nempe nobis, qui imperium obiicimus grauatè seruit. Seruit tamen propter Deum qui nobis subiecit eam. Sic nos respectu Dei benefacere aliis monemur, quousque tandem aliquando corpus redimatur in alia vita. Hac enim adepta, nec persequutiones timebimus, nec quod malè velimus aliis cogitabimus, nec (quia omnes in Christo satiabimur) cui præstemus misericordiam erit, sed mensuram beatitudinis quam quisque promeruit, accipiemus. Hanc ergo donec qui vt se sequamur, monet, Vt velimus, gaudia proponit, Vt possimus sui auxilij brachia extendit, Christus Iesus benedictus in æternum. Amen.

DOMINICA SEXTA, POST PENTECOST.

EVANG. LVC. V.

FActum est autem cum turbæ irruerent in eum, vt audirent verbum Dei, & ipse stabat secus stagnum Genezareth, & vidit duas naues stantes secus

stagnum

ſtagnum, piſcatores autem deſcenderant & lauabant retia. Aſcendens autem in vnam nauim, quæ erat Simonis, rogauit eum à terra reducere puſillum, & ſedens docebat de nauicula turbas. Vt ceſſauit autem loqui dixit ad Simonem: Duc in altum & laxate retia veſtra in capturam. Et reſpondens Simon, dixit illi: Præceptor per totam noctem laborantes nihil cepimus, in verbo autem tuo laxabo rete. Et cum hoc feciſſent, concluſerunt piſcium multitudinem copioſam. Rumpebatur autem rete eorum, & annuerunt ſociis qui erant in alia naui, vt venirent, & adiuuarent eos, & venerunt & impleuerunt ambas nauiculas, ita vt penè mergerentur. Quod cùm videret Simon Petrus, procidit ad genua Ieſu, dicens: Exi à me Domine, quia homo peccator ſum. Stupor enim circundederat eum, & omnes qui cum illo erant in captura piſcium quam ceperant. Similiter autem & Iacobum & Ioannem, filios Zebedæi, qui erant ſocij Simonis. Et ait ad Simonem Ieſus: Noli timere, ex hôc iam eris homines capiens, & ſubductis ad terram nauibus, relictis omnibus, ſecuti ſunt illum.

EADEM DOMINICA
EPISTOLA,
I. PETRI. III.

IN ſumma autem eſtote vnanimes omnes, compatientes, fraternitatis amatores, miſericordes, modeſti, humiles, non reddentes malum pro malo, nec maledictum pro maledicto, ſed econtrariò, benedicentes, quia in hoc vocati eſtis, vt benedictionem hæreditate poſſideatis. Qui enim vult vitam diligere, & dies videre bonos,

coërceat linguam suam à malo, & labia eius ne loquantur dolum. Declinet autem à malo & faciat bonum: inquirat pacem, & persequatur eam; quia oculi Domini super iustos, & aures eius in preces eorum. Vultus autem Domini super facientes mala. Et quis est qui vobis noceat, si boni æmulatores fueritis? Sed & si quid patimini propter iustitiam, beati. Timorem autem eorum ne timueritis, vt non conturbemini. Dominum autem Christum sanctificate in cordibus vestris.

SERMO.


Qui peregrinamur in hoc mundo, semper quod discamus, quò propius in Dei cognitionem accedamus, habemus. In hoc enim Christus dedit Ecclesiæ suæ pastores, Prophetas, vt horum ministerio Ecclesiæ membra ad perfectum iuuentur. Rectè igitur Salomon sapientem dicit ex auditu cognitionem sibi addere maiorem: &, Da, inquit, sapienti occasionem, & sapientior erit. Proinde & Petrus, cùm nonnihil de
Prouer. 1 verbi Dei excellētia dixisset, addit: Habemus firmiorem Pro-
Prouer. 9 pheticum sermonem, cui benefacitis, attendentes quasi lu-
2. Petri 1 cernæ lucenti in caliginoso loco, donec dies elucescat, & luci-
1. Cor. 13 fer oriatur in cordibus vestris. Ex parte cognoscimus modò, & ex parte prophetamus. Hoc consilio Ecclesia sæpius membra sua veluti in vnum corpus conuocat, & cælestis mysterij propositis dapibus ad perfectionem vsque enutrit. Videtur quidem præsens lectio, quam hodie pertractare conuenimus, nihil in se continere magni, sed vidit in ea Spiritusancto monstrante Ecclesia, quod non animaduertit mundus. Principiò quidem nuda se tibi offert historia, sed frangas nucem, percipies deinde nucleum. Nihil in tota Scriptura tam prauum, quin magni sit grauidum. Prædicat hîc Christus, verbum suū confirmat miraculo, miratur & pauet populus. Sed vide quàm latè diffundat rei gestæ series. Principiò ergo quod ex parte Christi considerandum est, Veris miraculis suam diuinitatem astruit, deinde sua benedictione hominum
Iacobi 1 labores fructificat: tertiò, quod cùm ipse dat, & non improperat. Quod verò ad nos: primò, ardens charitas in verbum Dei, qualis in his turbis videtur, requiritur: secundò parata

volun

voluntas, ad exequenda promptè, quæ Dei præcepta mandant, qualis in Petro. Tertiò, dilectio proximi vera, qua expedite auxilium præstamus proximo, vt in sociis Simonis agnoscimus: quartò, profunda humilitas, quæ in Petro, cùm ait: Exi à me, quia homo peccator ego sum: quintò, perfecta Christi imitatio, quæ in piscatoribus his, qui relictis omnibus, sequuntur Dominum, manifestè incipit. Ecce tot doctrinis fœcundum Euangelium. Et tantùm de tropologiæ sensu hæc dicta sunt. Habet autem & allegoriam & futurorum figuram, cùm totum illud, quod verè semel hîc factum legimus, etiamnum fiat in Ecclesia. Hæc ergo docemur præsenti lectione. Quis Christus, & quid ab illo expectandum sit, quid nos vicissim debeamus illi. An verò hæc necessaria cognitio in hac via non est? Quanquam autem quid hîc docuerit Christus, manifestum est: miraculum tamen quod sequitur, ea docuisse indicat, quæ ad diuinitatis fidem pertinent, vt fidei doctrinam subsequuta, sit statim miraculi confirmatio. Alibi quid de diuinitate sua credendum sit, docet, *Ioan. 4* nunc se aquæ viuæ fontem, nunc vitæ panem, nunc lucem *Ioan. 6* mundi, vitam & resurrectionem, viam, veritatem, & vitam *Ioan. 9. 11* nominans. In Matthæo item omnem sibi potestatem datam *Ioan. 14* asserit, quæ in cælo, quæque in terra. Sed omnia ferè illa *Mat. 28* aut subsequentibus aut præcedentibus confirmat miraculis.

Nam cùm se panem vitæ diceret, ante magnam hominum multitudinem miraculosè cibat. Cùm se lucem fatetur, mox cæcum natum illuminat. Sic cùm vitam se & resurrectionem assereba, mortuum & iam quatriduo sepultum Lazarum excitat. Hunc igitur modum hic fortè seruauit, vt diuinitatis doctrinam sequenti miraculo confirmaret. Et hoc primum in Christi miraculis quærendum est, vt ipse verè esse Christus Dei viui filius agnoscatur, & confiteatur. Nam *Matt. 16* hunc miraculorum esse vsum ipse monet, cùm ait: Si non fa- *Ioan. 10* cio opera patris mei, nolite credere mihi. Si autem facio, & si mihi non vultis credere, operibus credite, vt cognoscatis & credatis, quia pater in me est, & ego in patre. Præstat igitur fides miraculis confirmata, vt eum cæco dicamus, Ni- *Ioan. 9* si hic à Deo esset, non poterat quicquam facere, & cum Ni- *Ioan. 3* codemo, Rabbi, scimus, quia à Deo venisti magister. Nemo potest enim hæc signa facere quæ tu facis, nisi Deus fuerit cum eo. Et cum Martha: Ego credidi, quia tu es Chri- *Ioan. 11*

ſtus filius Dei viui, qui in hunc mũdum veniſti. Tentauerunt & Pharaonis Magi par eſſe Moſi miraculis, ſed victi tandem,
Exodi 7 digiti Dei opera agnoſcebant, quæ perpetrabat Moſes. Hoc tamen miraculum peculiare quid habet, nempè conſolationem pauperum, quòd Chriſtus horum adeſſe velit laboribus, eóſque ſua benedictione fructiferos facere. Sic Salomon
Pro.10
Pſal. 126 benedictionem Domini locupletare dicit homines. Et Dauid: Niſi, inquit, Dominus ædificauerit domum, in vanum laborant qui ædificant eam. Et: Niſi Dominus cuſtodierit
1.Cor, 3 ciuitatem, fruſtrà vigilat qui cuſtodit eam. Et Pauli teſtimonio, neque qui plantat eſt aliquid, neque qui irrigat, ſed
2. Cor.9 qui incrementum dat Deus. Qui etiam alibi aſſcribit, quòd ſemen adminiſtrat ſeminanti, quòd panem dat eſurienti, quòd
Matth.6 multiplicet: & adaugeat incrementa frugum. Rectè ergo Chriſtus monet, ne ſimus ſoliciti de eo, quid manducaturi, quid bibituríue ſimus, ſed ſi quæſierimus regnum Dei eiúſq;
1, Pet. 5 iuſticiam primùm, omnia deinde adiicienda fore. Et Petrus ait: Omnem curam proijcientes in eum, quoniam ipſi cura eſt de vobis. Et ante hoc Dauid: Iacta, inquit, cogitationes
Pſal. 54 tuas in Dominum, & ipſe te enutriet. Ego pauper & mendi-
Pſal. 39. cus ſum, ſed Dominus ſolicitus eſt mei. Iſte pauper clamauit
Pſal. 33 ad Dominum, & exaudiuit eum, & ex omnibus neceſsitati-
3.Reg. 17 bus liberauit eum. Adde his exempla: Iſraëlem Dominus ci-
3.Reg. 19 bauit & potauit quadraginta annos in deſerto. Heliam per
3.Reg. 17 coruum: deinde etiam per angelum conſeruauit. Viduam
Dan.14 in Sarrepta benedictione multiplicatæ farinæ, Daniëlem in
Galat. 5 lacu Leonum per Abacuc. Vtrunque ergo Chriſtus præſtat, hoc eſt, & labori vti medio aliquo & ſine labore immediatè, vbi vult neceſſaria miniſtrat. Sed hic plena & viua requiritur fides, officioſa inquam per charitatẽ. Non ergo ſibi quiſquam aſſcribat, quod ſuo labore viuat, nam & poſſe laborare Dei donũ eſt, ita etiam & laboris fructus percipere laborandum certè eſt. Quia ſicut auis ad volandum, ſic homo natus
Iob 5
eſt ad laborem, Et pręceptum eſt in ſudore vultus noſtri pane
Gene.3 noſtro veſci. Et Salomon admodum paululũ labori noſtro tri-
Eccle.9 buit: Verti me, inquit, ad aliud, & vidi ſub Sole, nec velocium eſſe curſum, nec fortiũ bellum, nec ſapientiũ panem, nec doctorũ diuitias, nec artificũ gratiam: ſed tempus caſúmque in omnibus, puta quæ Deus cælitus dimittit. Hæc ergo de hoc miraculo dicta ſint, quo Chriſtus verè Meſsias agnoſcitur, qui & ſine

& ſine labore cibũ miniſtret, & laborem noſtrũ vt cõmodet, benedicet. Quod porrò nos viciſsim præſtare deceat, paucis in explicatione docebitur. Et primo quidem vocabulo quod turbæ irruerũt in Ieſum vt eum audirent, noſtra ſocordia arguitur, & quod nobis deſiderium in Dei verbũ eſſe debeat, docetur. Rectè olim Dauid de Chriſto prædixit: Speciosus pre filiis hominũ, diffuſa eſt gratia in labiis tuis; propterea benedixit te Deus in æternũ. *Pſa..44* Chriſtus Dei ſapientia & virtus. *1.Cor. 1* Quis non eũ videre & audire corã gauderet? Formoſus eſt pre filiis hominũ, quis non eum cũ ſpõſa precaretur & diceret: Oſtende mihi faciem tuã, ſonet vox tua in auribus meis. Vox enim tua dulcis & facies tua decora. Vidit hunc turbæ concurſum quondã Iſaias in ſpiritu, & prædixit: *Iſaie 2* Nec mirũ ſi blandum & mirè beneficũ ſe exhibuit Dominus, cũ tanta auiditate, tanto deſiderio audiret vulgus. Sed quid nos? Chriſti benignitate hodie quoq; Dei verbum audire licebit. Sed vbi ille inter nos vel vnus, à quo verè is ardor, eáque intentio prædicari poteſt? Ciues ſumus Coroſaim: Bethſaidæ, Capharnaæ: Tyro & Sydõ, *Matt. 11* & Niniue ſurgent contra nos in iudicio. *Matt. 12* Regina auſtri condemnabit nos, quia venit à finibus terræ audire ſapientiã. Et ipſe ſtabat iuxta ſtagnũ Genazareth. *Ioan. 3* Textus clarus eſt. *2. Reg. 12* Myſticè verò ſtabat, qui antequã carnem indutus huius mundi pelagus ingrederetur in auxiliũ hominũ paratus erat. Vt ipſe in Dauid ait: Propter miſeriã inopiam, & gemitũ pauperũ nunc exurgã, ponam in ſalutari, fiducialiter agã in eo. *Pſal. 11* Sacrificium & oblationẽ noluiſti, holocauſtum pro peccato nõ poſtulaſti. *Pſal. 39* Tunc dixi: venio. Ecce venio. In capite libri ſcriptũ eſt de me, vt facerẽ Deus voluntatẽ tuam. Volui: Ab æterno enim Chriſtus prædeſtinatus fuit ſaluator. Stans vidit duas nauiculas in mari. Duas nauiculas, duos populos Iudæorũ & gentiũ intelligimus. In has enim totũ aliquando humanũ genus diuiſum fuit. *Deut. 7* Hinc Moſes ad Iudæos ſiue Iſraelẽ: Te, inquit, elegit Dominus ſibi in peculiũ. Nõ incõgruè homines in mundo cõparamur nauibus. In trãquilla motib' in mari nauis eſt. De hoĩe Iob, loquit̃: homo, inq̃t, natus de muliere, breui viuens tẽpore, *Iob 14* repletur multis miſeriis, q̃ quaſi flos egreditur & conteritur, fugítque velut vmbra, & nũquam in eodem ſtatu permanet. *Act. 10* Vidit ambas quia apud eum reſpectus perſonarum non eſt. Deus eñ Iudæorũ & Gentiũ eſt & erit: quicũque inuocauerit nomen Domini hic ſaluus erit. *Rom. 10* Vidit autem non ſimpliciter,

Ioel. 2 sed oculis misericordiæ, vt quondam in Aegypto Israëlem vidit vacuas virtute & gratia carentes. Et rectè piscatores descenderant lauare retia sua. Immundæ erant cogitatio-
Exod. 3 nes, verba & opera nostra sine fide. Et quid Moses Iudæorum piscator ac prophetæ alij, quid inter Gentes philosophi aliud laborarunt, cùm illi lege, hi virtutum præceptis inſtabant, quàm vt fœditatem hominum purgarent & elue-
Roma 14 rent? Fide corda nostra purificantur, ne sint (vt Pharisæi) sepulchris demortuorum similia. Et nisi hoc modo abluimur, partem cum Christo non habebimus. Vidit duas ascen-
Act. 15 dit tamen in vnam, eamque Simonis Petri. Nempè cùm in
Matt. 23 forma Dei esset, non ex rapina Dei æqualis exinaniuit semetipsum, in similitudinem serui factus inuentus est vt homo.
Ioan. 13 Non de gentium sanguine, sed de Dauidis semine secundum
Philipp. 2 carnem venit. Sed & vnam, nempè quæ fundata erat super
Rom. 1 fundamentum Prophetarum & Apostolorum in qua mansurus nobiscum vsque ad consummationem seculi. Extra hanc
Ephe. 2 nulla salus est, propter hanc Christus non nouit secundam
Matt. 28 aliam. Exempla sunt Noe & Ionas. Quorum alter conseratur in Arca, alter eiectus suffocatur à mari. Non quod lo-
Gene. 7 co circumscribatur & tempore, sed quòd vno baptismo vnius Dei præsentia, in vnam spem, vno Spiritu & verbo in vnum
Ioan. 1 quasi corpus mysticum multi coniuncti sint. Non nauis est,
Ephe. 4 sed nauicula, quia bonorum numerus semper paruus est. Hæreticorum naues magnæ & multæ sunt. Vna autem illa Si-
Matt. 16 monis Petri est, quia super eius confessionem ædificata est, & Petro peculiari mandato commissa est: tum etiam quia ta-
Ioan 21 les ciues hæc nauicula postulat, qualis Simon erat re & nomine, hoc est, obedientes, vt Abraham & alij. Neminem autem moueat quomodo Ecclesia paruæ nauiculæ comparetur,
Psal. 47 cùm eandem Apostolus magnam domum, & Dauid Regis magni ciuitatem esse dicat, quæ fundata exultatione terræ & vsque Aquilonem sese extendat: Tum denique Ioannes cœ-
Apoc. 21 lestem, sanctam, & nouam Ierusalem asserit. Est quidem nulla comparatio nauiculæ ad ciuitatem magnam. Sed nec vlla comparatio Leonis & agni, & tamen, vt Christus Leoni comparatur & agno, sic Ecclesia magnæ ciuitati & nauiculæ, Diuersorum tamen respectu. Agnus Christus, est respectu humanitatis, Leo verò diuinitatis. Sic Ecclesia magna ciuitas, si magna & multa beneficiorum dona cogitaueris: nauicula

verò

verò si ad mundi multitudinem comparaueris. Vidit ergo Christus ambas, sed intrauit vnam eamque Simonis Petri. Nos quoque in huius mundi mari plures videmus, non iam nauiculas, sed naues, easque pulchrè exornatas: multas dico hæreticorum conuentiones pomposè instructas, sed Christus in nullam eorum ascendit nec in vlla videtur, vt vt clamitent: Eccè hic Christus. Dico vobis: Nolite sequi, nolite credere. Nauicula in qua Christus est, Simonis Petri est. Hic Christus inuenitur. Sed hoc quoque cogitemus, nauiculam hanc esse piscatoriam, non autem piraticam, ne si cui hæc commissa fuerit, pro piscatore piratam agat. Rogat hanc à terra reduci pusillum. Mira primum Christi humilitas hæc est, prompta autem est & Petri obedientia, qua nobis etiam exemplum reliquit. Aliquid certè est cum desiderio verbum Dei audire. Sed quid prodest audire nisi affectus adfuerit, quod iuberis, implere? præcipit Dominus alia, alia suadet. Vtrunque tamen ideo vt faciamus. Sedens docet turbas, quod tranquilli & longè à perturbationibus positæ mentis est, quales habeant qui in verbo laborant, necesse est. Docet autem. Hoc enim officium eius. Et non ipse solùm facit, verumetiam præcepto quid in futurum fieri velit ostendit. Præcedere vult sed per idoneos & missos. Ipse est qui de mundo eligit & in messem Euangelicam mittit. Vnde in Ieremia loquitur: Ecce ego mittam piscatores multos & piscabuntur eos. Et post hæc mittam eis multos venatores, & venabuntur eos de omni monte, & de omni colle, & de cauernis petrarũ. Nemo enim hunc assumit honorem, sed qui vocatus est à Deo, sicut Aaron. Qui enim non missus sese ingerit fur est & latro. Tales enim erant de quibus in propheta Dominus loquitur: Non mittebam prophetas, & ipsi currebant: non loquebar eis, & ipsi prophetabant. Conqueritur eò, quòd pacem & securitatem prædicarint vbi nec pax nec securitas fuerit. Officiunt non proficiunt qui se sine vocatione ingerunt. Rectè ergo Petrus cum in altum disputationum (sic enim exponit Ambrosius) ducere & laxare retia in capturam iubetur: quia vt sine mandato hoc munere fungi peccatum est, ita accepto mandato complicata retia nolle laxari culpa non caret. Quod autem hic in figura dixit obscurè, post mandat manifestius iussis in omnem terram ire prædicatum omni creaturæ Euangelium de regno Dei.

Iere. 16 *Hebr. 5* *Ioan 10* *Iere. 23* *Ambro.* *Marc. 16*

Rete enim verbum Dei, quod laxatur quando secundum veram fidei normam ad captum omnium interpretatur. Sed ô beatos omnes hoc rete captos. Non enim ad perditionem vel mortem rapiuntur, sed de profundo tenebrarum ad lucem, de perditione ducuntur, ad vitam educuntur. Habet & mundi princeps non dico retia sed laqueos. Conqueritur
Abac. 1 Abacuc & dicit, Quare, Domine, respicis contemptores & taces conculcante impio iustiorem se? Et facies homines
Matt. 13 quasi pisces maris, & quasi reptilia non habentia ducem? Iubetur omnis scriba doctus in regnum cælorum similem
1. Pet. 3 se exhibere patrifamilias, qui de thesauro suo proferat noua & vetera: vtque paratus sit omni poscenti de ea quæ est in sese fide & spe reddere rationes. Tum etiam non postulantibus
2. Tim. 4 annunciare, & sanctas struere insidias, vt Paulus, instare
1. Cor. 9 Timotheũ opportunè, importunè iussit. Hinc ipse ait: Væ mihi est nisi Euangelizauero. Si enim volens hoc ago, mercedẽ habeo: si inuitus dispensatio mihi concredita est. Sed & inuigilandum est, vt ea laxentur retia, quæ Dominus laxari iubet. Dicuntur enim nostra retia, non quasi ex nobis prouenientia
Ezech. 3 sed quasi nobis commissa. De ore meo, inquit Dominus, audies, & annunciabis aliis. Sed quid respondit piscator, Petrus: Præceptor, inquit, per totam noctem laborantes nihil capimus. Bene per totam noctem. Vt enim lumen fidei significationem habet, ita nox contra infidelitatis.
Rom. 13 Nox, inquit, Paulus præteriit, dies autem appropinquauit. Et iterùm: Eratis aliquando tenebræ, nunc autem lux in
Ephes. 5 Domino. Facilè hic videmus, quid sit causæ, quòd laborantibus nobis strenuè licet, fructus tamen non detur optatus. Nox in causa est. Nox, inquam, impedit fructus cùm corporales, tum spirituales. In nocte laborant, qui actus suos iniquo modo: puta dolo, circunuentionibus, fraude, aut in impium finem dirigunt. Quibus per prophetam dicitur: Se-
Agg. 1 minastis multum, & intulistis parum. Comedistis & non saturati estis, bibistis & non inebriati estis: Operuistis vos, & non estis calefacti. Et qui mercedes congregauit, misit eas in sacculum pertusum. Respexistis ad amplius, & ecce factum est minus. Et intulistis in domum, & exufflaui illud. Quam ob causam? Quia domus mea deserta, & vos festinastis vnusquisque in domum suam. Idem de spiritualium frugum sterilitate dici potest. Prædicant assiduè & multi:

multi: emendatur nemo, nemo ex antro peccatorum in lucem profertur fidei. Quàm ob causam? In nocte laboratur. In culpa sunt nunc ipsi prædicatores, nunc Magistratus, nunc etiam auditores. In prædicatoribus triplicem noctem inuenio, qui vel nimium sibi ipsis tribuunt, & in grandiloquentia finem orationis ponunt, vt videantur ab hominibus docti. Id quod non est ea quærere quæ sunt Iesu Christi, sed quæ sua sunt. Vel etiam timore aut cupiditate ducti quos cœperunt in Euangelij retibus trahere ab alto in lucem, hoc est, numero contenti peccata arguere, timent: ne aut numerositatem populi, aut gratiam principum, aut aliquid lucelli perdant. Vel denique quod doctrinæ seueritate, & integritate ædificant, vita verbis contraria destruunt. Tales *Philipp.* 1 suo etiam tempore fuisse Paulus conqueritur quod quidam, non omnes, confidentes ausi fuerint sine timore verbum Dei prædicare quidam & propter inuidiam & contentionem, quidam ex contentione Christum nunciarent non syncerè. De quibus mox subdit: Omnes quærunt quæ sua sunt, non *Ibidem* 2 quæ Iesu Christi. Non ita Paulus qui dicit: Veni in sublimitate sermonis, aut sapientiæ annuncians vobis testimonium Christi. Non enim iudicaui me scire aliquid inter vos, nisi 2 *Cor.* 2. Iesum Christũ & hunc crucifixũ. Et ego in infirmitate & timore & tremore multo fui apud vos: & sermo meus & prędicatio mea nõ in persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis, sed in ostensione Spiritus, vt fides vestra non sit in sapientia hominum sed in virtute Dei. Nec solum Paulus eo modo Christum annunciauit, idem fecerunt alij Apostoli, & hos sequentes Apostolici viri. Et eodem studio, eadem etiam dexteritate iam captos homines in fidei virtutísque vniformitate continuerunt. Id quod videre est in tot Epistolis, obsecrationibus, hortationibus quibus passim vsi sunt. Rom. 12. Ephe. 3. 4. & 5. The. 2. Act. 20. Sed vtinam Deus exoratus tandem, tales, aut his quam simillimos in vineam suam mitteret vel paucos etiam pro ista iniquorum multitudine. Vtinam nostri æui prædicatores cogitarent suum quisque officium, & rectius, quod debent, præstarent: iudicium quod durissimum in his qui præsunt fiet, timerent, ne scilicet olim dicentes: *Sap.* 6 Domine nónne in nomine tuo prophetauimus, nónne multa *Matt.* 7 miracula fecimus? audient: Nescio vos. Recedite à me operarij iniquitatis. Non enim omnis qui dicit mihi, Domine *Ibidem*

Domine, intrabit in regnum cælorum. Simili pœna obnoxij sunt Magistratus, quibus ex officio incumbit Petrum adiutare, siue illi spirituales siue seculares (his enim nominibus diuidunt) sunt & patresfamilias obnoxij illi pœnæ, si non bene administrant doctrinam Euangelij in re familiari. Neque enim solis Apostolis dictum est: Auferte malum de medio vestri.

Deut 13 Cogitarent ergo quid sit quod Deus minatur per
Ezech.3 prophetam: Sanguinem, inquit, populi mei de manu tua
Ios. 7 requiram. Et quid Iosue eiusque principibus dicitur? Non posse stare Israëlem coram hostibus suis, donec qui fecerat
Rom. 2. furtum tolleretur de medio populi. Et quod Paulus ait, morte dignos esse non solum qui talia faciunt, sed etiam qui facientibus consentiunt. Et certè consentire est malum quod potes & debes, nolle tollere. Atque hoc illud est quod cum multos nunc videas strenuè verbum Dei annunciare, nullum tamen inde fructum consideres. Verbi munus committitur aliis, hos pro suo arbitratu & vt res postulat obsecrare peccata etiam aliquando annunciare patiuntur: sed præterea nihil. Neque nunc solum de eo con-
Iere.15 queri licet, conquesti sunt omnes, quibus verè cordi fuit iustitia. Ieremias multum sudare parum verò proficere
Mich.7 hominem se rixæ natum non queritur. Idem Michæas facit: Væ mihi, inquit, quia factus sum sicut qui colligit ra-
Isa.59 cemos vindemiæ. Isaias, Domine, inquit, quis credidit auditui nostro? Bonus ille Ieremias eò aliquando rem promouerat, vt Hierusalem ipse nequam, solus propheta in trahendis quos rete concluserat piscibus fatigaretur, mox ad
Ioan.3 pristina redierunt. Vnus est Ionas qui paruo labore multa milia conuertit. Sed non solus ipse traxit, Rex ipse publico edicto post pœnitentiæ prædicationem Ieiunium mandat, suóque met exemplo Deum placare docuit. Nos quoque hic laboramus. Sudat Petrus, tergiuersatur & laborem detrectat magistratus. Quid tandem? Clamet Petrus:
Isai. 56. Bene. Est enim hoc Dei præceptum. Oret Deum Petrus. Bene. Quia in magna necessitate, cum quid faciendum sit
2.Par.20 nescimus manus nostras ad Deû attollimus. Sed quid clamor, quid oratio, cum nemo audit, nemo pœnitentiam agit? Solus Petrus nec clamore quicquam efficiet. Pensate ergo principes quid vobis incumbat, cogitate magistratus, quid vos hic facere deceat. Cauete ne cùm iustè Petrus nostra au-

xilia

xilia implorat, vos recusetis. Deus pereuntium animarum gemitum vestro malo exaudiat. Iam vero quomodo & auditores in culpa sint, quo minus Petrus sua piscatione capiat videamus. Iam enim cum de prædicatorum déque Magistratuum negligentia dicentem auscultant, ipsi quasi culpa vacui, quasi non etiam ipsi propriæ salutis contemptores sint contra prædicatores & Magistratum cornua sumunt. Esse autem in culpa auditores, hac ipsa quoque piscatio docet. Facit quod debuit Petrus & vocati ex alia naui socij, id est Magistratus ciuiles promptè adsunt, sed tamen vt diuersa genera piscium concluserāt, non omnes ad littus pertrahunt. Concludit quidem Euangelij rete multos. Multos dico non omnes. Quia sunt qui iactum etiam hoc est, ipsum piscādi actum oderunt & reformidantes longè se abdunt. Et in multis his quanta diuersitas? Alij graues quia curis & negotiis huius seculi trahi immersi nolunt. Ne scilicet in lucem adducti, lutum cui assueuerunt, relinquere cogantur. Tales fuerunt Pharisæi, qui quia auari essent deridentes piscatorem Christum capita in profunditatem cœni submerserunt, Tales sunt & hodie auari diuites quique. Alij quidem faciles sunt, & dum in aqua manere se sentiunt, trahentem sequuntur, speciem boni habentes, sed non veritatem. Vbi enim extrahi se ex aqua cognoscunt, hoc est, vbi veteris hominis obliuisci nouum induere & cælestia sapere admonentur: fit vt alij glabri quibus possunt modis & partibus excidant vt Saul cùm corriperetur à Samuele & Achas cùm signum petere iuberetur elabi conabantur alij impetuosi rumpunt rete vt ad eorum imperium insinuatum non qua debet trahatur, sed qua non oportet accommodetur. Et in his cùm potentes, nobiles mundi sapientes, tum maximè hæretici annumerantur, quos Petrus & ante eū Christus futuros prædixerunt, Paulus & Ioannes suis temporibus fuisse scripserunt. Horum importunitate, multa molestia solicitantur qui trahunt, & qui in quiete & obedientia trahi & duci se patiuntur, conturbantur. Hinc est quòd Paulus eiusmodi conturbatores abscindi optat. Ex his arbitror patet omnes nos in nocte laborare, eóque mirum non est si nihil proficitur. Quæ quidem ita sibi quisque dicta existimet, non vt carpere velim quid alij faciant, sed vt emendata cupiam omnia. Emendatiora autem erunt omnia, si Petrus in verbo Christi, hoc

1 Reg. 19
Isa. 7
2. Pet. 2
Isa. 7.
Galat. 5

hoc est, mandato Dei, & secundum Orthodoxam sententiam Euangelij rete laxauerit, si rectè laxari Magistratus agnouerit, si auditores quòd non ad interitum sed ad vitam trahantur cognorint, séque morigeros præbuerint. Sequitur autem, In verbo autem tuo laxabo rete. Et cum hoc fecissent, concluserunt piscium multitudinem copiosam. Vide obediētiam Petri, quæ nobis eius exemplo præstanda est. Vide & fidem. Laborauerat per totam noctem, nihil ceperat. Consule naturam & inuenies non illic sperandos esse pisces, vbi tota nocte frustra sudatum fuit. At fidei cogita pręstantiam, & fiet facile, quod natura erat impossibile. Et quid mirum si magnam Petri fidem & obedientiam hæc tanta multitudo sequitur piscium? Sic & Abraham fide obediens erat contra rationis sensa. Proinde Christus verè, vt omnia, dixit, Si fidem habueritis vt granum Sinapis, dicetis huic monti, Tollere & mittere in mare & fiet. Nimirum credenti omnia sunt possibilia. Discamus ergo hoc miraculo Christum esse Messiam, eúmque ad nostram salutem confiteamur, vt ratio diuersum sentiat. Huc enim seruit hæc lectio Quemadmodum etiam per hoc quod tanta multitudine conclusa, rupto rete Petrus trahere nequiuit solus, abundantia diuinæ benedictionis intelligitur. Tum etiam numerositatem Gentium sub Euangelij rete intrantium significat, qua factum est, vt quemadmodum Dauid in Veteri testamento Sacerdotes, Leuitas, cantores aliósque templi ministros ordinabat, sic Petrus statim in exodio Euangelicæ prædicationis diaconos constitueret. Sic Antiochia prophetas habebat & doctores. Sic Paulus & Barnabas assumptus est. Et hoc etiam fraternæ charitatis admonemur, vt postulati proximorum subueniamus necessitatibus. Simon Petrus cuius hæc nauicula erat, qui retia laxauerat, videns hoc procidit ad genua Iesu, dicens, Exi à me Domine, quia homo peccator ego sum. Cur id? Stupor enim circundederat eum & alios omnes. Hæc piorum natura est admirari opera Dei, sese peccatorem confiteri, imitentur eum, quibus labor benedictione Dei ex sententia fructificat. Imitentur prædicatores Euangelij, quia si quis fructus sermonem eorum sequitur, non propria hoc industria, sed Dei benedicentis fit potentia. Sic ipse Christus patri omnia asscribit gratias agens. Sic Paulus in omnibus, nihil sibi attribuens Deo qui incrementum dedisset gratias egit. Vnde rectè pauentes

Marginalia: Luc. 5 — Gen. 12 — Mat. 17 — 1. Par. 25 — Act. 6 — Act. 13 — Luc. 5 — Mat. 11

uentes animos Christus erigit, Noli inquit timere Simon: ex hoc iam eris homines capiens. Primũ hic videmus quos Christus in Euangelij messem selegerit, nempe piscatores non sapientes mũdi, ne non Dei opus esse videatur. Secundò ad quid vocemur, nempe vt & alios trahamus. Sic ergo Petrus vocatus, alios vocauit & cepit, vt cum vnico sermone tria milia ad fidem conuertit. Sed mirum non est quòd viliora reliquit qui ad maiora vocatur. Sequitur enim, Et subductis in terrã nauibus relictis omnibus sequuti sunt eum. Viua hoc præstat fides quę sola spectat cælestia, vt omne quòd in mundo est, lutum æstimet. Et hæc via quæ ducit ad cælestia, affectu & corpore, quantum fieri licet, relinquere terrena. Id si facere parati sumus vnà cum Petro & aliis hæc non solùm audiuimus, verumetiam ipsi interfuimus corámque audiuimus. An igitur hæc historia non est magnorum mysteriorum grauida, quæ tot tantáque continet arcana? Neque enim illius tantùm temporis Ecclesiam repræsentabat, dum hæc agerentur, verumetiam huius figurabant. Nec mirum nec etiam inusitatum per vnum idémque aliquid, aliud geri aliud significari. Habet enim his Scriptura multa alia similia, è dormientis Adæ costa, formata fuit Eua, ex dormientis Christi latere formata est ecclesia, Noë in diluuij aquas seruatur in arca, fideles per baptismum saluantur in Ecclesia. Abraham duos filios habuit, vnum de ancilla & vnum de libera, Abdicatur qui de ancilla, fit hæres qui de libera. Duo testamenta sunt, cessat vetus, succedit nouum vidit Iacob scalam cuius fines cælum tangebant & terram, natus est ex semine eius Christus qui cælestia ac terrestria pacificauit. Iacob & Esau de primogenitura litigant, supplantat Iacob fratrem Esau. Iudęi & Gentes de hæreditate certant cælesti, quam præcipiunt Gentes. Venditur Ioseph in Aegyptum à fratribus. Traditur Christus à Iudęis. Plena est scriptura harum locutionum. Hîc ergo per littus in quo Christus est, immortalitatis immobilitatem intellige. Vidit turbas misertus est hominum. Ascendit Petri nauiculam, assumpsit ex Israële carnem. Mare huius mundi pelagus, prædicat in naui, facit hoc hodie per Euangelizantium ministerium. Concluditur multitudo piscium, & ambæ implentur cymbæ. Hominum multitudo vacuas implet Angelorũ sedes, viso miraculo relinquitur nauis & omnia imitatus Christus, post conceptum veræ fidei semen, cum hoc corpus

corpus deponitur, relinquitur carnalis possessio, & aspectu lętamur Christi. Hæc cogitemus, miraculis firmemus fidem nostram, sequamur Petri promptam in omnibus voluntatem. Id nos facere præstet, qui in secula benedictus viuit. Amen.

DOMINICA SEPTIMA POST PENTECOSTEN, EVANGEL. MATTH. V.

NIsi abundauerit iustitia vestra plusquam Scribarum & Pharisæorum, non intrabitis in regnum cælorum. Audistis quia dictum est antiquis, Non occides, qui autem occiderit reus erit iudicio. Ego autem dico vobis, quia omnis qui irascitur fratri suo, reus erit iudicio. Qui autem dixerit fratri suo, Raca, reus erit concilio. Qui autem dixerit, Fatue, reus erit Gehennæ ignis. Si ergo offers munus tuum ad altare, & ibi recordatus fueris, quia frater tuus habet aliquid aduersum te, relinque ibi munus tuum ante altare, & vade prius reconciliari fratri tuo, & tunc veniens offeres munus tuum.

EADEM DOMINICA EPISTOLA ROM. VI.

AN ignoratis fratres, quia quicunque baptizati sumus in Christo Iesu, in morte ipsius baptizati sumus? Consepulti enim sumus cum illo per baptismum in mortem, vt quomodo Christus surrexit à mortuis per gloriam patris, & nos in nouitate vitæ ambulemus. Si enim complantati facti sumus similitudini mortis eius, simul & resurrectionis erimus. Hoc scientes, quia vetus homo noster simul crucifixus est, vt destruatur corpus peccati, vt

vltra non seruiamus peccato. Qui enim mortuus est, iustificatus est à peccato. Si autem mortui sumus cum Christo, credimus quia simul etiam viuemus cum Christo, scientes quòd Christus resurgens ex mortuis, iam non moritur, mors illi vltra non dominabitur. Quòd enim mortuus est peccato, mortuus est semel, quòd autem viuit, viuit Deo. Ita & vos existimate vos mortuos quidem esse peccato, viuentes autem Deo in Christo Iesu.

SERMO.



Væ huius Euangelij summa sit, post dicetur. Nunc breuiter prius totius mundi huius cum hoc ipso Euangelio conferendum est studium, vt videamus quæ nostra imminens calamitas sit, & quàm nunc periculosè habitemus cognoscamus. Quis enim non videt, quàm hæc lectio ad cõseruandam religionis pacem & vnanimitatem, seruiat, quæ iram, inuidiam, maledicta, homicidia deniq; & omnem amarulentiam vetat & interdicit? Contra verò quis multorũ peruersitatem ignorat, cum alij, quam corde premunt ac fouent, malitiam vituperiis, maledictis, infamibus picturis, libellis, obscœnis dictis effundunt, ad iram & arma multos cõcitãt, alij ad quęuis impia faciles, ad cædes, homicidia, oppressiones, incendia, deuastationes, propulsationes, certatim conglomerantur & currunt, scilicet veloces ad effundendum sanguinem habentes pedes? Christus maiori grauitate quàm vel Moses inter Iudęos, vel Iustinianus inter Ethnicos, homicidia interdicit. Contra nos nihil homicidio prius habemus. Moses quidem vehemens est, in detestando homicidio, indicans homicidium primæ maledictionis extra paradisum præcipuam fuisse causam vbi Deum inducit loquẽtem ad Cain, Quid fecisti? Vox sanguinis fratris tui clamat ad me de terra. Nunc igitur maledictus eris super terram quæ aperuit os suum & suscepit sanguinem fratris tui de manu tua. Ac postea in vniuersum pœnam homicidij statuens, ait. Quicunque effuderit humanum sanguinem, fundetur sanguis illius. Ad imaginem Dei quippe factus est homo. Et quæ præcedunt. Quin etiam propterea esum sanguinis animantium Deus probi

Gen.4

Gen.9

Leuit.17

prohibet, vt eo magis ab effusione sanguinis humani caue-
Exod.21 rent. In exodo pœnę modũ statuens homicidij, addit, ab altari
Deut.21 meo euelles eum vt moriatur. Alibi quid agẽdum circa eum,
Deut.20 qui occisus, inuentus fuerit in via. Adhæc nec hostes occidi
vult, nisi prius pacis oblata conditione. Quid leges imperiales de homicidio sanxerint, notum est. Vehementius Christus huic malo resistit. Neque enim vel Moses vel leges, eo modo quo Christus iram & inuidiam cordis prohibent, Audistis, inquit, quod dictum est antiquis, Non occides. Qui autem occi-
Mat.5 derit, reus erit iudicio Ego autem dico vobis, quia omnis qui irascitur fratri suo, reus erit iudicio. Qui autem dixerit fratri suo Raca, reus erit concilio. Qui autem dixerit fratri suo, Fatue, reus erit gehennæ ignis. Hoc modo ante Christum nemo
1.Ioan.3 vnquam homicidium cauit. Et Ioãnes homicidio fraternum odium comparat, Omnis, inquit, qui odit fratrem suum homicida est. Quomodo autem posset homicidium prohiberi strictius? Si enim fratri irasci iudicio, si iram vel voce vel gestu ostendere gehennæ ignis facit reos, quanto magis ipsum homicidium? Strictius non potest prohiberi opus, nisi vbi etiã
Luc.9 operis interdicitur affectus, Huic nunc si contulerimus seculi
Mat.11 nostri studium, videbimus quàm omnes nesciant, cuius sint
Ioan.13 filij, quàm non imitemur Christi humilitatẽ & pœnitentiã,
Mat.5 quàm non dilectionis nouũ expleamus mandatum. Et tamen pulchrè nobis placemus ipsi, sic Euangelicę legi repugnantes Euangeliorum nobis nomen strenuè vendicamus. Intestino sæuit Germania bello. Nec est qui sæuientem reprimat, nec qui amicè dehortantem audiat. Quis ergo finis expectandus erit? Non alius præter eum, quem pronunciauit Apostolus, Quod si inuicem mordetis, & deuoratis, videte ne inuicem consumamini. Iam dudum incruduerunt ad deuastationem quorundam animi, quorum votis si successisset euentus, in extremo posita fuisset periculo, hæc conditio. Nec finis, nec requies, tam strenuè propositum agunt, ac si in patriæ deletionem conspirassent, & quod intolerabilius est, videas quibus Euangelij commissum est negotium bella parturiẽtibus obstetricari, in maximo periculo pacem & tranquillitatem annuntiare. Sed vtinam omnibus hominibus pacis & Christianæ vnitatis amorem persuadere possem. Id enim non solùm huic Euangelio, omnique Scripturæ, ac nomini vocationi denique nostræ consonum, Verumetiam toti huic Germaniæ
vtile

vtile videtur. Hæc præfati ad Euangelij explanationem accingamur. Multa hoc seculo de hominis iustificatione disputantur & cum materiæ intelligentiam alteri alter negat, dissentiunt perpetuo, nec modus nec finis discordiæ inuenitur vllus. Et quidem hoc solum Euangelium compescendæ litis sufficeret. In eo enim Christus totum negotium in duo diuidit. Primò: neminem sine Iustitia regnum cælorum intrare. *Summa.* Secundò, hanc iustitiam nihil aliud esse, præter perfectionem diuinorum mandatorum & plenam in legẽ Dei obedientiam. In his duobus totum huius rei pendet negotium. Merito hunc audiremus doctorem de iustificatione loquentem, rectéque illi fidem haberemus, quem Ioël iustitiæ doctorem, & Isa. iustitia cinctum perhibent. Quod ergo ad primum attinet multa probatione non eget. Certum est enim non solùm apud nos Christianos, verumetiam Iudæos, solis iustis regnum cælorum esse promissum. Non enim intrabit in illud aliquid coinquinatum, aut abominationem faciens & mendacium. Foris autem canes & venefici, & homicidæ & idolis seruientes, & omnis qui amat & facit mendacium. Id quod Paulus etiam testatur & clarius, cum ait: An nescitis quia iniqui regnum Dei non possidebunt? Nolite errare: neque fornicarij, neque idolis seruientes, neque adulteri, neque molles, neque masculorum concubitores: neque fures, neque auari, neque ebriosi, neque maledici, neque rapaces regnum Dei possidebunt. Et hæc quidem fuistis, sed abluti estis, sed sanctificati estis, sed iustificati estis in nomine domini nostri Iesu Christi & in spiritu Dei nostri. Vnde & Christus: Nisi, inquit, quis renatus fuerit ex aqua & spiritusancto, non intrabit in regnum cælorum. Contra verò gloriam & honorem, & pacem Paulus asscribit omni operanti bonum. Iudæo primùm simul & Græco. Id ergo Christus vult, cum sine abundantiore Iustitia neminem in regnum cælorum intrare dicit: Et alibi: Iusti ibunt in vitam æternam. Et: Iusti fulgebunt sicut sol in regno patris sui. Sic Ezechiel enumeratis iustitiæ operibus: iustus, inquit, viuet & non morietur. Et Sapiens: Iusti in perpetuum viuent. Et: Iustorum animæ in manu Dei sunt, & non tanget illos tormentum malitiæ. Et Dauid: In memoria æterna erit iustus. Et: Oculi Domini super iustos. Rursus Solomon: In via iustorum, vita est. Et Iustitia à morte liberat. His atque simillimis dictis scriptura plena est, quibus ostenditur, neminem iudi-

cium Dei declinare, neminem nisi iustum in regnum cælorum intrare. Verùm quia non omnis Iustitia introitum regni patefacit, ideo Christus abundantiorem aliquam iustitiam requirit. Peculiaris sua Iudæis fuit iustitia, de alia quadam etiam Gentes gloriabantur. Et horum quidem talis fuit iustitia, vt legentibus nobis eos qui de ea scripserunt, Valerium Maximum, & alios, ruborem pariter & pudorem incutiant. Illorum etiam, maximè Pharisæorum, iustitia in speciem præclara apparebat. De qua multa in Euangeliis. Habet etiámnum suam, & prædicat mundus iustitiam, quæ in hoc consistit, vt suum cuique redderetur, nemo lædatur, & quod sibi quisque velit fieri, præstet aliis. Tum odisse malum & diligere virtutem. Sed licet hanc admiremur in mundi filiis, ac magni æstimemus, minus tamen facit ad introitum regni promissi. Siquidem impossibile est sine fide placere Deo. Tum etiam Iudæorum illa iustitia Deo ingrata est, quia nec intentionem veram, nec finem iustum habet: faciunt enim multa vt videantur ab hominibus. Propterea Dominus de illis dicit: Receperunt mercedem suam. Quum ergo iustitia quædam sit quæ ad introitum regni cælestis, necessariò requiritur, secundò iam quæri potest, quæ illa sit iustitia. Ad quam quæstionem hoc rectè respondetur, quod suprà posuimus, iustitiam hanc nihil aliud esse, quàm perfectionem diuinorum mandatorum, & plenam in lege Dei obedientiam. Hæc quam Deus à nobis requirit, Iustitia est. Vt enim peccatum nil nisi transgresio legis est, ita econtrà, iustitia nihil aliud est præter obedientiam legis: & quemadmodum Deus transgresioni illi mortem minatur, ita obedientiæ legis eternam remunerationem promittit. Huc ergo pertinet quod Christus aliquando, quid necessarium facto esset ad æternam vitam consequendam, interrogatus respondit: Diliges dominum Deum tuum, & quæ sequuntur. Et quod Ioannes scribit: Qui facit iustitiam, iustus est. Sic Ezechiel iustum dicit facientem ea, quæ in lege scripta sunt. Sic Dauid secum disputans quisnam sit inhabitaturus in tabernaculo Domini, & quis in monte sancto requiem habiturus, enumerat multa, ac tandem concludens ait: Qui facit hæc, non commouebitur in æternum, imò hic accipiet

Matt. 6. & 23.

plet benedictionem à Domino & misericordiam à Deo salutari suo. Hæc enim generatio quærentium Dominum. Sic Christus in præsenti Euangelio antiquæ legis præcepta proponens, difficiliora subdit, ac facientibus, quod ipse prohibet, diuersas qualitate pœnas prænunciat: Nempe cum Iudæorum iustitiam dixit in non occidendo positam, nostram, hoc est, Christianorum iustitiam abundatiorem non in irascendo, affirmauit consistere. Hoc ergo iam tertiò quæritur, Cum sine iustitia regnum cælorum non obtinetur, & illa iustitia perfectio & plena obedientia mandatorum Dei est, quomodo perficitur lex, & quomodo plenè obeditur illi? Certum enim est, quia nemo nostrum mandata Dei perficit, nemo plenè obedit: id quod vel hoc solo Euangelio patet. Vnum enim mandatum interpretatur Christus: & vide quanta imposibilitas in eo appareat? Facilè manum ne quem occidero, contineam, sed non irasci, non iræ indicia vel gestu vel voce dare, hic labor, hoc opus est. Et non solùm homicidij facto, verùm etiam ira, quæ principium homicidij sæpe est, reum te homicidij facis. Sic in aliis præceptis. Vt cum plena Dei & proximi mandatur dilectio, quis dicere potest se eo modo, quo mandatum obligat, vel Deum ante omnia, & proximum sicut seipsum dilexisse? Adulterium fortè ipso actu non committam, sed quomodo quod aspiciens ardeo excusari potest? Nemo ergo ex seipso hæc præstare se, aut posse dixerit, quin omnes fatebimur sæpenumero nos & quotidie in mandata Dei peccare. Si enim amplius quid, quàm opera requirunt mandata, certè operibus nostris tribuitur. Vt taceam quod scriptum est: Maledictus omnis qui non permanserit in omnibus verbis legis huius. Et quod Iacobus: Qui offendit in vno factus est omnium reus. Manet tamen etiamnum quod Christus ait: sine Iustitia nos non ingredituros in regnum cælorum. Et quod iustitia hæc perfectio sit & plena mandatorum Dei obedientia. At videtur desperandum potius esse quàm quicquam de salute sperandum, si ea beatitudinis conditio est, Si enim sine iustitia regnum cælorum intrare non possumus, & nemo nostrum mandata perficit: sequitur neminem saluari. Rectè id quidem nisi Deus suppetias tulisset homini quæ ipsius est misericordia: Omnia, inquit, Paulus conclusit Deus sub peccatum & in-

Deut. 27
Iacob 2.

credulitatem, vt omnium misereatur. Gratia patefecit, quod nostris operibus clausum mansit. Aliena nobis auxiliatur iustitia, quia propria insufficiens & ægra est. Quæris qui hoc?
Rom. 8. Audi quid Paulus dicat: Quod impossibile erat legi in quo infirmabatur per carnem: Deus filium suum mittens in similitudinem carnis peccati, & de peccato damnauit peccatum in carne, vt iustificatio legis impleretur in nobis, qui non secundum carnem ambulamus sed secundum spiritum. Christus enim innocens ab omni peccato iustificatus, sese legi subdidit, ac plenè satisfecit, eámque obedientiam suam qua non in-
1. Pet. 2. digebat ipse, nobis donauit ac communicauit. Atque hoc modo legi satisfactum est pro mundo per Christum. Sic etiam satisfactio legis quam Christus fecit, nostra facta est redemptio. Satisfecit legi Christus inquam, quia perfectè patris voluntati ac mandato obediuit. Ipso teste, cum ait: Qui misit me, mecum est: & non reliquit solum, quia ego quæ placita sunt
Ioan. 8. ei, facio semper. Quod autem hæc obedientia Christi nostra
Rom. 5. sit, Paulus testatur dicens: Sicut per vnius delictum, in omnes homines in condemnationem: sic per vnius iustitiam in homines in iustificationem vitæ. Ecce quomodo factus sit nobis Christus sapientia à Deo & iustitia, & sanctificatio & redemptio, vt qui gloriatur in Domino glorietur. Ipse ergo propi-
1. Cor. 1. tiatio pro peccatis nostris, non pro nostris autem tantùm, sed
1. Ioan. 2. & pro totius mundi. Omnes inutiles facti eramus, nemo qui legi satisfacere posset, præter vnum Christum. Secundum hanc ergo diligentiam intelligantur Scripturæ loci, vbi de iustitia loquuntur quod non sola fide iustificamur. Mirum quantum hæc res pariat dissidium, cum iam operibus etiam expressè, iam fidei tribuitur iustificatio. Et tamen nisi pertinacia disputandi esset, facile hoc modo conciliari possunt loci. Iam verò alio locos de operibus, alio de fide appræhēdente ac mordicus tenente, dissensionis nūquam erit finis. Audiuimus quomodo ex iustitia operum non quæ nos fecimus, sed quæ Christus fecit regnum cælorum apertum sit. Vbi ergo quod Paulus fidei iustificationem tribuit? Et hoc igitur accipe: Christus
Ioan. 5. ipse in Ioanne ait: Qui credit in filium, habet vitam æternam.
Rom. 3. Et Paulus ait: Arbitramur autem hominem fide iustificari. Vtrobique verè scriptum est. Nam cum credimus Christum caput nostrum esse, ac ipsum quidem non pro se, sed pro nobis legem impleuisse, fit vt quasi merito fidei nostræ Christi iusti-

tia nobis imputetur. Et hoc ipsum, hoc est, imputari nobis Christi iustitiam, Dei donum est. Vnde Paulus iustificationem nunc fidei, nunc gratiæ, nunc misericordiæ asscribit. Vt ad Romanos patet nos per legem fidei iustificari, vt scilicet iustificatio quam per legem operum habere non potuimus, per legem fidei consequamur. Sic ibidem gratiæ iustificationem tribuit: Iustificati, inquit, gratis per gratiam ipsius. Sic ad Titum non negat quidem operibus legis iustificationem deberi, sed dicit nos nō iustificari ex operibus legis quæ nos fecimus, quo certè Christi iustitiam nobis cōferre salutem vult innuere. Vnde subdit quòd in hoc apparuerit gratia saluatoris nostri Christi: quia ipse secundum magnam misericordiā suam saluos nos fecerit. Et hoc modo per fidē, siue ex fide, qua Christum caput nostrum, cum sua iustitia apprahendimus, iustificamur. Deinde etiam alio modo fide iustificamur, quando credentibus nobis in illum Spiritussanctus datur. Per hūc autem diffunditur charitas Dei in cordibus nostris: charitas non qua ipse nos diligit, sed qua nos ipsum diligimus. Porrò charitas legis plenitudo est. Vnde Augustinus oppidò quàm aptè, Lex, ait, data est, vt gratia quæreretur. Gratia data est vt lex impleretur. Vides ergo quomodo sibi constet scriptura. Cum & obedientia legis licet per alium præstitæ iustificamur, nihilominus tamen per fidem saluamur. Non ergo ideo solùm lex data, vt inde agnitio peccati esset: sed bona est lex, & impleri. Non etiam ita fide in Christum iustificati sumus, quasi nobis iam desidiose otiandum sit, aut etiam in peccatis conquiescendum. Malè enim concluditur: Christus pro me satisfecit, igitur mihi quod faciam nihil restat. Christus suam mihi largitur iustitiam, igitur nulli iustitiæ mihi studendum est. Non hæc Euangelij vel Pauli sententia est. Quin ideo à peccato liberati, vt deinde iustitiæ viuamus. In hoc enim gratiam largitur Deus, vt velimus & possimus quod antè videbatur & erat impossibile. Huc ergo pertinent, quæ in Euangelio sequuntur, quibus Christus quomodo perfectior & abundantior nostra reddatur iustitia, indicat: Amen amen, inquit, nisi abundauerit iustitia vestra plusquam Scribarum & Pharisæorum, non intrabitis in regnum cælorum. Cum enim duplex sit iustitia in sacris scripturis expressa, altera quæ nos apud Deum, altera quæ apud homines iustos facit: hic illa necessaria dicitur ad cęlestis regni introitū, quę nos co-

Ibidem *Tit. 3.* *Rom. 6. & 12.* *Mat. 5.*

ram Deo iustos constituit. Non quòd illa mundi iustitia negligenda sit,sed quòd sub abundantioris iustitiæ perfectione
1. Pet. . . intelligatur. Studendum enim est, vt qui foris sunt, ac de
Luca 1 nobis detrectant bonam nostram conuersationem videntes, Deum, qui in cælis est, glorificent. Vt Baptistæ parentes cum iusti ante Deum pronunciantur, hanc etiam laudem merentur,quòd sine querela,hoc est, vllius hominis offensione in omnibus iustificationibus ambulauerint. Et Christus coram mundo iustus haberi voluit, cùm ait: Quis ex vobis
Ioan. 8. arguet me de peccato? Sed & Samuel quondam vitam suam
1. Reg. 18. examinandam populo coram Deo proponit: si quem læserit,
Iob 29. aut calumniatus sit,aut oppresserit. Cui respondens populus iustitiam tribuit. Similimodo Iob quondam apud se iustitiæ,quam fecerat, partes enumerat, sibiq; in hoc gratulatur, quòd multis patris loco fuerit. Et Paulus denique huius iu-
2. Cor. 7 stitiæ præsidio Corinthiis dicere audet, 2. cap. 2. Nos ne-
& 12. minem læsimus, neminem corripimus, neminem circumuenimus. Hac iustitia non caret, qui perfectiorem illam habet. Proinde diligenter studendum est, ne in hac, quam
Isa. 1. & mundus suspicit,hærentes, à Dei iustitia reputemur alieni,
58. & in nobis locum habeat, quod Isaias & Christus denique
Matt. 23 & Paulus de Iudæis, suo quisque tempore conquestus est.
Rom. 1. & Si enim quæ in mundo est iustitia ad regni cælestis introitum
10. sufficeret, sine caussa Christus Euangelij legislator abundantiorem, tanta cum authoritate præciperet. Hoc modo scriptura monet vt qui iustus est, iustificetur adhuc: & qui minorem habet virtutem, inde progrediatur ad eminentiora: quo fiet vt Deus deorum in cælesti videatur Sion, imò nobiscum ipse, ac in nobis, tanquam in templo se idoneo,
Apoc. 22 habitet. Hoc vult cum ait: Audistis quia dictum est anti-
Psal. 83. quis: Non occides: Ego autem dico vobis, quasi diceret:
1. Cor. 6 Si Pharisæis,qui mundi gloriam quærunt,non occidisse manu, hoc est, nihil tale perpetrasse, quod pœnam ac animaduersionem magistratus mereatur, satis. Vos autem, quos pro factis æterna apud Deum vel merces manet, vel pœna, Deo, qui non manum, sed ipsum etiam cor inspicit, interni hominis, hoc est, spiritualis, ab omni amarulentia aliena mens placet, facilè enim non occidetis, si cor vestrum ab ira clausum custodieritis. Nam inde malæ cogitatio-
Matt. 15 nes exeunt. Hic verborum Christi sensus quibus & illud in-

nuitur

nuitur,quam dissideant humana atque diuina iudicia.Loquitur autem indefinitè,Dictum est.Non addit quis dixerit, quò Iudæorum secludat scandalum, si enim dixisset: Pater meus dixit, potuisset videri, quasi patrem argueret,cum aliam legem statuit: si autem dixisset: Ego dixi antiquis, suspicati fuissent homines ambitiosum esse, quod eum sibi honorem sumeret,aut inconstantem,qui legem à se latam nūc demum immutaret.Propterea dixit: dictum est antiquis non occides. *Exod. 20* *Gen.9.*
Quod autem dicit: Ego dico vobis: differentiam inter se & prophetas ostendit.Illi enim serui Dei propria authoritate ex seipsis nihil præcipere habuerunt, quorum vbiq; initium est: Hæc dicit Dominus.Ipse verò propria authoritate vti Dei inuiolabilem decet sermonem, dicere potest. Ego dico vobis. Quanquam & in Ioanne sua verba patris, à quo missus erat, sermonem dicit.Quod autem dicit: Omnis qui irascitur fratri suo, reus erit iudicio, manifestè, conuincit, se non soluere legem, qui maiora legis præcepta ponit. Loquitur autem nō de qualibet ira (solet enim nonnunquam præter voluntatem nostram ira quædam in nobis exurgere)sed eiusmodi,qua ita accenduntur homines ac fremunt, vt deliberato animo proximi damnum aut mortem expetant, quam quidem iram sæpenumero vbi inueterata fuerit odium sequitur, aut ipsa potius in odium conuertitur.Id quod videre est in Cain, de quo Scriptura loquitur:Iratus est vehementer,& concitus vultus eius.Deinde illud etiam transeundum non est, quod dixit:fratri suo.Est enim bona ira,quæ peccato irascitur,quin qui non irascitur peccatis maximæ blasphemiæ in Deum, Domini veram dilectionem non habet. Hac ira Christus ipse accensus è templo ementes ac vendentes eiicit. Et Paulus incestuosum Corinthium Satanæ tradit. Et Moses propter erectum vitulum,legis in terram proiectis tabulis, viginti ac tria milia hominum morti tradidit:cum tamen Christus alibi super ciuitatem fleuerit:& Paulus misericordiæ opera Corinthio illi pręstari iusserit.Et Moses iratus pro vitulo ad Deum precatus sit. Qua in re vel canes etiam sequi nos non erit inutile, qui peregrinum ablatrant, domesticis verò adulantur, omnibus amici sunt,nec licet famem patiantur, mordent: Lupos verò etiam distenta aluo, insequuntur. Sic nobis proximus noster amandus, & cohæres ac domesticus agnoscendus est. Si verò peregrinum quempiam in eo consideraueris,hic irascendum *Ioan.14* *Gen.4* *Luca 19.* *1.Cor. 5* *Exod.33.* *2.Cor. 2*

& cum ratione oblatrandum est, nec iam tibi charus amicus erit, vt ad delicta ipsius taceas, contra verò, ita peccatis non irascebere, vt amoris proximi obliuiscaris. Quicunque enim fratri suo irascitur reus erit iudicio. Sed considera ordinem, prius mentis iram prohibet, secundò, iræ externa signa coërcet, tertiò maledicta damnat. Prius illud pœnam habet iudicium, secundum verò concilium, tertium gehennæ ignem. Quibus omnibus licet maius sit homicidium, Euangelica tamen lege, illud quod est infimum, irasci, pœna homicidio par iudicatur. Quando ergo iram prohibuit, mirum non est si reliqua, quæ ex ira prodeunt, pœnæ denuntiatione interdicat. Propterea ait: Qui fratri suo dixerit Racha, reus erit concilio. Est autem Racha, indignantis interiectio, iræ vehementiam indicans, per quod omnis irati gestus externus significatur. Ostendit autem hoc verbo Christus, quàm dissideant Pharisæi à vera legis obedientia nos verò affabilitatis ac comitatis tum etiam patientiæ ac in remittendo facilitatis admonet. Qui verò fratri suo dixerit, fatue, reus erit gehennæ ignis. Significatur autem hac dictione extremus proximi contemptus ac calumniandi cupiditas. Cum autem tantam pœnam in nos prouocamus, garrula in proximum lingua, quæ rogo culpa blasphemiam in Deum manet? Non ergo sine graui causa perfectum esse eum, Iacobus Apostolus pronunciat, qui
Prou. 15 lingua non offendit. Et verè Salomon testatur, Iracundum hominem suscitare iras, non solùm, quia impetuosus est iracundus, & verba non præmeditata effutiens proximum lædit, verumetiam quod secus irati hominis verba interpretamur quã
1. *Cor.* 6 amici. Hinc est quod Paulus, non solùm eos, qui facto aliquo peccant, verumetiam blasphemos regno Dei indignos iudi-
Ephes. 4 cat. Monet autem vt omnem amarulentiam, iram, indignationem, clamorem, blasphemiam, cum omni malitia longè seponamus: contra verò benigni, misericordes, inuicem condonemus, & ne super iracundiam nostram, sol occidat. Vnde etiam Christus benignitatem ac misericordiam in proximos
Ose. 6. placere sibi magis victima, cum in Osea, tum hic apertissimè asserit, Propterea monet, vt si coram altare aliquid aduersum nos, fratrem habere, meminerimus, relicto munere, fratris indignationem deprecemur, ac in gratiam cum ipso redea-
2. *Par.* 21 mus, hortatur. Vt autem veteres per muneris oblationem, omnia sua Deo accepta ferebant, ita minus quodlibet factum
inter

interpretamur, quo Deo placere nitimur, vt sunt verum ieiunium, corporis castigatio, & eleemosyna. Dicit autem cum offers, non cum iam obtulisti, aut offerre vis, vt vel prætericũ vel futurum tempus intelligas. Quo verbo ipsum oblationis actum intelligimus significari. Adeo fraterna reconciliatio necessaria est. Id quod alibi Christus monet: Ite & discite quomodo sit, misericordiam volo & non sacrificium. Hac ratione Deus olim testante Isaia, Iudæorum aspernabatur cultum: Manus vestræ, inquit, plenæ sunt sanguinum. Postremò autem quàm simus in vindictæ cupiditate pertinaces, quàm difficile remittamus ipsi & in pœnitenda remissa negligentes per hoc ostenditur, quòd tanta solicitudine Christus fraternam reconciliationem exigit. Hinc est quod Paulus eiusmodi affectus in Christi mortem per baptismum consepultos esse vult. Nunquid enim fratris reconciliationem expectamus nisi iræ, maledicentiæ, ac inuidiæ affectus mortificauerimus? Id verò cum per se nobis arduum ac difficile est, commodè cum ecclesia precamur vt Deus virtutum, cuius est totum quod est optimum, diuini sui nominis amorem inferat præstetq; in nobis religionis augmentum & quæ bona sunt nutriat, ac pietatis studio, quæ sunt nutrita custodiat. Potest enim ille, quod iubet dare, & vult à se peti ꝙ iubet implere.

Matt. 9
Isai. 3

DOMINICA OCTAVA, POST PENTECOSTEN.
EVANG. MARCI VIII.

CVm turba esset cum Iesu, nec haberent, quod manducarent, conuocatis discipulis, ait illis: Misereor super turbam, quia ecce iam triduo sustinent me, nec habent quod manducent, & si dimisero eos ieiunos in domum suam deficient in via. Quidam enim ex eis de longè venerunt. Et responderunt ei discipuli sui: Vnde istos quis poterit saturare panibus in solitudine? Et interrogauit eos: Quot pannes habetis? Qui dixerunt, septem. Et præ-

cepit turbæ discumbere super terram. Et accipiens septem panes, gratias agens fregit, & dabat discipulis suis, vt apponerent:& apposuerunt turbæ. Et habebant pisciculos paucos,& ipsos benedixit, & iussit apponi. Et manducauerunt & saturati sunt, & sustulerunt quod superauerat de fragmentis septem sportas. Erant autem qui mãducauerant quasi quatuor milia,& dimisit eos.

EADEM DOMINICA EPIstola Pauli. Rom. VI.

HVmanum dico, propter infirmitatem carnis vestra. Sicut enim exhibuistis membra vestra seruire immunditiæ & iniquitati ad iniquitatem, ita nũc exhibete membra vestra seruire iustitiæ in sanctificationem. Cum enim serui essetis peccati, liberi fuistis iustitiæ. Quem ergo fructum habuistis tunc in illis, in quibus nunc erubescitis? Nam finis illorum mors est. Nunc verò liberati à peccato, serui autem facti Deo, habetis fructum vestrum in sanctificationem, finem verò vitam æternam. Stipendia enim peccati mors: gratia autem Dei, vita æterna in Christo Iesu Domino nostro.

SERMO.


Vem proximo sermone Euangelicum legislatorem audiuimus, eundem hìc, sequentium se suisq; mandatis obedientium conseruatorem intelligamus. Et quia non licet de manu ipsius benedictum panem accipere, nisi in nobis inuenitur obedire; illi se hic quieti humiq; reponant, qui nuper ad exequenda mandata eius parati erant. Licet enim dominus ipse sit omnium, misereatur omnium quæ fecit, peculiari tamen modo eorum erumnis afficitur, qui in verba ac iussa

Euangelij attendunt atque à solo ipsius nutu, cum magna fiducia pendent. Quantum enim in ipso est, omnes conseruare vult atq; potest. Videmus tamen hi non ipsum sequentes, diuinæ munificentiæ participes fieri. Fuerunt enim illo tempore plures in Iudæa, multi etiam in Galilæa & Samaria, sed nemo illorum hoc miraculo sacratus est. Sunt etiam innumeri per orbem terrarum diffusi homines. Sed quemadmodum solùm ad credentes iussa ipsius delata sunt, ita iisdem etiam offertur benedictio. Iam verò, cum omnes credentes dicimur, quanta credentium inter nos est diuersitas? Vnde rursum dico, qui ipsius iussis obedientes sunt, ipsi hanc sibi munificentiam vindicent. Non enim hoc miraculum huius tantùm vitæ conseruatorem esse Christum indicat, verumetiam ac multo magis futuræ. Satiamur quidem idq; sæpissimè in hac vita de manu domini, & saturati gratias agimus: Sed plena ista saturitas non est. Ex parte enim dum in huius mundi deserto oberramus, cognoscimus & ex parte prophetamus: sed plenè satiabimur, cum apparuerit gloria Dei, atque illic tandem plena voce nouum atque æternum, Domino cantabimus Alleluia. Hæc ergo Euangelicæ huius lectionis summa est, vt si velimus huius mundi peracta fabula, etiam æternum satiari, Euangelizantem Christum in hoc deserto audiamus. Est autem confirmatio fidei nostræ, vt hoc miraculo admoniti, Christum velle & posse nostram egestatem subleuare ac æternum beare credamus. Est & argumentũ spei nostræ, vt ab illo solo, quæ necessaria nobis sunt, spe expectemus. Tum charitatis nos admonet, vt qui omnia à Deo speramus, hoc solum quod possumus, proximo præstemus. Postremo & hoc docet, quid sine Deo largiente possimus, ac valeamus. His quatuor partibus sermo hic noster concludetur. Et quid in his omnibus, quod siue fidem siue vitam nostram inspexeris, non est sci tu, vehementer necessarium? Vtinam ergo tanta cupiditate, sola hac horula, in Dei verbum attenderemus, qua turbæ illę, non horam aut diem vnam, sed tres continuos dies, omnium domesticarum rerum obliti, Christum prædicantem sustinuerunt. Iterum inquit Euangelista: turba multa cum eo. Quod illius populi in verbum Dei ardor significatur. Necesse est enim, magno id factum fuisse desiderio audiendi, cum corporis ne quidem curam haberent, ac relicta domo, corpore simul ac cogitatione à dicentis ore penderent. Psal.29.

Nec

Isa. 2 Nec fortuito factum fuisset credendum est, quod prophetarum vaticinia longis ante temporibus futurum prædixerunt. Isaias enim hæc inter alia de Christo loquitur: Et fluent ad eum omnes gentes, & ibunt populi multi, & dicent: Venite ascendamus ad montem Domini & ad domum Dei Iacob, & docebit nos vias suas, & ambulabimus in semitis eius: quia de Sion exiuit lex, & verbum Domini de Hierusalem.

Mar. 5

Ioan. 17 Nec mirum si tanta cupiditate audierunt eum, qui non Pharisaico modo, sed sicut autoritatem habens docebat. Hinc est quod Iudæi de ipso criminabantur, quòd docendo commouerit populum. Et Dauid olim id futurum prædixerat, vbi Christum his verbis alloquitur, dicens: Speciosus forma præ filiis hominum. Diffusa est gratia in labiis tuis, eò quòd tibi benedixerit Deus in æternum. Et quod alibi: Eloquia Domini eloquia casta, argentum igne examinatum, probatum terræ, purgatum septuplum. Et de seipso idem propheta: Quàm dulcia faucibus meis eloquia tua, super mel ori meo? Hanc igitur populi auiditatem ipse Christus in psalmis collaudans ait: Populus quem non cognoui, seruiuit mihi, in auditu auris, obediunt mihi. Contra verò de peruersis dicitur: Cum loquebar eis, impugnabant me gratis.

Psal. 44

Psal. 11

Psal. 118

Psal. 17

Hebr. 3 Exacerbatis enim cordibus ac dura ceruice audiuerunt vocem Domini, non aliter atque illorum patres, in deserto tentauerunt Dominum. His ergo aspernantibus oblatam vltro gratiam, obedientes receperunt, quos oues suas Christus dixit, qui vt vitam haberent huius temporis sufficientem & futuri seculi superabundantem, alibi in hunc mundum se venisse testatur. Hic ille populus cuius miseretur Dominus: & verè beatus populus, cuius Dominus Deus eius. Cur eum non dicam beatum populum, cui Dominus præsens tot beneficia præstitit? Verbo suo animas eorum ad vitam æternam conseruauit, & negante natura, Dominus naturæ auxilium suum miraculosè augmentatis panibus, esurientium corpora ab inedia tuetur ac saciat. Quod autem maius argumentum vel potentiæ vel voluntatis suæ potuisset dare? Nam vt homo miseretur & vt Deus cibat eos quorum misertus est. Debet ergo hoc ipso facto imbecillior nostra fides augeri & confirmari quòd Christus verè sit Deus atque hominis filius, tum etiam eundem nostrum esse Deum, ac nostri causa patri assidere à dextris in humana, hoc est, nostra sub-

Psal. 94

Ioan. 10

ſtantia. Id quod conſtanter contra Iudæos, Gentes, atque omnes hæreticos ipſámque adeo rationem noſtram cum Paulo prædicamus: Nempe Chriſtum crucifixum Iudæis quidem ſcandalum, ac Gentibus ſtultitiam, nobis verò, hoc eſt, credentibus Dei virtutem ac ſapientiam eſſe. *1.Cor. 1* Inuidi olim etiam Iudæi cum relicto Aegypto Paleſtinam repeterent huius virtutis ac ſapientiæ Dei experimenta petentes, nefando ore contemptus multis ac magnis miraculis, quæ Deus effecerat, in hæc verba contra Deum eruperunt: nunquid Deus poterit parare menſam in deſerto? quoniam percuſsit petram & fluxerunt aquæ, & torrentes inundauerunt: nunquid & panem poterit dare, aut parare menſam populo ſuo? Quid autem ait ſcriptura? Tentauerunt Deum in cordibus ſuis, & malè locuti ſunt de Deo. *Pſal.77* Ecce parare menſam in deſerto ac dare panem, Iudæi diuinitatis argumentum nouerant. Quod ſi dubitas verè Chriſtum Deum eſſe, hoc lege quod Euangelium atteſtatur miraculum, vt tandem repudiato errore omnipotentem confitearis, ac infidelitatis omnem effugies damnationem. An non hoc eſt populo ſuo parare menſam in deſerto, ſeptem panibus paucíſque piſcieulis, quatuor milia hominum in deſerto ſatiare, atque eò quod reliquum manſit, ſeptem ſportas implere? *Ioan. 2.6* Vt quid igitur generatio mala atque adultera ſignum quærit? *Mat. 12. & 16.* Quod ſi dubitas eundem tuum eſſe Deum, vide commiſerationem, vide in ſuccurrendo ſtudium, vide omnia examinantis ſolicitudinem. Miſereor ſuper turbam ait: Iam triduo ſuſtinent me. Non habent quod manducent, ſi dimiſero ieiunos, deficient in via. Quidam enim de longè venerunt. An fortè quod fecit ac dixit, illius populi tantùm cauſa, tam accuratè ſcriptum eſſe, arbitrabimur? Minimè. Ad noſtram potius hæc eruditionem ſcripta ſunt. *1.Cor.10* Quod ſi dubitas noſtram quoque hic rem agi, quid in Matthæo ſcriptum ſit, ac quis verus huius miraculi vſus ſit, tecum rumina. Illic cauendum Chriſtus à Phariſæorum & Saducæorum fermento præmonet, ac diſcipulis de corporali cibo cogitantibus: *Mat. 16* Quid (inquit) inter vos modicæ fidei cogitatis: quia panes non habetis? Nondum intelligitis, neque recordamini, quinque panum & quinque milium hominum? *Ioan. 6* *Luc.9* Neque ſeptem panum & quatuor milium hominum, & quot ſportas ſumpſiſtis? *Marc.8* Ecce igitur hunc verum eſſe vſum miraculi huius, vt & noſtrum

Deum

Deum esse ac nostri cura affici, eum simili modo nostram quo que, vbi opus fuerit, egestatem posse ac velle propellere. Proinde rectè olim Moses de Deo dixit: Iste Deus meus, & glorificabo eum, Deus patris mei, & exaltabo illum. Rectè etiam
Isa. 25 Isaias: Domine Deus meus es tu, exaltabo te, confitebor nomini tuo: quoniam fecisti mirabilia, cogitationes antiquas fideles, amen. Et quia & nostrum est tale quid dicere, qui eiusdem Dei munificentia viuimus, consequenter de postremis
Ibidem. temporibus Propheta ait: Et dicent in illa die: Ecce Deus noster iste, expectauimus eum, & saluabit nos. Iste Dominus, sustinuimus eum. Valeat ergo, quicquid contra Christi potentiam pugnat, siue nostra ratio, siue inuida infensissimi hostis tentatio. Idem enim etiamnum atque pater operatur. Quod si hanc operationem non intelligimus, nostra cæcitas in culpa est, qui suscipientes quidem ex liberalitate Domini, quæcunque nobis ad tuendam & conseruandam vitam sunt necessaria, nec semel quidem, vnde isthæc veniant leuatis oculis consideramus: porcorum more qui glandibus quidem vescuntur, subtus arborem, vnde tamen illæ decidant ramos nunquam suspiciunt. Quanquam & hoc ipso porcis peiores nos, qui ad cogitandam diuinam in cælo prouidentiã ac liberalitatem ipsa quoque corporis statura admonemur. Atque vtinam nemo esset, qui terræ fructus (vnde nobis alimentum & indumentum est) Fato aut necessitati potius quàm Deo asscriberet. Quod si omnes ex æquo illam diuinæ potestatis ac voluntatis firmatam fidem haberemus, fieri non posset, quin ardentiori spe ab illo solo, quæ necessaria nobis, expeteremus. Quo sanè & minor fraus, & minus in colligendis rebus deprehenderetur studium. Quid est autem quod Christus in tanta turba se medium præbet, omnes abundanter satiat, nisi vt nos spem nostram atque fiduciam in eum collocemus, adhortatio quædam? Ac si ipso facto diceret: Ego qui Dominus naturæ sum, deficiente natura, non hanc turbam solùm, verumetiam totum mundum nutrire ac conseruare potis sum. Ecce septem panibus, ac paucis admodum pisciculis hanc totam multitudinem mea accedente benedictione saturaui, & ad quid mihi septem sportæ fragmentorum plenæ, nisi iisdem etiam multiplicatis in me credentes méque sequentes exatiem? Et hic verus tandem & secundus huius miraculi vsus est: Vt quod posse ac velle Deum credimus, nobis
posse

posse ac velle cogitemus. Vtique enim Christus non rogatus hoc præstitit, quid faciet rogatus? Et ne quid fallacis dubitationis animos nostros subeat, an hoc ipsum velit Deus quod præstitit Christus: ipse in Ioanne, se in nullo à patris natura differre demonstrat. Ait enim, Qui videt me, videt & patrem meum. Et iterum: Ego & pater vnum sumus. Et ego in patre & pater in me est. Hinc est quod Paulus eum imaginem patris ac figuram substantiæ eius nuncupat. Si ergo imago Christus beneficus est, vt certè se esse euidenter demonstrat, quid nisi & munificum patrem nos credere decet? Atque in hoc pater eum mediatorem & reconciliatorem inter se ac nos constituit, ipsique omne iudicium dedit vt in ipso, tanquam mundi omnisque mali victore, spem firmam collocemus. Hac spe Dauid olim firmatus confidenter dixit: Dominus illuminatio mea & salus mea quem timebo? Dominus protector vitæ meæ, à quo trepidabo? si consistunt aduersum me castra non timebit cor meum. Quo certè exemplo monet, vt quod fides nostra de Deo nobis credendum persuadet, id de ipso speremus. Hac ratione cum omnes cogitationes nostras, ac solicitudines in ipsum reponere scripturæ autoritate admonemur, certè in nullo alio eorum, quæ vel in cælo, vel in terra sunt, spem nostram collocare adhortamur. Nemo ergo in se ipso aut robusto, aut sciolo spem vllam ponat: mendax enim omnis homo est. Et qui hodie stat, potest cras cadere. Nec in sua iustitia confidat quisquam: inutiles enim serui sumus etiam si præcepta omnia expleuerimus: & nemo nouit vtrum amore, an odio dignus sit. Deinde nec in vllo homine sperandum est: cum omnis homo vt fœnum & omnis gloria eius tanquam flos fœni. Et maledictus est omnis qui confidit in homine & ponit carnem brachium suum. Multo minus in diuitias aut potentiam huius vitæ quis speret? Incerta enim diuitiarum spes omnis est, nec proderunt quicquam in die vltionis. Tum potestas huius seculi fragilis, tanquam baculus arundineus, est. In Domino autem spes firma est, eóque sperandum in eo, nec quicquam in cælo aut in terra quærendum est, præter eum. Iam verò post confirmatam fidem potentiæ ac voluntatis Dei, post etiam spei augmentum, id admonemur, vt quemadmodum indigentibus nobis à Christo capite nostro, omnia defluere postulamus, ita etiam cæterorum membrorum ipsi

Ioan.14 *Hebr.1* *Rom.3.* *Ioan.5* *Psal.26* *Psal.115* *1. Cor. 10* *Luce 17* *Ecclef. 9* *Isa. 40* *Iere.17* *1Tim.6* *Prou.11* *Ezec. 29* *2. Reg.12* *Psal. 51. & 72*

curam

curam habeamus, eorúmque (quantum in nobis est) necessitati subueniamus. Indignum est enim id negare proximo, quod potes: & à Deo sperare, quo eges. Hinc Christus cum multa nos faciendo docuit, nunquam tamen miracu-
1. Cor. 12 la facere in vniuersum mandauit, misericordes tamen esse, præcipit. Virtutum enim atque signorum edendorum munus
Mat. 24 peculiare donum Dei est. Sed & in nouissimo die multi ve-
Matt. 7 nient dicentes: Domine nunquid in nomine tuo prophetauimus, nunquid etiam multa miracula fecimus? Qui tamen audient ignorari se. Propterea non dixit: meo exemplo mortuos resuscitate, & paucis panibus multa hominum milia
Matt. 11 exaciate, sed discite à me, quia mitis & humilis sum corde, exemplum dedi vobis vt quemadmodum ego feci, ita
Ioan. 13 vos faciatis. Vidit turbam, & misertus est eius. Hoc igitur exemplum primò pastores ac rectores Ecclesiarum imitamini, populi Christiani ærumnis afficiamini. Agnoscite vocationem vestram, & quàm omnium in vos oculi conuersi sint, maximè hac tempestate, expendite: gemitus ac desideria tot hominum exaudite: panem animarum piarum vitam, cuius vobis distributio commissa est, porrigite: à negligentiæ somno exurgite, tot animarum milia vestra iam dudum periisse socordia, pudeat: dissipatos recolligite: sathanæ inuidia dispersos congregate: & ante omnia, quacunque potestis ratione, pro delegato vobis officio, vestræ commissis fidei succurrite: ne formidabilis illa Dei sententia vos perstringat qua se pastor pastorum pereuntium incuria vestra, animarum sanguinem de manu custodum negligentium requisiturum esse minitatur, cauete. Discite & principes quibus gladij ministerium commissum est, discite (inquam) misericordiam facere & iustitiam, vt boni in quiete ac pace viuant, malorum nequitiam stricto gladio repellite.
Sap. 6 Potestas vobis à Deo collata est, qui & scrutabitur opera ve-
Amos 6 stra, & cogitationes vestras interrogabit. Cauete ne super ueniat in vos væ illud, quod olim opulentibus in Sion, ac in Samariæ monte cõfidentibus, interminatum fuit à Domino: Væ (inquit) vobis qui dormitis in lectis eburneis, & lasciuiuis in stratis vestris, qui comeditis agnum de grege, & vitulos de medio armenti, qui canitis ad vocẽ psalterij bibentes in Phialis vinum & optimo vnguento delibuti, & nihil compatiemini super contritionem Israël: Notum est illud Neronis:
Scis

Scis quibus ego egeam,& agamus ne cui quid superſit. Notus eſt & exitus ipſius funeſtus. Diſcite ſacerdotes, Eccleſiarum miniſtri pereuntis populi lamentationibus commoueri. Recogitate quod ſal terræ & lux mundi & ciuitas ſuper montem ædificata, ſitis. Solicite cauentes, ne in vos conueniat, quod olim de multis dictum eſt: Quia vt populus, ita & ſacerdos eſt. Miſeremini denique ſuper turbam vos opulenti, oculos veſtros à pauperibus nolite auertere, & ad clamorem pauperum aures veſtras nolite obturare: ne & vos Dominum oretis & non exaudiat. Diſcite poſtremum in genere credentes, alter alterius miſereatur, alter alterius portate onera, & ſic Chriſti legem adimplebitis. Omnes auaritiam fugite, & quod Apoſtoli paucos, quos in ſuos vſus habebant panes, promptè in commune expenderunt, ſedula mente cogitate. Non enim hoc miraculum ſolam fidem noſtram confirmat & exigit, aut ſpem erigit, verumetiam charitatem præſtandam eſſe admonet. Adhæc, quid nos ipſi, Deo non largiente, ſumus ac valeamus, ob oculos ponit: nos enim ipſi hæc turba ſumus hoc tantùm excepto, quod dolor minor in nobis erga Chriſtum eiúſque verbum attentionis perſeuerantia cernitur. Primò enim lōgè à patria ſumus. Quam diù enim in hoc corpore ſimus, peregrinamur à Domino. Deinde in magna ſolitudine verſamur, in qua homines pauci, iumentorum verò inſipientium plurima turba eſt, in qua etiam Diabolus ad impediendum ſemen bonum multam ſeminauit zizaniam. Et famem patimur in deſerto, in deſerto hoc ipſo. Nunc huius, nunc illius rei neceſſariæ inopia laboramus. Ac deficiendum nobis eſt niſi Chriſtus ex diuite ſuo theſauro tulerit ſuppetias. Nudi ingreſſi ſumus hunc mundum, nudi relicturi ſumus eundem, nec quicquid præter miſerias, laborem, ac dolores hic expectamus. Et hæc egeſtas cum ſit magna, multo tamen grauior eſt ea paupertas, quæ animam omnibus ſpiritualibus donis ſpoliat, ſic non ſolùm nudi, verumetiam peccato grauati, omni gratia ſpoliati, filij iræ, in hunc mundum naſcimur. Peccatum autem nos à Deo diuidit, & niſi Chriſtus mox interceſſerit, quod illud diutius in nobis hæret, eò altius radices agit, & longius à Deo ſegregat. Atque à cogitationibus prauis, à conſenſu in factum, à facto in conſuetudinem, hinc in neceſsitatem, à neceſsitate in contemptum (vt Salomon teſtis eſt) à contemptu in deſperationem, à deſperatione in inferni bara

Mat. 5. *Iſa. 24.* *2. Cor. 5.* *Matt. 13.* *1. Tim. 6.* *Ephe. 2.* *Iſa. 55.* *Pſal. 118.*

barathrum demergit, vbi tandem completur, quod in Psal-
Luc.15. mis scripum est: Longè à peccatoribus salus. Noluit benedi-
ctionem & elongabitur ab eo. Id quod filius ille perditus ex-
pertus est, qui longè à patria positus inediam atque omnia
mala sustinuit. Hæc cogitantes in qua calamitate versemur,
quibus periculis expositi simus, tū etiam, quam nulla præter-
quam in Christo, in mundo sit consolatio, meritò animos
nostros ad credendum Deo, illique supplicandum erigimus.
Sunt autem nonnulli, qui putant magna se iniuria affici: quòd
ea ipsorum conditio sit, vt misericordia Christi indigeant.
Nunc de Dei in se amore dubitant, dicentes: Si Deus adeo me
diligit, cur talem (hoc est) tam multis in hac vita rebus egen-
tem creauit, aut accedente fortuna nouerca fecit? Nunc me-
liora suæ iustitiæ deberi arbitrantur: non cogitantes, quod hi-
sce miseriis admoneamur solutionem corporis huius petere
ac cælestem patriam desiderare, tum etiam in magna neces-
sitate Christi auxiliū experti, maiore nos charitate in ipsum
accendi. Contra verò videas nonnullos tam desperatæ mentis,
qui, cum omnibus Christus omnia donet, se tamen indignos
iudicent, quibus Christus beneficia præstet: quasi verò vllus
homo sua iustitia Dei mereatur beneficia. Horum assidua
vox & querela est: Beneficium Deus priscis exhibuit tempo-
ribus, atque vtinam in illud beatum tempus incidissemus: nus-
quam enim nunc talia operatur. Horum vna vox est cum Iu-
dæis, qui & ipsi olim de suorum temporum calamitatibus
conquerebantur, patres verò suos, quorum relatu magnalia
Psal. 43. Dei didicerant, beatos planè prædicabant. Videtur enim, Da-
uid cum Iudæorum meminit, nostrorum quoque hominum
querelas reprehendisse. Nec facile inuenimus vllum tempus,
quo non hæc vox audita sit: Vtinam nati fuissemus in diebus
Ieremias antiquis. Sic Ieremias in lamentationibus suis quorundam
Thren. 3. querelas expressit. Sic Isaias aliorum nomine conqueritur,
Isa.63. quòd patribus quidem multa atque ingentia præstiterit bene-
ficia Deus, verùm nunc se contineat, non Zelum, non fortitu-
dinem, non multitudinem viscerum suorum suorum & mise-
Psal.88. rationum ostendat. Simili modo etiam Psalmista noster alio-
rum querelas describit: Vbi sunt Domine misericordiæ tuæ
Ioan.5. antiquæ, quibus iurasti Dauid in veritate tua? Sed non tempus
in causa est, multóque minus Deus: Pater vsque modo opera-
tur, inquit Christus, & ego operor, nos ipsi potius in culpa su-
mus

mus,& facimus nostris peruersitatibus vt Deus, cum demeritas pœnas infligit, à nobis videatur auersus. Hinc sunt pestilentiæ,bella,& fames. Verùm si temporum nostrorum calamitatem noua aliqua benedictione resarcire volumus, cur non, quod Deum ad iracundiam iustam deuocauit,à nobis deponimus? planè idem Deus est qui olim,idem pater est,eadémque illi potestas & voluntas est:hoc tantum desideratur, vt nos tales simus quibus rectè Deus misereri possit. Vt ille fecit omnia,sic & miseretur omnium, Vt Dauid in quibusdam Psalmis se Dei beneficia conseruare gloriatur. Et ne quis dicat Dauid similibus cõuenire solùm beneficia Christi,alibi,quod eadem munificentia abiectissimis quibusdam animantibus maneat, testis est. Alleuat Dominus omnes qui corruunt, & erigit omnes elisos. Omniũ oculi in te sperant Domine, & tu das escam illis in tẽpore opportuno. Aperis tu manum tuam, & imples omne animal benedictione. Hic aperit cælum, & nubibus parat terræ pluuiam, qui producit in montibus fœnum & herbam,seruituti hominũ,qui dat iumẽtis escam ipsorum & pullis coruorum inuocantibus eum. Si coruorum pullis ac iumẽtis escam dat,eámque in tempore opportuno subministrat eis,quos hominũ causa creauit, quanto magis homini, quem ad imaginem suam formauit, omnia necessaria largietur? Propterea ipse dixit: Misereor non super Apostolos iam,sed super turbam. At turba non vnius sensus homines, aut sanctos planè habet omnes,quosdam enim fides ac charitas Christum sequi impulit. Id quod Lucas de quibusdam mulieribus testatur. Alios audiendi cupiditas in desertum eduxit, vt Nicodemum & publicanos. Alij sequebantur quod facilem sine labore cibum peterent,quemadmodum quibusdam dixit: Vos ad me venistis non quia signa vidistis, sed quia de panibus meis manducastis. Quidam etiam curiosi ipsum sequebãtur, vt tantum audirent,& viderent inusitatum quid. Vt in Ioanne scriptum legimus, Gentes quasdam venisse videre eum, de quo, tam multa audiuissent. Sic & Herodes videndi eum cupidus fuit. Postremò etiam inuidi quidam eum sequebantur,vt carperent & ad Magistratus deferrent. Quanquam autem tanta ipsorum diuersitas erat, non tamen seiungit aut secreuit eos, sed in genere dicit: Misereor super turbam. Hoc tamen in scripturis legimus,quòd paucorum bonorum gratia malis plurimis sæpe pepercerit, vt in Genesi scriptum est. Hinc reor & hic

Sapien. 11. *Psal. 22. & 138.* *Psal. 144 & 145.* *Psal. 146.* *Luc. 8.* *Ioan. 3.* *Luc. 23.* *Ioan. 8.* *Ioan. 2.* *Luc 23.* *Ioan. 8.* *Gene. 18.*

scriptum esse: quia iam triduo sustinent me. Cum enim omnium miseretur, peculiari tamen quodammodo misericordia eius, timentes respicit, id quod virgo mater spiritusancto fœta
Luc.1. cecinit: Misericordia eius: inquit, à progenie in progenies ti-
Psal.146. mentibus eum. Non ait quibuslibet, sed timentibus eum. Et Dauid cum munificentiam Dei etiam in iumenta ac coruos prædicasset, addidit, inuocantibus eum. Non in fortitudine, inquit, equi voluntatem habebit, nec in tibiis viri beneplacitum erit ei. Beneplacitum est Domino super timentes eum, & in eis qui sperant super misericordia eius. Quanquam igitur nihil habemus, quod Deo pro suæ misericordiæ operibus retribuamus: timentium se tamen ac inuocantium votis afficitur vt occasione præstet nobis, quod natura bonus facere con-
Rom.6. sueuit. Hinc Paulus in hodierna nos epistola monet præcedentis vitæ, quæ impietate plena fuit, ac proposita sanctificatione, quæ renatos decet, comparatione facta, pristinæ conuersationis finem ignominiam: Iustitiæ verò seruitutem, fructum habere in sanctificationem, finem verò vitam æternã, dixit. Quo certè voluit Apostolus, vt abnegata impietate in qua nunc erubescimus, & pro fructu vero ignominiam habemus, tales nos in iustitiæ seruitute illi exhibeamus, vt rectè in nos misericordiam suam collocet, hoc est, quam diu in huius vitę solitudine reptamus, noxiis cunctis submotis animæ atque corporis nutrimenta, & peracta huius vitæ fabula, vitam, quæ nullis alimentis eget, sed ex sola diuinitatis gloria saturitatem habet, largiatur. Et hoc est quod Ecclesia precatur hodie, Deus, inquit, cuius prouidentia in sui dispositione non fallitur: Te supplices exoramus, vt noxia cuncta submoueas, & omnia nobis profutura concedas. Qua certè precatione non hoc solùm petit, vt nihil corpori noceat, omnia autem necessaria habeat, verumetiam ac multo magis, vt ipse gratiam præstare dignetur, quo peccatum quod animam occidit euitemus omne, & ipsius desiderio in feruenti spiritu, qui vitæ principium ac conseruator est perseueremus. Et hic quidem cũ Euangelij huius sensus est, habet tamen præter hanc allegoriam non insuauem: cum hoc etiam nunc quotidie agat vniuersorum Dominus, quod quondam hoc miraculo semel atque iterum præfigura-
Matt. 4. uit. Ipse est qui non solùm corpus, verumetiam animam nu-
Luc. 8. trit. Neque enim in solo pane viuit homo, sed in omni verbo, quod procedit de ore Dei. Habet ergo septem verbi & sacramento

mentorum, panes, quos Apostolis suis distribuendos in huius *Ioan.15.*
solitudinis homines, tradidit: vobis, inquit, datum est nosse
mysteria regni Dei, & vos non dico seruos sed amicos, quia
quodcunque audiui à patre meo notum feci vobis. Et iterum: *Ioan. 20.*
Dedi eis verba tua. Sed ad quid dedit? Nempè vt in commune
expenderent: Sicut misit me pater & ego mitto vos: Quorum
remiseritis peccata remittuntur eis. Et iterum: Ego elegi vos, *Idem 15.*
vt eatis & fructum afferatis, & fructus vester maneat. Et: vos *Acto 1.*
eritis mihi testes in Ierusalem in Iudæa, & vsque ad vltimum *Mat. 10.*
terræ. Hoc ergo munus delegauit, quando conuocatis super *Marc. 16*
omnem spiritum immundum potestatem dedit. Deinde cum
ascendens, in vniuersum orbem prædicandum emitteret. Po- *Act.13.*
stremò cum per spiritumsanctum diceret: Segrega mihi Paulum & Barnabã in opus in quod asumpsi eos. Quid autẽ commouit Christum, nempè quod Matthæus scripsit, cum ait: Videns Iesus turbas misertus est eis, quia erant vexatæ & iacentes, sicut oues non habentes pastorem. Quomodo autem Apostoli distribuerunt hos panes? Eo nempè quem Marcus indicat: Illi, inquit, profecti prædicauerunt vbique. Et stans Petrus cum vndecim leuauit vocem suam & locutus est cum eis. De qua re proximè futura Dominica, vbi de falsis prophetis disserendum est, plura dicemus. Gratia Dei nobiscum. *Matt.9.* *Mar.16.* *Act.2.*

DOMINICA NONA POST PENTECOSTEN EVANGELIVM, MATTH. VII.

Attendite à falsis prophetis, qui veniunt ad vos in vestimentis ouium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces. A fructibus eorũ cognoscetis eos. Nunquid colligunt de spinis vuas, aut de tribulis ficus? Sic omnis arbor bona, fructus bonos facit: mala autem arbor, malos fructus facit. Non potest autem arbor bona, malos fructus facere, neque ar-

bor mala bonos fructus facere. Omnis arbor, quæ non facit fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur. Igitur ex fructibus eorum cognoscetis eos. Non omnis qui dicit mihi: Domine, Domine intrabit in regnum cælorum, sed qui facit voluntatem patris mei qui in cælis est, ipse intrabit in regnum cælorum.

EADEM DOMINICA EPIstola Rom. VIII.

ERgo fratres debitores sumus: non carni, vt secundum carnem viuamus. Si enim secundum carnem vixeritis, moriemini: si autem spiritu facta carnis mortificaueritis, viuetis. Quicunque enim spiritu Dei aguntur, ij sunt filij Dei. Non enim accepistis spiritum seruitutis iterum in timore: sed accepistis spiritum adoptionis filiorum Dei, in quo clamamus: Abba pater. Ipse enim spiritus testimonium reddit spiritui nostro, quod sumus filij Dei. Si autem filij & hæredes, hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi: si tamen compatiamur, vt & glorificemur.

SERMO.



Ecc. 6
Eccl. 23
CVM hanc Euangelicam lectionem mecum perpendo, & quæ ipsius intentio sit diligentius examinare studeo, rectè dixisse Salomonem intelligo, Beatum esse, cui verus obtigerit amicus, eò quòd amicus fidelis protectio si fortis, nullaq; eius comparatio sit, nec digna ponderatio auri & argenti contrà bonitatem fidei illius. Quod ipsum etiam seculi huius filij, quasi in prouerbium induxerunt, cum vnum Deũ, plures verò amicos habendos esse dixerunt. Cum enim nemo tam potens aut sapiens in hoc mundo sit, qui non aliquando amici præsidio tutior esse possit, non potest non esse fœlix occursus boni amici. Contra verò, infœlix ille homo est cui fidus amicus nullus est. Si enim omnibus fidelis amicus necessarius

sarius, certe qui re necessaria caret, fœlix esse nō potest: Quod si Christus fidelem se amicum præstitit, vtiq; eò gratior nobis erit, quo pauciores amici in hoc seculo inueniuntur. At certè nihil Christus prætermisit eorum, quæ veri amici sunt officia. Præterea enim quòd præsens veritatem patefecit, viā salutis indicauit, consolationibus mentes nostras erexit, promissionibus lætificauit, mandatis instruxit, exemplis traxit: tandem etiam ne absente se aliquid obesset, à periculis præmonuit etiam futuris. Quorum postremum cum pręsenti lectione clarè demonstratur, vehementer dolendum est, tot modis hæc verba in peregrinum sensum reflecti. Sic enim genuina eius interpretatio in varios errores distrahitur, vt non solùm ad agnoscendum Christi amicitiam non accedamur, verùm etiam ad fouenda inimicitiæ erga proximos initia concitemur. Vnde heu nimium verè in nos competit, quod quondam per Isaiam prophetam querula voce dictum est: In vacuum laboraui, sine causa, & vanè fortitudinem meam consumpsi. Laborauit Christus vt nos futura pericula euitaremus. Quid autem nobis beatius esse posset, si eo animo hoc Euangelium intelligeremus, quo Christus intelligendum esse voluit? Sed fidelis amici officium, hoc est, Christi nostro bono seruientia verba, veterum exemplo contempto, non nisi deprauatè suscipimus. Tanta naturæ peruersitas est, vt nō solùm increpationem, verùm etiam lenem admonitionem non patiamur. Hoc ipsum Paulus suo tempore conquerebatur cum ait: Ergo inimicus factus sum vobis verum dicens vobis? Idē Ieremias: Factus sum (inquit) in derisum, tota die. Omnes subsannant me, ex quo vociferans loquor iniquitatem, & vastitatem clamito. Hanc igitur peruersitatem nostrā Christus corripit quum propterea odio haberi se à mundo testatur, quòd testimonium de eo reddat, & ipsius opera mala sint. Quis autem quasi indignum quid, hanc peruersitatem non deflebit, cum hoc Euangelium ad subuersionem vnanimitatis, contra ad concitandos hominum animos, maximo Christianæ religionis malo, interpretari audet? Id quod fit cū quisque hoc solùm in eo quærit, vt aduersam partem in odiū suorum auditorum pertrahat: cum maledictis & ludibriis pro digna Euangelio consolatione audientium aures implentur & animi. Dicit Catholicus religionis antiquitate supercilium dicens: ecce nouæ religionis assertorem bellum, ecce

Isaie 49. *Galat. 4* *Iere. 20* *Ioan. 7.*

ecce lupum agnorum vellere tectum: Dicit nouæ religionis assertor: Ecce Pharisęum, ecce arborem malam. Quàm verò præstaret, trabem in suo quisque videret oculo, & ad ædificationem, non autem destructionem, suo quisque sibi concredito dignè præesse studeret officio? Quid enim facitis ô verbi prędicatores Euāgelici? nescitis cuius spiritus sitis? an ignoratis cuius vices geritis? Dei ne gloriam, an quæ vestra sunt quęritis? An verò excidit, quòd non sit calumniari ac con-
1.Cor. 44 demnare idem, quod est Euangelizare? Aedificare, exhortari ac consolari, veri prophetæ sunt officia. Sed inquis dum prædico Christum ædificationis fundamenta pono, audio & pro-
1.Cor.14 bo, sed nunquid fundamenta posuisse Euangelico prophetæ satis est: aut solùm fundamentum meretur nomen ædificij? nunquid & paries requiritur & tectum & ornatus? Aut hoc Christum prædicare arbitraris esse, quod est alios conuitiari, & alienum seruum, qui Domino suo stat & cadit, condemnare? Sed pręter consuetudinem longior hac parte sum, propterea missa hæc facio, illos vt ad meliorem mentem redeant monens. Vos autem, vt huic lectioni præsentibus animis adsitis, cohortor. Omnino enim hic attentione opus est. Si vsquam alibi hic certè maximè locum habet, quod quon-
Iere. 6 dam per Ieremiam prophetam Dominus dixit: State (inquit) super vias & videte, & interrogate de semitis antiquis, quæ sit via bona, & ambulate in ea, & inuenietis refrigerium animabus vestris. Propterea & nos relicto calumniandi affectu eorum sequemur interpretationem, qui ab omni olim cùm amoris, tum iræ cupiditate fuerunt alienissimi. Duo autem in hoc Euangelio præcipua docet Christus. Principiò, vt in vera Euangelij doctrina perstantes maneamus, ne in vllo deuiemus, etiam angelo nobis de
Galat.1 cælo aliud prædicante, vt Paulus ait: Vtque tanquam infestum abominemur quicquid Euangelicæ doctrinæ contrarium, aut ab ea diuersum est. Secundò vt susceptam doctrinam non verbis tantùm iactitemus, sed magis opere compleamus. Ac primum lupi rapaces ad ouium vestimenta referenda sunt, secundò verò bonæ malæque arboris similitudo seruit. Primùm docet, Euangelium Christi ac doctrinam suscipere ac conseruare. Secundum verò, doctrinæ vsum indicat, vtrobique præsens animus requiritur. Inter ea autem, quæ vel nos à doctrina Christi auocant

eant, vel etiam in nobis sterilem facient, præcipuum est, quòd nonnullorum pseudoprophetarum malitia falsari eam non ignoramus. Vnde cum multi prædicatores sunt (idque necessario) non autem omnium vnum idémque verbum est: quis omnium doctrinæ veritatem habeat, cui nos, nostrásq; animas tutò committere possimus dubitamus. Quod vnde sit, colligere non magno labore possumus: Diabolus enim 1. Petr. 5 salutis nostræ inimicus, nunquam quiescit, semper circuit, quærens quem deuoret, vtique solam nostræ fidei doctrinam veram esse, quæ & in hac vita securè nos ducit, ac in æternam illam beatitudinem (nullo impedimento ex nobis obstante) perducit, non ignorat. Laborat igitur eò studiosius, quo maius incommodum nobis suo studio inferre, longo iam vsu didicit. Neque nouum, vel iam, vel Christi temporibus hoc Satanæ studium animaduersum est, iam inde ab origine mundi, vt Dei hostis semper fuit, ita Dei verbo falsis quibusdam persuasionibus detrahere, nunquam desistit. Nam cum primùm Deus in paradyso loqueretur homini, mox sese inimicus præsentem obtulit, mulierem circunuenit, eóque permouit, vt dubitare inciperet, ita ne res haberet, quemadmodum Deum loquentem audiuisset an verò secus. Sic Moses temporibus Aegyptij Pharaonis oculos, magorum suorum incantationibus, contra Mosen excæcauit. Sic in deserto absente Mose, Dei populo doctrinam cælestem eripuit, suíq; cultum, erecto aureo vitulo, instituit. Gen. 3 Sic Balaam vtebatur ad subuersionem veræ doctrinæ, præstigiator diabolus. Sic Heliæ, Isaiæ, Ieremiæ, aliorúmq; Prophetarum temporibus, iam adulterare doctrinam, iam è medio penitus tollere studuit. Et quid in nouo testamento eam ob causam tentare ausus non fuit? tot ferè aut plures etiam malæ de doctrina vera sectæ exurrexerunt, quot huius capita sunt. Sæuit etiamnum audacter & strenuè, & quos sæuitia subuertere non potest, labefactat fraudulentia. Et tantum certè per omnia secula permouit, vt deficientium à vera doctrina numerus semper fuerit præstantium maior. Quale autem malum hoc sit nemo dicere sufficit. Prima enim ipsius fœliciter nostro malo iacta alea, cum Euam falsa persuasione seduxisset, quam labem toto humano generi inusserit, satis notum est. Ac timendum est simili persuadendi arte etiam nunc eum, vti, cum nequaquam Deum Euangelicam legem

tulisse multis persuasit, vt ei obediamus, sed tantùm vt per eam peccata nostra agnoscamus. Quid vero si multos hac ratione in errorem inducat, cum Dauid singularis quidam Dei seruus, contrario modo in magnam solicitudinem inductus fuit, vt tandem non nisi nouo affulgente diuinę opis splendore, resumptis viribus diaboli Prophetis resisteret, dicens: In domino confido, quomodo dicitis animæ meæ, transmigra in montem sicut passer? Et mox: Ecce peccatores extenderunt arcum, & parauerunt sagittas suas in pharetra, vt sagittent in obscuro rectos corde. Quod si in his verbis arcus intelligas linguas: per sagittas, pseudoprophetarum verba: & obscurum, fraudulentiam: videbis non incommodè Prophetam totum pseudoprophetarum negocium paucis verbis insinuasse. Quam verò misera eorum conditio sit, qui non attendentes à falsis prophetis seducuntur quibus vera Euangelij doctrina erepta est, Pharaonis exemplum demonstrat, qui in tam profundum dementiæ pelagus submersus fuit vt nullo Moysis vel verbo vel facto ad resipiscentiam ac fidem conuerti potuerit. Simili modo pseudoprophetarum malitia seductus fuit Achab, vt Michęam rectè monentem ne quidem audire vellet. Sic per eiusdem farinæ homines Israëlem à templo Dei auersum, ad vitulorum cultum conuertit vt Ieremiam pœnitentiæ præconem manibus pedibúsq; auer sarentur, & (quod omni insania maius est) desideratum diu Messiam crucifigerent. Per similes pseudoprophetas diabolus apud Galatas Paulinam, hoc est, veram doctrinam ita fal sauerat, vt ferè in obliuionem ducta, quam imbiberant, doctrina, hac lamentatione, alloqui eos Paulus necesse haberet: O (inquit) insensati Galatæ, qui vos fascinauit, non opedire veritati, ante quorum oculos Iesus Christus proscriptus est, & in vobis crucifixus? Et iterum: Currebatis benè, quis vos impediuit veritati non obedire? Qui autem vos conturbat, iudicium, quicunque ille est, portabit. Ne autem quis arbitretur, hanc illorum temporum solùm fuisse calamitatem propriam, nósque ab ea securos viuere, nec huius Euangelij præmonitione necesse habere: Ecce Apostlica doctrina ad nos quoque hanc admonitionem Christi pertinere attestatur. Hinc est quod Paulus magna autoritate Ecclesiæ Episcopos omnes, dicit: Attendite vobis, & vniuerso gregi, in quo vos spiritus sanctus posuit Episcopos, regere

Eccle

Psal. 16
Exod. 9
3. Reg. 22
2. Reg. 13
Hiere. 28
Matt. 27
Gal. 3. et 5
Act. 20.

Ecclesiam Dei, quam acquisiuit sanguine suo. Ego scio, quoniam post discessionem meam intrabunt lupi rapaces in vos, non parcentes gregi, & ex vobis ipsis exurgent viri loquentes peruersa, vt abducant discipulos post se. Vide quàm Paulus cum hoc Euangelio conueniat. Et ne quis existimet. Paulum hic loqui de iis, qui ipsum mox secuti sunt pseudoprophetæ: Petrus Apostolus, quasi Pauli verba exponens, ait: Hoc scientes primùm, quòd venient in nouissimis diebus in deceptione illusores iuxta proprias concupiscentias ambulantes. Quin etiam ipse Paulus alibi, quod post discessionem suam dixit, exposuit ad Timothæum scribens, sic ait: Hoc autem scito, quia in nouissimis diebus instabunt tempora periculosa, & erunt homines seipsos amantes, incontinentes, proditores voluptatum amatores magis quàm Dei, habentes speciem quidem pietatis, virtutem autem eius abnegantes, qui ad exemplum Ioannis & Mambres resistentium Moysi, ipsi quoque resistent veritati. Sed fortè dicet aliquis: Quis Paulum futurorum præscium fecit. Vnde illi quid in nouissimis temporibus futurum erat scientia esse potuit? His ergo ipse respondet, Spiritus (inquit) manifestè dicit, quia in nouissimis temporibus discedent quidam à fide, attendentes spiritibus erroris, & doctrinis dæmoniorum in hypocrisi, loquentium mendacium: & quæ sequuntur. Quod autem spiritus dicit, vtique indubitatè verum est. Est enim officium eius futura annunciare, vnde spiritus veritatis dicitur 1. Corinth. 15. Num. 12. Oseæ 12. Iam verò periculosa res sit necesse est, quam præcauere tot scripturarum locis admonemur. Magnum periculum subesse oportet, cuius tot dehortatores existunt. Quid autem in omni eorum natura calamitosius ac periculosius esse potest, quàm à veritate deficere ad errorem, à salute ad perditionem, à Deo denique ad diabolum? Quod certè fit, quando vera Euangelij doctrina, quacunque ratione neglecta, deuiatur. Et si non in Satanæ cultum omnino descenditur, de Deo tamen aut nihil, aut certè veritati contrarium creditur. In diaboli autem regno, quod nec veritas, nec fides subit, mors datur stipendium. A morte igitur præcauenda hic Christus præmonet, cùm vt à falsis prophetis attendamus, hortatur. Quod autem maius esse potest amici officium, quàm mortis causas tollere, vt diuturniori

1. Pet. 3

Exod. 7.

1. Tim. 4

Ioan. 14

curam habeamus, eorúmque (quantum in nobis est) necessitati subueniamus. Indignum est enim id negare proximo, quod potes: & à Deo sperare, quo eges. Hinc Christus cum multa nos faciendo docuit, nunquam tamen miracu-
1. Cor. 12 la facere in vniuersum mandauit, misericordes tamen esse, præcipit. Virtutum enim atque signorum edendorum munus
Mat. 24 peculiare donum Dei est. Sed & in nouissimo die multi ve-
Matt. 7 nient dicentes: Domine nunquid in nomine tuo prophetauimus, nunquid etiam multa miracula fecimus? Qui tamen audient ignorari se. Propterea non dixit: meo exemplo mortuos resuscitate, & paucis panibus multa hominum milia
Matt. 11 exaciate, sed discite à me, quia mitis & humilis sum corde, exemplum dedi vobis vt quemadmodum ego feci, ita
Ioan. 13 vos faciatis. Vidit turbam, & misertus est eius. Hoc igitur exemplum primò pastores ac rectores Ecclesiarum imitamini, populi Christiani ærumnis afficiamini. Agnoscite vocationem vestram, & quàm omnium in vos oculi conuersi sint, maximè hac tempestate, expendite: gemitus ac desideria tot hominum exaudite: panem animarum piarum vitam, cuius vobis distributio commissa est, porrigite: à negligentiæ somno exurgite, tot animarum milia vestra iam dudum periisse socordia, pudeat: dissipatos recolligite: sathanæ inuidia dispersos congregate: & ante omnia, quacunque potestis ratione, pro delegato vobis officio, vestræ commissis fidei succurrite: ne formidabilis illa Dei sententia vos perstringat qua se pastor pastorum pereuntium incuria vestra, animarum sanguinem de manu custodum negligentium requisiturum esse minitatur, cauete. Discite & principes quibus gladij ministerium commissum est, discite (inquam) misericordiam facere & iustitiam, vt boni in quiete ac pace viuant, malorum nequitiam stricto gladio repellite.
Sap. 6 Potestas vobis à Deo collata est, qui & scrutabitur opera ve-
Amos 6 stra, & cogitationes vestras interrogabit. Cauete ne super ueniat in vos væ illud, quod olim opulentibus in Sion, ac in Samariæ monte cõfidentibus, interminatum fuit à Domino: Væ (inquit) vobis qui dormitis in lectis eburneis, & lasciuiis in stratis vestris, qui comeditis agnum de grege, & vitulos de medio armenti, qui canitis ad vocẽ psalterij bibentes in Phialis vinum & optimo vnguento delibuti, & nihil compatiemini super contritionem Israël: Notum est illud Neronis:
Scis

Scis quibus ego egeam,& agamus ne cui quid superfit. Notus est & exitus ipsius funestus. Discite sacerdotes, Ecclesiarum ministri pereuntis populi lamentationibus commoueri. Re- *Mat.5.*
cogitate quod sal terræ & lux mundi & ciuitas super montem ædificata, sitis. Solicite cauentes, ne in vos conueniat, quod olim de multis dictum est: Quia vt populus, ita & sacerdos est. Miseremini denique super turbam vos opulenti, *Isa.24.*
oculos vestros à pauperibus nolite auertere, & ad clamorem pauperum aures vestras nolite obturare: ne & vos Dominum oretis & non exaudiat. Discite postremum in genere credentes, alter alterius misereatur,alter alterius portate onera,& sic Christi legem adimplebitis. Omnes auaritiam fugite,& quod Apostoli paucos,quos in suos vsus habebant panes: promptè in commune expenderunt, sedula mente cogitate. Non enim hoc miraculum solam fidem nostram confirmat & exigit, aut spem erigit, verumetiam charitatem præstandam esse admonet. Adhæc,quid nos ipsi,Deo non largiente,simus ac valeamus,ob oculos ponit:nos enim ipsi hæc turba sumus hoc tantùm excepto, quod dolor minor in nobis erga Christum eiúsque verbum attentionis perseuerantia cernitur. Primò enim lōgè à patria sumus.Quam diù enim in hoc *2. Cor.5.*
corpore simus, peregrinamur à Domino. Deinde in magna solitudine versamur,in qua homines pauci,iumentorum verò insipientium plurima turba est,in qua etiam Diabolus ad impediendum semen bonum multam seminauit zizaniam. Et *Matt.13.*
famem patimur in deserto, in deserto hoc ipso. Nunc huius, nunc illius rei necessariæ inopia laboramus. Ac deficiendum nobis est nisi Christus ex diuite suo thesauro tulerit suppetias. Nudi ingressi sumus hunc mundum, nudi relicturi sumus *1.Tim.6.*
eundem, nec quicquid præter miserias, laborem, ac dolores hic expectamus. Et hæc egestas cum sit magna, multo tamen *Ephe.2.*
grauior est ea paupertas,quæ animam omnibus spiritualibus donis spoliat,sic non solùm nudi, verumetiam peccato grauati,omni gratia spoliati, filij iræ, in hunc mundum nascimur. *Isa.55.*
Peccatum autem nos à Deo diuidit, & nisi Christus mox intercesserit,quod illud diutius in nobis hæret,eò altius radices agit, & longius à Deo segregat. Atque à cogitationibus prauis,à consensu in factum,à facto in consuetudinem, hinc in necessitatem, à necessitate in contemptum (vt Salomon testis est) à contemptu in desperationem, à desperatione in inferni *Psal.118.*

barathrum demergit, vbi tandem completur, quod in Psal-
Luc. 15. mis scriptum est: Longè à peccatoribus salus. Noluit benedi-
ctionem & elongabitur ab eo. Id quod filius ille perditus ex-
pertus est, qui longè à patria positus inediam atque omnia
mala sustinuit. Hæc cogitantes in qua calamitate versemur,
quibus periculis expositi simus, tũ etiam, quam nulla præter-
quam in Christo, in mundo sit consolatio, meritò animos
nostros ad credendum Deo, illíque supplicandum erigimus.
Sunt autem nonnulli, qui putant magna se iniuria affici: quòd
ea ipsorum conditio sit, vt misericordia Christi indigeant.
Nunc de Dei in se amore dubitant, dicentes: Si Deus adeo me
diligit, cur talem (hoc est) tam multis in hac vita rebus egen-
tem creauit, aut accedente fortuna nouerca fecit? Nunc me-
liora suæ iustitiæ deberi arbitrantur: non cogitantes, quod hi-
sce miseriis admoneamur solutionem corporis huius petere
ac cælestem patriam desiderare, tum etiam in magna neces-
sitate Christi auxiliũ experti, maiore nos charitate in ipsum
accendi. Contra verò videas nonnullos tam desperatæ mentis,
qui, cum omnibus Christus omnia donet, se tamen indignos
iudicent, quibus Christus beneficia præstet: quasi verò vllus
homo sua iustitia Dei mereatur beneficia. Horum assidua
vox & querela est: Beneficium Deus priscis exhibuit tempo-
ribus, atque vtinam in illud beatum tempus incidissemus: nus-
quam enim nunc talia operatur. Horum vna vox est cum Iu-
dæis, qui & ipsi olim de suorum temporum calamitatibus
conquerebantur, patres verò suos, quorum relatu magnalia
Psal. 43. Dei didicerant, beatos planè prædicabant. Videtur enim, Da-
uid cum Iudæorum meminit, nostrorum quoque hominum
querelas reprehendisse. Nec facile inuenimus vllum tempus,
quo non hæc vox audita sit: Vtinam nati fuissemus in diebus
Ieremias antiquis. Sic Ieremias in lamentationibus suis quorundam
Thren. 3. querelas expressit. Sic Isaias aliorum nomine conqueritur,
Isa. 63. quòd patribus quidem multa atque ingentia præstiterit bene-
ficia Deus, verùm nunc se contineat, non Zelum, non fortitu-
dinem, non multitudinem viscerum suorum suorum & mise-
Psal. 88. rationum ostendat. Simili modo etiam Psalmista noster alio-
rum querelas describit: Vbi sunt Domine misericordiæ tuæ
Ioan. 5. antiquæ, quibus iurasti Dauid in veritate tua? Sed non tempus
in causa est, multóque minus Deus: Pater vsque modo opera-
tur, inquit Christus, & ego operor, nos ipsi potius in culpa su-
mus

mus,& facimus nostris peruersitatibus vt Deus, cum demeritas pœnas infligit, à nobis videatur auersus. Hinc sunt pestilentiæ,bella,& fames. Verùm si temporum nostrorum calamitatem noua aliqua benedictione resarcire volumus, cur non, quod Deum ad iracundiam iustam deuocauit, à nobis deponimus? planè idem Deus est qui olim,idem pater est,eadémque illi potestas & voluntas est:hoc tantum desideratur, vt nos tales simus quibus rectè Deus misereri possit. Vt ille fecit omnia,sic & miseretur omnium, Vt Dauid in quibusdam Psalmis se Dei beneficia conseruare gloriatur. Et ne quis dicat Dauid similibus cõuenire solùm beneficia Christi,alibi,quod eadem munificentia abiectissimis quibusdam animantibus maneat, testis est.Alleuat Dominus omnes qui corruunt, & erigit omnes elisos.Omniũ oculi in te sperant Domine, & tu das escam illis in tẽpore opportuno. Aperis tu manum tuam, & imples omne animal benedictione.Hic aperit cælum, & nubibus parat terræ pluuiam, qui producit in montibus fœnum & herbam,seruituti hominũ,qui dat iumẽtis escam ipsorum & pullis,coruorum inuocantibus eum. Si coruorum pullis ac iumẽtis escam dat,eámque in tempore opportuno subministrat eis,quos hominũ causa creauit, quanto magis homini, quem ad imaginem suam formauit, omnia necessaria largietur? Propterea ipse dixit:Misereor non super Apostolos iam,sed super turbam. At turba non vnius sensus homines, aut sanctos planè habet omnes,quosdam enim fides ac charitas Christum sequi impulit.Id quod Lucas de quibusdam mulieribus testatur.Alios audiendi cupiditas in desertum eduxit, vt Nicodemum & publicanos.Alij sequebantur quod facilem sine labore cibum peterent,quemadmodum quibusdam dixit: Vos ad me venistis non quia signa vidistis, sed quia de panibus meis manducastis.Quidam etiam curiosi ipsum sequebãtur, vt tantum audirent,& viderent inusitatum quid. Vt in Ioanne scriptum legimus, Gentes quasdam venisse videre eum, de quo, tam multa audiuissent. Sic & Herodes videndi eum cupidus fuit.Postremò etiam inuidi quidam eum sequebantur,vt carperent & ad Magistratus deferrent. Quanquam autem tanta ipsorum diuersitas erat, non tamen seiungit aut secreuit eos, sed in genere dicit:Misereor super turbam.Hoc tamen in scripturis legimus,quòd paucorum bonorum gratia malis plurimis sæpe pepercerit,vt in Genesi scriptum est.Hinc reor & hic

Sapien.11. *Psal. 22. & 138.* *Psal.144 & 145.* *Psal.146.* *Luc.8.* *Ioan.3.* *Luc. 23.* *Ioan. 8.* *Ioan.2.* *Luc 23.* *Ioan.8.* *Gene.18.*

scriptum esse:quia iam triduo sustinent me. Cum enim omnium miseretur,peculiari tamen quodammodo misericordia eius,timentes respicit,id quod virgo mater spiritusancto fœta
Luc.1. cecinit:Misericordia eius:inquit, à progenie in progenies ti-
Psal.146. mentibus eum. Non ait quibuslibet,;sed timentibus eum. Et Dauid cum munificentiam Dei etiam in iumenta ac coruos prædicasset, addidit, inuocantibus eum. Non in fortitudine, inquit,equi voluntatem habebit, nec in tibiis viri beneplacitum erit ei.Beneplacitum est Domino super timentes eum,& in eis qui sperant super misericordia eius. Quanquam igitur nihil habemus, quod Deo pro suæ misericordiæ operibus retribuamus:timentium se tamen ac inuocantium votis afficitur vt occasione præstet nobis, quod natura bonus facere con-
Rom.6. sueuit.Hinc Paulus in hodierna nos epistola monet præcedentis vitæ,quæ impietate plena fuit,ac proposita sanctificatione, quæ renatos decet,comparatione facta, pristinæ conuersationis finem ignominiam:Iustitiæ verò seruitutem,fructum habere in sanctificationem,finem verò vitam æternã,dixit.Quo certè voluit Apostolus,vt abnegata impietate in qua nunc erubescimus,& pro fructu vero ignominiam habemus, tales nos in iustitiæ seruitute illi exhibeamus,vt rectè in nos misericordiam suam collocet,hoc est,quam diu in huius vitę solitudine reptamus,noxiis cunctis submotis animæ atque corporis nutrimenta,& peracta huius vitæ fabula,vitam, quæ nullis alimentis eget,sed ex sola diuinitatis gloria saturitatem habet, largiatur. Et hoc est quod Ecclesia precatur hodie, Deus, inquit,cuius prouidentia in sui dispositione non fallitur: Te supplices exoramus,vt noxia cuncta submoueas, & omnia nobis profutura concedas.Qua certè precatione non hoc solùm petit,vt nihil corpori noceat,omnia autem necessaria habeat,verumetiam ac multo magis,vt ipse gratiam præstare dignetur, quo peccatum quod animam occidit euitemus omne, & ipsius desiderio in feruenti spiritu, qui vitæ principium ac conseruator est perseueremus. Et hic quidem cũ Euangelij huius sensus est, habet tamen præter hanc allegoriam non insuauem: cum hoc etiam nunc quotidie agat vniuersorum Dominus, quod quondam hoc miraculo semel atque iterum præfigura-
Matt. 4. uit.Ipse est qui non solùm corpus, verumetiam animam nu-
Luc. 8. trit.Neque enim in solo pane viuit homo,sed in omni verbo, quod procedit de ore Dei. Habet ergo septem verbi & sacra-

mento

mentorum, panes, quos Apostolis suis distribuendos in huius *Ioan.15.*
solitudinis homines, tradidit: vobis, inquit, datum est nosse
mysteria regni Dei, & vos non dico seruos sed amicos, quia
quodcunque audiui à patre meo notum feci vobis. Et iterum: *Ioan. 20.*
Dedi eis verba tua. Sed ad quid dedit? Nempè vt in commune
expenderent: Sicut misit me pater & ego mitto vos: Quorum
remiseritis peccata remittuntur eis. Et iterum: Ego elegi vos, *Idem 15.*
vt eatis & fructum afferatis, & fructus vester maneat. Et: vos *Acto 2.*
eritis mihi testes in Ierusalem in Iudæa, & vsque ad vltimum *Mat. 10.*
terræ. Hoc ergo munus delegauit, quando conuocatis super *Marc. 16*
omnem spiritum immundum potestatem dedit. Deinde cum
ascendens, in vniuersum orbem prædicandum emitteret. Po- *Act.13.*
stremò cum per spiritumsanctum diceret: Segrega mihi Paulum & Barnabã in opus in quod asumpsi eos. Quid autẽ commouit Christum, nempè quod Matthæus scripsit, cum ait: Vi- *Matt.9.*
dens Iesus turbas misertus est eis, quia erant vexatæ & iacen- *Mar.16.*
tes, sicut oues non habentes pastorem. Quomodo autem Apo- *Act.2.*
stoli distribuerunt hos panes? Eo nempè quem Marcus indicat: Illi, inquit, profecti prædicauerunt vbique. Et stans Petrus cum vndecim leuauit vocem suam & locutus est cum eis. De qua re proximè futura Dominica, vbi de falsis prophetis disserendum est, plura dicemus. Gratia Dei nobiscum.

DOMINICA NONA POST PENTECOSTEN EVANGELIVM, MATTH. VII.

ATtendite à falsis prophetis, qui veniunt ad vos in vestimentis ouium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces. A fructibus eorũ cognoscetis eos. Nunquid colligunt de spinis vuas, aut de tribulis ficus? Sic omnis arbor bona, fructus bonos facit: mala autem arbor, malos fructus facit. Non potest autem arbor bona, malos fructus facere, neque ar-

bor mala bonos fructus facere. Omnis arbor, quæ non facit fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur. Igitur ex fructibus eorum cognoscetis eos. Non omnis qui dicit mihi: Domine, Domine intrabit in regnum cælorum, sed qui facit voluntatem patris mei qui in cælis est, ipse intrabit in regnum cælorum.

EADEM DOMINICA EPIstola Rom. VIII.

Ergo fratres debitores sumus: non carni, vt secundum carnem viuamus. Si enim secundum carnem vixeritis, moriemini: si autem spiritu facta carnis mortificaueritis, viuetis. Quicunque enim spiritu Dei aguntur, ij sunt filij Dei. Non enim accepistis spiritum seruitutis iterum in timore: sed accepistis spiritum adoptionis filiorũ Dei, in quo clamamus: Abba pater. Ipse enim spiritus testimonium reddit spiritui nostro, quod sumus filij Dei. Si autem filij & hæredes, hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi: si tamen compatiamur, vt & glorificemur.

SERMO.



Ecc. 6
Eccl. 23
VM hanc Euangelicam lectionem mecum perpendo, & quæ ipsius intentio sit diligentius examinare studeo, rectè dixisse Salomonem intelligo, Beatum esse, cui verus obtigerit amicus, eò quòd amicus fidelis protectio sit fortis, nullaq; eius comparatio sit, nec digna ponderatio auri & argenti contra bonitatem fidei illius. Quod ipsum etiam seculi huius filij, quasi in prouerbium induxerunt, cum vnum Deũ, plures verò amicos habendos esse dixerunt. Cum enim nemo tam potens aut sapiens in hoc mundo sit, qui non aliquando amici præsidio tutior esse possit, non potest non esse fœlix occursus boni amici. Contra verò, infœlix ille homo est cui fidus amicus nullus est. Si enim omnibus fidelis amicus necessarius

sarius,certe qui re necessaria caret,fœlix esse nō potest: Quod si Christus fidelem se amicum præstitit, vtiq; eò gratior nobis erit,quo pauciores amici in hoc seculo inueniuntur. At certè nihil Christus prætermisit eorum, quæ veri amici sunt officia. Præterea enim quòd præsens veritatem patefecit, viā salutis indicauit,consolationibus mentes nostras erexit, promissionibus lætificauit,mandatis instruxit, exemplis traxit: tandem etiam ne absente se aliquid obesset, à periculis præmonuit etiam futuris. Quorum postremum cum pręsenti lectione clarè demonstratur,vehementer dolendum est,tot modis hæcverba in peregrinum sensum reflecti. Sic enim genuina eius interpretatio in varios errores distrahitur, vt non solùm ad agnoscendum Christi amicitiam non accedamur, verùm etiam ad fouenda inimicitiæ erga proximos initia concitemur. Vnde heu nimium verè in nos competit,quod quondam per Isaiam prophetam querula voce dictum est: In vacuum laboraui, sine causa, & vanè fortitudinem meam consumpsi. Laborauit Christus vt nos futura pericula euitaremus. Quid autem nobis beatius esse posset, si eo animo hoc Euangelium intelligeremus,quo Christus intelligendum esse voluit?Sed fidelis amici officium,hoc est,Christi nostro bono seruientia verba,veterum exemplo contempto,non nisi deprauatè suscipimus. Tanta naturæ peruersitas est,vt nō solùm increpationem, verùm etiam lenem admonitionem non patiamur. Hoc ipsum Paulus suo tempore conquerebatur cum ait: Ergo inimicus factus sum vobis verum dicens vobis?Idē Ieremias:Factus sum (inquit) in derisum, tota die. Omnes subsannant me, ex quo vociferans loquor iniquitatem,& vastitatem clamito. Hanc igitur peruersitatem nostrā Christus corripit quum propterea odio haberi se à mundo testatur, quòd testimonium de eo reddat, & ipsius opera mala sint. Quis autem quasi indignum quid, hanc peruersitatem non deflebit, cum hoc Euangelium ad subuersionem vnanimitatis, contra ad concitandos hominum animos, maximo Christianæ religionis malo,interpretari audet?Id quod fit cū quisque hoc solùm in eo quærit, vt aduersam partem in odiū suorum auditorum pertrahat: cum maledictis & ludibriis pro digna Euangelio consolatione audientium aures implentur & animi. Dicit Catholicus religionis antiquitate supercilium dicens: ecce nouæ religionis assertorem bellum, ecce

Isaie 49. *Galat. 4* *Iere. 20* *Ioan. 7.*

ecce lupum agnorum vellere tectum: Dicit nouæ religionis assertor: Ecce Pharisæum, ecce arborem malam. Quàm verò præstaret, trabem in suo quisque videret oculo, & ad ædificationem, non autem destructionem, suo quisque sibi concredito dignè præesse studeret officio? Quid enim facitis ô verbi prędicatores Euãgelici? nescitis cuius spiritus sitis? an ignoratis cuius vices geritis? Dei ne gloriam, an quæ vestra sunt quęritis? An verò excidit, quòd non sit calumniari ac con-
1.Cor. 44 demnare idem, quod est Euangelizare? Aedificare, exhortari ac consolari, veri prophetæ sunt officia. Sed inquis dum prædico Christum ædificationis fundamenta pono, audio & pro-
1.Cor.14 bo, sed nunquid fundamenta posuisse Euangelico prophetæ satis est: aut solùm fundamentum meretur nomen ædificij? nunquid & paries requiritur & tectum & ornatus? Aut hoc Christum prædicare arbitraris esse, quod est alios conuitiari, & alienum seruum, qui Domino suo stat & cadit, condemnare? Sed pręter consuetudinem longior hac parte sum, propterea missa hæc facio, illos vt ad meliorem mentem redeant monens. Vos autem, vt huic lectioni præsentibus animis adsitis, cohortor. Omnino enim hic attentione opus est. Si vsquam alibi hic certè maximè locum habet, quod quon-
Iere. 6 dam per Ieremiam prophetam Dominus dixit: State (inquit) super vias & videte, & interrogate de semitis antiquis, quæ sit via bona, & ambulate in ea, & inuenietis refrigerium animabus vestris. Propterea & nos relicto calumniandi affectu eorum sequemur interpretationem, qui ab omni olim cùm amoris, tum iræ cupiditate fuerunt alienissimi. Duo autem in hoc Euangelio præcipua docet Christus. Principiò, vt in vera Euangelij doctrina perstantes maneamus, ne in vllo deuiemus, etiam angelo nobis de
Galat.1 cælo aliud prædicante, vt Paulus ait: Vtque tanquam infestum abominemur quicquid Euangelicæ doctrinæ contrarium, aut ab ea diuersum est. Secundò vt susceptam doctrinam non verbis tantùm iactitemus, sed magis opere compleamus. Ac primum lupi rapaces ad ouium vestimenta referenda sunt, secundò verò bonæ malæque arboris similitudo seruit. Primùm docet, Euangelium Christi ac doctrinam suscipere ac conseruare. Secundum verò, doctrinæ vsum indicat, vtrobique præsens animus requiritur. Inter ea autem, quæ vel nos à doctrina Christi auocant

eant, vel etiam in nobis sterilem facient, præcipuum est, quòd nonnullorum pseudoprophetarum malitia falsari eam non ignoramus. Vnde cum multi prædicatores sunt (idque necessario) non autem omnium vnum idémque verbum est: quis omnium doctrinæ veritatem habeat, cui nos, nostrásq; animas tutò committere possimus dubitamus. Quod vnde sit, colligere non magno labore possumus: Diabolus enim salutis nostræ inimicus, nunquam quiescit, semper circuit, quærens quem deuoret, vtique solam nostræ fidei doctrinam veram esse, quæ & in hac vita securè nos ducit, ac in æternam illam beatitudinem (nullo impedimento ex nobis obstante) perducit, non ignorat. Laborat igitur eò studiosius, quo maius incommodum nobis suo studio inferre, longo iam vsu didicit. Neque nouum, vel iam, vel Christi temporibus hoc Satanæ studium animaduersum est, iam inde ab origine mundi, vt Dei hostis semper fuit, ita Dei verbo falsis quibusdam persuasionibus detrahere, nunquam desistit. Nam cum primùm Deus in paradyso loqueretur homini, mox sese inimicus præsentem obtulit, mulierem circunuenit, eóque permouit, vt dubitare inciperet, ita ne res haberet, quemadmodum Deum loquentem audiuisset an verò secus. Sic Moses temporibus Aegyptij Pharaonis oculos, magorum suorum incantationibus, contra Mosen excæcauit. Sic in deserto absente Mose, Dei populo doctrinam cælestem eripuit, suíq; cultum, erecto aureo vitulo, instituit. Sic Balaam vtebatur ad subuersionem veræ doctrinæ, præstigiator diabolus. Sic Heliæ, Isaiæ, Ieremiæ, aliorúmq; Prophetarum temporibus, iam adulterare doctrinam, iam è medio penitus tollere studuit. Et quid in nouo testamento eam ob causam tentare ausus non fuit? tot ferè aut plures etiam malæ de doctrina vera sectæ exurrexerunt, quot huius capita sunt. Sæuit etiamnum audacter & strenuè, & quos sæuitia subuertere non potest, labefactat fraudulentia. Et tantum certè per omnia secula permouit, vt deficientium à vera doctrina numerus semper fuerit prestantium maior. Quale autem malum hoc sit nemo dicere sufficit. Prima enim ipsius fœliciter nostro malo iacta alea, cum Euam falsa persuasione seduxisset, quam labem toto humano generi intulerit, satis notum est. Ac timendum est simili persuadendi arte etiam nunc eum, vti, cum nequaquam Deum Euangelicam legem

1. Petr. 5

Gen. 3

Ecclesiam Dei, quam acquisiuit sanguine suo. Ego scio, quoniam post discessionem meam intrabunt lupi rapaces in vos, non parcentes gregi, & ex vobis ipsis exurgent viri loquentes peruersa, vt abducant discipulos post se. Vide quàm Paulus cum hoc Euangelio conueniat. Et ne quis existimet Paulum hic loqui de iis, qui ipsum mox secuti sunt pseudoprophetæ: Petrus Apostolus, quasi Pauli verba exponens, ait: Hoc scientes primùm, quòd venient in nouissimis diebus in deceptione illusores iuxta proprias concupiscentias ambulantes. *1. Pet. 3* Quin etiam ipse Paulus alibi, quod post discessionem suam dixit, exposuit ad Timothæum scribens, sic ait: Hoc autem scito, quia in nouissimis diebus instabunt tempora periculosa, & erunt homines seipsos amantes, incontinentes, proditores voluptatum amatores magis quàm Dei, habentes speciem quidem pietatis, virtutem autem eius abnegantes, qui ad exemplum Ioannis & Mambres resistentium Moysi, ipsi quoque resistent veritati. Sed fortè dicet aliquis: Quis Paulum futurorum præscium fecit. Vnde illi quid in nouissimis temporibus futurum erat scientia esse potuit? *Exod. 7* His ergo ipse respondet, Spiritus (inquit) manifestè dicit, quia in nouissimis temporibus discedent quidam à fide, attendentes spiritibus erroris, & doctrinis dæmoniorum in hypocrisi, loquentium mendacium: & quæ sequuntur. *1. Tim. 4* Quod autem spiritus dicit, vtique indubitatè verum est. Est enim officium eius futura annunciare, vnde spiritus veritatis dicitur 1. Corinth. 15. Num. 12. Oseæ 12. *Ioan. 16* Iam verò periculosa res sit necesse est, quam præcauere tot scripturarum locis admonemur. Magnum periculum subesse oportet, cuius tot dehortatores existunt. Quid autem in omni eorum natura calamitosius ac periculosius esse potest, quàm à veritate deficere ad errorem, à salute ad perditionem, à Deo denique ad diabolum? Quod certè fit, quando vera Euangelij doctrina, quacunque ratione neglecta, deuiatur. Et si non in Satanæ cultum omnino descenditur, de Deo tamen aut nihil, aut certè veritati contrarium creditur. In diaboli autem regno, quod nec veritas, nec fides subit, mors datur stipendium. A morte igitur præcauenda hic Christus præmonet, cùm vt à falsis prophetis attendamus, hortatur. Quod autem maius esse potest amici officium, quàm mortis causas tollere, vt diuturniori

turniori liceat vita viuere? Quid autem est quod Christo, tantum amici officium nobis præstanti referre possumus? Nihil profectò, nisi vt verbis suis fidem habeamus, hoc est, quemadmodum falsos prophetas venturos esse prædixit, atque ab iis attendendum præmonuit, ita & venisse iam eos credamus, & agnita eorum nequitia, ab iis caueamus. Duo ergo sunt quæ Christo rependere possumus: quorum alterum quidem plurimorum est, alterum verò paucorum. Nam cum multi sint, qui non obscurè pseudoprophetarum dolos agnoscunt, paucissimi tamen ab iis attendentes sibi cauent. Quin etiam inuenias, qui suo more nodum hic in scyrpo quærant: & si quando Euangelica autoritate, vt caueant monentur, dubiis signis denotatos, qui agnosci possint, respondeant. Quasi verò agnosci non possint, quos suis admodum propriis coloribus depinxit Christus? Quanquam enim quod ait, qui veniunt ad nos in vestimentis ouium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces, certum indicium pseudoprophetarum non est (habent enim propria sua vestimenta oues, quibus sic amiciuntur, vt si ouium vestimenta habere pseudoprophetarum tantùm est, ipsæ etiam oues pseudoprophetæ erunt) à fructibus tamen eorum certò cognosci possunt. Agniti verò ex fructibus suis, detectáque ouina pelle duplici malitia arguuntur, quòd & lupi natura sint, & in communis perditionis officio vestes sibi alienas & peregrinas sumpserint. Sumunt autem ferè omnes pseudoprophetæ ouium vestimenta cum ad decipiendas simplices imprudentium animas, prophetarum Domini pietatem ac autoritatem simulant. Vt serpens pater mendacium prophetarum diuini mandati sedulum interpretem sese obtulit. Et quid miramur si quod ipse potest ac facit, in simili caussa, idem ministros suos doceat. Certè Balaan cum mendax olim Gentium esset propheta, ac diaboli reuelationibus futura quædam vaticinaretur, vt tamen Israëli malediceret à rege Balach vocatus, veri prophetæ formam imitatus, toto triduo altaria extruxit, veritatem futurorum peculiaribus quibusdam holocaustis exquirens, iis per omnia verbis vtitur, vt quasi nihil præter Dei veri iussa loqui posset, visus sit. Vestimentum hoc fuit ouium. Angelus autem Dei, stricto stans gladio personati detexit laruam cum ait: Peruersa est via tua, adeóque

Genes. 3 — *Num.* 21 — *Genes.* 7. & 8

mihi

mihi contraria. Sic magi in Aegypto, quęcúnque Moses faciebat, & ipsi faciebant, vt vtrobique vnus credi potuisset Deus vbi tanta operũ apparebat similitudo, quoúsque tandem quarto miraculo Dei digitũ confiterentur. Sed & aliorum prophetarum Isaiæ, maximè verò Ieremiæ temporibus plurimi pseudoprophetæ fuerunt, id quod Dominus cõqueritur, dicens: Nolite audire verba prophetarum, qui prophetant vobis & decipiunt vos. Visionem cordis sui loquuntur, non de ore domini. *Iere.23. & 14*
Dicunt eis qui blasphemant me, locutus est Dominus: Pax erit vobis. Et mox: Non mittebam eos, & ipsi currebãt, non loquebar ad eos, & ipsi prophetabant. Talis erat & Hananias, cui do- *Ier.28*
minus per Ieremiam dixit: Audi Hanania, dominus te non misit, & tu confidere fecisti populum in mendacio. Erat prophetis Dei mos, vt initio prophetiæ præmitterent: Hæc atque illa dicit dominus, quo verbo autoritatem prophetia consequebatur. Hoc verbum falsi etiam prophetæ, quasi vestimentum induti, fidem dictis suis apud plurimos consequebantur. Præterea externis quibusdam signis futura prædicere prophetæ domini consueuerunt. Ieremias lignea catena fuit collum circundatus, in signum futuræ populi captiuitatis: surrexit alius propheta, qui Ieremiæ catenam confregit, populóque nullam formidandam esse captiuitatem persuasit. Et hoc vestimentum erat ouium, neque facilè erat vter duorum verus propheta Domini esset, videre. Sic cum Achab rex bella moueret, quidam ex falsis prophetis sibi ipsi cornua ferrea sumpsit, Regi persuadens, fore vt talibus Syriam ven- *3.Reg.22*
tillaret, donec eam deleret. Micheas autem Domini propheta verus, eidem Regi mortem in eo bello certam futuram esse, contrà affirmabat. Et hic cum vterque verbum Domini prætenderet, quasi vestimentum ouium, facilè lupus à propheta secerni nequiuit. Sed & in nouo testamento veri prophetæ ac Apostoli semper eiusmodi simias pseudoprophetas habuerunt. Petrus, Paulus, atque alij à Christo legati, in scriptis suis Apostolos se Iesu Christi fatentur. Quos cer- *1. Pet.1*
tè titulos non minima autoritate sequebatur. Idem de se di- *Rom. 1*
xerunt pseudoprophetæ, ac multos seduxerunt Paulus ser- *2.Cor.3*
uum se Iesu Christi, dicit idem fecerunt & alij Apostoli reliquerunt omnia, scripturis dicta sua confirmarunt, pro doctrina sua mortes suppetiere, Idem & fecerunt pseudoprophetæ.

Apostoli miracula fecerunt, fecerunt & pseudoprophetæ, & vt summatim dicam, omnibus ferè iis quibus ad confirmationem doctrinæ Ecclesia semper vsa est iisdem & sectæ vtuntur, nempe vt mendacio decipiant, veritatis habitum sibi necessariò sumunt, quando nemo nisi Laruatam falsiloquentiam suscipit. propterea quum externum illud ouium vestimentum, quod ouibus quidem proprium est: Lupis tamen nonnunquam commune fit, certum agnoscendæ pseudoprophetæ indicium non est. Neque tamen ideo pellem suam ouis odisse debet, quia & lupos vestiri hac aut potius superindui considerat. Nec ideo Ieiunium, oratio, eleemosyna Christianis euitanda sunt, quia iisdem olim Iudæorum Pharisæi
1. Ioan. 5 vsi sunt. Non illa horum verborum Christi sententiam? Vult
1. Thes. 5 autem ne statim cuilibet fidem habeamus, qui externam pie-
Matt. 5 tatis speciem habent, sed vt probemus spiritus num ex Deo
1. Petr. 2 sint, ac omnibus probatis, quod bonum est, teneamus. Monet enim dominus vt coram hominibus lux nostra luceat. Et Petrus Apostolus inter Gentes etiam, ac eos qui foris sunt, bonam conuersationem habeamus, suadet. Et tamen attendendum à falsis Prophetis est, quorum ingens numerus est, cum alij scientiæ, alij fidei inopia laborant, alij etiam proposito
1. Cor. 4 lædendi obfirmato, verbi munus sibi assumunt. Vnde Pau-
Philip. 2 lus Corinthios, ait pædagogos quidem habere plures, eósque in Christo: Verùm patres pauciores, de quibus etiam alibi scribit; Omnes quærunt quæ sua sunt, non quæ Iesu Christi. Sed dicet aliquis, Cum certum est extremo penè omnium malo eiusmodi pseudoprophetas nobiscum esse, cur Deus tolerat eos tot annis? Sed facilis responsio. Nam eo modo, cur Turcam non pellat, ne Christiani amplius molestentur, cur feras ne homini noceant, non persequatur? Non sunt diuinæ voluntatis scrutanda mysteria. Licet tamen coniecturis quibusdam, cur Deus pseudoprophetas patiatur, intelligere. Aliquando tolerat eos Deus, vt nobis sint occasio diligentius scrutandi scripturas, atque ardentius pro diuini numinis illuminatione precari. Aliquando etiam vt probentur electi,
Isa. 29 si constantes sint. Sic Moses Israëlem alloquitur: Tentat vos
Rom. 1 Dominus, nonnunquam etiam permittit eos, propter peccata & ingratitudinem nostram, quemadmodum in Isaia ac Paulo scriptum legimus. Eo igitur diligentius nobis attendendum

dendum est. Qui ergo (inquit) sunt fructus, quibus pseudoprophetæ agnoscuntur? Boni & mali. Nam vt ouis natura multum à lupi diuersa est, & bonæ arboris fructus malitiæ contrarij sunt, ita bonorum & malorum dissident, mens & opera. Bonorum naturam Christus expressit, cum ait: Sicut me misit pater, & ego mitto vos: Ego facio omnia sicut mandatum dedit mihi pater. Hoc & vos facite. Ego magister & Dominus vester vestros laui pedes, & hoc me sequimini. Reges gentium dominantur, & qui potestatem exercent, benefici vocantur: Vos autem non sic. Diligite inimicos vestros, benefacite his qui oderunt vos, ex quibus videre est, qui sint Domini Prophetæ, nempe in quibus mens est benefica erga omnes, quod nullo bonorum damno, nulla æstimationis iactura, nulla illicita voluptate afficitur. Quam mentem pseudoprophetæ ne norunt quidem. Sunt autem hæc Christi verba magis de doctrina, quàm pseudoprophetarum persona intelligenda. Quanquam enim permultum interest, quam vitam Propheta agat: tamen plus momenti in doctrina situm est. Sibi ipsi enim suóque malo impiè viuit, at doctrina multos seducit, si peruersa est: saluat autem, si genuina ac vera est. Tum non semper sequitur, hic malè viuit, ergo male docet, quia plurimos nouimus bene vixisse quidem, pessimè autem docuisse, & contra. Hinc Christus dicit super cathedram Moysi, sedere scribas & Pharisæos: monétque, quæ dicunt, facere nos: opera autem ipsorum non facere. Sed quæris, Qui igitur fructus sunt bonæ ac malæ doctrinæ? Audimus certè nostra hac tempestate, quosdam clamare, bonæ doctrinæ fructum illud esse quod tranquillat conscientias. Hoc autem solam fidem præstare, eóque veram doctrinam fidei prædicatione agnosci. Rectè id quidem, fidem fructum esse veræ doctrinæ. Nam Christus hoc sibi aduentus causa fuisse in Isaia dicit, quod est indulgentiam prædicare, ac consolari. Vnde ad se omnes laborãtes vocat animarúmque requiem daturum se pollicetur. Sed vnicum veræ doctrinæ fructum esse fidem, omnis scriptura negat, nec vllo exemplo probari potest, eorum quidem qui rectè semper docuere. Proinde nec Christus hic solam fidem, veri Prophetæ fructum dixit, multóque minus charitatem pseudoprophetæ. Neutrum enim vel ratione vel scriptura sibi constat. Contra autem plures esse fructus bonos boni prophetæ ex Paulo euidentissimè liquet, vbi non

Matt. 5

Isa. 61
Luc. 4
Matt. 11

1. Cor. 14

solum consolari, verum etiam ædificare & exhortari, officia Prophetæ dicit. Iam verò in ædificio, quinque requiruntur, fundamentum intersticia, parietes, tectum atque ornatus: fides, fundamentum est: Spes, interstitium est: charitas, parietum iunctura & connexio est: pœnitentia, tectum: vita pia, ornatus. Quod si sola fides fructus vnicus, & præter eum nullus alius est, superfluè Paulus ædificare, exhortari, ac consolari dixit Neque enim is ædificium construere dici potest, cuius labor omnis in fundamento locando consumitur. Vt ergo fundamentum fidei non rectè ponere, ita etiam posito fundamento, eóque admodum firmo, nihil superstruere, fructus pseudoprophetæ magis sunt quàm veri. Talis etiam fructus est, post prædicatam fidem, odio concordiæ, sectas, dissensiones bellàque concitare. Talis etiam fructus est bonorum operum (iacto fundamento) obliuisci, & denique patientiæ, obediẽtiæ exhortationem aspernari. Aut enim Paulus Apostolus hæc facere, hoc est, ædificare, & exhortari frustra præcipit, aut pseudopropheta est, qui id facere detrectat ac negligit. Denique cur Christus ex fructibus dixit in plurali, & non potius ex fructu in singulari, si sola fides fructus est rectæ doctrinæ? Porrò autem, quòd ad pietatem exhortari, operáque digna Christianis suadere, malæ arboris (id est) pseudoprophetæ malus fructus non fit: Primo hæc ipsa verba o-
Matt. 5. 6. & 7 stendunt. Deinde præcedentia & consequentia, totiúsque hic sermo vnde hæc verba desumpta sunt. Loquitur enim ipse de bonis operibus, eáque suadet. Sed quis dicet Christum ipsum pseudoprophetam fuisse? Et certè si pietatem suadere pseudoprophetam facit, pseudopropheta Christus erit. Sic & Moses falsus Propheta erit, qui pietatem suadet, piísque benedictionem Dei promittit. Erit & lex mala arbor, quæ perterrefacit conscientias hominũ. Quo certè veteres hæreses iam consopitæ excitabuntur, quę legem non à Deo, sed à diabolo datã asserebant. Omnes denique Prophetæ, & baptista Ioannes, omnésque Apostoli pseudoprophetę erunt. Sed neq; hi falsi prophetæ sunt, neque dogma verum est dicere, doctrinam operũ malam arborem esse, & doctorẽ bonorum operũ pseudoprophetã esse. Sed quia similitudinẽ hanc Christus non solum doctrinã intelligi vult, verũetiã de Christianorũ operibus libet de bona maláq; arbore paucula addere. Homo magnã similitudinẽ arboris habet. Vt crescat arbor radicali humore pluuiáque cælesti

opus habet: sic φ homo crescit, ex naturæ virtute habet, cui dictum est, Crescite, multiplicamini, & quòd in altum exurgit, cælestibus vicinior fit, fructúsque ferat, ex voluntaria, *Psal. 67*
certæ hæreditati segregata pluuia venit. Quemadmodum autem multæ arbores, etsi eidem solo insitæ, eadem pluuia irrigantur, non omnes tamen equè fructiferæ sunt in bono, ita etiam homines, quo factum est, quod Scriptura sacra pios bonæ arbori, impios malę consueuit comparare. Id quod Dauid & Ieremias in veteri, Christus in nouo abundè satis testantur. Hinc est quod, quicquid homo externè boni facit, bonum, si homo ipse bonus, malũ autem, si homo malus est, iudicatur. Nam secundum internum hominem opera nostra iudicantur. Quo id etiam docetur, diuersa esse hominum iudicia à diuina sententia. Deus cor intuetur, homo autẽ quod foris est. Speciosa res erat coram hominibus, quod Saul optima quæque pecora ex hostium præda, victimis deputabat, ita tamen Deo displicuit, vt propterea à Deo reiectus sit. Pia res Iudæorum cæremoniæ videbatur hominibus, sed Deus abominationem dicit, nec mirum. Duplex enim iniquitas est, simulata sanctitas. Contra verò furti speciem, aut etiam deprædationis habuit, quod exiens ex Aegypto Israël, argentum & aurum sustulit, neq; tamen Domino peccauerunt. Sic latrocinium videri posset, quod cum Cananæis eorundem infantes interfecerint. Sed inest his omnibus Dei imperium. Vnde singulari quadam attentione opus est, in iudicandis arborum fructibus, ne malũ fructum bonũ dicamus. Aut folia, formam, altitudinem, fructum iudicemus. Hæc summa est vt oues Christi simus omnes, quo formam eius omniũ virtutum induamus, qui agnus & pastor est, pietatis vestimento amicti peregrinum abominemur habitum. Cui sententiæ in hodierna epistola Paulus suffragatur: Debitores nos dicit, non carnis, sed spiritus. Nempe bonas nos arbores Deus requirit, cui debemus fructificare. Sed qua lege requirit? nempe depositi. Natura eramus radix mala, radix amara, filij iræ, excidit Deus naturam malam, inseuit bonam, dedit nobis spiritus sui imbrem, adiunxit adminicula, dedit cultores: & qui mirum & si fructum postulat? Agnoscit hæc Ecclesia quòd scilicet nos quantum in nobis est pseudoprophetas verè agnoscere non valeamus, multóque minus natura fructum ferre pietatis. Hinc ergo quod sibi deesse, non ob-

Marginal references: *Psal. 1* · *Ier. 17* · *Ioan. 15* · *Luca 13* · *Matt. 7* · *3. Reg. 16* · *1. Reg. 15* · *Isa. 1* · *Rom. 8.*

Q scurè

feurè intelligit, à verò agricola supplicans petit: Largire nobis inquit, domine semper spiritum cogitãdi, quæ recta sunt propitius & agendi, vt qui sine te esse non possumus, secundum te viuere valeamus.

DOMINICA DECIMA POST PENTECOSTEN.

EVANG. LVC. XVI.

HOmo quidam erat diues qui habebat villicũ, & hic diffamatus est apud eum, quasi dissipasset bona ipsius. Et vocauit illum, & ait illi: Quid hoc audio de te? Redde rationem villicationis tuæ, Iam enim non poteris villicare. Ait autem villicus intra se: Quid faciam, quia dominus meus aufert villicationem à me? Fodere nõ valeo, mendicare erubesco. Scio quid faciam, vt cum amotus fuero à villicatione, recipiant me in domos suas. Conuocatis itaque singulis debitoribus domini sui, dicebat primo: Quantũ debes domino meo? At ille dixit: Centum cados olei. Dixitq; illi: Accipe cautionẽ tuam, & sede cito, scribe quinquaginta. Deinde alij dixit: Tu verò quantum debes? Qui ait: Cẽtum coros tritici. Ait illi: Accipe literas tuas, & scribe octoginta. Et laudauit dominus villicum iniquitatis, quia prudẽter fecisset: quia filij huius seculi prudentiores filiis lucis in generatione sua sunt. Et ego vobis dico: Facite vobis amicos de mãmona iniquitatis, vt cum defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula.

EADEM DOMINICA EPISTOLA I. COR. X.

HAec autem in figura facta sunt nostri, vt non simus concupiscentes malorum, sicut & illi concupiuer

piuerunt. Neque idololatræ efficiamini, sicut quidam ex ipsis: quemadmodum scriptum est: Sedit populus manducare & bibere, & surrexerunt ludere. Neque fornicemur: sicut quidam ex ipsis fornicati sunt & ceciderunt vna die vigintitria millia. Neque tentemus Christum, sicut quidam eorum tentauerunt, & à serpentibus perierunt. Neque murmurauerjtis, sicut quidam eorum murmurauerunt & perierunt ab exterminatore. Hæc autem omnia in figura contingebant illis, scripta sunt autem ad correptionem nostram, in quos fines seculorum deuenerunt. Itaque qui se existimat stare videat ne cadat. Tentatio vos non apprehendat, nisi humana. Fidelis autem Deus est, qui non patietur vos tentari supra id quod potestis: sed faciet cum tentatione prouentum, vt possitis sustinere.

SERMO.



Quemadmodum superiore dominica Christi erga nos charitas, in hoc se patefecit, quòd nõ solùm coram omnia bona contulit, omniáque aduersantia procul abegit, verumetiam à periculis in posterum timẽdis præmonuit, ita eandem suam philanthropiam hac lectione declarat. Illic enim, ne ab aliis seduceremur, hic verò, ne ipsi nos seducamus, monet, vtrobique grãdi periculo. Nihil enim interest, quo modo in perditionem descẽdas siue ab alio, siue à temetipso seducaris. Quapropter, nunc quoque eandem in audiendo diligentiam adhibeatis, hortor. Docet autem hîc Christus, qua ratione his donis spiritus simul ac corporis, aut etiam externæ facultatis legitimè vti possimus. Et vt externorũ bonorum verũ vsum omnibus persuadeat, parabola quadam omnium mores totiúsque huius mundi studia depingit, vt hinc suæ quisq; conditionis ac vocationis memor, nõ superbiendum esse iis, quæ Deus largitur bonis, sed de ipsis, Deo & conditori omnium iustam rationem esse reddendam intelligat. Tria igitur hominũ genera hæc lectio arguit, primum eos, qui semetipsos

 nesc

conuersatus est. Id quòd Ioannes aliis quidem verbis, sed *Ioan. 1*
eodem sensu tradidit: Verbum erat in principio apud Deum, & Deus erat verbum, Verbum caro factum est; & habitabit in nobis. Hic Deus cum est, & homo omnipotens, diues meritò dicitur, cuius sunt spiritualium & corporalium omnes thesauri. Diues in misericordia, gratia, & veritate, de cuius *Rom. 10*
plenitudine accepimus omnes, qui inuocamus illum in ve- *Psal. 13*
ritate. Huius terra & plenitudo eius, orbis terrarum & vni- *1. Par. 29*
uersi qui habitant in eo: Ipsius etiam regnum & potentia, *Psal. 153*
maiestas & victoria, ipsius diuitiæ sunt & honos, qui dat *Psal. 144*
escam omni carni, aperit manum suam & implet omne ani- *Prou. 10*
mal benedictione, omnémque hominem ditescere facit. In cuius dextera vita longæua est, & in læua eius, diuitiæ & honos. Est ergo Deus homo ille Euangelicus, est & diues. Non sibi diues solùm, sed quia bonus, aliis maximè diues. Dominus quidem manet omnium, sed villicum habet, cui concredidit & subiecit omnia. Solus autem homo villicus dicitur. Non quòd nō etiam angelis de diuite thesauro suo Deus communicet, sed quòd ab angelis rationem dati & accepti non postulat, vt qui in bono confirmati, à bono ad malum deficere non possint. Alij verò nequam in malo obdurati, in eóque damnati, vt non possint à malo in bonum assurgere. Irrationales porrò, quanquam omnia à Deo accipiant, ad rationem tamen reddendam, vt rationis expertes non vocantur. Homo igitur solus, qui & à bono deficere potest in malum, & contra à malo in bonum assurgere, tum etiam rationalis, & maximè Christianus libertatem arbitrij habet, in omnibus creaturis villicus ille est, à quo diues homo & Deus rationem exigit. Id quod postrema huius Euangelij verba declarant, quibus non angelis bonis siue malis, nec creaturis irrationalibus, sed hominibus dicit: Dico autem vobis, facite vobis amicos de mammona iniquitatis, vt cum defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula. Homini Deus omnia donauit. Vnde Dauid: O domine (inquit) quid est homo, quod memor es eius, aut filius hominis, quoniam visitas eum? Minuisti eum paulominus, gloria & honore
coronasti eum; & constituisti eum super opera manuum *Psal. 8*
tuarum. Omnia subiecisti sub pedibus eius, oues & boues vniuersas, insuper & pecora campi, volucres cæli & pisces maris, qui perambulant in semitis maris. Hic est quod *1. Cor. 4*

Paulus ait: ô homo quid habes, quod non accepisti? Hoc animaduertens Dauid, cum in multa possessione regnum administraret, ad Deum tamen precatur eique se, vt cui accepta ferret omnia, debitorem pronunciat, omnésque vires suas internas externásque ad gratias agendas extimulat: Benedic (inquit) anima mea Domino, & noli obliuisci omnes retributiones eius. Qui propitiatur iniquitatibus tuis, & sanat omnes contritiones tuas, qui redimit de interitu vitam tuam, qui coronat te in bonitate & in misericordia, qui replet desiderium tuum in bonis, qui vt pater filiorum suo-
Psal. 102 rum, miseretur timentium se. Et iterum: Quid retribuam
Psal. 115 Domino pro omnibus quæ retribuit mihi? Et alibi: Tua est Domine magnificentia, & potentia & gloria, atque victoria, & tibi laus. Cuncta enim quæ in cælo sunt & in terra, tua sunt. Tuum Domine regnum, & tu es super omnes principes. Tuæ diuitiæ, & tua est gloria, tu domi-
1. Par. 29 naris omnium. In manu tua virtus & potentia, in manu tua magnitudo & imperium omnium. Nunc igitur Deus noster confitemur tibi, & laudamus nomen tuum inclytum. Quis ego, & quis populus meus, vt possimus hæc tibi vniuersa promittere? Tua sunt omnia, & quæ de manu tua accepimus, dedimus tibi. Peregrini enim sumus coram te, & aduenæ sicut omnes patres nostri. Hæc confessio, cum omnes deceat, qui animæ causa, spiritum & gratiam Dei, Euangelium & sacramenta, & gratiæ tempus, corporis autem gratia, vitam hanc, fortitudinem, valetudinem bonam, intellectum, rationem, sensus, honores, diuitias, pacem, fœlices rerum successus, omnium denique creaturarum imperium à Deo acceperunt: tùm maximè eos decet, quibus peculiaria quædam bona concredita sunt. Nam & animos hominum Christi sanguine redemptos, & Ecclesiam suam aqua & Spiritusancto sanctificatam, Deus certis quibusdam hominibus concredidit, nempe Ecclesiasticis: viduas, pupillos, pauperes & quacunque tribulatione pressos ciuili magistratui, regibus atque principibus
1. Cor. 12 commisit: Liberos, seruos, totámque familiam in fidem patribusfamilias contradidit: Non omnibus Deus eadem contulit, sed singula vniuersis distribuit, pro sua voluntate, nostráque vtilitate, vt in hujus mundi domo veluti in bene instructa familia & diuersitas officiorum esset,

& finis

& finis, ad quem omnes aſpirarent, vnitas. Quis autem non videt omnia hæc bona, quorum hominem Deus diſpenſatorem præpoſuit, ad publicam vtilitatem, & proprium commodum deſeruire? Aequum igitur eſt, ita vtantur iis, homines, vt ſe non dominos, ſed ſeruos agnoſcant, tanquam diuiti domino aliquando rationem reddituri. Quo certè omnes arguuntur, qui ſemetipſos ignorant, ſic acceptis à Deo abutuntur, quaſi nunquam amittendis. Nam quemadmodum fidelibus diſpenſatoribus bene adminiſtrati muneris merces, ita diſſipatoribus æterna manet ignominia. Diues enim homo iudex iuſtus eſt, vnicuique pro meritis, vel gehennam, vel cæli beatitudinem remuneraturus. Ipſe quidem ex alto in hanc magnam domum proſpicit, ſingulorum mentes librat, verba ponderat, factáque examinat, vt poſſit quod vult, iuſtè reddere. Huic nihil abſconditum eſt, omnia aperta, atque nota ſunt oculis eius. Id quod ipſe in Ieremia dixit: Ego teſtis atque iudex ſum. Et iterũ: putas ne Deus è vicino ego ſum dicit dominus & non Deus de longè? Si occultabitur vir in abſconditis, & ego non videbo eum? nũquid nõ cælũ & terrã ego impleo? Et Dauid: Dñs (inq) eſt Deus, ſcrutãs corda & renes. Et iterũ: Qui fecit oculũ nõ conſiderat, aut qui plantauit aurẽ, non audiet, qui corripit gentes, nõ arguet, qui docet hominẽ ſcientiã? Dñs ſcit cogitationes hominũ. Ad hæc iuſtus iudex eſt Dominus: Nam idẽ Dauid in Pſalmis Deum loquentem inducit, vbi enumeratis peccatorum ſceleribus mox concludit: Hæc feciſti & tacui. Exiſtimaſti iniquè, quòd ero tui ſimilis: arguam te, & ſtatuam contra faciem tuam. Hoc ſenſu Iſaias loquitur fore vt egrediatur Dominus è loco habitationis ſuæ vt viſitet malitiam habitantium terram, & terra ſanguinem quem hauſit, reddat, & vltra non abſcondat interfectos. Hinc eſt quod Dauid dominum vltionum dicit Deum. Quam igitur Deus per ſemetipſum œconomos ſuos intentos oculo ſemper conſiderat: hic tamen humanæ intelligentiæ ſeruiens ſimul & indignitatem malæ adminiſtratæ diſpenſationis indicans diffamatum eſſe hunc diſpenſatorem, ait. Nec vnus accuſator hominum ad Deum perfert adminiſtrationis modum, ſed multi, qui omnes quaſi in accuſanda diſpenſatoris inquitate coniuraſſent nunquam tacent. Omnes ab hæreditario noſtro hoſte, atque fratrum noſtrorum accuſatore Diabolo ſubornati ſunt. Pri-

Hebr.4. *Ier. 23.* *Ier.23.* *Pſal.7* *Pſal. 93* *Pſal. 93*

mus ergo accuſator, conſcientia propria eſt, Paulo teſte,
Rom. 2. qui ſint homines, legis opus ſcriptum in cordibus ſuis oſtendere, perhibet, nempe reddente illis teſtimonium conſcientia ipſorum, & inter ſe inuicem cogitationibus accuſantibus, aut etiam defendentibus in die cum iudicabit Deus occulta hominum. Quæ certè leuis accuſator non eſt. Ex ore enim proprio vel iuſtificabimur, vel cõdemnabimur. Nec immeritò primus, quando mox commiſſo facinore patratorem in ſemetipſo redarguit, nunquam (peculiari nisi prærogatiua refutatus) deſinens ſemper verò veluti accuſationum dentibus rodens. Cui non abſimilis multum opus ipſius aut facti irrefragabilis teſtificatio, nunquam non quaſi corporis vmbra ſequens de qua ad Cain Dominus: Quid feciſti (inquit) ecce vox ſanguinis fratris tui
Gen. 4 clamat ad me de terra. Et ad Abraham ſub angelorum ſpe-
Gen. 18 cie: Clamor (inquit) Sodomorum & Gomorrhæorum multiplicatus eſt, & peccatum eorum aggrauatum eſt nimis: Deſcendam & videbo vtrum clamorem qui venit ad me
Abac. 2 compleuerint, an non eſt ita: vt ſciam. Et ad Nabuchodonoſor omnéſque auaros: Væ (inquit) qui congregat auaritiã malum domui ſuæ vt ſit in excelſo nidus eius, & liberari ſe putet de manu mali. Cogitaſti cõfuſionem domui tuæ, conſcidiſti multos, & peccauit anima tua, quia lapis de pariete clamabit, & lignum quod inter iuncturas ædificiorum eſt, reſpondebit. Qua in re profectò mira Dei iuſtitia videre eſt, qua lapides & ligna res inanimatæ prorſus hominis diſpenſatoris accuſatores conſtituuntur. Sed non immeritò creatura muta iniquo diſpenſatori, lege Dei ſubiecta coactè ſeruit, & aduerſatur quòd creditæ diſpenſationis inter ſe ordo confunditur. His tamen accuſatoribus vrgentibus, vehementior eſt pauperum gemitus ſiue illi iniuria affecti, ſiue detenta per iniuſtitiam mercedula impediti, ſiue etiam neceſſitate obruente fuerint oppreſſi. Eſt enim hæc cum religionis, tum naturæ etiam lex, alter alteri commodemus
Deut. 15 ac beneficiis ſubleuemus. Ait enim Moſes: Si vnus de fratribus tuis qui morantur inter portas ciuitatis tuæ in terra, quam Dominus Deus tuus daturus eſt tibi, ad paupertatem deuenerit, non obdurabis cor tuum, nec contrahes manum tuam, ſed aperies eam pauperi & dabis mutuum quo eum
Exod. 22. indigere perſpexeris. Et alibi: Aduenam, inquit, non
cont

contriſtabis: aduenæ enim & ipſi fuiſtis in terra Aegypti, viduæ & pupillo non nocebitis. Si læſeritis eos vociferabuntur ad me, & ego audiam clamorem eorum, & indignabitur furor meus percutiámque vos gladio, & erunt vxores veſtræ viduæ & filij veſtri pupilli. Hinc eſt quod in Iſaia Dominus de omnibus iis qui pupillis non iudicant cauſáſque viduarum aſpernantur querelam inducit. Denique & magiſtratus malæ diſpenſationis manet iudicium maius omnibus, qui vel pauperum iniurias quaſi cœci non vident nec vindicant, obliti officij ſui, vel (quod illo etiam horribilius eſt:) qui ipſi etiam iniuria afficiunt. Ad omnes enim Micheas propheta clamat: nunquid non veſtrum eſt ſcire iudicium, inquit, qui odio habetis bonum, & diligitis malum, qui violẽter tollitis pelles eorum deſuper eis, & carnem deſuper oſſibus eorum? Qui comederunt carnem populi mei & pellem eorum deſuper excoriauerunt, & oſſa eorum cõfregerunt & conſciderunt ſicut in lebete, & quaſi carnem in medio ollæ. Quos etiam Iacobus Apoſtolus ſeuerius alloquitur, quòd quæ pauperibus debebatur ſubſtantiæ partem putrefactioni, tineis, ac erugini congeſtam reliquerint. Agite nunc diuites (inquit) plorate vlulantes in miſeriis veſtris quæ aduenient vobis. Diuitiæ veſtræ putrefactæ ſunt & veſtimẽta veſtra à tineis comeſta ſunt. Aurum & argẽtum veſtrum æruginauit, & ærugo eorum in teſtimonium vobis erit, & manducabit carnes veſtras ſicut ignis. Theſaurizaſtis vobis iram in nouiſſimis diebus. Ecce merces operariorum qui meſſuerunt regiones veſtras quę fraudata eſt à vobis clamat, & clamores eorum in aures Domini Sabaoth introierunt. Vtriuſque igitur cum teſtamenti ſcriptura viduarum ac pupillorum pauperúmque omnium curam exigit: certè qui negligit, ſuum portabit iudicium, quia & ipſi Domini opem implorabunt & non exaudientur. At quæ eos manet damnatio, qui quod iuſtè darent, denegant adeóque ipſi opprimunt? Commodè propterea ſapiens ille reges iudices terræ, vt quibus vulgarius eſſe ſolet lædere, admonens: Præbete, inquit, aures vos qui continetis multitudines, & placetis vobis in turbis nationum. Quoniam data eſt vobis à Domino poteſtas & virtus ab Altiſſimo, qui interrogabit opera veſtra, & cogitationes ſcrutabitur: quoniam cùm eſſetis miniſtri regni illius, non rectè iudicaſtis, nec cuſtodiſtis legem

Iſai. 1

Mich. 3

Iacob. 5

Sap. 6

ſpenſatione,conqueritur. Rectè fodere non valet qui per mortem ab officio deponitur. Spiritus enim defunctos vita, à laboribus requieſcere monet: eò quòd opera ipſorum ſequantur illos. Et Chriſtus ipſe noctem prædicit futuram, in qua nemo operari poſſit: monens, vt dum habemus lucem ambulemus, nè comprehendamur à tenebris. Et Iſaias hortatur Dominum quæramus dum inueniri poteſt, eúmque inuocemus, dum prope eſt. Fruſtra enim innocatur tempore iuſtitiæ, quem contempſeris in die miſericordiæ. Nam & virgines illæ fatuæ ſerius inuocantes, clauſis iannuis neſciuntur. Et enim magnum hoc domini diuitis, ingentis indulgentiæ indicium eſt, quòd gratiæ tempore non ſolùm vocat, verumetiam miti ſermone interrogat: Quid hoc audio de te? tot accuſatoribus ſuſpectus mihi redderis, ea tempus conſtituo, Redde rationem diſpenſationis tuæ. Non enim vt quidam intellexerunt, hęc verba (redde rationem villicationis tuæ) mortis horam, aut extremi iudicij diem reſpiciunt, ſed eam vocationem potius, quæ vel per Euangelij ſermonem, vel per Spiritus arcanam inſpirationem, vel per correptionem, vel ſalutis promiſſionem, aut quouis denique modo fit. Hic enim tempus gratiæ eſt, quàm diu in hoc mundo verſamur, ac vnicuique noſtrum dicitur: Quid hoc audio de te? redde rationem villicationis tuæ. De nomine Chriſtiani gloriaris, profeſſionem impietate negas, vocationi diſſentit vita, ore profiteris Deum factis negas: dicis mihi, Domine Domine, quæ præcipio non facis: patrem me appellitas, nec vllus tibi erga me amor eſt. Si Deus tuus ego ſum, vbi timor meus? multa in baptiſmo promiſiſti mihi nihil præſtas: ad nuptias filij mei vocaui te, & huc ingreſſus nuptiali veſte carens, nuptialibus ſolenniis detrahis. Seuera profectò, & plena indignationis vocatio hæc eſt, & quis poterit Deo in mille reſpondere? Præterea autē quòd parere huic vocationi magiſtratus, cùm ciuiles, tùm Eccleſiaſtici debent, etiam hoc præſtent, quod diuitis Domini exemplo monentur oportet. Moniti nimirū ſui in ſubditos officij, delatos ſontes in ſua repub. arguāt, atq; emendationē ab negantes ſuppliciis afficiant, cæteri gregi ſine damno viuere liceat. Quēadmodum enim hoc laudi datur diuiti Dño, quod audita dilectione diſpēſatorē vocat, atq; arguit, ita Heli ſacerdoti vitio datum eſt, quòd ſciens filiorum ſuorum

Apoc. 14
Ioan. 9. & 12.
Iſa. 55
Matt. 25
Matt. 7
Malac. 1
Mat. 22.
1. Reg. 2

sacrilegæ impietati conniuerit, sibi suisque vno momento subitam perditionem accelerans. Non hoc dixerim, vt cuiuis delatori sine discretione facilè aures præbeant, sed perquisita prius rei veritate postea iudicent, & hoc eiusdem diuitis Domini Dei exemplo, qui licet clamorem Sodo-
Gen.18 mæ atque Gomorrhæ acceperit, descendit tamen ac verum clamorem, quem audierat, opere compleuissent, an non
2.Reg.16 ita esset, perscrutatur. Vnde Dauid imprudentiæ arguitur, qui ad vitam nequam delatoris accusationem, vniuersam Miphibosethi substantiam auferebat, tradebátque alienis. Sed isthæc magistratus priuata doctrina respicit. Hæc verò in vniuersum omnes quotidie rationísque reddendæ admonet, dispensatoris imitemur exemplum, non vt iniquitatem ipsius sequamur, sed hoc imitandum proponamus, cuius causa Dominus hanc parabolam texit, dispensatorémque laudat. Nam quòd infidelis in aliena possessione seruus fuit, quòd deperditè Domini bona dissipauit, quòd aliena in vsum suum conuertit, quòd fœdifragos alios in suos Dominos fecit, tàm non sequendum proponitur, aut huius Scripturæ autoritate defenditur, vt etiam multis contrariis locis apertissimè redar-
Mat.7 guatur. Generalem Christus suis tradidit regulam, ad quam veluti Lydium lapidem examinentur nostra facta. Ea
Rom.14 præstemus aliis, quæ nobis fieri optamus. Tum Paulus non solùm propter iram, verumetiam propter conscientiam sublimioribus potestatibus obediendum esse, omnibúsque sua reddenda ne cui quid præter mutuum amo-
Exod.20 rem debeamus, hortatur. Et quid immoramur his? cum Deus ne quicquam præter nostrum concupiscamus lege
Ioan.14 cauerit, & in hoc Spiritum veritatis Christus dederit, vt mendacium, dolum malum, infidelitatem, & quicquid veritati Dominæ aduersum est, abominemur. Ac postre-
Ephe.6 mò morum formator Paulus, quid deceat seruos edocens, præceperit, Serui obediant Dominis suis carnalibus, cum timore & tremore in simplicitate cordis sui, sicut Christo, non ad oculum seruientes, quasi hominibus placentes, sed vt serui Christi, facientes voluntatem Dei, ex animo, cum bona voluntate seruientes, sicut Domino, & non hominibus. Scientes quòd vnusquisque quodcunque fecerit bonum, hoc recipiet à Domino, siue seruus siue liber. Eadémque

feré

ferè idem Apostolus Colossensi Ecclesiæ præscribit. Qui sane loci abunde satis familiæ erga Dominos suos iniquitatem reprehendunt. Et ne cui tergiuersandi hic occasio dari videatur, ipse Christus, quid in iniquo laudet villico, exposuit. Ego (inquit) dico vobis, facite vobis amicos de mammona iniquitatis, vt cum defeceritis recipiant vos in æterna tabernacula. Hoc ergo est quod in villico sequi monemur, quòd prudens est, ac prudenter sibi prospicit, quòd vocationem Domini sui audit, conditionésque suos expendit, vires suas examinat, certum quid sequendum proponit. Nam si cogitationum ipsius verba discusseris, quatuor inuenies, primò non contemnit Domini vocantis verba, serio sibi dici persuasum habet Deinde ablata iam villicatione, vitam porrò aut labore, aut mendicitate quærendam, prævidet, quorum illud pudore, hoc desuetudine respuit. Denique licet variis cogitationibus distrahatur, certum tamen quid proponit. Postremò amicitiam debitorum Domini sui futuræ famis euitandæ certissimum medium concludit. Hæc ergo Christi intentio est. Si filij lucis huius tanta cum sedulitate sibi suæque exigui temporis vitæ prospiciunt, quanto magis vos filij lucis de æterna salutis vita, vobis prouidebitis? Quo sensu Paulus etiam in hodierna Epistola, exemplum nobis Iudaici populi proponit quo omnia ea quæ Israëli facta sunt, in figura nostri, Deo ita prouidente, contigisse testatur, ac vult vt eiuscemodi historias, non solùm vt rem semel gestam cogitemus, verumetiam tanquam figuram & exempla meditemur. Hoc est quur Deus non solùm illius temporis malos dispensatores (vt sunt fornicatores, idololatræ, murmuratores, ac qui tentant Deum) redarguit, verumetiam vt nobis ipsorum vestigiis insistentibus, eandem seueritatis sententiam manere consideremus. Propterea figuram fuisse ait, ad nostram, in quos seculorum fines deuenerunt, correptionem. Quibus omnibus necessariam admonitionem addimus vt dignè Deo ambulemus, eóque modo per omnem vitam negotia nostra instituamus, vt poscenti Deo rationem reddere non erubescamus, quin verò obuiam aduentanti illi procedamus, & gaudium, quod fidelibus seruis promissum est, tandem aliquando recipiamus.

Colo. 3

Luc. 16

1. Cor. 10

DOMINICA VNDECIMA POST PENTEC.

EVANG. LVC. XIX.

ET vt appropinquauit, videns ciuitatem, fleuit super illam, dicens, Quia si cognouisses, & tu. Et quidem hac die tua, quæ ad pacem tibi, nunc autem abscondita sunt ab oculis tuis. Quia venient dies in te,& circundabunt te inimici tui vallo,& circundabunt te,& coangustabunt te vndique, & ad terram prosternent te, & filios tuos qui in te sunt. Et non relinquent in te lapidem super lapidem, eò quòd non cognoueris tempus visitationis tuæ. Et ingressus in templum, cœpit reiicere vendentes & ementes, dicens illis, Scriptum est, quia domus mea, domus orationis est. Vos autem fecistis illam speluncam latronum. Et erat docēs quotidie in templo.

EADEM DOMINICA

EPISTOLA I. COR. XII.

DE spiritalibus autem, nolo vos ignorare fratres. Scitis autem cum gentes essetis, ad simulachra muta prout ducebamini euntes. Ideo notum vobis facio, quòd nemo in spiritu Dei loquens dicit anathema Iesu. Et nemo potest dicere, Dominus Iesus nisi in spiritu sancto. Diuisiones vero gratiarum sunt, idem autem spiritus. Et diuisiones ministrationum sunt, idem autem Dominus. Et diuisiones operationum sunt, idem verò Deus qui operatur omnia in omnibus. Unicuique autem datur manifestatio spiritus, ad vtilitatem. Alij quidem per spiritum sapientiæ, alij autem sermo scientiæ, secundum eundem spiritum. Alteri fides in eodem spiritu, alij gra-

tia sa

tia sanitatum, in vno spiritu. Alij operatio virtutum, alij prophetia, alij discretio spirituum, alij genera linguarum, alij interpretatio sermonum. Hæc autem omnia operatur vnus atque idem spiritus, diuidens singulis prout vult.

SERMO.



Vm hanc Euangelij lectionem vobis enarrandam esse, & non solùm quid Christus egisset, verumetiam cur Euangelista tam diligenter eam perscripsisset, cur etiam nascentis Ecclesiæ patres quotannis legi in publicis conuentibus sanxissent, mecum cogitarem, flere magis libuit quàm multis in eius explicatione verbis disserere. Nec puto quempiam cui res Ecclesiæ curæ sit sine lacrymis hęc Christi verba posse perlegere, maximè si pręsentis Ecclesię statum cum Ierosolymorum vrbe contulerit, & tam multos veteris Ecclesiæ patres hæc ipsa legentes tam amaras fudisse lacrymas cognouerit. Nam quid dicam, An non digna Synagogæ Iudæorum cum hac nostra Ecclesia collatio est, quòd licet vnus idémque affectus Deo sit omnium salutis cupido, vtrobíque tamen par cæcitas, eadémq; immineat damnatio Ecclesiæ partibus, quę in vniuersa videre est Synagoga? Quàm ille populus Deo fuerit charus ex hoc liquet quòd nõ solùm prophetas acceperint legémq; Dei per manum Moysis, verumetiam (quod multo maius est) suo de sanguine promissum Messiam hominis Deiq; filium audiuerint. Magnũ profectò diuini amoris argumentum peculium censeri Domini, legem accipere, inuisibilis Dei audire vocem, & præter prophetas ipsum etiam Messiam videre, sed nihil hæc omnia ad salutem illis profuerunt, quia damnationẽ auxerunt, quòd tot legibus atque figuris signatum Dei filium non cognouerunt, doctrinam ipsius spreuerunt, vias intelligere noluerunt tempúsque gratiæ, quod pœnitentiæ datum fuerat, neglexerunt. Is venit saluator qui in lege adumbratus, in prophetis vaticiniis annuntiatus, qui potuit atq; voluit salutem conferre credẽtibus, nec pepercit laboribus vllis, quo patris suámq; voluntatẽ exploret, omnes à damnatione retraheret, ad salutis viã reduceret. Sed nunqd nõ effecit quod voluit? Cognouit

bos

bos possessorē suum, & asinus præsepe Domini sui, turtur &
Isaia 1 hirundo tempus aduentus sui, Israël autē non cognouit me,
Hier. 8 subsannauerunt me,& dixerunt, Recede à nobis, & scientiam
Psal. 25 viarū tuarū nolumus. Quis est omnipotēs vt seruiamus ei, &
quid nobis prodest, si orauerimus illum ? Mira profectò res.
Voluit & non effecit. Licet quæcunq; voluerit, fecerit, in cælo,& in terra,mari,& in omnibus abyssis. Quid autem causæ
Ibidem, obfuit quo minus,quod potuit effecerit ? Audi quid dicat re-
Ioan. 3 gius propheta,Noluit intelligere vt benè ageret. Et Christus ipse,Hoc est, inquit, iudiciū mundi, quia venit lux in mundū & dilexerunt homines magis tenebras quàm lucem,eò quòd opera eorū essent mala. Malitia hominū cæcitatē peperit cæcitas lumen diuinæ agnitionis videre nō potuit. Cæcitas quæ nullam boni malive agnitionē admisit,nec præsentia nec futura cognouit. Sed cur non potuit ? An quia lumen illud capi non potuit?non,sed dilexerunt homines magis tenebras quā lucem. Dilectio igitur tenebrarū,voluptas(inquā) mundi impediuit, vt nec miraculis mouerentur, nec verbis crederent, nec pœnitentiā suadenti obedirent,nec propriā damnationē ipsi præuiderent. Vis scire quia ipsis sibi obfuerint? Vide quid Lucas scribat,quid Christus egerit,qui voluit & potuit, quid Ierosolymorū ciuibus testatus sit. Videns Iesus ciuitatē fleuit super illam. De Ierosolyma dixit,Quia si cognouisses & tu & quidē in hac die tua, quæ ad pacē tibi, nunc autē abscondita sunt ab oculis tuis,quia venient in te dies & circundabunt te inimici tui vallo,& circundabunt te,& coangustabunt te vndique,& ad terram prosternent te,& filios tuos qui in te sunt, & non relinquent in te lapidem super lapidē,eò quòd non cognoueris tempus visitationis tuæ. Fleuit ergo Christus, fleuit autē super ciuitatē Ierosolymam, & ideo fleuit, quia non cognouit ciuitas cæca quæ ipsi ad pacē in die sua. Cognouit autem Christus,& quia solus cognouit, solus fleuit. Mirum profectò spectaculum. Lætatur creatura, flet creator, dolet caput non pro se,sed pro membris suis, pro membris languidis, ad portas mortis appropinquātibus, & tamen sibi ipsis gloriosè sanitatem promittentibus. Apostoli imponebant vestimenta sua supra pullum, populus quoque pars indumenta sua, pars c...sos de arboribus ramos palmarum sub pedes animalium substernebant. Omnes verò gaudentes cæperunt laudare Deum. At Pharisæi pro sua inuidia comprimi voces hominū

volue

voluerunt. Nec vllus præter vnum Christum aliquod tristitiæ signum ædit. Adeo igitur Christus non lætatur in perditione suorum, qui lacrymis atque verbis suum testatur mœrorem, rectéque Zacharias propheta cum de hoc specta- *Zach.9*
culo prædiceret, venire regem Sion cum mansuetudine, asseruit. An non ingens mansuetudo est? Tot molestatus iniuriis, toties indignè exceptus, nullam iniuriæ vindictam petit, sed cum lacrymis atque gemitu de cæcitate ac futura clade, suam testatur condolescentiam. An non etiam adoranda mansuetudo est, omnem licet potestatem habeat: inuitus tamen & quasi coactus in impiorum animaduersionem descendit? De quo in Isaia scriptum est: Heu, inquit Do- *Isaie 1*
minus: ego consolabor super hostibus meis & vindicabor *Ezech.18*
de inimicis meis. Et in Ezechiele: Quare moriemini domus Israël? Quia nolo mortem morientis dicit Dominus Deus, reuertimini & viuetis. Fleuit quidem alias quoque Christus, & si collatis scripturæ locis cur & quoties fleuerit quæro, tribus de causis ter fleuisse inuenio, lacrymas certè, non Crocodili, sed patris interno filiorum condolescentis perditioni. Fleuit ergo in passione sua cruci affixus, quemadmodum Paulus testatur Apostolus, quòd in diebus carnis *Hebr. 5*
suæ preces supplicationésque ad eum qui possit illum saluum facere à morte cum clamore valido & lacrymis, offerens exauditus sit pro sua reuerentia. Vbi certè non quasi mortem deprecaturus, quam volens subiit, sed pro nostris delictis exoraturus fleuisse intelligendus est. Fleuit etiam ad sepulchrum Lazari gratias agens patri quod semper exauditus esset. Nec solùm fleuit ibidem, verumetiam fremuit *Ioan. 11*
in semetipso, mortis recogitans imperium. Tertiò hîc super ciuitatem illacrymasse eum legimus, vtique futuram iusto Dei iudicio illius gentis perditionem præuidens. Quo *Luca 19*
exemplo & nos monemur ipsi peccata nostra, mortem, ac futurum Dei iudicium deflere. Mundus quidem præter mortem corporis nihil flet, peccata & iudicium contemnit: pij verò vehementer deflenda esse peccata diuinam per illustrationem discunt ex quibus non solùm hæc corporis mors communis omnibus venit, verumetiam quorum causa tremendum illud iudicium sustinendum est. Hinc amarè peccatricem mulierem in Luca fleuisse legimus. Hinc Dauid per sin- *Luce 7*
gulas noctes lacrymis propriis stratum suum rigauit, con- *Psal.6*

turbatus nimirũ à furore Domini. Nec sufficit si pro temetipso gemas tantùm, deflendi sunt & alij: non enim super se,
2.Cor 11 sed super ciuitatem fleuit Christus. Et Paulus quosdam de-
& 12 fleuit, qui postquam peccassent pœnitentiam non egerunt, solicitéque monet alios vt non peccent, ne ipse vbi venerit,
Phil. 3 humiliatus lugeat. Apertè insinuãs, neminem infirmari cum quo nõ ipse etiam infirmetur. Eodem idem affectu quosdam deficientes à fide, inimicos crucis Christi factos, defleuit. Sed
Iob 32 & Iob pietate motus de se ipso testatur: Flebam, inquit, quondam super eum, qui afflictus erat, & compatiebatur anima mea pauperi. Quis autem magis afflictus, aut pauperior
Eccle. 22 quàm peccatis oppressus, misericordiæ diuinæ indigus? Luctus mortis (inquit Sapiens) septem dies, fatui autem & im-
Iere. 22 pij omnes dies vitæ illorum. Et Ieremias clamat: nolite flere mortuum neque lugeatis super eum fletu. Plangite eum qui egreditur quia non reuertetur vltra, nec videbit terram natiuitatis suæ. Qui egreditur, inquit, per peccatum à Deo (intellige) qui nunquam reuertetur à damnatione, nec videbit prioris adolescentiæ innocentiam: Christi ergo exemplo nostri aliorúmque causa deflemus peccata, mortem, ac imminens iudicium. Et cur non? quandoquidem cum clamore valido intráque semetipsum fremens Christus fleuit, Id quod subsequentia verba satis declarant, quæ mutila propè, sine sensu pleno illacrymans protulit. Fleuit quidem propterea quòd magna secundum patris voluntatem fecisset in terris opera exultans in semetipso lætitia spiritus. Et certè idem spiritus nostras quoque mentes ad eam beneficio-
Psal. 41 rum Dei contemplationem promouere posset. Nam & Dauid propheta considerans ingentia Dei beneficia, ipsius fontis vnde eiusmodi beneficia defluxerant cupiditate commotus, sitire se coram facie Dei apparere, & quia elongaretur incolatus suus loco panum lacrymas sibi die noctúque fuisse, quòd cum ea secum recordatus esset pro desiderio ingenti effudisse se animam suam in semetipso, testatur. Sed hæ lacrymæ non habent locum nisi in iis qui antè ad diluenda peccata sua, stratum suum rigaiunt amaritudinis fletibus. Quòd ergo super Ierusalem fleuit Christus, & quòd in ipsa futurum præuidit, in nobismetipsis nos præcaueamus. Duo autem lacrymantis Christi verba innuunt, quòd tempus ac diem visitationis pacificæ non cognouerint, & quod pro-

pterea iusta Dei sententia, dictatam damnationem non essent euasuri. Hinc duo, quæ nos respiciunt colligimus: & quòd præter Christi voluntatem in nobis est cæcitas, & quòd cæcitatis pœna sit perditio. Horrenda quidem nobis videntur, quæ hic legimus, nempè quòd salutem oblatam Iudæi spreuerint, & quòd tanta in electum populum Deus iustitia animaduerterit. Sed tam mira non sunt quin eadem cæcitas in nobis conspicienda sit, eóque eadem timenda damnatio. Hac enim ratione & Lucas hæc posteris conscripsit, & Ecclesia quotannis repetenda in publicis conuentibus sanxit. Quid enim nobis cum Ierosolyma eiúsque perditione rei est? aut quid nocet à Romanis eam vrbem deuastatam esse? aut quid prodesset si etiamnũ vt prius sarta tectáq; staret? nihil omnino. Vt enim destructio illius nihil incommodare, ita nec gloria ipsius si staret, commodare potest quicquam. Quanquam optandum esset in nullo non loco diuinum nomen sine metu inuocari, sed ideo hæc legimus atque docemur, vt ruina illius nostra sit resurrectio, quod enim in ipsis completum est, nobis imminet, si similes illis in credulitate atque ingratitudine fuerimus. Idem nobis Deus est, qui & illis, eodem verbo erudimur omnes, idem præmium vtriq; genti propositum. Cur igitur non & eadem pœna expectanda esset, vbi similitudo inuenitur peccati? Proinde & nos Ierosolymæ vrbis deuastationis causas, modúmque discutiamus, nostrámque fidem & conuersationem examinemus, si forte similitudinem præuaricationis inuenerimus, eóque demeritam pœnam sustineamus. De Ierosolyma Christus ait: quia si cognouisses & tu, & quidem in hac die tua, quæ tibi ad pacem, nunc autem abscondita est ab oculis tuis. Et mox enumerato futuræ cladis modo, addit: eò quòd non cognoueris tempus visitationis tuæ. Quibus verbis cur Iudæi prostrati sint innitur. Nam quod ait: Quia si cognouisses & tu, est quasi voluntatis Christi desiderium, quo agnitionem præsentis boni, futuriq; mali precatur. Et quid melius, quid salubrius, optare plebi suæ pius custos potuisset? Quandoquidem ignorantia agnitioni spiritus contraria, omnis mali causa est maxima. Vnde Moyses populo suo diuinarum rerum intelligentiam precatur, dicens: Generatio praua atque peruersa hæccine reddis Domino popule stulte & insipiens, gens absque consilio & sine prudentia? Vtinam saperent & intelligerent

Lucæ 19

Deut. 32

Ephe. 3 ac nouissima prouiderent. Et Paulus Ephesiis scribens, sic loquitur: Flecto genua mea ad patrem Domini nostri Iesu Christi, vt possitis comprehendere cum omnibus sanctis, quæ sit latitudo & longitudo, & sublimitas & profundum, scire etiam supereminentem scientiæ charitatem Christi, vt adimpleamini in omnem plenitudinem Dei. Hæc cognitio augeri potest & diminui in huius vitæ tempore, quod totum dies dicitur, & nostra dies. Quòd quemadmodum illo tempore per cognitionem ad Deum ascenditur, per ignorantiam verò ab eo receditur: ita peracta die hac, vel pro ignorantia pœna, vel pro agnitione cuiúsque, sua æterna expectatur vita. Dies igitur Iudæorum fuit omne illud tempus, quo vel prophetæ, vel lex, vel Christus, vel denique Apostoli, pro instauranda cognitione Dei laborauerunt, eadémque dies, tempus visitationis ipsorum, qua oriens ille ex alto visitauit & fecit redemptionem plebis suæ. Hanc diem

Luce 1 suam potuissent facere Iudæi: Sed noluerunt, ideo alij dies, venerunt in eos. Dixit autem, in hac die tua, vt ostenderet hu-

1. Cor. 7 ius temporis breuitatem, de qua & Paulus Corinthiis scri-
1. Ioan. 2 bit, & Ioannes nouissimam horam esse testatur: Ecce, in-
2. Cor. 6 quit Paulus nunc tempus acceptabile, nunc dies salutis. Et
Iob 14. Iob: breues dies hominis sunt, inquit, Et Dauid dies anno-
Psal. 89 rum nostrorum in ipsis septuaginta anni, si in potentatibus
Ioan. 19 octoginta anni, & amplius eorum labor & dolor. Sed &
Iob 21 ideo dies dicitur, quia certissima nox sequetur, in qua nemo operari poterit. Hæc dies Iudæis ad pacem: Aut quia ipsi pacem in substantiis suis sibi polliciti sunt, quòd domus eorum securæ ac pacatæ, nec virga Dei super illos quòd bos eorum conceperit, & vacca pepererit, quòd tardante Domino tàm non sint ad pœnitentiam inuitati, vt peiores quotidie sine omni metu in peccata prolapsi sint: aut quòd ipsis ad pacem esse potuisset si pœnitentia ducti Christum agnouissent, oblatámque salutis æternæ gratiam non spreuissent. Dicit ergo quia si cognouisses & tu, & quidem in hac die tua quæ tibi ad pacem, nunc autem abscondita sunt ab oculis tuis. Abscondita non Dei inuidentia, sed propria ipsorum malitia Quod si ad horum verborum normam, nostram fidem conuersationémque metiri libet, inueniemus & nobis diem nostram, & in ea, quæ ad pacem, multa concessa esse. Nam Deus (quod omnes fatemur) pro sua nos misericor

sericordia visitauit nostro seculo Germanos, multáque patefecit quæ prius vel ignorabamus, vel parui æstimabamus, cum nunc gratiam suam, nunc verò peccata nostra, tàm manifestè designat, vt nemo iustè conqueri possit, aut se boni maliue ignorantia excusare audeat. Ecce enim hodie etiamnum, dum Ierosolymæ excidium Euangelica patefecit historia, quid aliud audimus aut intelligimus, quàm quod à primi parentis tempore, vsque nunc, contemptum gratiæ, per verbum Dei annunciatæ & abusum donorum ipsius, omnium seuerissimè vindicauerit Deus, nec velle conniuere ignorantiæ voluntariæ? Id quod per diuersa multorum locorum bella intelligi vult. Et quis de iniuria conqueri potest, siue Lutheri, siue etiam Catholicorum nomen sibi vendicat. Illi enim nunquam se Dei gratiam melius agnouisse fatentur. An porrò hac diuinæ gratiæ agnitione ad bonum an verò ad malum vtantur, sua quémque docebit conscientia. Nos quidem peccata vitiáque nostra abusus nostros, & si quid eius prætereà est, nunquam manifestius nobis ob oculos posita fatemur. Quæ verò subsequuta sit emendatio, nemo ignorat. Quando ergo vtrobique tempus diémque, quo nos gratiosè visitauit Deus, non agnoscimus, meritò inuicem ad arma concurrimus & veluti in nostra ipsorum viscera gladios conuertimus. Nec modus nec finis sperari potest, quandoquidem nemo, quo vsque diuinæ extendatur virga iustitiæ nouit, sæpéque numero cum nobis pacem securitatémque pollicemur, repentinus in foribus adest interitus. Qua ratione Ieremias propheta populo suo quondam de diuina iustitia prædicauit, cum Nabuchodonosor Babyloniæ Rex Ierosolymam obsideret, ac coactè propter Pharaonis exercitum de Aegypto exeuntem recederet, populúsque sibi impunitatem, quia recederet hostis pollicere-tur: Nolite (inquit) decipere animas vestras, dicentes: Euntes abibunt & recedent à nobis Chaldæi, quia non abibunt. Sed & si percusseritis omnem exercitum Chaldæorum qui præliantur aduersum vos, & derelicti fuerint ex eis aliqui vulnerati, singuli de tentorio suo consurgent, & incendent ciuitatem hanc igni. Hæc tempore Ieremiæ facta, veluti præambula sunt magni excidij illius, de quo Christus in Euangelio loquitur: Nos quoque floreat licet nonnunquam

Iere. 47
1. Thess. 5
Iere. 27

pacis oliua, horrida tamen nunquam non redeunt bella nunquã sedáda fortasse quousque pro delictis vigens discordia totum perdat imperium. Certæ qui patienter emendationem expectat, potis est & pœnitentes clementer in gratiam recipere, & obduratos porrò hic armis & in futuro seculo perdere gehenna. Nam hæc duo necessariò cogitamus in Christo quia vtriusque euidens edidit specimen, cùm misericordiam lachrymis atque voto: potentiam vero futurorum vaticinio, atque flagello manifestat. Quæ Dauid
Psal. 61 etiam in Messia vidit, cùm ait: Semel loquutus est Deus, duo hæc audiui, quia potestas Dei est, & tibi Domine misericordia, quia tu reddis vnicuique secundum opera sua. Semel tantùm locutus est Deus, cui vnicum tantùm
Ioan. 1 verbum est. Verbum quod in principio erat apud Deum, & quod erat Deus, Dei nimirum vnicus filius. Hunc enim scriptura vnicum illud atque sempiternum Dei verbum, quod ab æterno locutus est, vocat. In quo duo intelligimus, quod potestas Deo sit & misericordia. Hæc audiuit Dauid suo tempore, nobis annunciantur nostro. Quæ si cui incognita sunt, aut non creduntur, hoc oculos conuertat, & misericordiam in lacrymis Christi intelliget, & potentiam in excidio vrbis huius cognitam for-
Hester. 13 midabit, ac mox cum iusto Mardochæo Dominum precabitur, dicens: Domine Domine rex omnipotens, in ditione tua cuncta sunt posita, & non est qui possit tuæ resistere voluntati, si decreueris saluare, tu Dominus omnium, non est qui resistat maiestati tuæ. Et cum Hiere-
Ierem. 10 mia: Non est similis tui domine magnus es tu. & magnum nomen tuum in fortitudine. Quis non timebit te ô rex gentium? Certissimum enim est nullam emendationis nullámque salutis spem esse de eo, qui in consideratione horrendi gloriosæ vrbis excidij à diuini furoris non concutiatur ira. Nec quicquam sibi polliceri potest, quàm quod de
Ierem. 7 multis in Hieremia scriptum est. Hæc est gens quæ non audiuit vocem Domini Dei sui, nec recipit disciplinam. Periit fides, & ablata est de ore eorum. Et erit morticiniũ populi huius in cibos volucribus cęli & bestiis terræ, & non erit qui abigat, & quiescere faciam de vrbibus Iuda & de plateis Hieru-
Ioan. 8 salem vocem gaudij & vocem lætitiæ sponsi, & vocem spõsæ. Et quæ alibi Christus Iudæis loquitur, vt in Ioanne: Ego vado

dô, & quæretis me, & in peccato vestro moriemini. Et in Luca: Venient dies quando desideretis vnum diem videre filij hominis, & non videbitis. Et in Matthæo: dico vobis quia auferetur à vobis regnum Dei, & dabitur genti facienti fructum eius. Et iterum: Veniet super vos omnis sanguis iustus qui effusus est super terram à sanguine Abel iusti, vsque ad sanguinem Zachariæ filij Barachiæ, quem occidistis inter templum & altare. Ergo filiæ Ierusalem nolite flere super me, sed super vos ipsas flete, & super filios vestros. Quoniam ecce veniêt dies, in quibus dicent, Beatæ steriles & ventres qui non genuerunt, & vbera quæ non lactauerunt. Omnia hæc iuxta verbum Christi contigisse Hierosolymæ post quadragesimum circiter à Domini passione annum, per manum & exercitum Romanorum Iosephus ex circuncisione historicus, qui & ipse in Hierusalem, dum hæc fierent corâm vidit, testimonio est, qui primum quidem decies centena millia hominum diuersæ ætatis vtriusque sexus partim gladio peremptos, partim fame extinctos enumerat. Post hos nonaginta septem millia coëmptos huc atque illuc distractos recenset. Hi fuerunt dies alieni, quos sustinuerunt Iudæi, diem visitationis suæ tempúsque gratiæ non agnoscentes. Huc respiciût minę quibus Christus multarum ciuitatum excidium prænunciat, vt Corosaim, Bathsaida, Capernaum. Huc etiam maledictiones legis respiciunt, horrendæq; clades Sodomæ atque Gomorrhæ, tum totius etiam Aegypti, omniáque eiusmodi, quæ diuinam iram iustámque animaduersionem in homines impœnitentes denuntiant. Porrò quòd ingressus templum, ibíque facto flagello ementes atque vendentes eiecit, mensas atque æs numulariorum subuertit, fecit, ne quis formidare se mortem, cuius causa publica euitaret loca, arbitraretur: tum etiam vt non in foro regnum suum, sed in templo esse demonstraret. Vnde in Luca scriptum est: Nescitis q̃a in his quæ patris mei sunt oportet me esse? Tertiò etiã hoc docuit, vt primũ omnium quæramus regnũ Dei. Maximè autẽ Ecclesiasticos nostros viros monet, ne in templo Dei negociẽtur profana, sed cõmissam sibi domũ Dei mũdã purámq; cõseruẽt. Huc ergo referẽdũ est q̃d Salomoni promittit: Oculos suos semper apertos fore ad hanc domũ: nec aliter debuit, qui non negotiationis esse voluit, qui vineã boni spe fructus plantauit. Quæ enim communicatio Christo cum Belial, qui

Luc. 17.
Matt. 21
Matt. 23
Luc. 23
Matt. 11
Gen. 28.
Gen. 19.
Luc. 2
Matt. 6
2. Para. 7
Isai. 5
2. Cor. 6.
Isai. 26

consensus templo Dei cum idolis? Sic quondam per prophetas Isaiam & Ieremiam præuaricasse populum in regione
Ierem.11 sanctorum conqueritur. Sed & hoc ostendit, cum ementes atque vendentes eiicit, quod indigna templo Dei illiúsque ministris sit auaritia, eáque veluti profanetur. Vnde in pro-
Mich.3 phetis indignè hoc vitium detestatur: Principes eius, inquit, in muneribus iudicabant, & sacerdotes eius in mercede docebant, & prophetæ eius in pecunia diuinabant. Propter hoc causa vestri Sion quasi ager arabitur, & Ierusalem quasi aceruus lapidum erit, & mons templi in excelso
Amos 9 syluarum. Et Amos: Vidi Dominum, inquit, stantem super altare, & dixit, Percute cardinem & commoueantur superliminaria. Auaritia enim in capite omnium, & nouissima
Ezech. 21 eorum in gladio interficiam. Similia his multa in Ezechie-
Ierem. 7 le & Ieremia legimus. Voluit autem per hoc quoque, quod Ioanne teste boues, & oues & colũbas è tẽplo eiecit, ostendere, quòd finem essent habitura Iudæorum sacrificia. Denique
Col 2 cùm Christus ipse templum est, in quo plenitudo Dei cor-
Apoc.21 poraliter inhabitat, qui & agnus dicitur, & in quo preces
Ioan.16. nostræ exaudiuntur: cùm etiam fidelis quisque templum
1.Cor.3 Dei est: tum etiã Catholica sancta Ecclesia domus & habita-
2.Cor. 6 culum Dei dicitur quod ipse sibi ad habitandum elegit quan
2. Tim.3 to zelo spiritualem hanc domum zelabit? quanta perdi-
Leuit. 29 tione corruptores ipsius damnabit, qui tanto furore materiali illo templo abutentes eiecit? Hinc est quòd in epistola
1. Cor. 12. Pauli, quæ hodie recitata est, quid olim fuerimus, quid verò nunc simus, quomodo olim, prout ducebamur mutis seruierimus simulacris, nunc autem magno redempti, admonemur cogitare. Certè spiritualem Hierusalẽ accenso lumine perlustrabit, certáque die quę nunc abscõdita sunt manifestabit, quando laus vnicuique coram Deo erit. Quicunque igitur iugi meditatione Dei se templa facta cogitauerint, ideóque ab omni prophanatione mundos custodiuerint non timebunt lumen accendi per Christum, nec flagellũ formidabunt.
Matt.3 Hæc summa omnium, vt Iudæorum exemplo moniti tempus visitationis nostræ agnoscamus: quòd securis ad radicem arboris posita sit. quòd impœnitentes perituri sint, cogite-
Psalm.7 mus. Clamat Propheta: Nisi conuersi fueritis, gladium suum vibrauit, arcum suum tetendit & parauit in eo vasa mortis,
Eccle. 7 sagittas suas ardentibus effecit. Nouissima meditemur, vt

Sap

Sapiens monet, quid secum adferat mortis hora cogitemus, quando haud dubiè inimicus noster Diabolus cum exercitu suo circundabit nos, & coangustabit nos vndique. Nam si Christum etiam in quo nihil habuit, adorsus est, iam iam crucis subiturum patibulum pro aliorum delictis qui propriam culpam non habuit, & in cuius ore dolus inuentus non est, quanto magis nos angustabit, in quibus multum sui habere præsumit? Christo igitur in quo omnis nostra victoriæ spes, in quo solo Diabolus nihil habuit, per firmam fidem piámque charitatem incorporemur, qui solicitus pro membris suis sibi adhærentes in cælestis Ierusalem templum perducet, vbi nullius inimici formido vlla est, plena verò gaudiis omnia. Amen.

Ioan. 14
1. Pet. 2

DOMINICA DVODECIMA POST PENTECOSTEN EVANGELIVM, LVCAE XVIII.

Dixit autem & ad quosdam, qui in se confidebant tanquam iusti & aspernabantur cæteros, parabolam istam, dicens: Duo homines descendebant in templum vt orarent, vnus Pharisæus & alter Publicanus. Pharisæus stans hæc apud se orabat: Deus gratias ago tibi, quia non sum sicut cæteri homines, raptores, iniusti, adulteri, velut etiam hic Publicanus. Ieiunio bis in Sabbatho, decimas do omnium quæ possideo. Et Publicanus à longè stans, nolebat nec oculos ad cælum leuare, sed percutiebat pectus suum, dicens: Deus propitius esto mihi peccatori. Amen dico vobis, descendit hic iustificatus in domũ suam ab illo. Quia omnis qui se exaltat, humiliabitur: & qui se humiliat, exaltabitur.

EADEM DOMINICA EPISTOLA, I. COR. XV.

Notum autem vobis facio fratres Euangelium quod prædicaui vobis, quod & accepisti, in quo & statis, per quod & saluamini, qua ratione prædicauerim vobis si tenetis: nisi frustra credidistis. Tradidi enim vobis imprimis quod & accepi, quoniā Christus mortuus est pro peccatis nostris secundū scripturas: & quia sepultus est, & quia resurrexit tertia die secundum scripturas: & quia visus est Cephæ, & post hoc vndecim. Deinde visus est plusquam quingentis fratribus simul, ex quibus multi manent vsque adhuc, quidam autem dormierunt. Deinde visus est Iacobo, deinde Apostolis omnibus. Nouissimè autem omnium tanquam abortiuo, visus est & mihi. Ego enim minimus sum apostolorum, qui non sum dignus vocari Apostolus, quoniam persecutus sum Ecclesiam Dei. Gratia autem Dei sum id quod sum: & gratia eius in me vacua non fuit.

SERMO.



Luc. 16 Vperioris dominicæ parabolā, quę de villici iniqui prudentia loquitur, ipse Christus exposuit.
Luc. 8 Facite, inquiens, vobis amicos de mammona iniquitatis, vt cum defeceritis in via, recipiant vos in æterna tabernacula. Hanc verò, quam modò audiuimus Lucas explicat, cum initio eius ponit, dictam esse quibusdam qui in se confiderent tanquā iusti, & aspernabātur cæteros. Non ergo difficile est videre quæ Christi hanc proponentis sit intentio, maximè cum ipse quasi colophonem addit, Qui se exaltat humiliabitur, & q se humiliat exaltabitur. Dānat cōfidētiā, & omnē humanæ mētis arrogātiā, pręsertim in spūalibus ac diuinis rebus. Cōmēdat aūt verā humilitatē, eā inq̄, quę sola certissimū cū Deo agēdi est mediū. Hac ratione considerata parabola, aliquot locos scripturæ exponit, qui

qui alioqui obſcuri eſſent. Primò quaſi cauſam reddit cur Iudæi cum lege ſua ac iuſtitiariis ceremoniis ſint reiecti, cur item gentes ſub crucis ſtultitiam humiliati, in gratiam ſint recepti. Deinde quid quòd etiamnum cum multi oremus, non rarò alij deſiderata conſequantur petentes, alij inanes & confuſi diſcedant. Denique ad quid creati ſimus, quid cauendum, quid ſperandum, quid timendum ſit. Cur damnentur, qui aliquãdo operabantur iuſtitiam: iuſtificentur, qui iniquitatem in corde & manibus loquebantur. Hæc, inquam, omnia hac parabola docet & explicat. Digna profectò, quæ vigilantiſſimis oculis præcipiantur, ac diligentiſſimè cogitentur. Principiò igitur arrogantiam damnat cum facto tum verbo. Facto quidem, quòd Phariſæus phariſaicè orans, hoc eſt, iuſtitiam ſuis operibus tribuens, Deo omnis boni ac ſalutis autori nihil tribuens, honorem meritum detrahens, nihil petens, vacuus & inanis domum abiiſſe deſcribitur: verbo, quod ipſe Chriſtus generalem ſententiam edicit, Quia omnis qui ſe exaltat humiliabitur. Humilitas autem commendatur, cum publicanus conſcientia humilis, peccatum ſuum profeſſus, Deo iuſtitiam & miſericordiam, ac conſequenter honorem ſuum aſſignans, ab illo iuſtificatus deſcẽdit in domum ſuam, & quòd eodem Chriſto edicente, Omnis qui ſe humiliat exaltabitur. Admonitione igitur opus eſt, ne altum ſapiamus. Quia Deus ſuperbis reſiſtit: exhortatione verò, vt nos ſub potenti manu Dei ſubmittamus, quo nos exaltet in die viſitationis. Ipſe enim humilibus præſtat gratiam. Hinc igitur eſt, quòd ſcriptura vbiq; locorum ſuperbiam condemnat, ac humilitatem ſuadet. Quid ſuperbis terra & cinis? inquit Salomon. Odibilis coram Deo & hominibus ſuperbia. Et Paulus, Quid habes, quod non accepiſti? ſi autem accepiſti, quid gloriaris quaſi non acceperis? Et in Iob ſcriptum eſt, Quid tumet contra Deum ſpiritus tuus, vt proferas de ore tuo huiuſmodi ſermones? Verè enim nihil eſt in homine cur ſuperbire poſſit, multa autem vt ſeſe humiliet. Nam & quod altum eſt hominibus, abominatio eſt ante Deum, & arrogantiam & ſuperbiam ij etiam, qui verè homines ſunt deteſtantur, quanto magis arrogans corde ſubitò punietur à Deo? Odibilis, inquit Syrach, coram Deo eſt & hominibus ſuperbia. Proinde inultam Deus non relinquit ſuperbiam hominum. Vnde ad Babyloniæ tyrannum Iſaias loquitur, Quomodo decidiſti de

1. Pet. 5 *Iacob. 4* *Eccle. 10* *1 Cor. 4* *Iob 15* *Prou. 8* *Prou. 16* *Eccle. 10* *Iſai. 14* *Deut. 4*

cælo

cælo Lucifer qui mane mane oriebaris? Corruisti in terram, qui vulnerabas gentes, qui dicebas in corde tuo, In cælum conscendam, super astra Dei exaltabo solium meum, similis ero altissimo, verumtamen ad infernum detraheris in profundum laci. Qui te viderint, ad te inclinabuntur, téque prospicient, Nunquid iste est vir, qui conturbauit terram, qui
Ezech.18 concussit regna? Et ad Tyri regem in Ezechiele Dominus, Eò quòd eleuatum est cor tuum, & dixisti, Deus ego sum, & in cathedra Dei sedi in corde maris, cum sis homo & non Deus, & dedisti cor tuum quasi cor Dei, idcirco ecce adducam super te alienos robustissimos gentium, & nudabunt gladios suos super pulchritudinem sapientiæ tuæ, & polluent decorem tuum, imò interficient & detrahent te. Sic ad Sata-
Ibidem nam Dominus, Tu signaculum similitudinis plenus sapientia, perfectus decore, in deliciis paradisi Dei fuisti. Omnis lapis pretiosus operimentum tuum. In medio lapidum ignotorum ambulasti, perfectus in viis tuis à die conditionis tuæ. Et eleuatum est cor tuum in decore tuo, peccasti & eieci te de monte sancto Dei, & perdidi te ô Cherub, in terram proieci te, ante faciem regum, dedi te vt cernerent te. Producam ignem de medio tui, qui comedat te, & dabo te in cinerem super terram in conspectu omnium videntium te. Omnes qui
Luc.10 viderint te in gentibus obstupescent super te. Et de eodem Dominus in Luca, Videbam Satanam sicut fulgur cadentem de cælo. Ecce quid superbiam sequatur, nempe ex Angelo fecit diabolum, ex homine iumentum insipiens. Puniuit eam Deus in cælo, in Paradiso, punit etiamnum super ter-
Psal.35 ram. Non immeritò ergo Dauid Deum precatur, dicens, Non veniat mihi pes superbiæ, & manus peccatrix non moueat me. Ibi ceciderunt qui operantur iniquitatem, expulsi sunt,
Psal.30. nec potuerunt stare. Hinc nos quoque monens, Diligite, inquit, Dominum omnes sancti eius, quoniam veritatem requiret Dominus, & retribuet abundanter omnibus facienti-
Tob.4 bus superbiam. Et Tobias filium suum hortatus est, ne vnquam in sensu suo, aut verbo superbiam dominari permittat.
Rom.10 Et Paulus ad Romanos scribens, monet ne simus alta sapientes, sed humilibus consentientes. Lata enim sententia est, quæ
Isa.40 non mutatur, Omnis mons humiliabitur, & incuruabitur o-
Isai.6 mnis sublimitas hominum, & humiliabitur altitudo virorum. Hac ratione Pharisæi huius oratio proposita est, in qua nihil

nihil humile, nihil pium, sed superbum, turgidum, & arrogans pectus hominum describitur. Ipse Pharisæus stans orat, vt vel gestu qualem orationem Deo dicturus esset, insinuaret. Non ille piis orandi habitus est. Salomon ditissimus 3. Reg. 8
potentissimúsque rex non erubescit coram omni multitudine Deum flexis precari genibus. Daniel ter quotidie ad Deum Daniel. 8
genua sua curuabat. Moses dum orat in faciem suam cecidit. Num. 28
Idem de Christo in Oliueti monte oráte scribit Lucas. Sed & Luc. 11
Ioannes vidit non solùm viginti quatuor seniores, verumetiam Apoc. 7
vniuersam Angelorum multitudinem in facies suas Isai. 26
procidentem ante tribunal Dei. Et cæli columnæ, & omnis Iob 60
creatura expauescit & contremiscit coram Deo. At Pharisęus iste vermis, imò cinis & terra, plenus peccatorum saccus, erecto collo in se confidens Deum alloquitur, quomodo hominem similem sibi, alicuius tantùm autoritatis non fuisset alloquutus. Quibus ergo verbis id agit? Gratias ago tibi quòd non sum sicut cæteri hominum. Quis hoc sanctæ orationis exordium expectasset? Se aliis præponit omnibus. An digna hæc homine pio, digna Deo, digna templo, ac conue- Prou. 18
niens scripturæ est oratio? Quid autem scriptura loquitur? Rom. 14
Iustus primum est accusator sui. Tu quis es, qui iudicas alie- Mala. 2
num seruum, Domino suo stat, aut cadit. An non pater vniuersorum Deus est? Raptores, inquit, iniusti, adulteri. Sed 1. Cor. 4
quis scit quid sit in homine, nisi Spiritus hominis, qui est in homine? Nemo ergo iudicet ante tempus, quousque veniat qui manifestabit abscondita cordium. Interea si præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, ij qui spirituales sunt, huiusmodi instruant in spiritu lenitatis, seipsos considerantes, ne & ipsi tententur. Sic Abraham cum pro Sodoma orare di- Gen. 18
sponeret, seipsum accusauit primùm. Sic Iacob prauitatem Gene. 30
suam pro beneficiorum Dei abundantia accusat. Quis ego, 2. Reg. 7
inquit Dauid, & quæ domus Patris mei eò me perduceret? Daniel. 3
Sic Danielis socij omnia iusto Dei tribuunt iudicio. Sic Da- Daniel. 9
niel ipse, Tibi, inquit, Domine iustitia. nobis autem debetur confusio. At hypocritæ trabem in oculis suis non vident, festucam proximi aspiciunt, semetipsos prodentes. cum vera iustitia compassionem habet, falsa autem indignationem. Sed nec in hoc quiescit huius tumidi Pharisæi oratio. Addit Gregor.
etiam, Ieiuno bis in Sabbatho, decimas do omnium quæ possideo. Quid ad hæc scriptura? Omnes nostræ iustitiæ

sicut

Isai.64 sicut pannus menstruatæ. Cum feceritis omnia quæ præcepi
Luc.17 vobis, dicite quia serui inutiles sumus, quia quod debuimus
facere, fecimus. Qui gloriatur, inquit Paulus, in Domino
glorietur. Non enim qui seipsum commendat, ille probatus
est, sed quem Deus commendat. Et, Quid habes quod non ac-
1.Cor.10 cepisti? Non glorietur sapiens in sapientia sua, nec fortis in
Iere.9 fortitudine sua, nec diues in diuitiis suis, sed in hoc glorietur
qui gloriatur, scire & nosse me, quia ego Dominus, qui facio
misericordiam & iudicium & iustitiam in terra. Et quid ma-
gis contrarium scripturæ hac Pharisæi oratione? Quid Deo
hominibúsque illa abominabilius? Meritò de hoc atque simi-
Iere.17 libus in Propheta Dominus loquitur, Maledictus qui confi-
dit in homine, & ponit carnem brachium suum, qui in opere
manuum suarum gloriatur, & osculatur manus suas, & rece-
Iob 31 dit à Domino cor eius. Quid ergo mirum talem Pharisæum
nihil omnibus iustitiis iuuari, nullâve eorum respectu à gra-
tia Dei excludi? Vis ergo scire cur Iudæi cum lege sua ac cæ-
remoniis repudiati sint? Hoc Pharisæi contuere exemplum.
In propriis operibus confidebant, sese aliis potiores iudica-
bant, Dei promissa non vt gratiam gratuitam, sed vt merce-
Osee19 dem demeritam postulabant. Proinde in Propheta Deus ad
Isai.43 Israëlem loquitur, Perditio, inquit, tua ex te ô Israël, tantum-
modo in me auxilium tuum. Non me inuocasti Iacob, nec la-
borasti in me Israël. Non te seruire feci in oblatione, nec la-
borem tibi præbui in thure. Verumtamen seruire me fecisti
in peccatis tuis, præbuisti mihi laborem in iniquitatibus
tuis. Ego sum, ego sum ipse, qui deleo iniquitates tuas propter
Isai.48 me. Et alibi, Ego Dominus honorem meum alteri non dabo.
Ezech.36 Et in Ezechiele, Non, inquit, propter vos ego faciam domus
Israël, sed propter nomen sanctum meum. Hoc nomen pol-
luerunt Iudæi, cum suis iustitiis promissa Dei postularent.
Ideóque reiecti à gratia quam agnoscere noluerunt. Resipi-
scant ergo ab errore suo quicunque vel suis meritis, vel alio
quouis modo à Deo aliquid postulant præter merita Christi
saluatoris nostri. Similes enim sunt domibus in arenam ex-
tructis, quæ inundatione superueniente alluuntur & cor-
Ierem.17 ruunt. Benedictus autem vir, qui confidit in Domino, & erit
Dominus fiducia eius. Et erit quasi lignum quod plantatur
super aquas, quod ad humorem mittit radices suas, & non ti-
mebit cum venerit æstus. Et erit folium eius viride, & in
tempo

tempore ſiccitatis non erit ſolicitum, nec aliquando deſinet facere fructum. Quod ſi cui obſcurum eſt quod dicitur in Prophetis, Paulum legat cuius hodie vox in Eccleſia audita eſt. Ille enim nullis operum meritis, ſed gratiæ Chriſti iuſtificationem & ſalutem aſcribit. Cum primum gratiam Chriſti extollit in genere erga omnes, deinde priuatim in ſe vnum. Notum, inquit, fratres vobis facio Euangelium quod annuntiaui vobis, quod accepiſtis, in quo & ſtatis, per quod & ſaluamini. Quibus ſanè verbis ſalutem omnium noſtrum paſſioni ac reſurrectioni Chriſti aſſignat. Quin ipſe propter peccata noſtra mortuus, & reſurrexit propter iuſtificationem noſtram. Deinde quoque addit, Et gratia Dei ſum quod ſum, & gratia eius in me vacua non fuit. Triplicem ergo gratiam prædicat. Primò cum ait, Gratia Dei id ſum quod ſum, hoc vult, quòd ipſe nos fecit, & non ipſi nos, qui & prædeſtinauit nos ab æterno, & vocauit nos, & illud quoque quod poſſidere videmur, donauit. Et hanc gratiam patres dixere, gratiam præuenientem, & operantem, & gratis datam. De harum qualibet dicere licebit, Gratia Dei id ſum, quod ſum. Deinde quod ait, Abundantius omnibus laboraui. Non ego autem, ſed gratia Dei mecum, de gratia concomitante, cooperante, & gratum facientе loquitur. Non autem dicit, Gratia Dei ſola ſine me, ſed gratia Dei mecum. Quòd autem tertiò addit, Et gratia eius in me vacua non fuit, de gratia ſubſequente, perficiente, & confirmante dixit, de qua alibi etiam, Gratia, inquit, Dei, vita æterna. Triplicem & hic Dei gratiam prædicat, cui omnia aſſcribit, principium, medium, & finem, tantùm in medio nos vult cooperari gratiæ diuinæ, Idque ideo, ne quis cum hoc Phariſæo ſibiipſi aliquid tribuat, ſed humiliter de nobis ſentiamus, quemadmodum hic Publicanus. Quem in hoc ipſo Paulus ſequitur, quòd ſe abortiuum fatetur, ac nouiſſimum omnium Apoſtolorum, indignum appellatione Apoſtolici nominis, quòd Eccleſiam ſit perſecutus, Vterque eam viam ſemet humiliandi ingreſſus, quæ certè ad faſtigium gratiæ Dei pertingit. Hoc edocti, quod Deus peccata pœnitentium non obſeruat, quòd apud Dominum miſericordia & propitiatio eſt, & quòd idem qui ſuperbis reſiſtit, etiam humilibus præſtet gratiam, quod apertè in Publicano oſtendit, qui prope eſt his qui tribulato ſunt corde, & humiles ſpiritu ſaluabit. Quemadmodum Dauid

1.Cor.15
Rom.4
Pſal.84
Rom.8
Rom.6

Psal.33 Dauid de seipso loquitur, Dixi, confitebor aduersum me in-
Psal.31 iustitiam meam Domino, & tu remisisti impietatem pecca-
Isai.59 ti mei. A longè autem stat, quem propria delicta à Deo diui-
Psal.118 serant. Nam longè à peccatoribus salus. Sed nec ad cælos o-
culos leuat. Non enim Christianis solùm, verumetiam à
Iob 16 gentibus creditur, cælum esse sedes & habitatio Dei. Vt Iob
Psal.102 in cælo esse testatur, qui cognoscat cor hominis. Et Dauid,
Psal.13 Dominus, inquit, in cælo sedes eius. Et, Dominus de cælo
Mat.6 perspexit super filios hominum. Et Christus orandum esse
Isai.66 docuit ad Patrem, qui est in cælis. Et ipse Dominus, Cælum
Mat.8 mihi sedes est, & terra scabellum pedum meorum. Hic cæ-
Ioan.11 lum & terram omnésque creaturas implet. Hinc est quòd o-
Psal.122 rantes exemplo Christi ad cælos oculos leuamus, nempe vbi
Thren.3 thesaurus noster est, ibi sit & cor nostrum. Sic Dauid oculos
suos ad eum, qui cælos inhabitat leuauit. Sic faciendum Ie-
remias Propheta hortatur, At Publicanus (pudoris ergô)
nolebat oculos suos leuare in cælum. Bonum commodúmque
Luc.7 profundæ humilitatis signum, quale & in Esdra videre li-
cet. Deus meus, inquit, confundor, & erubesco leuare
faciem meam ad te, quoniam iniquitates nostræ multipli-
catæ sunt super caput nostrum, & delicta nostra creuerunt
vsque ad cælum. Expressius hæc humilitas in peccatrice
illa cognoscitur, quæ indignam se ad contuendam Christi
faciem reputans, à tergo accessit ad pedes eius. Propterea &
huic gratiam præstitit Dominus. Remittuntur tibi peccata
Isai.57 tua. Vade in pace. Pectus ergo suum percutiebat Publicanus,
Mat.15 quia illud semper æstuat vt mare, & ex eo procedunt cogita-
tiones prauę. Suum autem non alienum percutiebat, qui pro-
pria delicta confitebatur, non in Deum aut hominem quem-
piam detorsit, vt solemus Adæ filij. Dixit ergo, Deus pro-
pitius esto mihi peccatori. Breuis quidem oratio, sed con
ferta mysteriis. Primùm enim Deum verum profitetur,
deinde peccatum suum confitetur. Postremò licet multis
obnoxius peccatis, tamen non desperat, sed pro miseri-
cordia, qua sola iustificari potuit, supplicat. Vnde etiam
de eo dicitur, quòd quia se humiliauerit, ab illo tumi-
do ac operibus grauido Pharisæo in domum suam iusti-
ficatus descenderit. Quod de Publicano pœnitente di-
ctum est, de quouis homine semet humiliante dici po-
test. Sed & quemadmodum in Pharisæo Iudæos de operibus
tumidos

tumidos intelleximus abiectos, ita in publicano gentes, peccatores quidem, sed humiles, & pœnitẽtes accipimus susceptos. Illic legis opera & superbia, hic peccata & humilitas narrantur. Non autem ideo vel Pharisæus vacuus abscessit, quòd legis opera haberet, vel publicanus iustificatus est, quòd peccator esset, sed quia illius iustitia per superbiam cõfundebatur, huius autem iniquitas per humilitatem emendabatur. Non ergo eorum interpretatio imitãda est, qui hinc occasione sumpta bona opera nihil prodesse, contrà verò mala opera nihil obesse ad iustificationem voluerunt intelligere: multóque minus ij audiendi sunt, qui mala prodesse, bona obesse affirmare ausi sunt. Tanta est nostri seculi hominũ peruersorũ audacia. Neque enim ideo hanc proposuit Christus parabolam, vt benefacere cessent homines, sed vt quę bene egerunt, per humilitatem custodiant, ideo proposita est. Apertè enim Lucas ad quosdam in se confidentes dictum esse scribit. Neque verò idem est bona opera facere, quod in eadem confidere. Bonum est & Deo acceptum, bene operari. Ipse enim Deus bona opera præcepit, prohibuit mala. Tum Paulus nos à Deo creatos affirmat in Christo Iesu, in operibus bonis, quę pręparauit Deus, vt in illis ambulemus. Et quod Christus semetipsum pro nobis dederit, vt nos redimeret ab omni iniquitate, & mundaret sibi populum acceptabilem, sectatorem bonorum operum. Adde quòd bonis operibus multa & magna promisit Deus, vt ad Abraham: Noli timere, ego protector tuus sum, & merces tua magna nimis. Et: Ambula coram me, & esto perfectus, námque fœdus meum inter me & te. Et ad Ieremiam: Quiescat vox tua à ploratu & oculi tui à lacrymis, quia est merces operi tuo. Et Christus in Euangelio: Quicunque potum dederit vni ex minimis istis calicem aquæ frigidæ tantum in nomine discipuli, amen dico vobis, non perdet mercedem suam. Et Paulus iterum: Gloria & pax & honos omni operanti bonum, Iudæo primum & Græco. Et iterum: Vnusquisque recipiet mercedem laboris sui. Et qui parcè seminat, parcè & metet: qui seminat in benedictionibus de benedictionibus & metet. Sic Ioannes eos qui in domino dormierunt, ipsorum opera sequi testatur. Tum etiam Christus dixit: Noli timere pusillus grex, placuit patri vestro vobis dare regnum. Et alibi ait: Pater volo vt vbi ego sum, illic sit & minister meus. Vnde quod suprà dictũ est colligitur, bona opera facerè, iustum saluare,

Exod. 10. *Ephe. 2.* *Gen. 15.* *Gene. 77.* *Ierem. 31.* *Mat. 10.* *Rom. 2.* *2. Cor. 9.* *Apo. 14.* *Luc 12.* *Ioan. 17.*

ac Deo acceptum esse. Nō ergo ideo Pharisæus reiicitur, quòd iustè vixerit, sed quòd hoc ipsi sibi vendicat, quòd mala euitauerit, quódque bona fecerit. Deus enim est qui operatur in nobis velle & perficere. Et sine ipso nihil possumus facere: & quēadmodum palmes non fert fructum, nisi in vite manserit, sic nec nos fructum ferimus, nisi in Christo manserimus. Optimè ergo suæ saluti prospexit Publicanus, qui suam inopiam confitetur, ac diuitias bonitatis Christi prædicat. Hinc ergo non vsque adeò difficile esset, que est in iustificationis articulo, controuersiam tollere. Equidem sentio, peccatori pœnitenti, sine Mosaicæ legis operibus, non tamen omnino sine bonis operibus iustificationem tribui: hoc est, resipiscentem gratuita Dei misericordia, non tamen sine omni opere iustificari. Id quod hoc Euangelio probatur. In eo enim Deus ad ignoscendum paratus proponitur. Sed cui ignoscit? Non cuiuis, verùm petenti & quereti qualis erat publicanus. Et hoc ipso quidem conuenit nobis cum Iudæis atque hæreticis. Quòd si queras, quid hominem ad iustificationem iuuet, hic lis oritur. Iudæi enim suis operibus eam, sed falso tribuerunt, quòd circuncisi sacrificarent. Sed nullum legis opus in hoc publicano videmus, qui tamen eo nihilo minus iustificatus est. Quòd si non opera ex Mose præscripta, ideo gratia à Christo data eam donat, ecce hoc modo controuersia inter nos atque Iudæos tollitur. Huc pertinet quòd multis in locis Paulus vrget, Rom. 2. & 4. Gal. 2. & 3. non iustificari ex operibus legis, sed per fidem. Alia tamen adhuc mouetur questio, An solus Christus sine nobis id efficiat. Huc quæstioni ipso facto publicanus respondit. Quòd si is sine vllo opere iustificatus est, verum est dogma illud: Sola fide iustificari hominem. Sed Euangelium non otiosum eum proponit: humiliauit se, confitetur peccatum suum, percutit pectus suum, exoptat gratiam. Et de tali quidē Christus loquitur, quòd descenderit in domum suam. Et cur id? An quia solum credidit? Non, sed quia qui se humiliat, exaltabitur. Ecce quomodo non nudæ fidei iustificatio tribuitur. Rectè ergo hactenus de iustificationis articulo suos docuit Ecclesia. Rectè etiam Paulus totáque scriptura hanc Ecclesiæ doctrinam confirmat. Atque hoc modo interpretata parabola, alios quosdā locos ipsa interpretatur, vt qui est in Matthæo; Multi veniēt ab oriente & occidente, & recumbent cum Abraham, Isaac & Iacob in regno cælorum. Et: Regnum Dei auferatur à

Phil. 2. Ioan. 17. Ioan. 15. Matt. 8.

vobis, & dabitur genti facienti fructum eius. Et in Ioanne: Ego in iudicium veni in hunc mundum, vt qui non vident videant:& qui vident cæci fiant. Rursus in Matthæo, vbi nouissimi:qui vna hora laborauerant, æqualem mercedem acceperunt cum iis qui sustinuerunt pōdus diei & æstus. Et Sic erunt nouissimi primi,& primi nouissimi. Omnes hi loci, aliíque his similes hac parabola interpretātur. Quòd nec prosint opera bona ad iustificationem, quæ corrumpit superbia: nec obsit anteacta vita, quam corrigit & dirigit humilitas & confessio. Qui enim delinquit in vno, factus est omnium reus, & cor contritum & humiliatum Deus non despiciet. Nos ergo qui hæc audiuimus, cur nobis hæc in Ecclesia recitentur intelligamus, quod bonum est in vtroque imitemur, quod iniquum vitemus: vtrobique enim bonum & malum videmus. Bonum in Pharisæo initium, malus exitus sequitur: malum Publicani principium lætus rerum comitatur exitus. Cum vtroque templum ascendamus, hoc est, Deum queramus, quæsitum apprehendamus, apprehēsum teneamus. In hoc enim creati, redempti, ac Euangelij prędicatione vocati sumus. Deinde de nobis ipsis altum sapere, superbire, ac efferri, tum etiam alios iudicare, caueamus: quorum illud mercede æterna priuat, hoc verò iudicio Dei mancipat. Denique quid à Deo sperandum sit discamus. Bonus enim dominus sperantibus in eum, & animæ quærenti ipsum (vt Ieremias ait) beneplacitum est illi super timentes eum, & in eis qui sperant super misericordia eius. Tum cogitemus quemadmodum exhibuimus membra nostra seruire immunditiæ & iniquitati ad iniquitatem, ita nūc exhibeamus illa seruire iustitiæ in sanctificationem. Voluntariè enim peccantibus nobis post acceptam notitiam veritatis, iam non relinquitur pro peccatis hostia, terribilis autem quædam expectatio iudicij & ignis æmulatio, quę consumptura est aduersarios. Postremò omnium à iudiciis Dei, quæ sunt abyssus multa timeamus. Nam quemadmodum superiore dominica tria super ingratos Iudæos iudicia intelleximus, temporaneum, spirituale, & æternum, & ita & hic tria super omnes homines intelligimus. Illic primum iudicium est, quòd Christus ait: Inimici tui circundabunt te vallo, & coangustabunt te vndique, & non relinquent lapidem super lapidem. Secundum Paulus addit: Dedit illis spiritum compunctionis, oculos vt non videant, aures vt non audiant. Tertium Isaias

Matt. 21. Ioan. 9. Mat. 20. Matt. 8. Luc 6. Rom. 6. Heb. 10. Luc 19. Isa. 66.

prædixit. Ecce, inquit, Dominus in igne veniet, quasi turbo quadriga eius, reddere in indignatione furorem suum, & increpationem suam in flamma ignis. Hic verò primum iudicium super hypocritas & Pharisæos est, quod vniuersum hominum genus in duo diuidit, quemadmodum etiam in
Matt.24 Matthæo, vbi ait: Tunc erunt duo in agro, vnus assumetur, & vnus relinquetur, duæ molentes in mola, vna assumetur, & vna relinquetur: duo in lecto, vnus assumetur, & vnus relinquetur. Eiusmodi profectò hoc est iudicium, quod meritò timetur ab omnibus. Non enim sine causa toties Scriptura eius meminit. Duos Adam habebat filios,
Gen.4. alter iustus, alter iniustus. Et in tribus Noë filiis Cham ma-
Gen.10. ledictus est. In filiis Abraham & Isaac, Ismaël & Esau peruer-
Gen.21. si. In Dauid filiis maior pars peruersa. In duodecim tribus Is-
25. raël, duo tantum in vera religione ac templo persistere. Et Do
3.Reg.12. minus in Euangelio multos vocatos, paucos verò esse electos
Matt.20 testatur. Secundum iudicium Dei est, quod Pharisæum, quem nemo reprehendere potuisset, quíque admodum se in bonis operibus exercuerat, hic tamen à facie Dei reiicitur. Id quod
1.Pet.4. vehementer timendum est. Si enim iustus vix saluabitur, iniu-
Psal.118. stus vbi manebit? Propterea Dauid à iudiciis Dei se timuisse perhibet. Tertium denique iudicium Dei est, quod Christus ait: Qui se exaltat, humiliabitur. Non dixit, qui sublimem locum ex officio tenet (ne & hoc damnationi obnoxium quis arbitretur) sed qui se exaltat humiliabitur. Sic ergo hæc parabola duorum in templo orantium sedulò ante oculos nostros, & cum Pharisæo quidem iustitiæ studeamus, sed cum Publicano humiliter de nobis sentiamus, nosmet accusemus, Dei gratiam & dona prædicemus. Sic fiet, vt qui superbum reiecit Pharisæum, humiles exaltet in cælum, vbi perpetuum ex Trinitatis splendore gaudium est, Amen.

DOMINICA DECIMATERTIA POST PENTECOSTEN EVANGELIVM, MARC. VII.

ET iterum exiens de finibus Tyri, venit per Sidonem ad mare Galilææ inter medios fines Decapoleos. Et adducunt ei ſurdum, & mutum. Et deprecabantur eum, vt imponat illi manum. Et apprehendens eum de turba ſeorſum, miſit digitos ſuos in auriculas eius, & expuens tetigit linguam eius, & ſuſpiciens in cælum ingemuit, & ait illi: Epheta, quod eſt, adaperire. Et ſtatim apertæ ſunt aures eius, & ſolutum eſt vinculum linguæ eius, & loquebatur rectè. Et præcepit illis ne cui dicerent. Quanto autem eis præcipiebat, tanto magis plus prædicabant, & eo amplius admirabantur, dicentes: Bene omnia fecit, & ſurdos fecit audire, & mutos loqui.

EADEM DOMINICA EPISTOLA, II. COR. III.

FIduciam autem talem habemus per Chriſtum ad Deum, non quòd ſufficientes ſimus cogitare aliquid à nobis, quaſi ex nobis, ſed ſufficientia noſtra ex deo eſt, qui & idoneos nos fecit miniſtros noui teſtamenti, non litera ſed ſpiritu. Litera enim occidit, ſpiritus autem viuificat. Quod ſi miniſtratio mortis literis deformata in lapidibus, fuit in gloria: ita vt non poſſent intendere filij Iſraël in faciem Moyſi, propter gloriam vultus eius quæ euacuatur, quomodo non magis miniſtratio ſpiritus erit in gloria? Nam ſi miniſtratio damnationis in gloria eſt, multo magis abundat miniſterium iuſtitiæ in gloria.

SERMO.



Vanquam hæc Euangelica lectio, nudam historiam eámque intellectu facilem obiter intuentibus habere videatur: tamen eò reiicienda non est, aut contemnenda. Est enim is sacrarum scripturarum mos, vt sub planis verbis, magna sæpè absconditа gerat mysteria. Quo nomine permultum à seculi monumētis differt, quæ plerunque sub ingenti verborum apparatu de vilibus momentaneisque rebus testantur. Vnde Pau-
Rom.15. lus Romanis scribens, Quæcunque (inquit) scripta sunt, ad no-
2. Tim.2. stram doctrinam scripta sunt, vt per patientiam & consolationem scripturarū spem habeamus. Et: Omnis scriptura diuinitus inspirata vtilis est ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in iustitia, vt perfectus sit homo Dei ad omne opus bonum instructus. Hæc autem lectio nō solùm in numero sacræ scripturæ, verumetiam ab Euangelista Marco scripta, inter Euangelia computata est. Proptereà quod ad literam attinet, historia est, qua describitur miraculum Christi verbo vno surdum ac mutum sanantis: quod ad mysticum sensum, naturam habet Euangelij, hoc est, læti nuncij, cum duas in Christo conditiones, potentiam ac voluntatem declarat, vt quòd nos etiam velit sanare corporaliter ac spiritualiter: ac quod velit, possit ipse facere. Iniuria autem non solùm Euangelium, verumetiam Christus afficitur, si ex obiter intellecto verbo corporum tantum medicus ille creditur. Minus est enim hoc sentire, quàm par est de Dei filio credere. Corporales enim morbi vt sæpe aut tolluntur aut mitigantur, ita dū morte finiuntur, sempiterni non sunt. At animarum languores cùm nullo medicinæ emplastro sanantur, tùm nec morte finiuntur, ipsam animam vsque in infimum barathrū sequentes. Cælestis ergo nobis ad hos lāguores tollendos necessarius erat medicus, qui est Christus. Hic ergo corporibus medetur, vt per hoc sanatas animas ostendat. Vnde ipse ait. Oportet me
Ioan.9. opera Dei operari dum dies est. Quandiu sum in mundo, lux
Ioan.16. sum mundi. Et: Ego veni vt vitam habeant, & abundantius ha-
Ioan.6. beant. Et: Hæc est voluntas patris mei, qui misit me, vt omnis
Act. 4. qui videt filium & credit in eum, habeat vitam æternam. Non est enim vllum prætеrea nomē sub cælo datum, in quo oporteat nos saluari. Neq; enim ab vllo est redēptio à peccato, à ma-
Ioan.17. ledictione, morte atq; inferno, nisi ab eo solo, cui Deus dedit

pote

potestatem vniuersæ carnis. Hoc Apostoli in Christo cognouerunt. Propterea dicunt: Quo ibimus? Verba vitæ æternæ *Ioan.6* habes. Et Paulus: Mihi viuere Christus est & mori lucrum. *Philip.1* Et Dauid: Non recedimus à te Domine, viuificabis nos & no- *Psal.76.* men tuum inuocabimus. Quòd si igitur nos ea in Christo videre possumus, quæ viderunt Apostoli, Paulus, & Dauid, non vsque adeo externo verbo inhærebimus, ad spiritualem sensum transcendemus, & quod corporaliter in hoc muto ac surdo factum est, spiritualiter in nobis fieri intelligemus. Tum fides accendetur, & ad agnoscẽdos quisque morbos suos, & ad quęrendũ medicũ animarũ nostrarũ mouebimur. Hæc enim omnia requiruntur in miraculis Christi, non autem solum vt admiremur potentiam diuinam. Increduli sint admiratione contenti: nobis maiora manent. Quid enim si Christus hæc fecit? An non Dauid eiusmodi facta de ipso prædixit, cùm ait: Tu es qui facis mirabilia magna solus? Et: Omnia quæcunque voluit fecit, in cælo, in terra, in mari, & in omnibus abyssis? Non ergo si hunc ille sanat, miremur. Illud potius mirandum esset, si cum ipse & pater vnum sunt, *Ioan.10* ipse in patre, & pater in ipso est, non posset aut nolit sanare. Tum illud admiratione dignum, quod Christi ad opem ferendam paratissimi auxilium, tã pigrè ac pauci expetimus, cum omnes illo indigeamus. An non est paratissimus Christus, an non promptus sanauit? Principiò enim promptam ipsius voluntatem locus vbi hunc sanauit indicat. Tyrus & Sydon gentiles erant ciuitates. Et quid Euangelista loci huius assignatione voluit? Nempe quia & gentibus saluator venerit, & non solùm Iudæis. Sic etiam paulo ante Syrophęnissæ opem tulit. Propriè quidem Iudæis Saluator promissus erat & venerat. Sed noluit diuina bonitas tanto bono gentes priuari, vt impleretur quòd in Isaia scriptum est. Parũ est vt *Isaia. 49* sis mihi seruus ad suscitãdas tribus Iacob, & fęces Israël conuertendas: Ecce dedi te in lucẽ gentiũ, vt sis salus mea vsq; ad extremum terræ. Et hoc primũ argumentũ prõptæ voluntatis in Christo, quòd missus ad oues quæ perierunt domus Israël, etiam gentium infirmitati subuenit. Vnde cum Paulo confidenter dicere possumus: An Iudæorũ tantũ est Deus, an non etiã gentium? abolitũ enim est vetus illud dictum, quo *Psal.75* tantũ in Iudæa notus perhibetur dominus. Omnis enim qui *Ioel.7.* inuocauerit nomen domini, saluus erit: & omnis etiam qui *Isai. 20*

credit in illum non confundetur. Deinde per hoc etiam prompta voluntas Christi significatur, quòd homo ille quem sanauit, mutus & surdus describitur. Quod si iustum, bonísque operibus onustum saluasset, iam multa adhuc nos teneret cunctatio, an & nos velit sanare, qui peccatores & iustitia vacui: cum scriptum sit, quòd Deus peccatores nõ exaudiat, sed odio
Eccl. 12 habeat: esséq; proximum cum Cain dicere: Maius est pecca-
Gen. 4 tum meum, quàm vt veniam merear. Hanc pusillanimitatem eximit, quod mutum ac surdum sanauit, hoc est, eum qui nec legem Dei audire, nec diuinam maiestatem laudare potuit. Sed ad petitionem aliorum sanauit eum, vt sciamus infantes nostros, aliósq; impotẽtes non à Deo repelli, sed Ecclesiæ supplicatione saluari. Sic nec longa oratione tandem exorabilis fit, sed mox paratus sanat, & manus tantum imponi postulatur, totus sanatus redditur. Sic diuina dona desideria humana excedunt, secundum diuitias bonitatis Dei. Quicunque igitur, siue Græcus, siue Iudæus, Deum orare potest, idem quod petit accipere potest. Non enim apud Deum distinctio est per
Gal. 7 sonarum. Quæ omnia paratam Christi voluntatem perspicuè demonstrant, quod petentibus semper prõptus & paratus adsit medicus redemptor, saluator. Pari autem ratione omnipotens ipsius virtus declaratur, quod tàm citò ac facilè sine medicamento, perfectè omnibus videntibus sanauit. Quæ ergo causa, quòd tam paucos sanauit? Facilis & prompta responsio. Quia plures non petierunt. Ecce enim tres in hoc Euangelio ciuitates nominatim exprimuntur, in quibus Christus sese manifestum exhibuit: Tyrus, altera Sidon, & fines de-
Matt. 15 capoleos. Et hæ quidem ita describuntur, vt facilè appareat quàm inæquali modo sit susceptus. Exiens de finibus Tyri, venit per Sidonem, sed inter medios fines decapoleos, tandem suæ opis egentes comperit. Quod autem hic egit, idem aliáq; similia in Tyro ac Sidone potuisset facere, si eam fidem, pietatémque ibi comperisset. Quanquam autem paulo antè in Tyri finibus Syrophenissã adiutasset, tamen nulla illud quan tumuis egregium facinus, secuta est gratiarum actio, aut fides. Cum ergo trium hominum genera sint in mundo, imò in nobis etiam Christianis quælibet ciuitas seu regio vnum genus significat, eóque hos locos vt speculum quoddam ab Euangelista propositum intueri libet. Primum ergo hominum genus tam peruersum est, vt Christus omnino ab

nô ab eis recedere cogatur. Quemadmodum de Iudæis ipse ait: Auferetur à vobis regnum Dei, & dabitur genti facienti fructum eius. Et iterum, Ierusalem, Ierusalem, quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alis, & noluisti: Ecce relinquetur vobis domus vestra deserta. Nec videbitis me donec dicatis: Benedictus qui venit in nomine Domini. Et in Ioanne: Ego vado, & quæretis me, & in peccato vestro moriemini. Ab his ergo exit Dominus, quod serui peccati, iustitiæ ac Christi non sint capaces. Alij deinde in omnem horam sunt mutabiles, vt licet suscipiant Christum, diu tamen secum eum esse non patiantur, vt Sidon. Et de his dicitur, quòd ad tempus credunt, & in tempore tentationis recedunt. Vix ergo tertia pars hominum restat, in quibus gratiæ suæ dona Christus operari posit, quantumuis vbique paratus ac promptus in auxilium piorum sit. Circuit idem saluator etiamnum in finibus Tyri ac Sidonis, hoc est, inter gentes, & nemo est in vniuersa humana massa qui non aliquam patiatur febrem: atque vtinam vel pauci suum morbum agnoscerent & Iesum precarentur. Quod enim omnes id facere velint, ne quidem sperare ausim. Ipse saluator videt in nobis morbum, nos ipsi nec videmus, nec intelligimus. Clamat ille: Si quis sitis, veniat ad me & bibat. Et iterum: Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos, & in me inuenietis requiem animabus vestris. Iam toties in infirmitates relabimur, quoties peccamus: Quemadmodum enim mors, ita etiam morbi corporum pariter atque animarum stipendium sunt peccati. Homo (inquit Dauid) vanitati similis factus est, dies eius sicut vmbra prætereunt. Et iterum: Homo (inquit) cum in honore esset non intellexit, comparatus est iumentis insipientibus, & similis factus est illis. Ex peccato est, quod homo natus de muliere, breui viuens tempore, repletur multis miseriis: qui quasi flos egreditur & conteritur, & fugit velut vmbra, & nunquam in eodem statu permanet. Proinde in Ecclesiastico scriptum est: Fili, peccasti, non adiicias iterum, sed de pristinis deprecare, vt tibi dimittantur. Quasi à facie colubri fuge peccata, & si accesseris ad illa, suscipient te. Dentes leonis dentes eius, interficientes animas hominum. Quasi

[Margin notes: Ioan. 8. — Luca 8. — Ioan. 7 — Matt. 11 — Psal. 143. — Psal. 48 — Iob 14 — Eccl. 21]

romphæa bis acuta omnis iniquitas, plagæ illius non est sanitas. Et hæc quidem humanæ miseriæ, quæ sunt ex peccato, satis ostendunt. Apertius autem eadem in hoc infirmo considerantur. Mutus erat & surdus. In sensibus exterioribus hi duo maximè necessarij, sermo & auditus, non solùm propter conuersationem hominum, verumetiam ac multo magis propter salutem. Duo enim ad salutem requi-
Rom. 10 runtur, fides mentis & confessio oris. Vt Paulus: Corde, inquit, creditur ad iustitiam, ore autem fit confessio ad salutem. Hic ergo nec Christi verbum audire potuit, quia surdus, nec confiteri ad salutem, quia mutus. Miserrima profectò illius conditio, tot bonis priuari. Sed an fortè non etiam inter nos sunt, qui sua sponte, propriáque malitia aures obturant, ne verbum veritatis percipiant, & obturatas seruant? Certè de quibusdam in Propheta Dominus loqui-
Zach. 7 tur: Noluerunt attendere, & auerterunt scapulam recedentes, & aures suas aggrauerunt ne audirent; & cor suum posuerunt vt adamantem, ne audirent legem, & verba quæ misit Dominus exercituum suo in spiritu sancto, in manu pro-
Psal. 57 phetarum priorum. Et Dauid: Furor illis secundum similitudinem serpentis, sicut aspidis surdæ & obturantis aures suas. Sic & inuenies non paucos, qui planè ad annunciandum eloquia Domini, perditè autem diserti ad sermo-
Psal. 18 nem nequitiæ. Et qua ratione sese excusabunt mutus &
Isai. 6 surdus? Quid prætendet surdus, quod verbum Dei cuius sonus ac virtus in omnem terram exiuit, non audiuit? Quid mutus qui nunquam ad laudem diuini nominis os suum aperuit, cum gloria nominis illius cælum ac terram impleuerit, ita planè vt iam non Seraphin tantùm, verumetiam omnis creatura clament: Sanctus, Sanctus, Sanctus
Apoc. 8 Dominus Deus Sabaoth? Nulla profectò his superest excusatio. Nunquid enim non audierunt, inquit Paulus. Aut quomodo non audiuissent, quod orbis terrarum angulos omnes penetrauit? Sed desperandum non est, quandiu Iesus, qui saluare vult ac potest, inter medios fines decapoleos, hoc est,
Isa. 59 inter nos gentes ambulat. Non enim abbreuiata est manus Domini. Licet enim peccata nostra diuiserint nos à Deo, licet surdi ac muti sint multi, est tamen Ecclesia quæ orat ac ducit, tantum si Ecclesiæ incorporarentur eiusmodi homines, nec ducenti reluctarentur, multóq; magis cum ea precarentur

tur,vt auferat Dominus cor lapideum ipsorum, détque cor molle ac carneum,quemadmodum ipsis necessarium est, & Dominus facturum se esse promisit. Adhuc dico: Paratus est Dominus in auxilium nostrum, proiecit post tergum suum omnia peccata nostra, portat ipse etiamnum omnes infirmitates nostras. Omnia illa quæ semel corporaliter in hoc homine fecit, quotidie spiritualiter nobiscum facit,tantum nō oculos quoq; cæcos haberemus. Primò enim apprehendit eum. Apprehēdit aūt Dominus quēlibet hominē in creatione, tū etiā in cōseruatione. Vt Dauid, Manus,inquit,tuæ,(Domine) fecerunt me & blasphemauerunt me. Et alibi: non collidetur,quia Dominus supponit manum suam. Et de Petro legimus, quod apprehensum manu Dominus conseruauerit ne mergeretur. Manus Domini virtus intelligitur Dei. Tūc ergo & nos manu apprehendit,cū nostri curam gerit,tuetur, ac defendit nos. Deinde opem laturus Dominus seorsum ducit de turba: nēpe à via lata,quam multi ambulant, & iungit pusillo gregi,vbi timor vertitur. In multitudinis enim praua cōuersatione nec audire licet Dei eloquia, nec loqui rectè. Sic Petrus in aula Caiphæ peccauit,sed exiens ab illa, cœpit flere commissum: Et quid est ꝙ Paulo monente nō commisceamur malis,& Isaia clamāte de medio pollutorū eximus, nisi quod hodie etiam nos Christus seorsum de turba ducit? Verè enim Salomō dixit,eum qui tetigerit picem, inquinari ab ea, Verè etiam Paulus, corrumpere bonos mores colloquia praua scripsit. Tertiò digitos suos misit in auriculas eius, vt ostenderet diuinitatem operari per humanitatem assumptam quasi per instrumentum: & quod nihil non saluificum in Christo & quod multis modis possit saluare,non tantùm verbo, imò quod etiamnum nemo perfectè audire possit, nisi digito Dei internè operante. Digitus autem Dei, Spiritus sanctus est, quem Magi in Aegypto confitentur, in quo & Christus dæmonia se eiicere affirmauit. Inanis ergo est omnis prædicatio Euangelij, nisi Dei digitus aures nostras aperuerit, nisi spiritus sanctus corda præparauerit ac reserauerit. Hinc est quod prophetæ conqueruntur, populum non audire verbum Domini. Ieremias clamat: Terra, terra, terra, audi sermonem Domini. ac si diceret, homines obturatas aures habent, non audiunt. Sic per eundem Dominus testatur se victimas & holocausta non propter se, sed pro-

Exech. 36
Psal. 118.
Psal. 36
Matt. 14
Matt. 7
Luce 12
Matt. 26
1. Cor. 5.
Isa. 15.
Exod. 8
Luc. 11
Iere. 22
Iere. 7.

pter auditum verbi à populo illo exegiſſe,ac mox addit: Audi-
te vocem meam,& ero vobis Deus. Et non audierunt, nec in-
clinauerunt aurem ſuã,ſed abierunt in voluptatibus,& in pra-
uitate cordis ſui mali. Idem in Dauid conqueritur Dominus.
Pſal. 80 Prædicabant Prophetæ Domini ad populum, annunciabant
Iſa. 26 voluntatem Dei, ſed nihil præterea poterant, quàm voce hu-
Prou. 1 mana aurem ferire humanam, quemadmodum qui ſeminat
1. Cor. 3 & qui rigat incrementum dare non poſſunt. Quod reliquum
1. Ioan. 2 erat,huic digito Dei permittere neceſſe erat. Vtinam ergo &
Iſa. 50 nos vnctio illa doceret,cuius Ioannes meminit. Vtinã & cum
Iſaia pro ſe quiſque diceret: Dominus Deus aperuit mihi au-
rem, ego autem non contradico, retrorſum non abij: Non vt
ſine Euangelio verbi Dei tantum interna inſpiratione nos do-
cebat, ſed vt Dei verbum quod corporeis hiſce auribus perci-
pimus, mente intelligamus ac conſeruemus. Hoc modo illud
etiam hodie in nobis fieri intelligimus, quòd in terram ex-
puit. Spiritu enim Dei ſapientiam interpretamur, ſine qua ne-
Pſal. 50 mo rectè loqui poteſt. Propterea Dauid Dominum precatur di
Epheſ. 6 cens: Domine labia mea aperies,& os meum annunciabit lau-
dem tuam. Et Paulus Epheſinæ Eccleſiæ orationem pro ſe pe-
tit,quò ipſi ſermo detur, in apertione oris ſui,cum fiducia no-
tum facere myſterium Euangelij. Ecce quod ea quæ ſemel in
hoc muto ac ſurdo corporaliter fecit, quotidie inter nos fa-
ciat. Multi inter nos muti ſunt atque ſurdi. Chriſtus nunc il-
lum,nunc hunc ſeorſim de turba ſeligit, audientes & rectè lo-
quentes facit. Atque ad hanc rem diuerſis vtitur medicamen-
tis,nunc leuioribus,nunc acerbioribus. Iam multis tempori-
bus clamauit in aures noſtras, Epheta, quod eſt, adaperire, pœ-
nitentiam agite,& credite Euangelio. Sed contemnimus cla-
mantem. Admouet ergo acerbiora, bellum, famem peſtilen-
tiam, ſi quomodo promoueat. Non quia clamare ceſſet, ſed
quòd hæc clamori addat. Quam ob rem perappoſitè Euangelio
huic Pauli lectio ſubditur, in qua egregiè Chriſti ac Euange-
lij maieſtatem, tum etiam Apoſtolatus dignitatem extollit, vt
nemo non videat quàm ſit deteſtandum, cum tot tantique ſint
Apoſtolici prædicatores, ſurdos tamen manere nos ac mutos.
2. Cor. 3. Fiduciam, inquit, talem habemus per Chriſtũ ad Deum, non
quòd ſufficientes ſimus aliquid cogitare à nobis, quaſi ex no-
bis, ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt, qui & idoneos nos fecit
miniſtros noui Teſtamenti, non litera, ſed ſpiritu. Quibus ac
ſequent

sequentibus verbis magnam Apostolus differentiam statuit Moysi & Christi: Legis ac Euangelij: Leuitici ordinis ac Apostolatus. Moses quidem splendorem habebat gloriæ, sed tantum in facie, & eiuscemodi splendorem, qui velamine posset tegi. At Christus totus pellucidus est, facies eius sicut fulgur, vestimenta eius sicut nix alba. Nec solum Mosen ac Heliam secum habuit, verùm etiam Spiritumsanctū & patrem, quòd ipse esset filius ille Dei testificantes. Vidimus (inquit Ioannes) gloriam eius, gloriam quasi vnigeniti à patre. Adde quòd ipse etiam sedet ad dextram maiestatis in excelsis: tanto melior angelis effectus, quanto differentius nomen præ illis hæreditauit. Deinde nulla ferè comparatio legis cum Euangelio. Illa enim nudam literam mortificantē, damnantem, & pereuntem habebat. Peccatum, inquit Paulus, nō cognoui, nisi per legem. Nam concupiscentiam nesciebam, nisi lex diceret: Non concupisces. Occasione autē accepta, peccatum per mandatum operatum est in me omnem concupiscentiam. Sine lege enim peccatum mortuum erat. Ego autem viuebā sine lege aliquando. Sed cum venisset mandatū, peccatum reuixit. Ego autem mortuus sum, & inuentum est mihi mandatum, quod erat ad vitam, hoc esse ad mortem. Euangeliū verò spiritus est viuificans, saluans, ac in æternum iustificans. Virtus enim Dei, vt idem Paulus testatur, in salutē omni credenti, Iudæo primùm & Græco. Sic multis nominibus ministeriū Leuitarum differt ab Apostolatu. Illi enim legem terroris ac acerbitatis plenam prædicabant, hi verò Euangelium, hoc est, remissionem peccatorum, iustitiam & salutē annuntiant. Illi temporanea & caduca promittebant, hi sempiterna, cælestia, & certa. Et hoc est quòd Apostolus illorum officium ministrationem mortis & damnationis dicit: horum verò ministrationem spiritus & ministerium vitæ. Et quid sibi hæc volunt? Hoc Paulus vult: Si Mose maior est Christus, quæ erit incredulitatis nostræ excusatio, cum & ij, qui sub Mose non credebant iræ Dei subiicerentur? Si Euangelium multo est præstantius lege, cur non audimus? quid obsurdescimus? Si Apostoli nostri iucundiora multo, ac certa, cælestia, sempiterna, promittunt, quur obmutescimus, cur non ora in laudem Dei soluimus? Quod ergo isti faciunt, qui surdum ac mutum hominem ad Iesum ducunt, hoc Euangelium & Apostoli etiamnum præstant, qui quasi digito in Christum monstrāt, ipsum esse pontificem qui

possit

Exod. 36
Mat. 27
Ioan. 1
Rom. 7
Ioan. 6
Rom. 1

posſit condolere infirmitati noſtræ, ac ſaluare. Et quod tunc Chriſtus ſurdo ac muto præſtitit, idem hodie, cum ex peccatoribus iuſtos, ex obduratis pios, ex perſequutoribus Apoſtolos, ex iræ filiis, Dei progeniē dextera excelſa conſtituit. Sic etiam non eſt deſperandum, quum inter nos quoque ſint, qui à Chriſto ſaluatore ſanati, ſoluto linguæ vinculo, rectè loquantur, quod piè docente Chriſto audiuerūt. Quid autem ſupereſt, niſi vt cum hac turba Dei agnoſcentes beneficia in gratiarum actionem ora noſtra reſoluamus: Benè omnia fecit, mutos loqui & ſurdos fecit audire. Facile autem eſt hoc dicere, ſed ita verè & ex animo ſentire non ita facile. Alij quidem cum pro voluntate & arbitrio ſuo viuunt, nullis malis afficiuntur, id Deo tribuunt, quòd omnia benè fecerit. Alij etiam licet inimica fortuna viuant, ſimile quid dicunt: Rectè ac iuſtè Deus
Pſal. 118 omnia fecit, vt Dauid ait: Iuſtus es Domine & rectū iudicium
Geneſ. 42 tuum. Et fratres Ioſeph: Meritò hæc patimur, qui peccauimus in fratrem noſtrum Chriſtum: Et Daniel: Omnia quæcunque feciſti nobis Domine, in vero iudicio feciſti, quia peccauimus tibi. Sed minus ſufficiens ſermo eſt, Rectè omnia fecit, & aliqua benè fecit. Is autem perfectorum ſermo eſt, omnia benè fecit ſiue pij afficiuntur malis, ſiue impij bonis, quòd Deus omnia ad gloriam ſuam, ac noſtram vtilitatem faciat. perfectorum dico: non enim omnes hoc verbum capiunt. Nam & pij
Iob 10 multi hoc ſentire ſudauerunt, & vix potuerunt. Iob ſanctus & patiens longa vſus eſt querela, cur ſibi tot mala à Deo immitterentur, qui ab ineunte ætate ſemper virtuti ſtuduerint, nullius peccati ſibi conſcius. Sic Dauid, Ieremias, & Abacuc, quòd
Pſal. 72 Deus omnia benè fecerit vix dicere potuerūt. Penè (inquit Dauid) moti ſunt pedes mei, penè effuſi ſunt greſſus mei. Quia zelaui ſuper iniquos pacem peccatorum videns. In labore hominum non ſunt, & cum hominibus non flagellabuntur. Ideo
Iere. 18 tenuit eos ſuperbia. Ieremias vehementius cōqueritur. Iuſtus quidem es Domine, ſi diſputem tecum, verūetiam iuſta loquar ad te. Quare via impiorū proſperatur? Benè eſt omnibus qui
Abac. 1 preuaricantur & iniquè agunt. Vehementiſsimè Abacuc: Vſquequo Domine clamabo ad te, inquit, & non exaudies? Vociferabor ad te vim patiens, & non ſaluabis? Quare oſtendiſti mihi iniquitatem, & laborem, videre prædam & iniuſtitiam contra me? Quare reſpicis contemptores & taces? Impius
Mat. 16 præualet aduerſus iuſtum, &c. Petrus quoque hoc dicere non

potuit

potuit, cum Christum morti tradendum cerneret, sed ait: Absit hoc à te Domine. Ecce quomodo perfectorum tantum vox sit tam in aduersis, quàm prosperis dicere: Deus omnia benè fecit, ideóque egregium istud pietatis exemplum est, quod non solum hic surdus & mutus in hanc gratiarũ formam erupit, qui sanatus beneficiũ Christi in sese sensit, verum etiam quod omnis turba illa quæ vidit hæc, admirata est ac prædicauit, nullo licet beneficio affecta esset. Qua quidem ratione in Ecclesia hęc hodie legitur historia, vt & nos per eam spem habeamus, fore vt quemadmodum potentiam suam & voluntatem Christus in hoc homine declarauit, ita etiam nobis opem ferre, ac sublatis corporum morbis, animis nostris sensus suos integros velit restituere, quò ipsi deinceps loquenti obaudiamus rectius, & laudem eius pleno ore apud omnes prædicemus apertius, Amen.

DOMINICA DECIMA QVARTA POST PENTECOSTEN

EVANGELIVM, LVCAE X.

ET conuersus ad discipulos suos dixit: Beati oculi qui vident quæ vos videtis. Dico enim vobis, quòd multi Prophetæ & Reges voluerunt videre quæ vos videtis, & non viderunt: & audire quæ vos auditis, & non audierunt, &c.

Hoc Euãgeliũ Lector apud Euangelistam quærat: hic enim ob causum quendam excudi non potuit.

EADEM DOMINICA EPIstola, Galat. III.

ABraha dicta sunt promissiones, & semini eius. Non dicit, & seminibus, quasi in multis, sed quasi in vno, & semini tuo, qui est Christus. Hoc autem dico, testamentum confirmatum à Deo, quæ post quadringentos & trigita annos facta est lex, non irritum facit, ad euacuandam promissionem. Nam si ex lege hæreditas

ditas, iam non ex promissione. Abrahæ autem per repromissionem donauit Deus. Quid igitur lex? propter transgressionem posita est, donec veniret semen cui promiserat: ordinata per Angelos in manu mediatoris. Mediator autem vnius non est: Deus autem vnus est. Lex ergo aduersus promissa Dei? Absit. Si enim data esset lex, quæ posset viuificare, verè ex lege esset iustitia. Sed conclusit Scriptura omnia sub peccato, vt promissio ex fide Iesu Christi daretur credentibus.

SERMO.

Baruch 4 EA est huius Euangelij, siue verba, siue sensus attendas, excellentia ac dignitas, vt meritò cum Baruch Propheta dicere libeat: Hic, inquit, liber est mandatorum Dei, & lex quæ est in æternum. Omnes qui tenent eam, peruenient ad vitam: qui autem dereliquerint eam, in mortem. Conuertere Iacob & apprehende eam, ambula per viam ad splendorē eius contra lumen eius. Ne tradas alteri gloriam tuam & dignitatem genti alienæ. Beati sumus Israël, quoniam quæ Deo placent, manifesta sunt nobis. Hæc (inquam) de hoc Euangelio dicere libet. Si enim tantū tribuit Propheta legi per Mosen seruum latæ, quantum Euangelio per Christum filium dato tribuendum est? In hoc enim perfectè sunt tradita, quæ Deo immutabiliter placent. Beatiores ergo nos, quibus verè manifestata est Dei voluntas. Quòd etsi de toto Euangelij scripto intelligi potest, peculiari tamen modo de pręsenti lectione accipitur. In ipso enim quicquid vsquam magnum & ad salutem scitu necessarium scriptum est, quasi per compendium traditur. Principiò enim quæ vera beatitudo sit ostendit: nempè videre Christum. Deinde quid ad hanc consequendam requiratur, nempè, diligere Deum & proximum. Et hæc quidem cum tractat, ea verborū vtitur grauitate, quæ Deo digna, nobis est pernecessaria. Discipulis loquitur iucunda, Scribæ seuera, turbis parabolica. Alia scriptura de fide loquitur, alia de dilectione. Hæc & fidem suadet, & dilectionem exigit. Omnis scriptura diuinitus inspirata vtilis est aut ad docendū, aut ad arguendum, aut ad corripiendū, aut ad erudiendū in iustitia, vt perfe-

ctus

ctus sit homo Dei, sit ad omne opus bonum instructus, & vt per consolationem scripturarum spem habeamus: hæc verò lectio ad isthæc omnia simul. Principiò igitur quid de vera beatitudine veritatis doctor affirmet, videamus: Beati (inquit) oculi qui vident quæ vos videtis, Conueniens exordium est. Omnes enim naturali quodam ductu beati esse volumus: & vt simus, laboramus, huc omnes cogitationes dirigimus. Sed vehementer errant homines, nō solùm in deligenda beatitudine, verumetiam in appetendo: cum alij terrena pro cælestibus, alij momentanea pro æternis, alij corporalia pro spiritualibus beatitudinem ponunt, vt pleraque philosophorum gentis antiquæ pars. Iudæi per Mosi legem ac ceremonias eò tendebant peruenire. Hos ergo Paulus arguit, cum beatitudinem gratiæ tribuit, affirmans promissionem Abrahæ factam ante circuncisionem 24. annis, & ante legem 330. nec posse scripturis ostendi, promissionem lege deinceps lata irritam aut euacuatam esse, neque tamen ideo legem inanem esse, quandoquidem pædagogus fuerit in Christi aduentum, erudiens homines: & quod ideo peccatum manifestauerit, vt homines eo ardentius Christum venturum quærerent. Illos verò Christus corripit, docens solum Deum omnium esse beatitudinem, hoc est, consequuto Deo, hominum mentes vere quietas esse. Vnde Augustinus: Creasti nos, inquit, Domine secundū te, ideo turbatur cor meum, donec quiescat in te. Nec solùm hoc loco id agit Christus, alibi idem vrget, Matth. 13. & Luc. 10. In Ioanne expressè loquitur: Hæc est vita æterna, vt cognoscant te solùm verum Deum, & quem misisti Iesum Christum. At non omnium esse hanc cognitionem, in Luca docens, ad discipulos ait: Vobis datum est nosse mysteria regni Dei, cæteris autem in parabolis. Quæ autem sunt illa mysteria? Et quid in Christo viderunt Apostoli? Primò quòd per ipsum originis peccatum, in quo omnes iræ filij nascebamur, abolitum sit, mortisque chirographo deleto patri simus reconciliati in sanguine ipsius redemptionem habentes. Secundò quòd in ipso filij Dei simus, patrem nostrum in cælis appellantes. Non enim iterum accepimus spiritum seruitutis in timore, sed accepimus spiritum adoptionis filiorum Dei, qui reddit testimonium spiritui nostro, quòd sumus filij Dei, in quo, qui filij Dei sumus, Abba pater clamamus. Tertiò quod Christus Dei filius frater noster factus sit, ipso testante, cum ait:

Gal. 3. *Rom. 7.* *August.* *Ioan. 17.* *Luc. 8.* *Eph. 2.* *Coloss. 2.* *Ephe. 1.* *Matt. 6.* *Rom. 8.* *Galat. 4.*

Ioan. 20. Vade & dic fratribus meis, Ascendo ad patrem meum &
Psal.21. patrem vestrum, Deum meum & Deum vestrum. Et in
Ioan.15. Psalmis: Manifestabo nomen tuum fratribus meis. Et
Zach. 9. Iam non dico vos seruos, sed amicos, quia quæcunque
Ioan.16. audiui à patre meo, nota feci vobis, Quartò, quòd Chri-
Heb.9. stus rex atque protector noster sit, vt in Zacharia scriptum est, vt quemadmodum se nobiscum fore promittit vsque ad consummationem seculi, iubétque confidere, quoniam ipse vicerit mundum. Quintò, quòd ipse sit summus sacerdos, & aduocatus noster apud Deum patrem. Vnde per sanguinem
1.Ioan.2. suum semel introiuit in sanctum, vt ibi appareat pro nobis in
Ioan.17. conspectu Dei. Propterea si peccamus, aduocatum habemus
Ioan.14. apud patrem Iesum iustum. Sextò, quòd & nobis cælum pa-
Luc.12. teat, vt Christus ait: Pater, volo vt vbi ego sum, illic sit & mi-
Luc.22. nister meus. Et: Non turbetur cor vestrũ. Creditis in Deum, & in me credite. In domo patris mei mansiones multæ sunt. Iterum veniam ad vos, & sumam vos ad meipsum, vt vbi ego sum, & illic & vos sitis. Quia placuit patri dare vobis regnum, & ego dispono vobis regnũ sicut disposuit mihi pater, vt edatis & bibatis super mensam meã in regno meo. Septimò, viam qua eò perueniendũ est, vnde ait: Quò ego vado scitis, & viam scitis. Ego sum via, veritas, & vita. Quandiu sum in mundo,
Ioan.14. lux sum mundi. Qui sequitur me non ambulat in tenebris,
Ioan.8. sed lumen habebit vitæ. Postremò viderunt quod non solùm per prophetas, verumetiam per ipsum filium Dei eò inuitemur, eiúsque spe consolemur ac ducamur. An autem hæc omnia non sunt magna atque ingentia? Non hæc viderunt alij, præter eos, quibus paratum fuit à patre. Aliquid certè viderunt antiquiores, ac cognouerunt nonnihil de futura gratia, quæ in Christo erat reuelanda. Sed in Spiritu tantum. Quemadmodum de Abraham, testatur, quod viderit
Ioan.8. diem suum, & sit gauisus. Et de Isaia, Ioan. 12. Sic Daniel Christum potentem vidit. Daniel 7. Sic Dauid sacerdotem cognouit, Psal. 109. Sed quo longius præuidebant, eo vehementius coràm videre cupiebant. Id quod in Simone videre est, qui tunc mori cupiuit, postquam coràm vidisset. Sed alio modo Apostoli viderunt. Hi soli dicere possunt;
Luc.2. Quod fuit ab initio, quod audiuimus, quod vidimus ocu-
1.Ioan.1. lis nostris, quod perspeximus, & manus nostræ contrectauerunt, de verbo vitæ, & vita manifestata est; & vidimus

& test

& testamur, & annuntiamus vobis vitam æternam, quæ erat
apud patrem, & apparuit nobis. Non quòd corporeis ocu-
lis atque auribus viderint & audierint beati sunt. Multi
enim ita viderunt, nec tamen crediderunt, Loquor (in-
quit) vobis, & non creditis mihi: Quia non estis de oui- *Ioan.15.*
bus meis. Sed quia interno oculo, hoc est, fide viderunt
& crediderunt, ideo beati sunt. Caro & sanguis non vi-
det hæc. Fides oculos illuminat, qua Helizæus angelici exer- *6. Reg. 6.*
citus turbam vidit, cæteris absconditam, qua etiam Stepha- *Act. 7.*
nus, quod nemo aliorum potuit, cælum apertum vidit. Quis
autem non diceret beatos, quibus hæc fidei lucerna lucet,
quique his oculis tanta videre possunt? Beati mundo corde,
quoniam ipsi Deum videbunt. Propterea Dauid cor mun- *Matt. 5.*
dum in se creari optabat, sciens nimirum oculos obuelari, *Psal. 51.*
vbi mentis aciem peccati obfuscat immundities. Quid
igitur Apostolis dici posset iucundius, quid ipsi audirent
lætius? Non enim potentiam Dei ac misericordiam aut
beneficia solùm viderunt, verumetiam suam ipsorum
inopiam, nec ita viderunt potentiam, vt eius intuitu de-
sperarent, neque etiam ita cognouerunt misericordiam
eius, vt liberius peccarent, sed vt timerent peccatum,
odissent, in Deum sperarent, sempérque de se ipsis humi-
liter sentirent. Beatus vir qui timet Dominum, beatus *Psal. 112.*
qui non abiit in concilium peccatorum, beatus etiam ille *Psal. 1.*
vir, qui sperat in Domino. Ecce igitur beatitudinem Apo-
stolorum; ecce diuitias mundi cordis hominum. Confer
adhæc quæcunque hic magnus orbis habet, & erunt quasi
stercora. Beati ergo oculi, qui vident quæ Apostoli vide-
runt. Et quis hanc beatitudinem Apostolicam non expeteret,
quis pro ea consequenda non laboraret, suósque adeò omnes
neruos extenderet? Et hoc igitur requirendum, quid ad-
hæc requiratur, qua via incedatur. Ita enim ordo rei postu-
lat, vt primò quid acceperimus à Deo agnoscamus, dein-
de etiam quid rursum à nobis exigat. Huic autem rei le-
gisperiti seruit quæstio, qui beatitudinem audiens Apo-
stolorum, ipse quasi beatitudinis cupidus, viam quærit.
Quid (inquit) faciendo vitam æternam possidebo? Gra-
uis profectò quæstio, dignáque diligenti consideratione: cui
similis illa in Michæa est. Quid dignum, inquit propheta, *Luc. 10.*
offeram Domino? Et in Ioanne populus quærit: Quid facie-

Mich.6. mus vt operemur opera Dei? In Matthæo adolescens quærit:
Ioan.6. Magister bone, quid boni faciam, vt habeam vitam æter-
Mat. 19. nam? Et hæc ipsa quæstio Nicodemum ad Christum com-
Ioan. 3. pulit. Sed & apud nos in controuersia est, cum alij præcepta ridentes, solam sufficere fidem arbitrantur: iam insufficientiam suam, iam præceptorum grauitatem incusant: alij contrà suis operibus omnia pollicentur: quorum illi bonis operibus detrahunt, hi verò iisdem nimium tribuunt. Nemo igitur erret, nemo seducatur. Omnia enim præuidit Christus, omnia cauit. Illis quidem beatitudinem nudæ fidei tribuentibus, dicit: Non omnis qui dicit mihi Domine Domine, intrabit in regnum cælorum. Et: Si vis ad vi-
Mat.7. tam ingredi, serua mandata. Hoc fac & viues. Illis etiam
Mat. 19. qui insufficientiam suam incusant, & grauitatem præcepto-
Luc.10. rum prætexunt, vulnerati hominis parabolam proponit, ac si dicat, si quod Adam vulnus intulit, vides in te, hoc etiam quod ego saluarim, cognosce. Denique etiam illis qui suis operibus omnia pollicentur respondet, Non sacerdos, id est, ceremoniæ, non Leuita, id est, victimæ, sed ego ego sum, qui te saluaui. Necesse est igitur in Christi responsum intendamus. Quid (inquit) scriptum est in lege, quomodo legis? Et cur legisperitum de lege interrogat, & ex lege quid ad beatitudinem consequendam attinet, discere iubet? Principiò vt eum iustitiæ suæ argueret, qui nomen legisperiti sibi vendicabat, quod maximum erat in lege, non vti oportebat, considerabat. Deinde vt in peccatorum suorum agnitionem induceret. Erat enim hoc hominum genus hypocriticum, omnia ad ostentationem faciens, ab hominibus gloriolam appetens. Non enim duræ ceruicis homines commodius arguuntur & reuocantur, quàm si ad præceptorum Dei speculum fuerint adducti. Deinde & nos docuit Scripturam de via beatitudinis inquirere atque inuestigare, vt alibi ait: Scrutamini scripturas, quoniam in ipsis putatis vos vitam æternam habere, & illæ sunt
Ioan.5. quæ testificantur de me. Et in Isaia: Cum dixerint vobis,
Isa.8. quærite in Pytonibus, & à diuinis, qui student incantationibus suis: nunquid non populus à Deo requiret visionem pro viuis ac mortuis? Ad legem magis & testimonium. Quod si non dixerunt iuxta verbum hoc, non erit eis lux matutina. Et transibit per eam: & corruet & esuriet.

Habemus ergo firmiorem propheticum sermonem, cui re- 2. Petri.
ctè facitis attendentes ceu lucernæ lucenti in obscuro loco,
donec illucescat dies,& lucifer oriatur in cordibus vestris.Sed
nunquid satis est, Scrutari Scripturas, ac quid faciendum di-
scere? Non: Ideo enim Scriptura peruestigatur, vt Deus co-
gnoscatur,ipsi credatur,ametur, & in ipso proximus iuuetur.
Et hoc est quod legisperitus respondet: Diliges Dominum Leuit. 19.
Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua,& ex to- Rom. 13.
tis viribus tuis, & ex tota mente tua: & proximum tuum si- Deut. 6.
cut teipsum. Hæc responsio ex Deuteronomio sumpta, quid
requiratur ad hanc beatitudinem consequendam ostendit.
Vbi considerandum est quòd non simpliciter hæc dilectio
præcipitur,sed ea quæ ex toto corde,ex tota anima, ex totis vi-
ribus,& ex tota mente procedit, tum etiam quæ se ad proxi-
mum vsque extendat.Talis (inquam) dilectio quæritur, qua
totus homo veluti in Deum fertur,nihil cogitat, nihil loqui-
tur,nihil facit, nisi quod ad honorem & gloriam Dei, & pro-
ximi commodum pertinet, qui in Deum omnem fiduciam
suam, spem, auxilium, ipsam vitam æternam ponit, qui
cum Deo omnia se possidere, sine illo nihil habere iudicat.
Hæc sibi appendices illi volunt. Sed quæret rudis aliquis:
Quomodo dilectioni vita æterna tribuitur? Vbi fides? Vbi
quod Paulus ait: Arbitramur hominem iustificari per fidem
sine operibus legis? Rectè id quidem Paulus. An non autem
Christus fidem præmisit, cum Apostolos eò beatos dixit, quòd
fide multis regibus & prophetis abscondita percepissent?
Præterea quis vnquam dilexit quod antè non cognouit?
Nihil enim volitum, dixerunt etiam Philosophi, nisi prius co-
gnitum. At fide Deum cognoscimus. Ecce cum dilectio Dei
præcipitur, ipsa fides præmittitur. Sic etiam nemo vnquam
proximi dilectionem docuit, qui non prius in Deum homi-
num affectus formauit. Quæ tria quasi catenatim cohærent.
Vera fides non est, vbi charitas proximi secluditur, mortua
est,nihil est,aut si aliqui deest,ad damnationẽ est. Nam & dæ-
mones credunt & contremiscunt. Sic vera Dei dilectio non
est,vbi proximi charitas, quàm erga semetipsum, minor est.
Quomodo enim dico: Diligo Deum, quem non video:& fra- 1. Ioan. 5.
trẽ quẽ non video aut odio prosequor, aut frigidè diligo? Aut
quomodo charitas Dei manebit in illo,qui videt fratrẽ inopia

laborantem, & claudit viscera sua ab eo? Hoc præceptum habemus (inquit Ioannes) vt qui diligit Deum, diligat & fratrem suum. Ecce vobis certissimam viam perueniendi ad vitam beatam, fidem Dei, & ex illa pendentem dilectionem Dei, deinde & proximi propter Deum. Vt ergo fides, sic dilectio requiritur: nam qui dixit: Hoc fac, & viues: hoc significare voluit, quia si non fecerimus, vitam non habebimus. Quos ergo delectat vita beata, hanc geminæ dilectionis viam ingrediantur. Qui audire volunt, Beati oculi vestri, & hoc non negligant, quod dixit: Hoc fac, & viues, si cum Apostolis iucundo scripturarum eloquio consolari vis, hoc quod ad doctrinam & eruditionem est, non negligas, Hoc fac & viues. Quisque igitur nostrum in hoc diuinæ scripturæ semet contemplatur speculo, si diligimus dominum inuestiget. Sine dilectione enim nemo ad vitam beatam perueniet. Quòd si insufficientiam nostram accusamus, aut grauitatem præcepti prætendimus, aut cum Legisperito hoc diuerticula & effugia quærimus, vera in nobis dilectio non est. Ille enim cum dilexisse se Deum in se non inueniebat, sed simulabat, suorum more, se volens iustificare, quis ille sit proximus porrò interrogat. Quis est (inquit) meus proximus? Necessaria quidem & isthæc quæstio, sed nullo legisperiti bono proposita: & cum (vt alibi) mentis tumidæ superbiam Christus corripere posset, nostro tamen bono, huic etiam quæstioni
Luc. 10 respondet. Homo quidam descendebat ab Ierusalem in Iericho, & incidit inter latrones. Pulcherrima parabola, quæ integrè, imò plurimis sermonibus vix enarrari possit. Nam præter literam etiam allegoria fulget. Præcipuam autem intentionem declarabo, vt cuique vlteriorem porrò cogitandi de ea occasionem ministrem. Quis enim omnia potest simul? Primò igitur, quod ad literam parabola hæc docet quis proximus noster sit. Vult autem Christus vt quemlibet hominem, siue sanguine, siue necessitudine, aut vicinitate, aut officio, aut necessitate propinquum, pro-
Luce 10 ximum nostrum æstimemus. Quemadmodum hic Sama-
Luce 16 ritano aliisque propinquus erat homo ille vulneratus, & diuiti epuloni Lazarus. Nec hic respicendum est, qualis ipse sit proximus, siue amicus, siue inimicus. Dei enim est iudicare de alieno seruo. Nos autem decet in hoc perfectos esse, & quemadmo

admodum pater noster Deus etiam erga inimicos suos beneficus est, ita & nos: imò quemadmodum pater languentis filij maiorem curam gerit, quàm sani, ita magis studeamus beneficia præstare inimicis nostris, si quomodo eos reuocare à perditione ipsorum possimus. Hæc parabolæ huius intentio est. Vnde & quærit: Quis horum proximus fuerit vulnerato, confirmátque dictum Legisperiti, præcipiens, si velit vitam, quod rectè iudicasset, ipse opere impleret. Quemadmodum ergo hic Samaritanus proximum suum reputabat eum, qui inter latrones ceciderat, etiam incognitum, ita & nos quæcunque Deus obtulerit nostro beneficio egentem, proximum nostrum arbitramur. Sed quia tres vulneratum videtunt, vnus tantum dilectionis beneficium ostendit, paucos esse qui præcepto de dilectione obediant innuit. Hæc inquam præcipua parabolæ intentio est, qua non tam Apostolis, aut Legisperito, quàm reliquo populo quis sit cuique proximus clarè ostendere voluit. Neque enim Apostoli quem proximum æstimare deberent ignorabant, qui præceptum de diligẽdis inimicis, de benefaciendo persecutoribus, & de orando pro calumniatoribus acceperant. Tum ipse Legisperitus id ignorare non potuit. Non enim vt disceret, sed vt tentaret hoc interrogauit. Reliquo igitur populo hac parabola inseruiuit dominus, quibus, vt minus perfectis clara atque aperta magis commodant. Vide autem sapientiam Christi, qui ita rudibus loquitur, vt peritiores tamen habeant in quo sese exerceant. Primò igitur quod ad allegoriam attinet, ostendit Christus quomodo in eam homo deuenerit miseriam, quomodo Christus eum reuocauerit ac reduxerit. Ierusalẽ, fœlicitatẽ, quam à conditione sua homo in paradiso habebat, Iericho verò perditionem & exilium, in quod se homo peccato suo præcipitarat denotat, Latrones, mali sunt Spiritus qui præcipitem dederunt hominem, multóque tempore sub sua tyrannide detinuerunt. Sacerdos & Leuita, legis Mosaicæ ac Iudaici sacerdotij figuram tenent. Samaritanus ipse Christus est, qui solus hominem restituit. Sed iam breuiter accipiamus quomodo id confectum sit. Homo quidam descendebat de Iericho. Nomen huius hominis non exprimitur, quia de peccatoribus scriptum est, Deleantur de libro viuentiũ, & cũ iustis non scribātur. Hic descendit ab Ierusalem, cum à Deo auersus Luna mutabilior, & irrequietior factus est, non enim

Rom. 13

Gene. 2

Psal. 61

Isaie 48

Luca 15.

est pax impiis. Queadmodũ nec filius ille perditus, quousque
Ioan.8 ad patrem reuerteretur, requiem habuit. Et hoc primũ, dein-
Psal. 31 de quam cladem homo acceperit insinuatur, quòd inciderit
inter dæmones, hi enim ab initio homicidę fuerunt, quòd
spoliatus veste innocentiæ, quòd dilectionis habitu ac gratia
Eccl. 21 Dei plurimísque Dei donis ac conscientiæ pace priuatus, vt
nec posset iniquitatis suæ fœditatẽ obtegere, quòd percussus
& vulneratus peccato, quod est romphæa bis acuta, corpora
& animas vulnerans, cũ rationem obfuscat, voluntatem per-
uertit, potentias inualidat, corpus malis ac morti subiici (Sti-
Rom.6 pendiũ enim peccati mors) quòd semiuiuus relictus sit, (hoc
est) corporis vitam, tanquam ad tempus deponendam tantũ
retinuerit. Postremò infirmitas Mosaicæ legis ac sacerdotij
significatur per hoc, quod sacerdos eà incederet ac Leuita. Ne
que enim auferre peccatũ & mortem, neque viuificare pote-
Ioan.8. rãt. Id quod Paulus fusè tractat, Heb.8. & 9. cap. Deniq; Chri-
Psal. 120 stus verus Samaritanus eandẽ viã ambulauit, à cælis in terras
1. Petr.2 deuenit, sed nulli Latroni subiectus per peccatum. Venit qui-
Ioan. 14 dẽ ad eũ princeps huius mundi, sed nihil in eo habuit. Nec so-
Tit.5 lum hanc viam ambulauit, verũetiã accessit nos, & carnẽ as-
sumpsit nostrã, motus misericordia, alligauit vulnera nostra,
Isa. 53 ponens in se omniũ iniquitates nostras, infudit vinũ pœniten
tiæ, & oleũ remissionis peccatorũ, Mar. 1. Act. 2. duxit in Ec-
clesiæ stabulũ, in credentiũ congregationem, Ephes. 3. 1. Pet. 2.
curam nostri gerit, cũ nobiscum est vsque ad consummationẽ
seculi. Matth. 28. ac productis duobus denariis stabulario nos
cõmendauit, cum post resurrectionẽ Euangelij prædicationẽ,
ac sacramentorũ administrationẽ Apostolis præcepit, Marc.
16. Ioan. 20. denique & stabulario, supererogationis recom-
pensationẽ promisit, vt Paulus ait: Bonum certamen certaui,
cursum consummaui. Reposita est mihi corona iustitiæ, quam
reddet mihi iustus index in illa die. Ecce quomodo in hac
parabola, quæ ideo quidem proposita est, vt quis noster pro-
ximus sit agnoscentes, tergiuersationẽ omnẽ deponeremus,
etiam totius redẽptionis nostræ negotiũ significatũ est. Quid
enim reliqua scriptura docet, nisi hoc ipsum? Vnde hominis
perditio, quomodo & per quẽ illata, quæ perditionis magni-
tudo? tũ etiã quis redemerit, quomodo, ad quã dignitatẽ resti-
tuerit, quã nostri etiamnũ curã habeat. Quæ si quis probè no-
uerit ac cogitauerit, non iã in lectione S. Scripturæ quasi in
ignoto

ignoto cāpo versabitur, intelliget (inquā) quòd nobis præstiterit Deus, quid rursum nos diuinæ maiestati debeamus. Est ergo hæc Euangelica lectio ceu cōpēdiū totius scripturæ, vtilis ad docendū, ad arguendū, ad corripiendū, ad erudiendū. Nam quæ humanis mentibus efficacior esse poterit consolatio? Si nescis quòd bonū sit, Christum, verè videre, hoc ipso disce, quòd ipse Christus patri pro illo beneficio gratias agit. Confiteor tibi pater (inquit) quia abscondisti ea à sapientib. *Matt. 11* & prudentibus, & reuelasti ea paruulis. Contrà de cæcis ac nō intelligētibus dicitur: Nescierūt neq; intellexerunt, in tenebris ambulant. Et rectè dicitur, in tenebris ambulant, quibus hoc lumen non lucet: Qui enim ignorat, ignorabitur. Iā certè Christus ipse filius Dei patri non leui aliqua de re gratias *1. Cor. 14* egit. Vnde & nos quibus hoc lumē diuinæ agnitionis lucet, ad *1. Petr. 2* gratias agendas Deo moueamur, qui secundū diuitias bonitatis suæ eripuit nos de potestate tenebrarum, & trāstulit nos in admirabile lumen suum, ac dedit nobis videre desideratū cunctis gentibus. Quòd si quis non mouetur hoc ipso, hic cogitet miserias humanas, quibus subiecti erant omnes, sine Christo æternæ damnationi ex multis huius vitæ ærūnis seruati. Quòd si nec sic mouetur, semetipsum pro sua duritia arguet, quòd ingratus, nullóve dilectionis affectu, in Deū motus, indignū se donis cælestibus faciat, quòd certissima damnatio, sempiternus cruciatus, inenarrabilis horror ipsum maneat, quòd semiuiuus sibiipsi auxilium ferre & lege iustificari non potuerit, Christi veri Samaritani oblatā gratiam spreuerit. Hæc meditemur & cogitemus sedulò, Amen.

DOMINICA DECIMAQVINTA POST PENTECOSTEN, EVANG. LVC. XVII.

ET factum est dum iret in Ierusalem, trāsibat per mediam Samariam & Galilæam, & cum ingrederetur quoddam castellum, occurrerunt ei decem viri leprosi, qui steterunt à longè, & leuauerunt vocem, dicentes: Iesu præceptor, miserere no-

ſtri. Quos vt vidit,dixit:Ite, oſtendite vos ſacerdo tibus.Et factum eſt dum irent, mundati ſunt. Vnus autem ex illis vt vidit quia mundatus eſt, regreſſus eſt cum magna voce magnificans Deum. Et cecidit in faciem ante pedes eius, gratias agens. Et hic erat Samaritanus. Reſpondens autem Ieſus, dixit: Nónne decem mundati ſunt?Et nouem vbi ſunt?Non eſt inuentus qui rediret,& daret gloriam Deo, niſi hic alienigena.Et ait illi:Surge, vade, quia fides tua ſaluum te fecit.

EADEM DOMINICA EPIſtola Galat. v.

DIco autem in Chriſto: Spiritu ambulate, & deſideria carnis non perficietis. Caro enim concupiſcit aduerſum ſpiritum: ſpiritus autem aduerſus carnē. Hæc enim ſibi inuicem aduerſantur,vt non quæcunque vultis illa faciatis. Quòd ſi ſpiritu ducimini, non eſtis ſub lege. Manifeſta ſunt autē opera carnis, quæ ſunt fornicatio,immunditia, impudicitia,luxuria,idolorum ſeruitus,veneficia,inimicitiæ,contentiones,æmulationes, iræ,rixæ,diſſenſiones,ſectæ, inuidiæ, homicidia, ebrietates, comeſſationes,& his ſimilia: quæ prædico vobis,ſicut prædixi:quoniam qui talia agunt,regnum Dei non conſequentur.Fructus autem ſpiritus eſt,charitas, gaudiū, pax,patientia,benignitas,bonitas,longanimitas,manſuetudo,fides,modeſtia,continentia,caſtitas. Aduerſus huiuſmodi non eſt lex. Qui autem ſunt Chriſti, carnem ſuam crucifixerunt cum vitiis & concupiſcentiis.

SER

SERMO.


Vperioris dominicæ lectio inter cætera parabolam habebat, qua veluti ob oculos ponebatur totius religionis nostrę negocium. Licet enim minus perspicuè id ageretur, agebatur tamen: quomodo in prioris vitæ miseriam aduenisset homo, quàm grauis ipsius afflictio, quàm miseranda tot vulneribus acceptis semiuiui conditio, quàm nulla in re sibiipsi auxilio esse potuerit: tum quomodo & in quam dignitatem restitutus sit, quid verus ille hominum custos præstiterit, quid vt id faceret commouerit, qua denique cura affectus sit. Sed & quanta beatitudo Apostolicis hæc in Christo videre oculis, & quid ea propter Deo, quid propter Deum homini præstandum. Hæc (inquam) omnia superiore dominica audiuimus. Sed quia obscurius illic tradebantur, quàm vt ab omnibus facilè possent intelligi, nec tantam rem vel ignorare vel non cogitare sine periculo licet: ideo hic quasi auctario quodam illis repetitis, seuerissima humanæ mentis ingratitudinis adponitur obiurgatio, quòd decem (qui perfectus numerus est) mundatis, vnus tantum, isque Samaritanus inuentus sit, qui rediret & daret gloriam Deo. Et hæc omnia eo ordine, támque apertè, vt non liceat aut prioris vitæ miseriam nescire, aut gratitudinem pro tanto redemptionis beneficio detrectare. Atque vtinam eo desiderio ac intentione hæc audiremus, quo decet ac conuenit. Profectò vt diligentissimè ab Euangelista descripta, ita non minori cura ab Ecclesiæ patribus hoc ordine legerentur, dispositá sunt. Nec deero quod meum officium est facere. Euangelij itaque ordine seruato, rem totam explicabimus, vt commodius ab auditoribus intelligatur. Factum est (inquit Euangelista) dum iret in Ierusalem, transibat per mediam Samariam & *Luc. 17*
Galilæam Primò omnium Iesu præceptoris personam de- *Ioan. 17*
scribit, vt qui solius potestatem acceperit omnis carnis, solus non solum sanare verumetiam à morte resuscitare possit. Et hic iustus rerum ordo, vt principiò in ipsum medicum respiciamus. Sic enim & prophetæ in eum respexerunt, ac monstrauerunt. Vt in Isaia omnes idem facere iubentur: Super montem excelsum ascende tu qui Euangelizas Sion, exalta in fortitudine vocem tuam, qui Euangelizas Ierusalem. Exalta, noli timere, dic ciuitatibus Iudæ:

Ecce Deus vester. Ecce Dominus Deus in fortitudine veniet, & brachium dominabitur, ecce merces eius cum eo, & opus
Sap. 3 illius ante illum. Sicut pastor gregem suum pascet. Hæc diuinitatis natura, vt nihil eorum negligat, quæ fecit. & quo-
Sap. 16 modo Christus ab hac natura alienus erit? Hunc ergo pastorem & curatorem Lucas depingit, vt sciamus quia non herba neque malagma sanat, sed Dei sermo omnipotens, qui sa-
1. Cor. 3 nat omnia. Hic ipsum fundamentum, præter quod nemo aliud ponere audet, neque vllum est nomen datum in quo o-
Act. 4 porteat nos saluos fieri, præter ipsum. Per hunc etiam acces-
Ephes. 2 sum habemus ad patrem, qui ideo venit vt mundaret sibi populum acceptabilem, nec vllum ad se venientem excluderet,
Ioan. 6 imò etiam quod perditum erat requireret, & omnibus videntibus se daret vitam æternam, nec vnius tantum gentis, sed
Luce 16 totius mundi peccata tolleret. Vnde iam non difficilè est cognoscere quis ille Samaritanus, vulnerati ac semiuiui hominis restitutor, custos, saluator sit: nempè idem ille, qui in
Ioan. 1 Hierusalem ascendens per mediam Samariam ac Galilæam transit. Omnes autem huius transitus circunstantiæ ostendunt, quod hoc postremum eius iter fuerit in Hierusalem, quando turpissima morte, patris obedire voluntati, ac genus
Apoc. 1 humanum in suo purgare sanguine, animus erat. Quasi præludium ergo hæc erat curatio leprosorum, cum paucos sanaret, omnes mox redempturus ab omni infirmitate, ac malo. Atq; hæc causa est sui per mediã Samariam & Galilæam transitus, vt licet peculiari quodam modo Iudæis esset promissus, tamen suam mortem ac redemptionem etiam ad gentes pertinere significaret. Propterea mox ad patrem in cælestem Hierusalem non crucifigendus iam, sed de cruce ac morte
Galat. 3. triumphaturus multis se videndum exhibuit, Non enim est distinctio Iudæi aut Græci, serui aut domini. Nam neque mas neque fœmina aliquid est in ipso. Sed & locum Euangelista signans, cum ingrederetur (inquit) castellum quoddam,
Leuit. 13 occurrerunt ei decem viri leprosi. Qua in re primum Mosaicæ legis admonemur, qua cautum erat, ne quis leprosus aliorum hominum commercio frueretur, solus extra castra habitaret, & maculæ suæ indicio, dissutis vestimentis, nudo capite, ore vestibus contecto incederet. Deinde autem & alterius rei commonemur, cuiusmodi hominum ex Christo salutis initium sit. Certum est enim leprosos hos peccatricis

natur

naturæ gessisse imaginem, hoc est, tales nos esse sine Christo, *Ephes.2*
hoc est, ante baptismum, quales hi leprosi fuerunt: esse (inquam) filios iræ Dei, in peccatis conceptos ac natos, vt Paulus & Dauid loquuntur, immundos, vt Isaias testatur, omnes *Psal. 50* non solum propter peccati fœtorem ex paradiso expulsos, *Isa.64* Deo omnibúsque creaturis inuisos, verùm etiam inualidos, ad ferendam opem, in sempiternum in ira Dei, sine Christo fuisse permansuros. Quin hodie etiam cum Christi sanguine purgatas animas per peccatum fœdamus, tales efficimur, quales illi fuerunt. Vnde non incommodè Pauli Epistola huic Euangelio connectitur, qua spiritualis lepra describitur, & qua ratione iudicari possit ostenditur, tum antidotum contra hunc morbum demonstratur. Manifesta sunt (inquit) *Galat. 5.* opera carnis, quæ sunt fornicatio, immundicia, impudicitia, luxuria, idolorum seruitus, veneficia, inimicitiæ, contentiones, æmulationes, iræ, rixæ, dissensiones, sectæ, inuidiæ, homicidia, ebrietates, comessationes, & his similia, qui talia agunt satis se intrinsecus morbo penè immedicabili laborare ostendunt, cum dissidium illud spiritus & carnis inquietos reddit homines, vbi aut hæc vincit, aut planè eiicitur. Huic ergo malo occurrere docens Apostolus, vt spiritu ambulemus monet. Sed quomodo spiritu ambulabunt, qui intrinsecus tot generibus lepræ æstuant? Quomodo (inquam) medicum conuenient, quibus introitus castelli interdictus est, quorum locus & cõmoratio extra portas est, nisi ipse transiens medicus tabernaculis ipsorum appropinquauerit? Dicam clarius: Peccata nos longè à Deo posuerant. Ille cælos habitabat excelsus, nos mole delictorum grauati humi reptabamus. Et quomodo Deus & homo peccator conuenerunt? Non homo in cælum ascendit, & ibi triumphantem adorsus est, sed Deus in Christo ad nos descendit, & qui pro suæ deitatis splendore ab hominibus conspici non potuit, in homine, hoc est, in nostra substantia cognoscendum se exhibuit. De nostro ergo accipiens, quod erat infirmum, de suo, quod erat perfectum communicauit nobis. Ipse homo factus illuminauit nos, filios Dei fieri potestatem contulit. Mundans nos, & sibi associans, introëundi cælestis aulæ palatium ius ac potestatem dedit. Non ergo quod mundati sumus, quòd sanctificati, ex nobis est, sed quia Iesus fines nostros attigit, castellum subintroiit, nósque verbo virtutis

quasi

quasi nouos fecit, ideo mundati & sanctificati sumus. Rectè
Ioan. 14. igitur ipse ait: Non vos me elegistis, sed ego elegi vos, & po-
& 15 sui vos vt eatis, & fructum afferatis. Ipse prior dilexit nos.
*Luc.*7 Quanquam & per lepram patres hæresin intellexerunt alle-
*Matt.*8 goricè, moti nimirum quòd peculiari quadam verborum forma leprosos cùm hic, tum in Matthæo sanauerit, qua in aliis morbis sanandis vsus non est, vt quod ad Sacerdotes mit-
*Leuit.*13 tit. Licet enim (vti in Leuitico est) apud eos inter lepram & non lepram discernendi autoritas & scientia esset, eóque mitti videri possent, vt se examini submitterent: tamen quiddam absconditum latêre non dubitarunt, viderúntque nulli peccato accommodatius comparari posse lepram, quàm hæresi, hoc est, graui & pertinaci errori in fidei negotio. Et hæc quidem non alio sanatur modo, quàm quo Christus mundauit leprosos. Id quod multorum testimoniis liceret approbare. Apertisimè autem Augustini libro secundo Quæstionum Euangel. secundo capite quadragesimo, & Gregorius libri quinti Moralium, capite vndecimo. Nec immeritò ita & intellexerunt ipsi & intelligendum docuerunt. Quemadmodum enim leprosi corpus varij coloris est, hic formam sanæ carnis retinet, illic atque illic mutato colore lepram prodit, ita hæresis bonis mala commista gerit. Si enim planè mala, nemo non fugeret, si bona omnino, hæreseos nomen falso sustineret. Sed quia his illa coniuncta sunt, spiritualis quædam lepra dicitur. Et hæc difficilius curatur cæteris morbis omnibus. Adulter enim, & fur, & homicida, & blasphemus, aliíque eius farinæ homines, peccasse se norunt, eóque facilius ad resipiscentiam conuertuntur, sed hæreticus ac peruersi dogmatis assertor non perinde facilè resipiscet, vt qui deliquisse se non agnoscit. Sed licet conscientia propria errorem cognoscat, superbia tamen vt ab illo redeat, & palinodiam canat, obstinatè vetat. Quod si conuincatur & tacet, animus tamen virus continet, quod vbi potest, passim in alios diffundet. Plures ab impietate peccatores legimus conuersos verè resipiscentes, hæreticos vix vllos. Obstinatio enim proprium hæresis est. Adde quod hæreditarius morbus sit hæresis, cum nemo illorum quod concepit malum, nisi cum aliis diuisum & communicatum seruet. Sermo enim illorum,
1.*Tim.*2 inquit Paulus, vt cancer serpit. Vnde eiusmodi post vnam
2.*Ioan.*1 atque alteram admonitionem vitari idem Apostolus præcipit. Et

pit. Et Ioannes ne quidem salutatione dignandos censet. Tutissimum igitur est Iesu præceptori occurrere, vt postea ad sacerdotes missi redditæ sanitatis testimonium accipiant, ac deinceps non sua, sed catholica omnium stent sententia. Occurrant autem tempestiuè priusquam in castellum ingrediatur, occurrant dum vocat, & vt ad se veniamus inuitat. Clamabit ad me, inquit, & ego exaudiam eum, cum ipso sum in tribulatione. Maledictus autem, qui aliunde quam ab hoc vno auxilium petit. Id quod Scriptura manifestè vetat, & Deum in indignationem prouocari Ochezias Rex magno suo malo didicit. Sed vt tutò Christo occurritur, ita non est perinde quomodo occurras, etiamsi in tempore occurras. Accessit enim Pharisæus superbus, & abiectus est. Laudatur Publicani humilitas, qui suæ miseriæ accusator pectus percussit conscium, & hoc ipso quod se humiliat, excelsi Dei suscipit gratiam. Et hic ille timor, in quo accedenti ad seruitutem Dei standum est. Sic Centurio indignum se iudicauit, cuius tectum subiret Iesus. Sic Petrus, Domine, inquit, recede à me, quia homo peccator ego sum. Sic ergo cum leprosis à longè standum est, non iam quia lex appropinquare vetat, sed quòd humilitas suadet. Sed nunquid si occurras, si humilis à longè stes, satis est? Nequaquam. Confessio enim non oris tantùm, sed & mentis requiritur. Et hoc est quod de leprosis Euangelista ait: Leuauerunt vocem, vocem oris, vocem pectoris: en imo leuauerunt, qui pertæsi infirmitatis, veram ardentibus suspiriis expectabant sanitatem. Hac voce imploratus exaudit. Id quod in Mose videre est, quem præ nimio desiderio obmutescentem clamasse dicit, & exaudiuit. Et in Iona qui in corde maris, & in cœti ventre latitabat, vnde respirare ne dicam vociferari vix licuit, tamen postea dicit: In die tribulationis clamaui ad Dominum, & exaudiuit me. Sic & Susanna probatæ pudicitiæ matrona ad impiorum fine scelere rapta tribunal, vix paucula ad Deum precata, testimonium Scripturæ accepit, quòd cor eius fuerit fiduciam habens ad Deum. De quo clamore & Paulus loquitur credentes spiritum Dei habere, qui enarrabilibus gemitibus ad Deum clamet. Qui certè ingenuè credentium orandi mos est non sacerdotum Baal more vociferari, sed spiritu & mente cum Deo loqui. Abominabilis est enim Deo omnis oratio, quæ non ex corde procedit. Vt in Isaia conqueritur.

[Margin: Psal. 90 · Deut. 18 · 4. Reg. 1 · Lucæ 18 · Ecclef. 2 · Matt. 8 · Luc. 5 · Exod. 14 · Ionæ 2 · Danie. 9]

Populus

Populus hic, inquit, labiis me honorat, cor autem eorum longè est à me. At beati sunt qui mente esuriunt ac sitiunt iustitiam, quoniam ipsi saturabuntur. Non vt nulla vox adsit, sed ne sola sit. Quod enim vox oris minimè Deo displiceat, in leprosis videre est, qui leuatis vocibus, quomodo licuit, clamauerunt. Et alibi cæcum, vt verbis desiderium suum aperiret, monuit: Quid tibi vis, inquit, faciam? Quid ergo est quòd vocem leuantes clamauerunt? Iesu præceptor, inquiunt, miserere nostri. Breuis illa quidem oratio, sed plena affectibus, plena pietatis. Iesum dicentes omnipotentem saluatorem, qui velit: præceptorem lepræ vnicum & valentem medicum confitentur. Misericordiam petentes, nullum suorum operum meritum prædicant, sese peccatores accusant, hanc ipsam misericordiam Dauid petebat, & magnam petebat, vtique ad multa ac magna peccata delenda ne-
Psal.50 cessariam. Hanc Daniel in Babylone exoptabat, cum in iu-
Dani.13 stificationibus suis suorúmque nihil confidebat. Et hæc omnia requiruntur, si cum Deo agere voluerimus. Primò, vera insufficientiæ nostræ confessio: secundò, ingens diuinæ misericordiæ desiderium: tertiò, pia oratio: quartò, constans
Isa.55 sibi per omnia fides: & hæc in tempore dum inueniri potest,
Luc.7 dum lux in mundo est. Conuenientissimè igitur leprosi suæ consuluere saluti, qui omnes vna eadémque afflicti miseria, vnanimiter medicum petunt, & quam exoptabant sanitatem assequuntur. Sed quòd miremur eos, quasi magnum aliquid præstiterint, non est. Omnes aduersa nobis refugimus, vt bene sit laboramus. Tribulatio autem non solùm intellectum dat, quo euasionem cogitemus malorum, verumetiam pietatem sopitam excitat, deuotos reddit & obsequentes. Inuenias homines, qui dum corripiuntur à Domino, dum immitiori vocatione meliorum admonentur, nihil non pietatis, deuotionísque præ se ferant, at sublata ferula, dum redit Phœbus, omnis pietatis ipsiúsque adeò Dei obliti, noua impietate veterem obscurent, quasi iam liberi, nihílque supersit mali, quod timere possint. Deus quidem, cuius natura bonitas, nulli creaturæ beneficia sua denegat, licet omnium peruidens mentes, plurimos ingratos fore cælestibus donis
Sap.3 intelligat. Diligit enim omnia, & nihil eorum quæ ipse fecit, odit: nec euacuatur fides eius propter aliquorum incredulitatem

dulitatem. Id quod hac ipsa lectione docetur clarissimè. Nouerat pius saluator omnium horum, excepto Samaritano, ingratitudinem, sed tamen quia misericordiam petebant, misericordiam præstitit. Ite, inquit, ostendite vos sacerdotibus. Et dum irent mundati sunt. Cur leprosos iamiam mundatos ad sacerdotes miserit, antè diximus. Hic verò profundam domini Iesu humilitatem consideremus, qui dominus ipse & autor legis, legi, sese submisit. Lege omni exceptione maior ipse est, perfectior omnibus ceremoniis Mosi, sanctior quoque ipso sacerdotio: tamen legem agnoscit, quæ legis sunt facit, sacerdotium honorat, ceremoniis nihil detrahit, non quia aliter non debuit, sed quòd nos in suo exemplo docere voluit, quæ æstimatio, quæ autoritas diuinis iussis tribuenda sit, quàm minimè conueniat ritus ac statuta Reipub. Christianæ, non pugnante Scriptura, quasi per manus tot seculis ad nos porrecta, sine euidenti ratione violare, contemnere aut negligere, quæ sine pacis pub. dissipatione non mutantur. Si enim caput nostrum sua sponte, ne cui scandalum præberet ea quæ legis sunt fecit, quid nos pudet piis traditionibus publicæ tranquillitatis amore, non repugnare? Certè Paulus Apostolus strenuè hoc Christi exemplum imitatus est. Cùm liber essem (inquit) ex omnibus, omnium me seruum feci, vt plures lucrifacerem. Et factus sum Iudæis tanquam Iudæus, vt Iudæos lucrarer. Iis qui sub lege, quasi sub lege essem, cum ipse non essem sub lege, vt eos qui sub lege erant lucrifacerem. Iis qui sine lege erant, tanquam sine lege essem (cum sine lege Dei non essem, sed in lege essem Christi) vt lucrifacerem eos qui sine lege erant. Factus sum infirmis infirmus, vt infirmos lucrifacerem. Omnibus omnia factus sum, vt omnes facerem saluos. Hac igitur ratione Christus sanatos hos decem ad sacerdotes misit, vt nemini scandalum daret, omnes lucrifaceret. Antè enim mundati erant, quàm ad sacerdotes venirent, ne quis sine sacerdotibus imperfectè sanatos arbitraretur. Illi tantum iudicare potuerunt ex certis ac præscriptis signis inter lepram & non lepram, Inter lepram & lepram, non autem sanare. Secludere à populi conuersatione poterant, duos tantùm eósque non sua sed Dei virtute saluos assumpserunt, Mosi sororem Mariam, & Naaman militiæ regis Syriæ principem. An non autem hæc

Margin notes: *Acto.4* (beside line 1); *1.Cor.9* (beside "non repugnare?"); *Num.12* (beside "Dei virtute"); *4.Reg.5* (beside "Naaman").

V ador

adoranda diuini verbi potentia est? Iussit ire, & ecce mundati sunt. Dixit, & facta sunt, omnia quæcunque voluit fecit in cælo & in terra, & in mari, & in omnibus abyssis. Sic
Mat.8.9 alibi ait: Mundare, & mundus factus est. Tibi dico surge,
Luca 7 & resedit qui erat mortuus. Hodie mecum eris in paradiso, & factum est. Ipse ergo est qui omnis carnis potestatem, vitæ ac mortis imperium habens, rectè ad se omnes conuocat:
Matt.18 Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos. Sed accedentem ad Deum oportet credere.
Mar.9.5 Vt in Marco: Si potes (inquit) credere: Omnia credenti pos-
Ioan.11 sibilia sunt. Et in Ioanne ad Martham, Si credideris, vide-
Matt.17 bis gloriam Dei. & ad discipulos suos: Si habueritis fidem sicut granum sinapis, dicetis huic monti: Tollere, & mittere in mare, & fiet. Decem hi verbum Christi fide apprehenderunt, & sanati sunt. Ecce quod initio dixi, vt leprosi, sic omnes nos, nec datum est vllum nomen sub cælo, in quo oporteat nos saluos fieri præter hunc vnum Iesum. Ipse ergo purificauit nos verbo virtutis suæ. Quantum verò debeamus propterea, nouimus: quid præstemus, hi quoque mundati docebunt. Vnus autem ex illis vt vidit quia mundatus est, regressus est cum magna voce magnificans Deum; & cecidit in faciem ante pedes eius gratias agens. Et hic erat Samaritanus. Vnus ex decem quis fuerit, cogitauit: qualis & à quo factus esset vidit. Nullum ergo beneficium tantis dignum meritis in se inueniens, quod potuit & debuit, præstitit. Ecce quid vera fides ac digna beneficiorum Dei efficiat consideratio. Hoc ipsum etiam solum requirit Deus. Propterea ait: Nonne decem mundati sunt, & nouem vbi sunt? Non est inuentus qui rediret, & daret gloriam Deo, nisi hic alienigena. Et ait illi: Surge, vade: fides tua te saluum fecit. Hic nostram discamus naturam. Quanta pietate Iesu ante castellum occurrerant, quanta vehementia vocem leuauerant, quàm doctam orationem composuerant, quàm auida mente sanitatem desideratam receperant. Sed (pudor) quàm inhonestè cessant? Verùm quòd culpemus hos, non est. Ingratitudine eos non dico æquamus, sed superamus. Omnia quæ leprosis contulit, eadem confert nobis, & sæpius. Sed & maiora largitur. Aliis corpora sana conseruat, sanat aliis saucia: saluat & animas. Et quod signum gratitudinis in nobis videre est? Vix non iam decimus,

mus, sed nec centesimus Samaritanum sequitur. Idem morbus, vnáque omnium curatio, vnus agnoscit & gratias agit. Erat & omnium vna oratio, vna fides, vnum principium. Sed hæc omnium temporum ratio est. Semper bonis mali permixti sunt. Vnà crescit frumentum bonum & zizania, vnà colliguntur pisces boni & mali. Iam verò bonorum quæ paucitas? Quæ in paucis deflenda defectio? De Galatis testatur Paulus (capite quarto) quòd si licuisset, oculos sibi erutos ipsi dare paratos fuisse. Sed quæ perseuerantia? Sic & nos. Eadem peccatrix natura omnibus est, idem morbus omnes occupat. Eadem etiam omnium curatio est. Eratis (inquit Paulus) aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino. Et Hæc fuistis, sed abluti estis, sed sanctificati estis per nomen Iesu Christi. Verumenimuero si quomodo acceptis gratiis vtamur, inquirere voluerimus, tantam inæqualitatem deprehendere licebit, vt quibusdã melius sit non cognouisse viam iustitiæ, quàm post agnitionem, retrorsum conuerti ab eo quod traditum est illis sancto mandato. Ingratitudo enim præcipua causa est, cur Deus nonnunquam gratiæ suæ dona subtrahat hominibus, ac contraria mala immittat. Nos quoque idem experimur facto, adeò vt in nos conuenire nimis verè videatur, quod olim Iudæis dictum fuit: Vos reliquistis me, & ego reliqui vos. Conquestus est Christus de nouem mundatis semel, nobis conniuet ad tempus, quo dicet: Hæc fecisti, & tacui. Et: Tacui & silui, patiens fui, sicut parturiens loquar. Frequẽtes in Prophetis eiuscemodi sunt querelæ. Filios (inquit dominus) enutriui & exaltaui, ipsi autem spreuerũt me. Cognouit bos possessorem suum, & asinus præsepe domini sui. Israël autem me non cognouit, & populus meus non intellexit. Et: Vinea facta est dilecto meo. Et: Sepiuit eam, plantauit vineam electam, & ædificauit turrim in medio eius, & torcular extruxit in ea. Et expectaui vt faceret vuas, & fecit labruscas. Et in Ieremia: Miluus in cælo cognouit tempus suum, turtur & hirundo, & ciconia custodierunt tempus aduentus sui, populus autem meus non cognouit iudicium Domini. Michæas idem de ingratitudine hominum conqueritur: Væ mihi quia factus sum sicut qui colligit in Autumno racemos vindemiæ. Non est botrus ad comedendum, præcoces ficus desiderauit anima mea. Periit sanctus de terra, & rectus in hominibus non est. Et Dauid: Omnes declinaue

Luce 8
Matt. 13
Psal. 50
Ephe. 5
2. Pet. 2
2. Pet. 12
Isaie 42
Isai. 1
Isai. 5
Iere. 8
Mich. 7
Psal. 13

nauerunt, ſimul inutiles facti ſunt, non eſt qui faciat bonum, non eſt vſq; ad vnum. Hæc de Iudæis quidem dicta ſunt, propterea non incōgruè de nouem his ingratis intelligi poſſunt. Nihilominus tamen eandem in nobis deprehendimus ingratitudinem, qua Iudæis ſimiliores ſumus, quàm Samaritano.

Pſal. 91 Quòd ſi huic Euangelio nonageſimum primum Pſalmum conferre libet, magnam ſimilitudinem vtriuſque comperiemus, Primò enim ſi conſiderauerimus quantum ſit miraculum, quòd dominus vno verbo decem leproſos immedicabiles alioqui, mūdauerit, mox in admirationes rapti dicemus: Quàm magnificata ſunt opera tua Domine. Deinde ſi quòd & nos ſanare velit cogitauerimus, dicemus: Delectaſti me Domine in factura tua, & in operibus manuum tuarum exultabo. Et: Bonum eſt cōfiteri Domino, & pſallere nomini tuo altiſsime. Ad annuntiandum mane, id eſt, in aduerſis, & cæt. Quòd ſi & illud cogitauerimus, quòd ex decem mundatis vnus tantum redierit, ac gloriam Deo dederit, huius etiam ſimile in Pſalmiſtæ verbis inueniemus. Vir (inquit) inſipiens non cognoſcet, & ſtultus non intelliget hæc. Poſtremò ſi cogitauerimus quòd nouem ingrati fuerunt Iudæi, quos omnino dedecuit iſta ingratitudo, gratus verò Samaritanus, de profundis cogitationibus Dei mirabimur, vti & in Pſalmo ſcriptum eſt: Nimis profundæ cogitationes tuæ domine. Ec-

Pſal. 115 ce quomodo omnia huius Euangelij Pſalmus contineat. Cogitemus ergo, licet non indigeat Deus noſtra gratiarū actione, nec dignum quid poſſimus referre: placere tamē ſibi gratas mentes, odiſſe verò ingratos, eóque agnoſcamus beneficia, & gratias agamus, Amen.

DOMINICA DECIMASEXTA POST PENTEC.

EVANG. MATT. VI.

NEmo poteſt duobus dominis ſeruire. Aut enim vnum odio habebit, & alterum diliget, aut vnum ſuſtinebit, & alterum contemnet. Non poteſtis Deo ſeruire & Mammonæ. Ideo dico vobis, ne ſoliciti ſitis animæ veſtræ quid manducetis, neq;

corpori vestro quid induamini. Nónne anima plus est quàm esca, & corpus plus quàm vestimentum? Respicite volatilia cæli, quæ non serunt neque metunt, neque congregant in horrea, & pater vester cælestis pascit illa. Nónne vos magis pluris estis illis? Quis autem vestrum cogitans, potest adiicere ad staturam suam cubitum vnum? Et de vestimentis quid soliciti estis? Considerate lilia agri quomodo crescunt. Non laborant neque nent. Dico autem vobis, quoniam nec Salomon in omni gloria sua coopertus est sicut vnum ex istis. Si enim fœnum agri quod hodie est & cras in clibanum mittitur, Deus sic vestit, quanto magis vos modicæ fidei? Nolite ergo soliciti esse, dicentes: Quid manducabimus, aut quid bibemus, aut quo operiemur? Hæc enim omnia gentes inquirunt. Scit enim pater vester, quia his omnibus indigetis. Quærite ergo primùm regnum Dei & iustitiam eius, & hæc omnia adiicientur vobis.

EADEM DOMINICA EPISTOLA GALAT. VI.

SI Spiritu viuimus, Spiritu & ambulemus. Non efficiamur inanis gloriæ cupidi, inuicem prouocantes, inuicem inuidentes. Fratres, & si præocupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos qui spiritales estis, huiusmodi instruite in spiritu lenitatis: considerans teipsum, ne & tu tenteris. Alter alterius onera portate, & sic adimplebitis legem Christi. Nam si quis existimat se aliquid esse, cum nihil sit, ipse se seducit. Opus autem suum probet vnusquisque, & sic in semetipso tantum

 gloriam

gloriam habebit & non in altero Vnusquisque enim onus suum portabit. Communicet autem is qui cathechizatur verbo, ei qui se cathechizat in omnibus bonis. Nolite errare, Deus non irridetur: Quæ enim seminauerit homo, hæc & metet. Quoniam qui seminat in carne sua de carne & metet corruptionem: qui autem seminat in spiritu, de spiritu metet vitam æternam. Bonum autem facientes non deficiamus: tempore enim suo metemus non deficientes. Ergo dum tempus habemus, operemur bonum ad omnes, maximè autem ad domesticos fidei.

SERMO.



Væ lectionis Euágelij huius summa sit, ipse Christus in fine ostendit. Quærite, inquit, primum regnum Dei & iustitiam eius, & hæc omnia adiicientur vobis. Arguit autem nimiam circa temporalia solicitudinem, & promittit rerum necessariarum sine cura nostra affluentiam. Idque ea verborum sententiarúmque selectissimarum grauitate, vt si alibi vsquam, hic certè maximè optimus agnoscatur medicus, qui ægrotarum mentium cura permotus nihil non tentet quo morbum auferat, valetudinem bonam reducat. Quòd si ingenui Christiani essemus nos, si rerum necessariarum animæ tangeremur desiderio, hunc Christi pulcherrimum sermonem non semel quotannis, sed quotidie audiremus, & memoriæ commendaremus, et semper quocunque in loco ad manum haberemus, in quo veluti in speculo nosmet consideraremus, cogitationes, studia, factáque examinaremus. Neque enim arbitror vllum Christianum inueniri posse tam auarum, tantáque cura & solicitudine inordinata suffocatum, qui hoc Euángelio diligenter considerato, propriam peruersitatem non sit reprehensurus. Contrà verò neminem tam inopem presśúmque paupertate, qui non consolationem magnam ex hoc eodem Euangelio concipiat. Duo profectò hæc sunt maxima mala. Omnes enim aut auaritiæ student, aut pusillanimes deiiciuntur. Eorum verò qui sub auaritia dominamilitant, alij in vtranque partem claudicant. Deo volentes

lentes ſeruire & Mammonæ, aut planè obliuiſcuntur Dei vt impij, alij certè temporaneis magis ſtudent, quàm ſpiritualibus. Omnibus his Chriſtus verbo ſuo aduerſatur. Iis enim qui in vtrãq; partem declinant, ait: Non poteſtis Deo ſeruire & Mammonæ: qui planè Dei obliuiſcuntur, dicit: Nolite ſoliciti eſſe: dicentes: Quid manducabimus, aut quid bibemus, aut quo operiemur. Hæc enim omnia gentes quærunt. Denique temporaneis quàm ſpiritualibus magis inhærentibus, ait: Quærite primùm regnum Dei & iuſtitiam eius. Porrò quòd ad eos qui iniquiore fortuna deiecti ſunt attinet, hos cum toto ſermone, tum maximè quòd ait: Hæc omnia adiicientur vobis ſolatur. Ipſum ergo Chriſtum ordine audiamus: Nemo, inquit, poteſt duobus dominis ſeruire: aut enim vnum odio habebit, & alterum diliget, aut vnum ſuſtinebit, & alterum contemnet. Non poteſtis Deo ſeruire & Mammonæ. Mammona Syrum eſt, pecunias vel diuitias ſignificans. Seruire autem eſt alicuius obedire voluntati. Vt Paulus Romanis ſcribens ait: Cui exhibetis vos ſeruos ad obediendum, ſerui eſtis eius, cui obeditis. At impoſſibile eſt aliquem duobus ſeruire dominis, ſint licet ipſi inter ſe concordes, multo minus ſi diſcordes fuerint. Hoc ergo axiomate impoſſibilia moliri docet eos, qui Deo volunt ſeruire & Mammonæ: neſcientes quia amicitia huius mundi, inimica Dei eſt: & quòd omnis qui amicus huius ſeculi eſſe voluerit, inimicus Dei conſtituatur. Quæ enim participatio iuſtitiæ cum iniquitate? aut quæ ſocietas luci ad tenebras? Quæ conuentio Chriſti ad Belial? aut quæ pars fideli cũ infideli? Quis conſenſus templo Dei cum idolis? Si adhuc (inquit idem Apoſtolus) hominibus placerem, Chriſti ſeruus non eſſem. Non poteſtis Deo ſeruire & Mammonæ. Ille enim iubet propria in egenos diſpergere, iubet laborare vt habeas, vnde des neceſſitatem patienti: hic verò aliena docet rapere, ſiue patiatur quis ſiue moriatur. Ille ſobrietatem & continentiam ſuadet hic verò ad crapulam & ebrietatẽ hortatur. Si ergo Mammonæ ſeruus factus fueris, ſi iniquitati temet ſubmiſeris, quo modo Dei & iuſtitiæ ſeruus eris? Totum hominem Dei requirit ſeruitus, quẽadmodum totum ad ſuam imaginẽ & ſimilitudinẽ creauit. Totum creauit, totũ alit. Et cur non etiam in ſuo miniſterio totum requireret? Cur non aut diligentius & prõptius homo ſeruiret Deo? Perluſtremus oẽs hiſtorias degu-

Luc. 6
Rom. 6
Iac. 4
Gal. 1
Matt. 19
Lu. 18. 19
Ephe. 4.

stemus omnium huius mundi principium dominia, inueniemus Deo seruire non solùm honorificentius, verumetiam vtilius, facilius, atque tutius esse. Quis enim honos homini erit ab homine sui simillimo, mox interituro? Et si maximè aliquis honos obtingat tandem, quibus in laboribus atque curis impetratur, quibus solicitudinibus conseruatur? Quot verò sunt, quibus hæc alea sinistrè cadit? Proinde proposita vtriusque Dei & Mammonæ seruitute, summa prudentia cui manus demus consideremus. Vtrunque
Isai. 6 dominum cognoscamus qualis sit. Vis autem scire qualis sit Deus? Audi Isaiam Prophetam dicentē: Vidi, inquit, dominum sedentem super solium excelsum & eleuatum, & plena erat domus à maiestate eius, & ea quæ sub ipso erant implebant templum. Seraphin stabant super illud, sex alæ vni, & sex alteri. Et clamabant alter ad alterum, & dicebant: Sanctus, Sanctus, Sanctus dominus Deus exercituum, plena est om-
Daniel. 7 nis terra gloria tua. Audi Danielem dicentem: Milia milium ministrabant ei, & decies centena milia assistebant ei. Talis Dominus Deus noster. Vis honorificentiam seruitutis eius discere? Ipsum audi dominum: Qui mihi ministrauerit, honorificabit eum pater meus, qui est in cælis. Et
Ioan. 12 Pater volo vt vbi ego sum, illic sit & minister meus, vt vi-
Ioan. 17 deant claritatem meam, quam dedisti mihi. Sed & vtilitatem vis videre? Audi eundem in Isaia loquentem: Ecce,
Isai. 65. inquit, serui mei comedent, & vos esurietis. Ecce serui mei bibent, & sitietis. Ecce serui mei lætabuntur, & vos confundemini. Ecce serui mei laudabunt præ exultatione cordis, & vos clamabitis præ dolore cordis. Sic & tutò seruitur Deo: qui; Noli timere (ad Abraham dicit) ego prote-
Gen. 15 ctor tuus. Et ad Isaiam: Noli timere, inquit, quia redemi
Isa. 45. te, & vocaui te nomine tuo. Meus es tu. Cum transieris per aquas tecum ero, & flumina non operient te. Cum ambulaueris in igne, non combureris, & flamma non ardebit in te, quia ego Dominus Sanctus Israël saluator tuus. Sic & ministris suis prouidet Deus, ne vlla tangantur necessitatis solicitudine. Nolite soliciti esse, dicentes, Quid mãducabimus, aut quid bibemus, aut quo operiemur? Scit enim pater vester quia his omnibus indigetis. Quærite primùm regnū Dei & iusti-
Matth. 6 tiam eius, & hæc omnia adiicietur vobis. Quòd si de mercede
Luc. 12 percontariis, audi quid dicat: Nolite timere pusillus grex, placu it

placuit enim patri vestro dare vobis regnum. Et iterum ad discipulos: Vos qui secuti estis me, in regeneratione cum sederit filius hominis in sede maiestatis suæ, sedebitis & vos super sedes duodecim, iudicantes duodecim tribus Israël. *Matt. 19*
Et: Ego dispono vobis sicut disposuit mihi pater meus regnum, vt edatis & bibatis super mensam meam in regno meo. Sed quid dico? Seipsum ministris suis mercedem amplam promisit. Ego: inquit ad Abrahã, ero merces tua magna nimis. Hæc omnia si quis cũ seruitute huius mundi comparet, videbit quanta sit dementia nolle seruire Deo, quanta ingratitudo aliquid sui Mammonæ seruituti subiicere, quanta etiam turpido sit præter Deum aliquid quærere. Quod si nec sic ad excutiendum graue diuitiarum iugum, ad liberè & ingenuè Deo seruiendum, regnum, iustitiámque eius quærendam mouetur quis, saxo nempe durior suæque ipsius salutis inuidus, consideret quàm duram Mammonæ sustineat seruitutem, quàm miserè sub iniquissima militet tyrannide. Expresse enim Christus posuit: Aut vnum odio habebit, & alterum diliget, aut vnum sustinebit, & alterum contemnet, quia vt non diligitur Deus, nisi Mammon odio habetur, ita vbi Deus contemnitur, Mammon sustinetur, hoc est ipse qui sustinet quasi vinctus tenetur vt non possit. Id quod euidenti exemplo manifestum est adolescentis, qui quo posset facto vitam æternam habere percontatus, omnia vendere ac pauperibus dare iubetur. Sed quia multas possessiones habebat, quia Mammonæ seruus erat, tristis abiit. Ecce tentabat, hic Deo seruire & Mammonæ, sed non potuit. Propterea & Christus ait: Amen dico vobis, quia difficile intrabit in regnum cælorum. Commodè de his Salomon ait: Est aliud malum quod vidi sub sole & quidem frequens apud homines, Vir cui dedit Dominus diuitias, & substantiam, & honorem, & nihil deest animæ suæ ex omnibus quæ consideret, nec tribuit ei potestatem Deus, vt comedat ex eo: (quasi dicat) animam suam expleat. At quomodo beatius anima expleretur, quàm si terrena possessio pro animæ æterna felicitate impenderetur? Quanquam inuenias qui ita sint Mammonæ iugo adstricti, vt nec in hac vita de partis bonis vllam habeant beatitudinem. De quibus apud eundem scriptum est: Considerans (ait) reperi & aliam vanitatem sub sole: Vnus est, & secundum non habet, non filium, non fratrem,

Luc. 22 · *Gen. 15* · *Matt. 19* · *Eccl. 6* · *Eccl. 4*

& tamen laborare non cessat, nec satiantur oculi eius diuitiis, nec recogitat, dicens, Cui laboro, & fraudo animam meam bonis? In hoc quoque vanitas & afflictio pessima. Et rectè quidem afflictionem dixit pessimam. Quomodo enim non affligitur, qui ita cumulandis diuitiis cruciatur, vt suam ipsius fraudet animam? Quomodo autem Deo seruiet Mammonæ mancipium? Aut quomodo Dei voluntati obediens, sibi in futurum prospiciet, qui in præsenti animam suam fraudat? Quomodo Deum suæque redemptionem animæ non contemnet, qui tam graue tyrannidis onus iniquissimum sustinet? Non potestis ergo Deo seruire & Mammonæ. Quid attentatis impossibilia? quid duabus sellis sedetis?
Apoc.3 quid nec frigidi, nec calidi estis? Vtrum vtilius (quando nec honesti, nec æqui mouet ratio) animam seruare an perdere? An ignoratis quia Dei leue iugum sursum attrahit, Mammonæ, mundi diaboli deorsum præcipitat? Quid in vtramque partem claudicatis? Nolite vos conformare huic seculo.
3.Reg. 18 Si Dominus est Deus, sequimini eum: si autem Baal, sequimini illum. Non enim duobus potestis seruire Dominis. Ecce hoc modo Christus diuitiarum dissuadet seruitutem eorúmque inutilem conatum arguit, qui Deo se seruire putant & Mammonæ, & quicquid eius. Huc conferant homines studia sua, eáque ex his verbis metiantur & emēdent. Non quidem
Prou.10 habere diuitias & seruire Deo impossibile dixit: ex benedictio
Rom.8 ne enim Dei sunt diuitiæ & diligentibus Deum omnia coo-
Iob.19. 31 perantur in bonum: & Iob, Abraham, aliique multi diui-
Psal.39. tias habuerunt, atque humiles ex ipsis diuitiis participantes pauperibus. Deo seruierunt. Sed tantùm seruitutē & abusum earum vetat: & Dauid qui & ipse diues indignū ratus hominem ad imaginem Dei creatum, vt seruiat Deo soli factum, auaritiæ & diuitiis seruire, monet: si affluant diuitiæ, ne cor
Psal. 61 & affectum apponamus. Atque hinc est quòd Christus consequēter ait: Ideo dico vobis: Ne soliciti sitis animę vestræ quid manducetis, neque corpori vestro quid induamini. Nónne anima plus est quàm esca? & corpus plus quàm vestimētum? Sanè diuitias habere non prohibet. Quanquam vendere omnia & dare pauperibus affectu atq; corpore omnia relinquere, & Christum sequi perfectorum est. Prohibet solicitudinē grauissimis argumentis vt cùm patris bonitatem proponit, priora & maiora ipsius beneficia cōmemorat, ab exemplis mi

nut

nutarum creaturarum auocat. Atq; hic vere, si alibi vsquã patris Dei bonitatẽ prædicat, quemadmodum olim in Psalmis, *Psal. 21* id se facturum promiserat, dicens: Annunciabo nomen tuum, id est, bonitatem tuam, misericordiam & veritatem tuam fratribus meis. Quid autem est quòd patris nomen prædicat *1. Pe. 5* nisi vt plenam erga Deum confidentiam persuadeat, ipsi credamus nos nostráque omnia vt omnium patri, cui cura est de nobis? Sic Dauid de Deo loquens: Non in fortitudine equi, inquit, voluntatem habebit, neque in tibiis viri beneplacitum erit ei. Beneplacitum est domino super timentes eum, & in *Psal. 46* eis qui sperant super misericordia eius. Et iterum: De præpa- *Psal. 32* rato habitaculo suo respexit super omnes qui habitãt terram. Qui finxit sigillatim corda eorum; qui intelligit omnia opera eorum. Non saluatur rex per multam virtutem, & gygas non saluabitur per multitudinem virtutis suæ. Fallax equus ad salutem, in abundantia autem virtutis suæ non saluabitur. Ecce oculi Domini super timentes eum; & in eis qui sperant in misericordia eius. Vt eruat à morte animas eorum, & alat eos in fame. His ac similibus dictis Psalmorum liber plenus est, quibus timor Domini prædicatur tanquam certissimum medium consequendarum diuitiarum. Expresse enim dicit: Beatus ille vir qui timent Dominum, in mandatis eius vo- *Psal. 111* let nimis. Potens in terra erit semen eius, generatio rectorum benedicetur. Gloria & diuitiæ in domo eius. Hinc monet, & ad Dei timorem hortatur. Timete Dominum, inquit, omnes sancti eius, quoniam non est inopia timen- *Psal. 33* tibus eum. Iunior fui etenim, & senui, & non vidi iustum *Psal. 30* derelictum nec semen eius quærens panem. Nouit Dominus dies immaculatorum; & hæreditas illorum in æternum erit. Non confundentur in tempore malo, & in diebus famis saturabuntur. Ipse etiam Dauid hanc Deo tribuit bonitatem, non suæ ipsius industriæ. Dominus, inquit, regit me, & *Psal. 22* nihil mihi deerit, in loco pascuæ ibi me collocauit, super aquã refectionis educauit me, animã meam cõuertit. Nos quoque vnà cum ipso dicere æquum est: Oculi omnium, ô Domine, in te sperãt, & tu das escam illorum in tempore oppor- *Psal. 144* tuno, aperis tu manum tuam, & imples omne animal benedictione. Ac ne nuda hæc verba arbitremur, percurramus veteris & noui testamenti libros, inueniemus ita beneficia Dei mereri, vt iustè hæc illi tribuantur. Quis Israëlem in deserto

cibauit? Deus,cuius hic prædicatur bonitas. At quale hoc be-
Leuit.1 neficium sit cogita. Locus ipse desertum erat. Qui aliundè
adueheret nemo erat. Et ipsi quidem populus multus erant,
Sexcenta millia, quingenti quinquaginta, virorum ad bella
procedentium à viginti annis & supra, exceptis Leuitis, mu-
lieribus ac liberis, quorum haud dubiè numerus maior fuit.
Exod.17 Cibauit hos omnes abundanter & copiose manna & cotur-
Nume.11 nicibus non vno,sed quadraginta annis. Et hanc diuinæ ma-
iestatis bonitatem, quam hic multis exhibuit simul,aliàs sæ-
Gene.16 pe priuatis ostendit. Profectus est Abram de domo patris sui,
Gene.28 omni cognatione ac possessione relicta,in terram ignotam si-
bi,& Deus prouidit illi. Iacob fratrem fugiens pauper Iorda-
nem transiit, at rediens duabus turmis liberorum atque ar-
Gene.32 mentorum venit, vt ipse etiam miraretur ac Deo gratias a-
Gene.37 geret dicens, In baculo meo transiui Iordanem istum, &
nunc cum duabus turmis regredior. Ioseph Aegyptiis à fra-
tribus suis venditus in multam paupertatem & ad carceres
etiam deuenit,at Dominus ditauit eum, & ad eam euexit po-
Gene.42 tentiam, vt Dominus Aegypti, ab ipsis qui vendiderant fra-
3.Reg.17 tribus suis frumentum venderet, rogaretur. Elias ab Iesabel
& 19 persecutus, in montibus petrarúmque fissuris latitabat, at
nunc Dominus per coruum, nunc per Angelum cibauit. Sic
3.Reg.17 farinam quam in Sarepta habebat vidua exiguam multipli-
cauit, vt ipsa cum filio & Elia tribus annis ac sex mensibus
Dani.14 inde sustentarentur. Sic Danielem in Babylone in lacu leo-
4.Reg.4 num per Abacuc,qui in Iudæa erat, escis confortauit. Sic per
Helizæum annonæ tempore paucis panibus centum homi-
Ioan.6 nes cibauit. Ipse Christus quinque panibus quinque milia,&
Mat.15 septem panibus quatuor milia hominum satiauit. Non ergo
nuda verba sunt,quæ Dauid Deo tribuit. At,inquis, fortè non
idem illi erga nos est affectus, non eadem potestas. Ipsum er-
Isa.49 go in Isaia loquentem audi, Nunquid obliuisci potest mulier
infantem suum, vt non misereatur filio vteri sui? Et si illa
oblita fuerit, ego tamen non obliuiscar tui. Ecce in manibus
Psal.102 meis scripsi te. Audi Dauidem, Quomodo miseretur pater fi-
liorum, misertus est Dominus timentibus se, quoniam ipse
cognouit figmentum nostrum. Suauis Dominus non vni ali-
cui, sed vniuersis, & misericordia eius super omnia opera
Psal.44 eius. Rectissimè ergo idem ait, Bonum est sperare in Domi-
Psal.17 no, quàm sperare in principibus. Bonum est confidere in Deo,
quàm

quàm confidere in homine. At potentiæ eius nemo resistit, non est abbreuiata manus Domini. Quæcunque voluit fecit, & quod semper fecit, idem nunc vult. Huius ergo confidentiæ in Deum nos Christus hic admonet, ad hanc spem erigere vult, cùm sollicitudinem vetat. Ne solliciti sitis. Iam vide qua ratione id faciat Christus. Primò beneficiorum acceptorum admonet. Nónne, inquit, anima plus est quàm esca, & corpus plusquàm indumentum? Qui ergo quod præstantius est, dedit, vtique & quod vilius est ministrabit. Si quis ergo bello aut tempestate, aut iniquo iudicio, aut alia quacunque aduersitate calamitatem acceperit, ínque paupertatem redactus fuerit, hanc in manus sumat consolationem, quæ à Deo Opt. Max. acceperit recolligat, & se Deo curæ esse non difficilè intelliget. Deinde ratione sollicitudinem dissuadens, Respicite, inquit, volatilia cæli, quæ non serunt, neque metunt, neque congregant in horrea, & Pater vester cælestis pascit illa. Sic Dauid, Qui dat, inquit iumentis escam ipsorum, & pullis coruorum inuocantibus eum. Duplici autem ratione volucrum exemplo vtitur. Primùm vt pusillanimes erigat. Solet enim indignitatis nostræ conscientia subrepere. Prouidit Israëli, Abraham, Iacob, Ioseph, Eliæ, atque aliis, sed iustis, sed sanctis, mea me peccata tantis beneficiis reddunt indignum. Hanc igitur pusillanimitatem eximit consideratio, quod volucribus, irrationalibus creaturis prospicit Deus. Et id est quod addit, Nónne vos magis pluris estis illis? Si Deus illi creaturæ benefacit, quæ hominis causa facta est, & beneficio Dei eo fruitur, vt homini commodet, multo magis benefaciet Deus homini propter quem illa. Deinde etiam ad arguendam diffidentiam humanam volucrum exemplo vtitur. Volucres nulla prouidentia ac sollicitudine viuunt, tamen pascit illa Deus. Quid vosmet in Dei officium ingeritis? Non vestrum officium, sollicitum esse, sed Dei. Pudor est ab irrationali creatura hac parte præcelli. Et huc pertinet quod dixit, Pater vester pascit illa. Non pater aut creator eorum, sed pater vester. Illis ratione creationis beneficus est. at vobis arctiori vinculo coniunctus est. Creator, Altor, Redemptor, Pater vester est. Et hoc modo alibi ad Formicam, ad Turturem, Hirundinem, Miluum respicere docet. Quanquam & ideo volucrum posuit exemplum, vt quemadmodum illæ in terra alimenta quidem quærunt, in aëre verò cantus vola-

Mat.6

Psal.144

túsque

túsque exercituum habent, ita nos quoque in terra præter victum & amictum nihil quæramus, quod reliquum est cælestibus impendamus. Non autem quemadmodum volucres cæli neque serunt, neque metunt, neque in horrea congregant, ita & vobis nihil laborandúm est, sed vt quemadmodum illæ sine solicitudine simus, ideo illorum exemplo vsus est. Laborem ipse à nobis requirit, solicitudinem in se proiici vult. Homo enim ad laborem natus est, quemadmodum ad volandum
Gen.3 auis. Et Dauid beatum hominem dicit, qui de labore ma-
Iob 5 nuum suarum manducat. Et Paulus cibum non laboranti ne-
Psal.127 gat, vult autem vt laboremus, non solùm vt manducemus, verumetiam vt habeamus vnde necessitatem patienti tribuamus. Quòd si quis ergo cælitus sibi, præter necessitatem,
Mat.6 sine labore, victum speret dari, Deum tentat. Ne solliciti sitis quid manducetis, laborate tamen vt manducetis. Adhæc & liliorum exemplum posuit, quo idem vult, quod illo volucrum exemplo Considerate, inquit, lilia agri quomodo crescunt. Non laborant neque nent. Dico autem vobis quòd nec Salomon in omni gloria sua coopertus est sicut vnum ex his. Si ergo fœnum agri quod hodie est, & cras in clibanum mittitur Deus sic vestit, quanto magis vos modicæ fidei? Hic totius orbis campum consideremus, quàm varias terra florum atque herbarum proferat species, & accendamur non solùm admirari diuinam illam prouidentiam, quæ hæc omnia tam variè disponit, verumetiam ac multo magis paternam illam extollamus voluntatem, cui hæc placuit, cum ad vtilitatem, tum ad exemplum vitæ nostræ omnium oculis exponere. Hoc enim isthæc volunt exempla, quando Patrem Deum confitemur, qui tanta bonitate omnibus creaturis prospicit, cur vos soliciti sitis non est, vos inquam, quibus iam olim maiora contulit, quos ad immortalitatem creauit, ad æternam nominis sui gloriam præparauit, quibus ratione prædictas contulit animas, quorum causa omnia fecit visibilia, quibus filium proprium misit, quos denique in filiorum adoptionem suscepit. Quòd si nullo horum tangimini, vt deposita solicitudine, patri vestro credatis, curámq; vestram in illum reponatis. Agite, quis vestrum cogitans potest adiicere ad staturam suam cubitum vnum? Sine me laboratis, sine me soliciti estis, quid efficitis? Non solùm cura vestra & solicitudo, verumetiam labor vester, sine mea benedictione, vel

vobis

vobis ipsis testibus, deperit. Et certè ita vsu venire comperimus. Idque ideo Deus sciens ac videns permittit, quòd nostræ solicitudini nimium tribuimus, Dei prouidentiæ omnia detrahimus. Hinc annonæ qualibet ex causa, caritas. Vt ipse in Aggæo propheta testatur, Ponite corda vestra super vias vestras. Seminastis multum, & intulistis parum. Comedistis, & non estis satiati, bibistis, & non estis inebriati. Operuisti vos, & non estis calefacti. Et qui mercedes congregauit, misit eas in saculum pertusum. Sed vt maximè sine me vobis prospiciatis variis curis & solicitudinibus huius vitæ suffocati. An verò vos isthæc absque me tentare æquum est? An mei nominis honorem obscurare vos dignum? At obscuratis, cùm meæ prouidentiæ diffiditis, cùm voluntati resistitis, cùm scientiæ meæ detrahitis. Adhuc dico, scit pater vester quia his omnibus indigetis. Hoc sentire gentium incredulorum est, qui nec me, nec patrem meum nouerunt. Gentes, inquam, qui nec de prouidentia, nec de voluntate, nec denique de scientia mea quicquam audiuerunt, hæc inquirunt. Hi scientiam patris aut ad Lunam, aut ad magnates tantùm descendere arbitrantur. Hi quoque de futura vita nihil norunt. Propterea se hic diuitiis exatiare conantur. At vos aliquando tenebræ eratis, nunc autem lux in Domino, abluti estis, sanctificati estis, quòd Pater propè sit omnibus inuocantibus eum, quòd vos in ipso sitis quicquid estis, quòd in ipso moueamini & viuatis, quòd ipse cælum terrámque adimpleat didicistis. Vos non huic, sed multis nominibus meliori vitæ præparati estis. Proinde nec sperare in incerto diuitiarum vestrum est, nec velle ditescere quoniam spes illa falsa est, & hoc velle est in laqueos diaboli incidere. Quærant ergo alij pro suo arbitratu necessaria, quærant nociua, vos autem regnum Dei & iustitiã eius quærite, quærite primùm, quærite sedulò, & hæc omnia adiicientur vobis. Hic Christi ille sermo, hæc Dei voluntas. Cæterùm regnum Dei hîc non vitam illam beatam, vt alibi, intelligimus. Habet Deus in hac etiam vita regnum suum. Regnum Dei vos estis, inquit Christus. Non est, inquit Paulus, regnum Dei esca & potus, sed iustitia & pax & gaudium in Spiritusancto. Hoc regnum Christus in nobis erigit, per ipsum enim iustificamur, pacem & conscientiæ gaudium consequimur. Et super hoc regnum ipse constitutus est à patre rex, virgam habens æquam, nempe virtutis suæ verbum, quo

Aggæi 1
Mat. 6
Iob 21
Act. 17
Hier. 23
1. Tim. 6
Luc. 12. 17 & 21
Luc. 17
Rom. 14

Psal.2 quo regnat in domo Iacob in æternum. Quemadmodum ad
Psal.44 Pilatum ait, Ego in hoc veni in mundum, vt testimonium
Luc.1 perhibeam veritati. Quicunque ex veritate est, audit vocem
Ioan.18 meam. Et iterum, Si quis diligit me, sermonem meum serua-
Ioan.14 bit, & Pater meus diliget eum, & mansionem apud eum faciemus. Vbi ergo Deus in homine habitat, illic Deo omnia subiecta sunt, corpus, anima, vita, cogitationes, verba, opera, intellectus, memoria, voluntas, omnésque potentiæ animæ,
1.Cor.3 imò ipsi templum Dei efficimur. Hoc regnum primum quærendum, huius iustitia, id est, vita recta, quæ in Dei domo ambulantes decet, primum inuestiganda est, sic enim non solùm quæ ad hanc vitam necessaria sunt, verumetiam ipsum regnum cælorum. Plena atque perfecta beatitudo apponitur nobis, tantùm vt hic Spiritu viuentes, Spiritu ambulemus,
Gala.6 non facientes desideria carnis. Hunc ordinem rerum Deus disposuit. Sed nostra incredulitas fideíque paruitas hunc ordinem inuertit, quod primum necesse erat quærere, postponimus, anteuertimus postponenda. In hæc igitur Christi verba oculos ac mentes conuertamus, prouidentiam, voluntatem atque scientiam Dei cogitemus, quæ antè largitus est cogitemus, atque ex iis aut solicitudinem indignam credentibus abiiciamus. Mammonæ iugum discutiamus, aut nosmet in ærumnis nostris consolemur, Deo seruientes, regnũ Dei iustitiámq; eius quæramus. Gratia Dei cũ omnibus nobis. Amen.

DOMINICA DECIMASEPTIMA POST PENTECOST.

EVANG. LVC. VII.

ET factum est: deinceps ibat Iesus in ciuitatem quæ vocatur Naim, & ibant cum eo discipuli eius, & turba copiosa. Cum autem appropinquaret portę ciuitatis, ecce defunctus efferebatur filius vnicús matris suæ. Et hæc vidua erat, & turba ciuitatis multa cum illa. Quam cum vidisset Dominus misericordia motus super eam, dixit illi, Noli flere. Et accessit, tetigit loculum. Hi autem qui portabant stete

ſteterunt. Et ait: Adoleſcens, tibi dico ſurge. Et reſedit qui erat mortuus, & cœpit loqui, & dedit illum matri ſuæ. Accepit autem omnes timor, & magnificab ant Deũ, dicentes: Quia Propheta magnus ſurrexit in nobis, & quia Deus viſitauit plebẽ ſuam.

EADEM DOMINICA
EPISTOLA.
EPHES. III.

PRopter quod peto ne deficiatis in tribulationibus meis pro vobis, quæ eſt gloria veſtra. Huius rei gratia flecto genua mea ad Patrem Domini noſtri Ieſu Chriſti, ex quo omnis paternitas in cælis & in terra nominatur, vt det vobis ſecundum diuitias gloriæ ſuæ virtutem corroborari per ſpiritum eius in interiori homine Chriſtum habitare per fidem in cordibus veſtris in charitate radicati & fundati, vt poſſitis cõprehendere cum omnibus ſanctis, quæ ſit latitudo & longitudo, & ſublimitas & profundum. Scire etiã ſupereminentiam ſcientiæ charitatis Chriſti, vt adimpleamini in omnem plenitudinem Dei. Ei autem qui potens eſt omnia facere ſuperabũdanter quod petimus aut intelligimus, ſecundum virtutem quæ operatur in nobis, ipſi gloria in Eccleſia & in Chriſto Ieſu in omnes generationes ſeculi ſeculorum, Amen.

SERMO.

PRæter multa, quibus hoc Euangelium plenum eſt, pietatis exempla, duo potiſſimum hic propoſita ſunt. Primò quid nos ſimus, deinde etiam quid erga nos Chriſtus. Quanquam autem ſuperioribus quoq; aliquot ſermonibus vtriuſq; horum facta ſit mẽtio, neceſſe tamen eſt iterum atque iterum hominibus inculcari res, ſine quarum cognitione ſolida, me-

ditationéq; sedula, verè Christiani esse nõ possumus. Vtriusq; testamenti Scriptura vbique ferè hæc duo monet, nempè vt nosmet cognoscamus & Deum. Et quare eadem nõ docerentur sæpius in Ecclesia? Si te vel superbia humo solicitat, si tumor mentem extollit: vel miseriarum huius vitæ cogitatio deiicit, si desperatio premit, huc aduerte animum, & disces nullam Christianis superbiendi relictam occasionem, nec vllo modo dubitandũ esse iis, qui sub tanti ducis Christi signis militant. Misera huius vitæ conditio est, quæ meritò premit & angit. Sed tamen tanta non est, quin mitior fiat, & quasi diffluat si quis rectè in hoc Christi factum animum intendat. E Naim effertur funus, & hic adolescens filius vnicus matris viduæ. Flet mater orbata filio, totáque ciuitas aut cum eo gemit casus indignos, aut de imminenti sibi cõqueritur exitio. Expressa imago hæc est totius humanæ naturę. Vita enim nostra ortus & occasus est. Quid ergo? An nobis de morte instituenda est querela? Querantur ij quibus in hoc mundo pax est & securitas, quibus Christi domini nostri nulla cognitio est, quibus spes resurrectionis non est. Nobis hic mundus carcer, nobis futuræ & beatioris vitæ spes est. Spes, inquam, viua quam in nobis Spiritus peperit Dei, quam Christus vitæ largitor hoc miraculo confirmauit. Hoc enim quod semel in adolescente ostendit, cũ iudex venerit, in nobis complebit perfectius, quod hunc rursus ad corruptibilem vitam, nos autem ad immortalitatem excitaturus est. Et ideo quidem hoc fecit, vt quod in nobis facturus est, firmius credatur. Sicut enim pater suscitat mortuos & viuificat, sic & filius quos vult viuificat. Qualis hic erat, tales nos erimus, idem quoque Christus erit. Sic itaque excitati adolescentis historia nobis commodabit, si quid nos sumus, in defuncto intellexerimus, & quid Christus facturus sit, hoc facto edocti crediderimus. Alias enim nihil proderit hæc intelligere facta esse. Suam Scriptura sacra retinet naturam, quæ vbique, at hic maximè Christum ostendit, quem Deus propitiatorem omnium proposuit. Sed necesse est Euangelicos adesse auditores. Alia enim hic requiritur fides, alia deuotio, alia intentio, quàm si Hannibalis, aut Iulij Cæsaris victorias legeris. Cùm enim nostri causa scriptum est, quicquid Euangelistæ de Christo testantur, vbique salus, vbique vita proponitur. Agite ergo aures arrigamus, mentésque huc ac-

cómmodemus, thesaurum vitæ æternæ, ipsum Christum suis coloribus depictum, in hoc Euangelio quæramus, quæsitum in ima pectoris nostri abscondamus, vt cum gaudio per huius vitæ miserias transeamus. Multi hæc de Christo videre & audire concupiuerunt, sed non audiuerũt. Regina *Luce* 10
Saba semel Salomonis cognouit sapientiam, & beatos iudicauit viros & seruos eius, qui coram ipso stantes, semper au- *3.Reg.* 10
dirent ipsum. Nos Salomone multo maiorem hic audimus, & quis beatitudinis nostræ excellentiam æstimare posset, si *Matt.* 12
vti æquum est & oportet, ipsum agnosceremus? Agnoscemus autem si prius nostras miserias didicerimus. Non enim medici scitur præstantia, nisi cognito prius morbi periculo. Ipsum ergo Euangelistam audiamus. Ecce, inquit, defunctus efferebatur filius vnicus matris suæ. Et hæc vidua erat, *Luce* 7
& turba ciuitatis multa cum illa. Lege quicquid vsquam literis traditum est. Vide quid nunc in mundo fiat, & iudica, non tota hæc vita veluti processio quædam & comitatus ad sepulchrum? Quotidie morimur, quotidie sepelimur. Tot enim passibus sepulchro viciniores simus, quot dies viuimus. Nec est quò effugiamus. Fuerunt quidem qui obseratis val- *Isa.* 14
uis hæc humanæ calamitatis spectacula à liberorum secludere conati sunt oculis, ne scilicet aliorum exemplis imminentes sibi miserias timerent. Tum hodie etiam quosdam eò deserta petere, montiúmque cacumina incolere videas, quo communes miserias euitare possint. Alios quoque non *Ierem.* 9
nisi obturatis naribus proximum limen transire. Sed frustra sudant. Inimicam mortem sinu fouemus, & omnia licet occludas, ipsa tamen ascendit per fenestras. Discumbenti tibi in patinis est, ambulantem te vmbræ in morem sequitur, dormienti tibi accubat, quicquid agis aut coram est, aut miseriis anteambulonibus suis importunis solicitatoribus, vt te in imperium suum trahant, aut mox ad futuram prænuntiant. Legatis vtitur. Hinc ille omnium lacrymæ, hinc fletus & gemitus. Homo, inquit Iob, natus de muliere *Iob* 14
breui viuens tempore, repletur multis miseriis. Qui quasi flos egreditur & conteritur, & fugit velut vmbra, & nunquam in eodem statu permanet. Et Isaias, Formido, inquit, & fouea & laqueus super te, qui habitator es terræ. Et erit qui fugerit à voce formidinis, cadet in foueam, & qui se explicauerit de fouea, tenebitur à laqueo: quia cataractæ

cæli de excelsis apertæ sunt, & concutientur fundamenta terræ. Hinc etiam gentium Philosophorum vox illa: Optimum esse omnino non nasci, aut certè mox natum interire. Quam sententiam Salomon his verbis scriptam reliquit, Vidi calumnias, quæ sub Sole geruntur, & lacrymas innocentium: Et laudaui magis mortuos, quàm viuentes, & fœliciorem vtroque iudicaui, qui nec dum natus est, nec vidit mala, quæ sub Sole fiunt. Hinc Dauid conquerebatur: Viuit dominus, & viuit anima mea, quia vno tantum gradu (vt ita dicam) ego & mors diuidimur. Idémque in persona Christi mortalium ærumnas significantis: Præoccupauerunt me, inquit, laquei & gemitus mortis, dolores inferni circundederunt me. Hinc Paulus gemebunda voce pericula sua enarrans, supra modum & supra virtutem grauatum fuisse se ait, ita vt tæduerit vitæ. Hoc est ergo mortem per fenestras ascendere, vbique inuida iustorum legatorum importunissimorum solicitatione anxios reddere. Nulli parcet, duplici nimirum causa suam in omnes exercet tyrannidem: & quòd filij Adæ, cui dictum est: Terra es, & in terram ibis; & quòd ipsi peccatores sumus, peccatíque stipendium sit ipsa mors, & propter peccata ira Dei venit super filios diffidentiæ. Nullo igitur mouetur: non ætatem, non claros natales, non potentiam, non honorem, non sapientiam, non eloquentiam, non ædificia, non arma, non voluptates, non diuitias respicit. Vnde non incommodè Iosue viam vniuersæ carnis dixit, Omnis enim caro fœnum, & omnis gloria eius, quasi flos agri: Exsiccatum est fœnum, & cecidit flos. Verbum autem Domini stabit in æternum. Omnes morimur, & quasi aquæ dilabimur in terram, quæ non reuertuntur, nec est homo qui viuit, & non videbit mortem. Et quid refert quis prior aut posterior, cum serius aut citius sedem properamus ad vnam? Ecce huius nos mors adolescẽtis admonet, admonent vicinæ propinquorum mortes, quotidiana funera, quibus id agitur, vt discamus nos esse mortales: & non timere mortem, sed benè viuere. Valet enim plurimum mortis huius meditatio sedula. Vt Salomon ait: Memorare nouissima & in æternum non peccabis. Cur autem timebimus, quæ velimus, nolimus, euitari non potest. Est aliud genus mortis, quod timendum est, quia euitari potest. Mors, inquam, secunda, mors animæ, mors iustitiæ

Eccle. 4 · *2. Reg. 20* · *2. Cor. 1* · *Gene. 3* · *Ephes. 5* · *Iosue 25* · *2. Reg. 14* · *2. Reg. 14* · *Psal. 88* · *Eccle. 7*

ſtitiæ, quum mortui iuſtitiæ, viuimus peccato, mortui anima, viuimus ſecundum carnem, mortui Deo viuimus mundo. Hæc timenda eſt, ſolicitè euitanda eſt, fugienda eſt. Eo enim hæc eſt horribilior, quo anima corpore nobilior, quæ vt corporis mors hominem his bonis priuat, ita cæleſtibus & ſpiritualibus donis exuit. Exuit honore & ſcientia, vt Dauid ait: Homo cum in honore eſſet, non intellexit, comparatus eſt iumentis inſipientibus, & ſimilis factus eſt illis. Sic nomen eius in manibus Dei ſcriptum eſt. Qui enim peccauerit, ipſe delebitur de libro domini. Sed & nomen & famam in hominibus expungit. Memoria iuſti, inquit Salomon, cum laudibus, & nomen impiorum putreſcet. Sic ſpoliat diuitiis cæteris. Qui enim habet, id eſt, qui viuens iuſtitiæ, donis datis bene vtitur, huic dabitur. Qui verò non habet, hoc eſt, qui conceſsis donis abutitur, eo quod videtur habere, ſpoliabitur. Sic & amicitiam ſuorum familiarium abdicat. Amici noſtri angeli Dei ſunt, quibus noſtri curam habere Deus præcepit: Angelis ſuis mandauit de te, vt cuſtodiant te in omnibus viis tuis. Vnde ipſi angeli in Ieremia loquuntur: Curauimus Babylonem, & non eſt ſanata. Derelinquamus eam, & eamus vnuſquiſque in terram ſuam. Et quid de angelis amicis noſtris dico? Ipſum Deum bonorum omnium fontem, ſummum bonum, vitam noſtram, longitudinem dierum noſtrorum, hac animæ morte per peccatum perdimus. Nam quod in corpore anima, hoc in anima operatur Deus. Tolle animam à corpore, & erit mortuum corpus. Tolle ab anima Deum, & erit emortua anima. Quid autem miſerabilius, deſperatiúſque homine tot tantiſque neceſſariis ſpiritualis vitæ bonis priuato? Hæc ergo amplius timenda eſt. Imò ſola timenda. Sola enim ad perditionem ducit. Non autem timenda ſolum, verumetiam cauenda. Cauebitur autem, ſi feneſtras pectoris noſtri, per quas peccato & morti aditum patefecimus, occluſerimus, ſi corde contrito & ſuſpiriis vitam noſtram ad nos euocauerimus, imò ſi nos ipſi appropinquauerimus, vt enim tenebræ ita & mors. Accedit lumen, fugantur tenebræ, appropriat vita, recedit mors. Vita noſtra Chriſtus eſt. Ego ſum (inquit) reſurrectio & vita, qui credit in me, etiam ſi mortuus fuerit viuet, & omnis qui viuit & credit in me non morietur in æternum. An autem non eſt vita, in quo viuunt cuncta?

Pſal. 48 · *Exodi 32* · *Prou. 10* · *Luca 19* · *Pſal. 90* · *Iere. 51* · *Deut. 30* · *Vita noſtra Chriſtus eſt* · *Ioan. 11*

Galat.2 Viuo (inquit Paulus) iam non ego, viuit verò in me Christus. Vis amplius scire quia Christus vita est, quia ipse *Osea 13* mortem aufert, & vitam largitur? Audi quid in Oseæ dicat. De manu mortis liberabo populum meum, de morte *Osea 14* redimam eum. Ero mors tua ô mors, morsus tuus ero inferne. Et mox: Sanabo contritiones eorum, diligam eos spontaneè, quia auersus est furor meus ab eis. Et quasi ros Israël, germinabit sicut lilium. Duas hic promissiones audis. Quòd sanare contritiones, & liberare de manu mortis velit. An non vtranque hic impleuit? An non matris viduæ contritiones ex filij morte spontaneè, tam promptè, non rogatus, verbo sanauit? Mater vrbem lugubris plena contritionibus exierat, filius mortuus efferebatur: sed Christus & illam lætam de vita filij, & filium viuum reuerti in vrbem fecit. Duo hæc vt communissima, ita opportunissima mala, contritio, siue tristitia, & mors. Quàm charus omnibus, & in quanto precio haberetur medicus, qui alterum horum maximis etiam impensis posset hominibus auferre? Ecce autem Christum vitam tuam, qui verbo vtrunque adimit. Non hoc in loco solùm eam potentiam vel vitæ autor ostendit. Nam & defunctam Iairi filiolam, & quatriduanum Lazarum ea-*Matth.9* dem vi atque virtute excitauit. Excitauerunt & Elias & *Ioan.11* Helizeus mortuos. non propria virtute, sed aliena. At Chri-*3.Reg.14* stus propria virtute, vnóque verbo: Adolescens, inquit, tibi dico, surge: Et resedit qui erat mortuus. Lazaro dixit: *4.Reg.4* Veni foras, & statim prodiit qui erat mortuus. Sic & alias contritiones sanauit verbo. Leproso dixit: Mundare, & statim *Luca 7* mundatus est à lepra sua. Surdo & muto ait: Epheta, & sta-*Matt.8.* tim solutū est vinculum linguæ eius: Ecce eundem tibi artificem illum, qui in principio verbo suo creauit cælum & ter-*Marc.7* ram, qui dixit, & omnia facta sunt, qui mandauit, & creata sunt. Iudæi scissis vestibus blasphemiam putabant, quòd se *Gene.1* filium Dei assereraret sæpè eam ob causam lapidare volebant. Romani indignum iudicabant qui suorū Deorum ad-*Matt.2* deretur catalogo. Iulianus Apostata cõtumeliosè Galilæum vocat, Celsus Magū, Arrius creaturam. Sed omnes hoc vnum *Ioan.8.* factum confundit. Vnde cõfidenter postea Apostoli Christum *& 10* Deum, vitæq; autorem prædicarūt, qui mors mortis, morsus factus esset inferni, populum suum de manu mortis liberasset

rasset, omnésque cõtritiones suorum sanasset. Notum sit omnibus vobis & omni plebi Israël, Petrus, inquit, quia in nomine domini nostri Iesu Christi Nazareni, quem vos crucifixistis, quem Deus suscitauit à mortuis, in hoc iste astat coram vobis sanus. Sed inquis, quid hoc prodest, quòd in aliis, iísque paucissimis factum est, quod commodum mihi est quia Christus vita est? Ipsa ergo prophetæ Oseæ verba attende: De manu mortis liberabo eos, de morte redimam eos. Ecce non de vno loquitur, sed de multis, imò de omnibus. Adde quod morti infernóque minitatur. Mors, inquit, tua ero ô mors, morsus tuus ero inferne. Quæ certè plena consolationis verba sunt, in quibus ipse etiam Paulus triumphat. Vbi est, inquit, mors victoria tua, vbi est mors stimulus tuus? Deo autem gratias qui dedit nobis victoriam per dominum Iesum Christum. Ecce Paulum hæc eadẽ promissionis verba de Christo interpretantem, & in ipsis gloriantem. Et cur non de Christo intelligerentur, qui tam manifestè ea compleuit? Ipsum factum Christi testatur, quia ipse est, qui in propheta iis verbis locutus est, De morte redimam eos. Neque enim tale quid vnquam humanis oculis visum fuit. Non dolus facto suberat. Omnes norant adolescentem mortuum pompa, funebris instituta, fouea parata fuit, portatores suis cadauer ferebant humeris, mater filij vnici morte mœsta sequebatur, multáque ciuitatis turba cum illa, nec quisquam hæc de Christo sperare fuisset ausus. Christus ergo vita nostra, hunc excitans adolescentem, se in propheta locutum, & hanc suam promissionem ad nos quoque pertinere testatur, qui non de vno, sed de multis locutus sit. Tum etiam omnes aduersarios confundit, qui hanc illi potentiam quantum in se est adimunt. Nos autem hac consolatione fruamur, quòd vita ipse tristitiam vitæ huius mortémque animæ propulset, ac amaritudinem corporeæ mortis tollat. Amaritudinem dico, non ipsam mortem. Non quia non possit & mortem ipsam corporis tollere, sed quia illud alterius temporis est: quicquid enim natum est ex carne in mundum, vt caro transibit ex mundo. Quos tamen Christus vult ab amaritudine mortis liberat. Amen amen dico vobis, si qui sermonem meum seruauerit, non videbit mortem in æternum. Et hoc testantur tot martyrum mortes, qui omnes quidem ipsam mortem perpessi sunt, sed mortem, id est, amaritudinem mortis non viderunt, eò

Act. 4

1. Cor. 15

Ioan. 8

quòd Christum vitam secum in tribulationibus haberent
2.Cor.1 qui se eriperet. Vnde Paulus (qui se alibi supra modum atque virtutem tribulationibus iactatum fatetur, ita vt tæduerit viuere) confidenter ait: Benedictus Deus & pater Domini nostri Iesu Christi, pater misericordiarum & Deus totius consolationis, qui consolatur nos in omni tribulatione nostra, vt possimus & ipsi consolari eos, qui in omni pressura sunt. Hic, inquam, Apostolus supra modum iactatus, mortis tamen amaritudinem non vidit. Et quid mirum eum non vidisse mortem, qui in omni loco sine intermissione gemitibus & lacrymis Christum vitam secum retinuit?
Actor.7 Aut quomodo vidisset mortem, qui cupiuit dissolui & esse cum Christo? Sic Stephanus mortem non vidit, qui Iesum filium Dei apertis cælis à dextris Dei vidit. Sic Dauid licet vndique impeteretur ab hostibus, mortem non vidit. Alioqui quomodo non timuisset mortem? Sed non timuit, quam desiderio vitæ melioris elongari conquestus est. Hei mihi (inquit) quia incolatus meus prolongatus est. O igitur beatum hominem, beatam illam domum & vrbem,
Matt. 8 vbi Christus præsto est. O te beatam Nain, quæ vita Christo præsente, quem efferebas mortuum recepisti viuum. Non potest non vita reddi vbicunque Christus vita mirabi-
Matt.9 lia sua operatur. Venit vita in domum Petri, & socrus eius liberatur à febri. Mortuus erat iustitiæ Matthæus, venit vita Christus, reddidit vitæ, & ex Publicano fecit Apostolum. Sepultus (vt ita dicam) erat Zachæus diues & princeps
Luc.19 Publicanorum, venit Christus, & totam domum vitæ reddidit, ipsúmque patrem familiàs mortuæ familiæ filium fecit Abrahæ. Adeo non habet mors locum vbi Christus vita coram est, vt Martha fratris sui Lazari mortem absen-
Ioan. 11 tiæ imputauerit Domini. Domine, inquit, si tu fuisses hic,
Deut.13 frater meus non fuisset mortuus. Verè quia non est Deus mecum inuenerunt me hæc mala. Sed apertissimè omnium in Iudæorum gente videre est, quæ contritiones, quæ amaritudo sit vbi Christus medicus & vita non est. Et hoc est quod Moses vult, cum petit vt Deus præcedat populum, & quod
2.para.12 Deus pollicetur: Ego tecum. Vnde ipse dixit: Ego vado, & quæretis me sed non inuenietis & in peccato vestro moriemini, vos reliquistis me, & ego reliqui vos. Videmus ergo qua causa tot tantáque in nobis mala sunt, cur tam nulla securi-

tas, nulla tranquillitas: cur etiã tam pusillanimes ad quoslibet perturbationũ riuusculos concutiamur. Multas Christus ciuitates transierat, quæ haud dubiè & mortuos adolescentes & viduas habuerunt flentes, sed nõ in omnibus excitauit mortuos, licet vbique eadem illi voluntas, eadem fuerit potestas. *Ioan.4*
Nam & cibus eius est, eiusmodi factis voluntatẽ implere patris. Et quæ causa? Alios vrbis tenuit voluptas, cõsuetudo peccati impediuit, ne ciuitatem exirent, mortuũ efferrent, peccata relinquerent. Nunquam suscitatus fuisset ad eam vitam adolescens, si non vrbe elatus Christo venisset obuiam. Vnde duò nos Scriptura monet, vt mortem animę linquamus, & vitam quæramus, hoc est peccata fugiamus, & in Christo iustitiæ viuamus. Resistite diabolo, et fugiet à vobis, appropiate Deo, & appropinquabit vobis. Et Paulus, Surge qui dormis, & exurge à mortuis, & illuminabit te Christus. Quod autem non exurgimus, quòd Deo per pœnitentiam non appropinquamus, quòd medicum qui contritiones sanet, vitam quæ mortem adimat, non quærimus, hæc potissimùm causa est, quòd sine prouidentia Dei, fato quodam contritiones & mortem euenire, vitámque futuram nobis persuademus. Et potest quidem creatura occidere, animam auferre, multásque contritiones inferre, vt diabolus, homines iniqui, belluæ, feræque & venena. Sed nec sanare possunt contritiones, nec auferre quam intulerunt mortem. At Deus dicere potest: Videte quòd ego sum solus: & non sit alius Deus præter me. Ego occidam, & ego viuere faciam, percutiam & sanabo, & non est qui de manu mea possit eruere. Verè enim sine illius voluntate ne capillus quidem de capite nostro decidit. Quantò minus illo nescio vel morimur vel reuiuiscemus? Et quanquam Euangelista hoc tantum scripserit, quòd adolescentem hunc Christus à morte excitauit: non autem quòd eundem mori permiserit, tamẽ vt per ipsum suscitatus est, ita non sine illius dispositione mortuus est. Nã & eadẽ diuinitatis dispositione cæcus natus est, & à Christo visum recepit, & Lazarus mortuus atque sepultus est, & postea resuscitatus: est nẽpè vt vtrobiq; Dei opera manifestarentur. Et hoc voluit cum ait: Ego occidam, & ego viuere faciam. Quicunque ergo considerauerit Deum adolescentem robustum, potentem, sine impedimento mortificare & ad infernũ deducere facilè intelliget quid Dauid velit cum ait: Ti

Iacobi 4
Ephes. 3
Deut.32
Ioan.9
Ioan.11
Psal.79

mebunt gentes nomen tuum, & omnes reges terræ gloriam
*Psal.*113 tuam. Contrà verò qui eundem Christum tam facilè sine omni labore ac pugna vitæ restituere cognouerit, idem sentiet quæ spes, quæ fiducia sit iis, qui timent dominum, quoniam ipse adiutor & protector eorum est. Vtrumque autem eo modo cogitare necesse est. Neque enim consideratur, quæ sit operum Christi maiestas, nisi in eodem qui viuificat mor-
Ioan. 6 tis imperium credatur. Et hæc summa est vt misericordem cum non occidit agnoscamus, potentem verò cùm viuificat
*Psal.*79 credamus. Verùm enimvero satis non est, si tete noris, & Christo occidendi viuificandique vim tribuas, si cum Petro
*Psalm.*16 dicas: Domine verba vitæ habes. & cũ Dauide: Nõ discedimus à te, viuificabis nos, & nomen tuum inuocabimus. Hi in curribus & equis, nos autem in nomine domini inuocabimus. Vitæ normam sequamur, exempla imitemur. Nam vt fidem nostram confirmat, ita etiam vitam instruit hæc lectio. Ecce populi sequentis dominum quam imitabere constantiam. Sic enim fides requirit, vt quod benè cœptum est in nobis, perficiatur. Ecce condolescentiam totius ciuitatis,
*Luc.*7 qua casus miserentur viduæ. Turba, inquit Lucas, ciuitatis multa cum illa. Hæc illa celebrata Scripturis misericor-
Sepultura dia, qua & mortuis officia dilectionis impendimus. De Tobia enim scriptura loquitur, quòd in ipsa etiam captiuitate
Tob. 1 mortuis atque occisis sepulturam solicitus exhibuerit. Vnde etiam Angelus ad eum, Cum orabas cum lacrymis, &
Tob. 12 sepeliebas mortuos & derelinquebas prandium, & mortuos abscondebas per diem in domo tua: & nocte sepeliebas eos,
2. *Reg.* 2 ego obtuli orationem tuam domino. Hinc Dauid viris Iabes Galaad gratulatur, quòd sepelissent regem Saul, dicens: Benedicti vos à domino, qui fecistis misericordiam hanc domino vestro Saul, & sepelistis eum. Et nunc retribuet vobis quidem dominus misericordiam & veritatem, & ego reddam gratiam, eò quòd fecistis verbum istud. Hæc exempla sequi præstaret multò quàm quærere, sint ne lugendi mor-
Ad lugendum. tui, an nullo affectu potius debeamus tangi. Quidam omnino non decere volunt Christianos lugere mortuos.
1. *Thes.* 4 Nam & Paulus huius mentionem faciens ait: Nolumus vos ignorare de dormientibus, vt non contristemini, sicut & cæteri qui spem non habent. Non dicit, non esse lugendum omnino: sed sicut ij, qui spem non habent luge-

re vetat. Dedecet Christianos inordinatis vestibus maiorem affectare dolorem, quàm animus sentit. Non enim Christus hanc hypocrisin in credentibus suis tolerat. Neque tamen argui debet mediocris dolor & luctus dummodo ex fide & dilectione proficiscatur. Ita enim veteres patres fecisse legimus. Quin etiam licet credẽtibus omnia esse ad bonum sciat, imperare sibi humanus affectus in morte & quacũque proximi calamitate nequit. Id quod in Paulo videre est, qui licet plenus Spiritusancto, ob id tamen quòd Epaphroditum à morte liberasset, lætatur, & ipsum cum omni gaudio suscipiendum monet. At quis vnquam ea plenitudine Spiritum Dei, qua Christus habere potuit? Quis immobilior constantiórque illo? Verùm quia hominum amator ipse homo futuri interitum populi illius præuideret, à lacrymis ipse non abstinuit. Sic & apud Lazari sepulchrum illacrymatus est. Et quid multis? Ipsa natura & humani affectus viscera mortes lugent propinquorum. At fides modum imponit, & non mortuos sed Deo viuas animas, corpora etiam per Christi maiestatem aliquando excitanda, docet. Sic præter decorem cuiusque personæ pompa instruenda non est. Sepultura honorifica Christianos non dedecet. Ioseph emortuum patris corpus Aegypto in terram Chanaan cum bono re demit. Superbia vbique vitanda, imò nec toleranda est. Iam verò Christi exemplum consideremus. Consolatur viduam. Noli flere, ait: móxque lacrymas eius conuertit in gaudium. In tanta ciuitatis turba, non potentem, non diuitem, sed viduam pauperculam, vnico filio orbatam videt, huius miseriis tangitur, vt verè dixerit Psalmista: Tibi domine derelictus est pauper, orphano tu eris adiutor. Et: Dominus custodit aduenam, pupillum & viduam suscipiet, & vias peccatorum disperdet. Et iterum: Quis sicut Dominus Deus noster, qui in altis habitat & humilia respicit in cælo & in terra. Ipse pater orphanorum & iudex viduarum. Non despiciet preces pupilli, nec viduam si effundat loquelam gemitus. Nónne lacrymæ viduæ ad maxillam descendunt, & exclamatio eius superеducentem eos? A maxilla enim ascendunt vsque ad cælum, & Dominus exauditor non delectabitur in illis. Hinc Moses monet: Aduenam non contristabitis, viduæ & pupillo non nocebitis. Si læseritis eos, vociferabuntur ad me, &

Philip.2 *Luc.19.* *Ioan.11.* *Genes.50.* *Viduarum & pupillorum cau-sa.* *Psalm.9* *Psal.145* *Psal.112* *Psal.67* *Psal.35.*

& ego audiam clamorẽ eorum, & indignabitur furor meus, percutiámque vos gladio, & erunt vxores vestræ viduæ & filij vestri pupilli. Christus ergo cum hoc facto se iudicem viduarum ostendit, tum nos quoque vt se sequamur monet, vt
Iob 29 causa viduæ, & pupilli defensio ad nos ingrediatur. Id quod Iob sanctus de seipso testatur, qui se pauperem vociferantem liberasse & pupillum, & eum cui non esset adiutor, & cor vi-
Mat.11 duæ consolatum esse enumerat. Hinc etiam Christus ad suum
Ioan.13 exemplum sequendum monet, Discite à me, quia mitis &
1.Ioan.2 humilis sum corde. Exemplum dedi vobis, vt quemadmodum ego, ita & vos faciatis. Et Ioannes, Qui dicit se in Christo manere, debet sicut ille ambulare. His ergo si conferamus huius ætatis facta, videbimus quàm nemo ferè hac in re Christum sequatur. Quod excelsum est, omnes suspiciunt, quod humile & abiectum est, nemo. Christus facit ne lacrymentur viduæ & pupilli, nos contrà vt semper lacrymentur facimus, & planè consummatur in nobis, quod in Ezechiele Propheta scriptum est, Incedebat inter leones, & factus est leo, & didicit prædam rapere, & homines deuorare, didicit viduas facere, & ciuitates eorum in desertum adducere, & desolata est terra & plenitudo eius à voce rugitus eius. Christus suscitat mortuos, nos occidimus viuentes. Christus dilectionem & misericordiam ostendit etiam immerentibus, nos odium & inuidiam bene de nobis merentibus rependimus. Christus suis hoc ac similibus exemplis beneficentiæ admonuit, nostri contrà, principum animos ad bella, ad effusiones sanguinum cõ-
Luc.9 citant. Et licet quotidie legant non venisse Christum perdere, sed saluare, non ideo in mundum missum vt iudicet mundum, sed vt mundus saluetur per ipsum, tamen clamores suos
Ioan.3 Euangelio conantur defendere. Iacobus & Ioannes cupidi vindictæ, ignem è cælo volebant euocare, ad perditionem ci-
Luc.9 uitatis cuiusdam Samaritanæ, quòd non recepisset Christum. Sed vt audiuerunt Christum increpantem, & an ignorarent cuius essent spiritus sciscitantem, sententia cadunt, móxque vnanimitatem, charitatem, & beneuolentiam prædicant. At nemo nostrum hæc cogitat, cuius nos simus spiritus, an Christiani, an Turci. Nemo cogitat (inquam) quàm non deceat Christianos aliquem iniuria afficere. Et hac ratione hoc suo facto Christus nos non solùm beneficentiæ monet, verumetiam tyrannidis atque inclementiæ arguit, quòd ea non

præstamus fratribus nostris, quæ ipse exhibuit ingratis hominibus. Sed quid dico? Facit inclementia nostra, vt de solo Christo & verè dicatur, Tibi derelictus est pauper, orphano tu eris adiutor. Et quid sperandum est? Certè fiet in nobis quod Salomon vaticinatus est, Qui, inquit, obturat aurem suam ad clamorem pauperis, & ipse clamabit, & non exaudietur. Qua mensura mensi fuerimus, remetietur nobis. Sunt & alia in hoc Euangelio quæ nos pietatis monent, vt quòd adolescens mortuus dicitur, quòd turba glorificauit Deum, qui talem potestatem dedisset hominibus. Et certè iuuentus nostra multa eget admonitione, quòd per se natura ad malum prona, parentum & magistratus licentia in omne malum ruit, & adsueta malis, difficillimè relinquat viam cui assueuit. Memento creatoris tui in diebus iuuentutis tuæ, antequam veniat tempus afflictionis tuæ. Tum nemò pro acceptis Dei beneficiis gratias agit. Sed hæc aliàs. Gratia Dei nobiscum. Amen.

Prou.21 *Luc.7* *Prou.12*

DOMINICA DECIMAOCTAVA POST PENTECOST.

EVANG. LVC. XIIII.

ET factum est cum introisset Iesus in domum cuiusdam principis Pharisæorũ Sabbatho manducare panem, & ipsi obseruabant eum. Et ecce homo quidam hydropicus erat ante illum. Et respondens Iesus, dixit ad Legisperitos & Pharisæos, dicẽs, Si licet Sabbatho curare? At illi tacuerunt. Ipse verò apprehensum sanauit eum ac dimisit. Et respondens ad illos, dixit, Cuius vestrum Asinus aut Bos in puteum cadet, & non continuo extrahet illum die Sabbati? Et non poterant ad hæc respondere illi. Dicebat autem & ad inuitatos parabolam, intendens quomodo primos accubitus eligerent, dicens ad illos, Dum inuitatus fueris ad nuptias, non discumbas in

bas in primo loco, ne fortè honoratior te sit inuitatus ab illo, & veniens is qui te & illum vocauit, dicat tibi, Da huic locum, & tunc incipias cum pudore nouissimum locum tenere, sed cum vocatus fueris, vade, recumbe in nouissimo loco, vt cum venerit qui te inuitauit, dicat tibi, Amice ascende superius, Tum erit tibi gloria coram simul discumbentibus, quia omnis qui se exaltat humiliabitur, & qui se humiliat, exaltabitur.

EADEM DOMINICA

EPISTOLA GALAT. IIII.

OBsecro itaque vos ego vinctus in Domino, vt dignè ambuletis vocatione qua vocati estis, cum omni humilitate & mansuetudine, cum patientia, supportantes inuicem in charitate, solicitè seruare vnitatem spiritus in vinculo pacis, vnum corpus, & vnus spiritus, sicut vocati estis in vna spe vocationis vestræ, vnus Dominus vna fides, vnum baptisma, vnus Deus & pater omnium qui super omnes, & per omnia, & in omnibus nobis.

SERMO.



IN hoc Euangelio miraculum nobis & concio Christi proponitur. Qua in re huius lectionis maior est dignitas, quàm superioris dominicę Euangelij, quod sine concione miraculum solùm habebat. Quanquam enim propter miraculi illius excellentiam periucundum illud erat, nescio tamen quomodo nos, quibus iam miracula non sunt ita necessaria, maiori aliqua voluptate ex audito Christi verbo afficiamur. Neque verò illic concio requirebatur, vbi ex miraculi inspirati magnitudine omnes conterriti in Dei laudes ora resoluunt, requiritur autem hic, vbi non omnibus idem erga Christi facta affectus est. Miraculum autem hoc illi rei seruit, cui reliqua omnia. Concio autem hæc quid doceat

Luc.7
Luc.14

doceat, quídque arguat, ipsa explicatione enarrabimus. Alibi autem copiosius à me dictum est, quid in Christi miraculis sit quærendum. Cum enim multa atque varia effecerit, vno tamen spiritu vnáque potentia diuina, in vnum sunt finem directa, quemadmodum omnia alia de Christo conscripta, hoc volunt, vt sciamus, quis noster dominus sit, in quem nostra quiescat fides, & quæ vitæ norma sequenda. Et cui rectius ac tutius nosmet concredimus, quàm Christo, qui tot tantáque effecit miracula solus, vt certò tutóque omnipotens credatur & beneuolus? Qua igitur occasione hoc miraculum fecerit accipiamus. Et factum est, inquit Euangelista cum introisset Iesus in domum cuiusdam Principis Pharisæorum Sabbato manducare panem, & ipsi obseruabant eum. Hic primùm parata Christi insinuatur voluntas, qui semper paratus omnes iuuare vbique. Non respicit personam hominis. Inuitatus venit ad domum Pharisæi alterius, vbi mulier illa in ciuitate peccatrix, pedibus prouoluta Christi, donis satiatur cælestibus. Sic cum Matthæo & Zachæo discumbit. Illorum nec veritus fraudes, nec horum aspernatus peccata. Vbique sui similis, vt iustitiæ doctorem conueniebat facere, nec illis blandiebatur, nec hos quam pro ratione decebat durius tractabat. Hoc vnum explebat, cur in mundum venerat, vt peccatores ad pœnitentiam vocaret, pro corporali cibo, animos discumbentium cælesti alimento pascebat. Qua in re cum ab omnibus tùm ab iis maximè sequi debet, qui sal atque lumen terræ esse videntur, ne quid alienum à Christiana professione aut decore effutiant, quo audientes lædantur, Deus offendatur, sed iuxta Apostoli doctrinam sermone loquantur, qui sit sale conditus cum gratia, vt sciant, quomodo deceat vnicuique respondere Omnis sermo malus ex nullius ore procedat, sed si quis bonus ad ædificationem fidei, vt det gratiam audientibus Omnis etiam amaritudo, & tumor, & ira, & indignatio, & clamor, & blasphemia tollatur cum omni malitia. Hoc modo sint omnium nostrum sermones directi, ita enim non solùm Christi capitis exemplum imitabimur, verumetiam iudicium euitabimus, quando de omni verbo quod loquuti fuerimus, rationem reddituri sumus. Atque vtinam Christum qui ipse nos ad sui exemplum sequendum toties hortatur, in hoc sequeremur. Nec ipse solus vt hoc faciamus monet, verumetiam Apostoli idem hortantur, primæ Petri 2. Ephes.

Luc. 7
Mat. 9
Luc. 19
Mat. 9
Colo. 4
Ephes. 4
Mat. 12
Mat. 11
Ioan. 13

Ephes.5. 1.Ioan.2. profectò efficeremus vt frustra inimici nostri obseruarent. Quis autem est, qui se arbitratur sine maleuolorum obseruatione posse loqui? Vix enim fieri potest, vt in populi frequentia non sint cauillatores. Et si Christum vni cum cælestis veritatis doctorem homines æquitatis hostes obseruare ausi fuerunt, quid facient nobis? In pleno conuiuio ne vnus quidem qui non obseruaret inuenitur. Ea quorundam hominum iam propè in alteram naturam mutata malitia, vt nec iuuet quibuscunque verbis seriis, blandísve ad resipiscentiam horteris. Ipse Christus in multis locis increpat
Mat.12 Pharisæos, sed frustra laborat. Genimina sunt viperarum,
Pro.22 quid nisi venenatum sibillare possunt? Prouerbium est, Adolescens iuxta viam suam, etiam cum senuerit, non recedet ab
Iere.13 ea. Nunquid Aethiops mutabit colorem suum? perniciosissimum hominum genus, qui sub amicitiæ pallio laqueos abscondunt, eò conuiuia instituunt, vt cauillent, ac prodant, ob-
2.Reg.3 sequia offerunt & homicidia parant. Eodem ludo edocti fue-
Mat.26 runt Ioab & Iudas, quorum ille Abner in dolo loquens occidit, hic magistrum ac Dominum osculo in mortem tradidit. Et quid obstat quo minus eadem etiamnum circunueniantur specie simplices? Neq; enim quisq; præter Deum corda hominum nouit. Iudas Christum tradit osculo, sed volentem, vt illaquearent ipsum hi Pharisæi, ideo obseruant eum, sed falli
Pro.1 nolentem. Frustra, inquit Salomon, expanditur rete ante oculos pennatorum. Propterea quod Pharisæi corde premebant,
Luc.14 ipse aperit, cùm si liceat Sabbatho curare, certus tamen quid
Luc.22 facturus esset, interrogat. Quo certè dicto quam nihil ipsum lateat, intelligere potuerunt. Quemadmodū & ad Iudam ait, Iuda osculo tradis filium hominis. Amice ad quid venisti? In semetipsos ergo reuertantur qui eiusmodi sunt, & quàm indignum sit homini Christiano fratrem dolo ac fraude circunuenire, qui inimicum iuuare debebant, cogitent. Et licet homo quem ad malum obseruant, laqueos non videant, videt tamen Christus, & tacet quousque veniat reddere vindictam iniuriam facientibus. Quin nec tacet semper, cum per conscientiam quémque fraudulentum in homine se tradi con-
Hier.11 queritur. Circuite vias Ierusalem, & aspicite, & considerate
Hier.9 & quærite in plateis eius, an inueniatis virum facientem iudicium & quærentem fidem. Propterea vnusquisq; se à proximo suo custodiat, & in omni fratre suo non habeat fiduciam,

quia

quia omnis frater supplantans supplantabit, & omnis amicus fraudulenter incedet, & vir fratrem suum deridebit, & veritatem non loquentur. Non est veritas, inquit Osea, & non est misericordia, & non est scientia Dei in terra. Periit sanctus de terra, & rectus in hominibus nō est. Omnes in sanguine insidiantur. Vir fratrem suum ad mortē venatur. Vani, inquit Dauid, filij hominum, mendaces filij hominum in stateris, vt decipiāt ipsi de vanitate in idipsum. Et iterum: Molliti sunt sermones hominum super oleum, & ipsi sunt iacula. Vehemens & vrgēs periculum est in fratribus. Hoc ipsum conquesti sunt pij quique, & quid facerent, si nunc terram nobiscum habitarent, quando multorum abundat malitia & refrigescit charitas? Proinde hanc obseruationem in Pharisæis reprehendere satis non est, nisi nosmet agnoscere didicerimus, & si quid tale inuenerimus quod in aliis reprehendimus, ipsi corripuerimus. Nam quod ad Pharisæos attinet, non hic solùm id factitarunt, alibi etiam sæpè sui sunt similes, vt cum per legationem quærunt: An liceat censum Cæsari dare, an nō, & cum ab alio Pharisæo inuitatur in Luca: & cum mulierem in adulterio deprehensam afferunt, eiúsque sententiam exquirunt. Nec inopinata hæc fraudulentia ipsorum est. Sapientia enim præuidit atq; in eorum persona loquitur: Venite, circumueniamus iustum, quia contrarius est operibus nostris, & quæ sequuntur. Vbi aptè propheta causam huius Pharisaicæ malitiæ exprimit, nempè quòd veritatem loquens, mendacia ac hypocrisin ipsorum argueret. Veritas odium parit. Id quod in Achab videre est, qui quadringentos falsos prophetas sustentabat, vnum Michæam sustinere non potuit. Propterea ait: Ego odi eum, quia non prophetat mihi bonum. Sic Christus: Non potest mundus odisse vos, me autem odit, quia ego testimonium perhibeo de illo, quòd opera eius mala sint. Et: Omnis qui malè agit, odit lucem, vt non manifestentur opera eius. Et Salomon: Sapientiam atque doctrinam stulti despiciunt. Propterea non immeritò insaniores pharisæos dixerim quàm ipsum hydropicum. Hic enim corpore tantum malè habebat, illi mente: hic vno morbo laborabat, illi pluribus. Primò enim adeò cæci, vt quē legebant, coràm non viderent, quemadmodum de eorum cæcitate in Isaia prædictum est. Et Christus in Ioanne: Ego in iudicium veni in hunc mundum, vt qui vident cæci fiant, & qui non vident, videant. Et meritò hac cæcitate percutiuntur, quia

Ose.4. Mich. 7. Psal.61. Psal. 54. Matt.24 Mat.22. Luc.11. Sapien.2. 3.Reg. 22 Ioan.3. Pro.1. Isa.6. Ioan.9. Ioan.1.

qui in propria venerat, non receperunt. Deinde & immensa la borabant inuidia, qua filium Dei sine causa persequebantur.
Ioan.1. Sicut in prophetis scriptum erat: Odio habuerunt me gratis.
Ioan.10. Propterea ait: Multa bona opera ostendi vobis à patre meo, propter quod eorum lapidatis me? Tertiò insatiabili auaritia,
Matt. 6. & 23. vt eius causa, ipsa Dei mandata non vererentur immutare. Postremò illa intumescebant superbia, vt omnia quæcunque facerent ad ostentationem facerent. His ergo omnibus affecti certè hydropico insaniores sunt. Hinc est quòd tot modis Christus eos adoritur, iam cæcitatem, iam inuidiam, iam auaritiam, iam etiam superbiam corripiens. Non tam vt illos speraret posse conuerti (obdurati enim erant) quanquam id quo-
Rom.11. que voluisset, sed vt nobis in hoc seruiret. Et quemadmodum in Euangelij prædicatione Iudæorum defectio, causa est salutis gentium (vt Paulus scripsit) ita hic, quo magis Christo resistunt pharisæi, eo plus nobis commodarunt, dum Christo loquendi occasionem præbēt. Cognouit igitur Christus quòd se obseruarent, & præsto est hydropicus ante eum. Dicit ergo ad legisperitos & Pharisæos: Si licet sabbato curare? Hęc quæstio admodum vtilis est, eóque & alibi eam Christus mouit,
Rom.12. cum hominem aridam manum habentem sanaret. Idem in
Exod.20. Luca videre est, Luc.6. & 13. Quæstionis autem ratio ex præcepto de sabbati sanctificatione est. Duplex enim causa præcepti est, vt & sanctificarent sabbatum, & vt ab omni opere cessarent homines. Iam legisperiti hanc legem deprauarant, secundam eius rationem strenuè docentes. Primam & præcipuam cur sanctificare eum iubebantur, silentio præteribant, arbitrantes hoc ipso satisfieri legi, si desides atque ociosi in cubiculo sterterent. Hunc errorem Christus reprehendit, primum facto, dum hydropicum manu apprehensum sanat, atque dimittit: deinde verbis, cum mota quæstione, factum confirmet: Cuius, inquit, vestrum asinus aut bos in puteum cadet, & non cōtinuo extrahet illum die sabbati? Quod miraculum
Psal. 111. in hydropico factum corriperent, non habebant. Ipsi enim intra semetipsos cogebantur sentire, quod Dauid ait: Peccator videbit, & irascetur, dentibus suis fremet, & tabescet, desiderium autem eius peribit. Sed quòd sabbato id faceret, ideò arbitrabantur culpandum. Nec est, quo magis ipsum contra surgerent apertè, quàm quòd miracula faceret sabbato. Ideóque
Matt.12. fortius sua suorúmque facta sabbato defendit. Vt in Matthæo.

cum

cum sabbato de discipulis esurientibus ac vellentibus spicas segetum & commedentibus conqueruntur: Ecce discipuli tui faciunt, quòd non licet facere in sabbato: ipse retundit eos duobus exemplis. Primò quod Dauid cum esuriret, panes propositionis, quos ipsi non licebat edere, vnà cùm iis qui cum ipso erant, ingressus tēplum comederit. Deinde quòd sacerdotes licet multum laborarēt sabbato, sine crimine tamen id facerent, nec violarent sabbatum, eo quòd ita fieri præcepisset Dominus. Quibus hæc inter alia addit: Si sciretis quid est: Misericordiam volo, & non sacrificium, insontes non condemnassetis. In Marc. addit: Sabbatum propter hominem factum est, & non homo propter sabbatum. In Luca hæc eadem mouetur quæstio, vbi mulierem habentem spiritum infirmitatis annis decem & octo, quæ erat inclinata, vt sursum respicere non posset, sabbato liberat. At Archisynagogus indignans quòd sabbato sanasset Iesus, dicebat turbæ: Sex dies sunt in quibus oportet operari, in his ergo venite, & curamini, & non in die sabbati. Iesus verò mox silentium illi imponens, ait: Hypocrita vnusquisque vestrum sabbato non soluit bouem suum aut asinum à præsepio, & ducit ad oquare? Hanc autem filiam Abrahæ, quam alligauit Satanas ecce decem & octo annis, non oportuit solui à vinculo illo die sabbati? In Ioanne etiam quia sanasset hominem triginta & octo annos morbo detentum, occidere eum volebant Pharisæi. At ipse factum patris autoritate confirmat: Pater, inquit, meus vsque modò operatur, & ego operor. Sic consequenter sabbato cæcum natum illuminauit. Pharisæi autem factum reprehendentes dixerunt: Non est hic homo à Deo, qui sabbatum non seruat. Quanquàm autem illo tempore præsens non esset Iesus, vt hoc quoque Pharisæorum dictum refelleret, antè tamen abundè rationem eius reddidit exemplo circuncisionis, cum ait: Si circuncisionem accipit homo in sabbato, vt non soluatur lex Mosi: quid mihi indignamini, quòd totum hominem sanum fecerim sabbato? Ecce tot modis Christus errorem Pharisaicum repræhendit, suísque & verbis & factis verum vsum sabbati ostendit. Et cur non reprehenderet? An non intolerabilis res & perniciosa, ex malè intellecto scripturæ sensu errores in Rempubli. Christianam inuehere, hoc est, multorum animas in mortis periculum inducere

1.Reg 21. Ose.6. Marc. 2. Luc.13. Ioan.5. Ioan.9. Ioan.7.

ducere? Hac ratione nobisipsis Christianum nomen vendicamus, cum nihilminus simus quàm Christiani, alius suis
Iacob 2. operibus iustificationem tribuit, alius fidei, cum tamen maxima hominum pars quid vel vera opera vel fides sit, nesciat. Non quæuis opera quantumuis in speciem bona apud Deum valent. Sic nec omnis fides. Operosa res est fides, non mortua, qua patres iustificati sunt. Et omnino eiuscemodi, vt si huius temporis hominum fidem ad eam contuleris, inanem, mortuam, inutilem diceres. Propterea rectè Christus errorem, qui de malè intellecto scripturæ sensu nascitur, tanta authoritate reprehendit. Nusquam tamen contumaciter Christus in sabbatum inuehitur, sed iustas tantum suorum factorum reddit rationes, nè vel simplicibus scandalum præberet, aut leuioribus patrocinaretur, si sabbatum violarent. Sãctificauit ergo Christus sabbatum, voluítque sanctificari, hoc est, piis actionibus peragi, noluit autem conscientias hominum sine causa constringi, quod certissimè sequeretur, si visis proximorũ miseriis opem quam vellent ac possent, sabbato ferre non auderent. His ergo dictis tota controuersia tolli potuit. filius hominis dominus est etiam sabbati. Et: Non homo propter sabbatũ sed sabbatum propter hominẽ factũest. Et quod in Euangelio positum: Cuius vestrum asinus aut bos in puteum cadet, & non continuò extrahet illum die sabbati? Primò enim hinc intelligitur, externos Ecclesiæ ritus & ceremonias ad plenam sanctificationem non sufficere. At sabbatum cum externam quietem signat, ceremoniale quid est. Ex duabus enim causis suæ institutionis, hæc secunda est, requies corporum. Non ergo
Rom. 7. sanctificationẽ dare, sed significare potuit. Quomodo enim
Gene. 6. Deo esset beneplacitum in otio hominum, aut quid homo venundatur sub peccato, cuius sensus ab initio ad malum proni sunt, otio benefacere posset? Otium adinuenit omnem iniquitatem. Quin ea Iudæorum erat inertia, vt gentibus risum præberent, qui festos ipsorum dies ignauos dicebant, eósque tanquam septimæ vitæ suæ partis perditores incusabant. Vnde Ie-
Tren. 1. remias ait: Viderunt Ierusalem hostes eius, & deriserunt sabbata eius. Eadem ferè nunc est nostrorum festorum ratio; maxima hominum pars tunc Deo satisfactum arbitratur, cum
Act. 13. egregiè otiatur, imò cum crapula, & comessationibus festos dies perdit. Quin grauius à nostris hac parte delinquitur.
Nam

Nam Iudæos etiam conuentus celebrasse festis diebus ac legem audiuisse, Acta testantur Apostolica. At quot è nostris *Act.13.*
inuenias, qui integro anno ne semel quidem verbi Dei concionibus intersint? Nemo ergo sic de extraneis ritibus iudicet, quasi baptizatum esse, inter Christianos habitare, feriari, & id genus alia facere, ad sanctificationem sufficiant, nisi & hæc adsint que per illa designantur. Secundò hoc intelligitur, quòd in omnibus legibus magis attendenda legislatoris animus, quàm verba verborúmque contextus. Sæpe enim à verbis recedere necessum est, nisi apertè contra legislatoris voluntatem repugnare volueris. Contra literam legis Abimelech sacerdos peccauit, qui sanctum panem Dauidi porrexit edendum. Non tamen in legislatorem *1.Reg.21.*
peccauit. Imò nisi dedisset, in legislatoris voluntatem peccasset. Misericordiam enim vult Deus, & non sacrificium. *Mat.12.* *Ose.6.*
Sic Sacerdotes omni opere suo non peccarunt in sabbatum. Gloriæ enim Dei seruiebat labor ipsorum. Peccassent si non laborassent. Sic Moses apertè contra legem facit, quum quadraginta annis neminem circuncidit. At in voluntatem legislatoris non peccauit. Quanquam enim *Iosue 5.*
præcepisset Deus omne masculinum octauo die circuncidi, *Gen.13.*
tamen quia in exitu nullo die securi erant Iudæi, ac de morte periclitassent, si circumcisi fuissent obruti, ideo non peccauit. Eadem sabbati ratio est. Sabbatum sanctificandum est. At tunc verè sanctificatur quando proximus iuuatur. *Matt.12.*
Tertiò hoc quoque docemur, vt maiori cura animas nostras aliorúmque curemus die sabbati, nec vlli scandalum præbeamus, ne videamur abuti libertate nostra. Omnia enim licent, sed non omnia expediunt. Omnia sunt *1.Cor.10.*
nostra, nos autem Christi, Christus autem Dei. Tunc autem sabbatum nostrum sanctificamus, quando illo ad curationem animarum vtimur. Sic enim proximo subueniri præcipitur, igitur & nobis: si proximi corpus sanandum est multò magis propria anima. Et hæc de sabbato dicta sint. Secunda pars concionis Christi humilitatem suadet, superbiam damnat, occasionéque sumpta quòd videret omnes primos accubitus appetere. Rectè autē superioribus verbis eiusmodi concio subditur. Illæ scripturæ errorem corripiunt, verúmq; eius sensum docent, hæc vitæ ac morū peruersitatem

arguit. Cum inuitatus fueris, inquit Christus, ad nuptias, non discumbas in primo loco, ne fortè honoratior te sit inuitatus ab illo, & veniens is qui te & illum vocauit, dicat tibi: Da huic locum, & tunc incipias cum rubore nouissimum locum tenere. Sed cum vocatus fueris, vade, recumbe in nouissimo loco, vt cum venerit qui te inuitauit, dicat tibi: Amice ascende superius. Tunc erit tibi gloria coram simul discumbentibus. Hæc illa Christi concio, cui si coniunxeris quæ Paulus in hodierna epistola Ephesiis scripsit, inuenies pulchrè cum magistro discipulum conuenire, in eo, quòd vterque humilitatem suadet. Sic enim Apostolus ait: Obsero vos ego vinctus in Domino, vt dignè ambuletis vocatione qua vocati estis: cum omni humilitate & mansuetudine cum patientia, supportantes inuicem in charitate, soliciti seruare vnitatem spiritus in vinculo pacis. Eiusdem generis & reliqua epistolæ verba sunt, quibus admonemur, ne quis altius de se sentiat, sed quisque sua vocatione dignè ambulet, & non totum se corpus, sed membrum: nec sibi soli, sed aliis quoq; spiritũ sanctũ scilicet esse datũ, in spiritu fidẽ & in fide ipsum Deum. An non necessaria hæc admonitio? Vnde in nobis bella, nisi quod inferior nemo, superiores omnes esse volumus? Discipulus super magistrum, agricola super iudicem, ciuis super nobilem, nobilis super principẽ, princeps super regem & Cæsarem, spiritales super seculares, & contrà? Proinde quibusdam verbis vtitur Apostolus, quibus serio id se velle ostendit, vt quod non simpliciter rogo, sed obsecro, ait. Cogitemus quàm distẽt Ephesum ac Philippis Roma, & admirabimur negotij magnitudinem, quo motus Paulus hæc scribat. Sed & vincti sub immanissima tyrannide solicitudinem pro aliis expendamus. Quis non potius sui corporis libertatem quibuscunque modis expetiisset? At Paulus de se securus, alios quos docuerat ipse hortatur: primùm fide starent: deinde in sua quisque vocatione ambularet. Vocatio autem duplex est: alia, qua omnes ad fidem nostræ religionis vocamur: alia qua peculiari modo ad alia atque alia officia ad ædificationem & conseruationem mystici corporis Christi, vno eodémque spiritu vocamur. Quemadmodum Apostolus ait: Dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem prophetas, alios verò Euangelistas, alios autem pastores & doctores ad consummationem sanctorũ in opus ministerij

Ephes. 4.

Ibidem.

ad ædi

ad ædificationem corporis Christi, donec occurramus omnes in vnitatē fidei & agnitionis filij Dei, in virū perfectū. Et alibi Diuisiones gratiarū sunt, idē autem spiritus: & diuisiones ministrationū sunt, idē verò Deus, qui operatur omnia in omnibus. Et iterū: Vnusquisque in qua vocatione vocatus est, in ea permaneat. Circuncisus aliquis vocatus est, non adducat prę putiū. In pręputio aliquis vocatus est, non circuncidatur. Seruus vocatus es, non sit tibi curæ. Sed & si potes fieri liber, magis vtere. Et mox: Alligatus es vxori, noli quęrere solutionē. Solutus es ab vxore, noli quęrere vxorem. Si autem acceperis vxorē, non peccasti, & si nupserit virgo non peccauit. Hæc & his similes vocationes sunt priuatæ, in quod quisque vitæ genus vocatur. Vult ergo Apostolus quisque in sua vocatione permaneat qua vocatus est. Sed vt id fiat necessaria est nobis humilitas, & mansuetudo & patientia, & charitas. Humilitas ne quid vltra vires nostras tētemus, suæ quisq; vocationi præsit, mansuetudo, vt erga omnes faciles, humani & affabiles simus. Patientia, vt aduersa æquanimiter toleremus, nec succumbamus. Charitas verò, vt inuicē supportemus, & vt soliciti simus seruare vnitatem spiritus in vinculo pacis. Hæc Pauli doctrina est. Quòd si iam iuxta hanc normam vocationis suæ officia quisque administraret, proculdubio tot mala quibus hic orbis plenus est, nō videremus. Sed quia nec Christum nec Paulum audimus, ideo quod sequitur meritò expectamus: Omnis qui se exaltat humiliabitur. Nō ergo hic Christi sermo tanquam moralis tantùm intelligendus est, hoc est, de ea humilitate qua inuicem nos honore præueniamus, sed quia Christi cælestis doctoris monitio est, hoc æstimandum est magis, quod de animæ humilitate ad Deum intelligenda sit, vt vera animi humilitas cælestē gloriam, elatio verò mentis æternos mereatur cruciatus. Proinde vt cum Christo concludam, nemo sibiipsi locum deligat: hoc est, nemo operum suorum virtutem certo aliquo merito metiatur, vt Pharisæi, sed Deo cōmittat, vt Publicanus. Nemo enim ad sempiternæ admittitur sublimitatem gloriæ, nisi quem Deus prius respexerit. At scriptura Deum humiles tantùm respicere testatur. Quomodo enim respiciet Dominus sursum, qui ipse altissimus superiorem se non habet, quomodo iuxta se, qui similem sibi nescit. Restat ergo, humiles ex alto respiciat, vt Dauid testatur. Benedictus Deus qui intueris abyssos, & se-

1. Cor. 7

Ibidem

Dan.3 des super Cherubin. Humilia respicit in cælo & in terra. Su-
1.Petr.1 perbis enim Deus resistit & humilibus dat gratiã. Hic ergo totius lectionis sensus semper nostri similes comitatem erga omnes ostendamus, sabbata sanctificemus, non autem inerti otio perdamus, in humilitate ambulemus, vt vocatio nostra exigit, non solùm coram hominibus, verumetiam ac multo magis coram Deo. Gratia Dei nobiscum.

DOMINICA DECIMANONA POST PENTECOSTEN, EVANGEL. MATTH. XXII.

PHarisæi autem audientes quòd silentium imposuisset Sadducæis, conuenerunt in vnum, & interrogauit eum vnus ex eis legis doctor tentans eum: Magister, quod est mãdatum magnum in lege? ait illi Iesus: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & in tota anima tua, & in tota mente tua. Hoc est maximum & primum mandatum. Secundum autem simile est huic: Diliges proximum tuum sicut teipsum. In his duobus mandatis vniuersa lex pendet & prophetæ. Congregatis autem Pharisæis interrogauit eos Iesus dicens: Quid vobis videtur de Christo? Cuius filius? Dicunt ei, Dauid. Ait illis: Quomodo ergo Dauid in spiritu vocat eũ Dominum, dicens: Dixit Dominus Domino meo, sede à dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum? Si ergo Dauid vocat eum Dominum, quomodo filius eius est? Et nemo poterat respondere ei verbum, neque ausus fuit quisquã ex illa die eum amplius interrogare.

EADEM

EADEM DOMINICA EPIstola 1. Cor. 1.

Gratias ago Deo meo sẽper pro vobis, in gratia Dei, quæ data est vobis in Christo Iesu, quia in omnib. diuites facti estis in illo, in omni verbo, & in omni scientia (sicut testimoniũ Christi cõfirmatũest in vobis) ita vt nihil vobis desit in vlla gratia, expectantibus reuelationẽ Domini nostri Iesu Christi, qui & confirmabit vos vsq; in finem sine crimine in die aduentus Domini nostri Iesu Christi. Fidelis Deus per quem vocati estis in societatem filij eius Iesu Christi Domini nostri.

SERMO.

Doctrinam fidei ac dilectionis in nostra religione præcipuam, eóq; cognitu necessariam esse, vt sine qua cætera omnia frigeant, nemo ambigit. Vehementer igitur etiã hac parte Dominus Iesus hebetudini intellectus nostri consuluit, quando ex legisperiti quæstione commoda nimirum occasione sumpta ex vno hoc planóq; Euãgelij sermone, veluti optimarũ rerũ fasciculo cõplexus est, quæ sine salutis dispendio nesciuntur nunquã. Quid enim planius, quid breuius de maximis iis rebus, fide, inquam, ac dilectione dici potest? Diliges Dominũ Deum tuum ex toto corde tuo, & in tota anima tua, & in tota mente tua. Et Christus non solum verus homo, verumetiã Dauid filius est. Ergo ipse propheta ille est, qui in lege, ac prophetis promissus erat. Sed non solum filius Dauid, verumetiam & dominus ipsius. Et talis dominus, cuius pedibus veluti scabellũ subiugabuntur inimici eius, vt in medio eorũ dominetur, qui ante Luciferũ genitus sit, & sacerdos secundum ordinem Melchisedech. Sed hæc Deo conueniunt soli. Ergo ex vtraq; natura vnus Christus Deus & homo est. Ecce paucis verbis quam doctrinæ maiestatẽ aperuit? Et hic scripturæ nõ vno aliquo in loco mos obseruatus, omnémq; intellectus humani imbecillitatis excusationẽ excludit. Si enim gentes, vt rectè Apostolus scripsit, nõ sunt excusabiles, ꝙ cùm Deũ ex visibili creatura (non ita aperto indice) cognoscere po-

Matt. 22 *Psal. 109* *Gen. 14* *Rom. 2.* *1. Cor. 2* *Luca 10*

tuerunt, non vt Deum glorificauerint: quanto minus nos?
Nobis enim reuelauit Deus per spiritum suum, eáque videmus aliis incognita. Nec est qui se excuset quasi non audierit. In omnem enim terram exiuit sonus prędicantium verbum, & in fines orbis terræ sermo eorum. Sermo planus & lucidus, sermo breuis. Hinc Moses cum multa scripsisset, succinctè summam comprehendit omnium. Et nunc Israël, inquit, quid Dominus Deus tuus petit à te, nisi vt timeas dominum Deum tuum, & ambules in viis eius, & diligas eum, ac seruias domino Deo tuo in toto corde tuo, & in tota anima tua, custodiásque mandata Domini, & ceremonias eius, quas ego hodie præcipio tibi, vt bene sit tibi. Sic & Salomō fine, ait, loquēdi pariter omnes audiamus, Deū time, & mādata eius obserua. Sic Michęas ait, Indicabo tibi ô homo, quid bonū sit, & quid Dominus requirat à te: vtiq; facere iudicium, & diligere misericordiā, & solicitū ambulare cum Deo tuo. Sic Paulus: Nunc autē tria hæc manēt, fides spes, charitas, maior horum charitas. Sic deniq; Ioānes, Hoc est inquit mandatum eius, vt credamus in nomine filij eius Iesu Christi, & diligamus alterutrum. Quis autem tā stupidus, vt hæc non intelligat? quis tam memoriæ labilis, vt eadem non teneat? Nemo ergo seipsum seducat, excusationē prętēdēs, vbi nullus excusationis locus est. Et hoc non sine ratione moneo. Solēt enim quidam in omnibus acuti, in religionis tamen negocio plus quā stolidi hoc prętextu semet commendare. Ecce tot latebris scriptura plena est, tot ambiguitates, controuersias, disputationes peperit, tātus in omnibus scholis & Ecclesiis clamor, tam multos annos durat: quid nobis reliquum est, nisi vt in nihil sentiendo iucundissimam agamus vitam? Hos ergo moneo, huc oculos mentémque accommodent, Euangelij sensum discant, intelligant, ac memoriæ commendent: quæ reliqua sunt multa sine periculo nescient. Quod ad me attinet, officio non deero. Itaque euangelicam lectionē ipsam breuiter explicemus. Principiò nō hic anxiè discutiamus Pharisæorum Legisq; peritorum naturam, nemini nō cognitam. Vbicunq; enim boni specie prorepunt, sui similes sunt, hypocrisin multis licet velaminibus obtectam, celare nō possunt. Nam & ipsa quæ hanc quæstionem peperit, Pharisæorum intentio peruersissima est. Igitur de magnitudine & obseruatione legis tot mouerunt quæstiones, quot sibi beatitudinem

Psal. 18
Deut. 10.
Eccl. 12
Mich. 6
1. Cor. 13
Ioan. 3.

dinem æternam sola legis obseruatione pollicerentur. Nulla de Christi meritis ac gratia inter ipsos agitata est quæstio, vt qui nulla in re indigerent. Hæc, inquam, intentio mala est. Quid enim sine Christo lex? Quid sine fide simulata proderit charitas? quid prodest de lege gloriari, & ipsam non implere? Aut quæ mentibus nostris ex lege pax erit, cum propria conscientia nunquam obseruasse legem, multa verò in eam deliquisse nos accusat? Verè enim legem non obseruarunt, qui nec fidem, nec gratiam Christi habuerunt. Sine fide in Christum sinéque gratia lex impossibilis est. Velle enim adiacet nobis, perficere autem bonum non inuenimus. Et quemadmodum extruere domum sine fundamento stultitia est, ita velle diligere Deum sine fundamento dementia est. Nihil enim volitum, nisi cognitum prius. Fundamentum autem dilectionis fides est. Quomodo enim diligā Deum quem non cognosco? At fide apprehenditur & dicitur Christus. In Christo agnoscitur Deus. Hic enim splendor gloriæ, ac substantiæ eius figura. Deum nemo vidit vnquam. Vnigenitus Dei, qui est in sinu patris ipse enarrauit. Id quod ipse filius testatur, cum ait: Pater clarificaui te super terram, opus quod dedisti mihi vt faciam, consummaui. Manifestaui nomen tuum hominibus quos dedisti mihi de mundo. Qui videt me videt & patrem meum. Ego in patre, & pater in me est. Si ergo cognoscitis me, & patrem meum vtique cognoscitis. Iam verò cum Deus in Christo cognoscitur, vtique ipse summum bonum agnoscitur. Sed ipsa natura docet summum bonum ante omnia diligendum. Spiritus ergo Christi per fidem in corda nostra diffusus, præstat vt quod ipsa scriptura monet, ipsáque natura docet, præstemus. Deum summè bonum, creatorem, redemptorem & altorem nostrum super omnia diligamus. Hinc est quòd Ioannes tantopere charitatem Dei nobis commendat: In hoc, inquit, apparuit charitas Dei in nobis, quoniam filium suum vnigenitum misit Deus in mundum, vt viuamus per eum. In hoc est charitas, non quasi dilexerimus Deum, sed quoniam ipse prior dilexit nos, cum adhuc inimici eius essemus, omnia vnā cum Christo donauit nobis, quæ vel hic ad inchoandum, vel in futuro ad perficiendum suum in nobis regnum requiri possunt. Hoc modo agnitus Deus, præstat, vt possimus quæ volumus. Et certè quem eiusmodi fides non ducit, quomodo diligat Deum, sponte mandata

Rom. 9
Hebr. 1
Ioan. 1
Ioan. 17
Ibidē 14
1. Ioan. 4
Rom. 5
Rom. 8
Luc. 12

data omnia impleat, non video, quomodo trahi possit. Eadem ratio proximi est. Nam & huius scriptura monet nos, & natura docet. Sed in Christo eius & argumenta & exempla perfectissima consideramus. Vt ipse in Ioanne ait: Maiorem
Ioan.13 charitatem nemo habet, quàm vt animam suam ponat quis pro amicis suis. Et: Ego sum pastor ille bonus & cognosco
Ioan.10 oues meas, & animam pono pro eis. Et Ioannes: Dilexit nos,
Apoc.1 inquit, & lauit nos à peccatis nostris in sanguine suo. Et Paulus: Dilexit nos, inquit, & tradidit semetipsum pro nobis. Et
Ephes.4 hanc Dei in nos charitatem Ioannes in argumentum nostræ erga proximum dilectionis adducit. In hoc cognouimus charitatem Dei, quoniam ille animam suam pro nobis posuit, & nos debemus pro fratribus animas ponere. Qui habuerit substantiam huius mundi, & viderit fratrem suum necesse habere, & clauserit viscera sua ab eo, quomodo charitas Dei manet in eo? Ecce hoc modo agnitio Christi, quæ est ex fide, vt & Deum & proximum diligamus facit. Præposterè igitur legis doctor tumidus ille de mandato legis quærit, non solùm quòd per illud se vitam consequuturum confidebat, verum etiam quia sine Christi fide illud se implere posse putabat, quo certè facto & inscientiam suam eximiam, & hypocrisin insignem prodidit. Optimè autem Christus, mox soluta Pharisæi quæstione, aliam de fide instituit, non quidem reprobans quod de diuinis mandatis syncerè in quæstionem vocari potest, & confusum doctrinæ ordinem arguens. Nam si de mandatis Dei scrutari, eáque obseruare credentem indignum esset, haud dubiè & doctorem & quæstionem explodisset. Sed quia aliquid in iis situm est, nostro bono respondit. Nostri etiam hoc tempore de fide ac charitate disputant, sed contrario modo, & quemadmodum ille iustificationem hominis legi sine fide tribuebat, ita hi contrario modo eandem nudæ fidei imputant sine vllius mandati obseruatione. Sic alij paulo clementiores charitati, hoc disputant, quæ potior fides an charitas? Sed vtrobique error & falsitas inest. Et illi quidem qui fidei soli iustificationem imputant, sine mandatorum Dei obseruatione, duo potissimùm in suæ opinionis defensionem adferunt: alterum quod non ea sint legis mandata, vt impleantur, sed vt in iis homo veluti in speculo sese contempletur, suam imbecillitatem agnoscat, ac se peccatorem confiteatur. Alterum, quòd non possit lex à quoquam obseruari, vt humanis

manis viribus grauior. Hinc voces illæ, Fide sola iustificamur. Deus non vitam, quantumlibet impiam, sed fidem intuetur. Euangelium nescit opera bona. Homo liberi arbitrij non est. Omnia fato reguntur: & id genus infinitæ. Dictum est autem, mandatorum legis obseruationem sine fide in Christum nihil ad salutem facere, nec posse illa nisi ex agniti Christi gratia impleri. Nunc his respondeamus, qui contrarium tuentur. Et primùm quod aiunt, Legis mandata non ideo data esse vt impleantur, sed vt in iis homo veluti in speculo sese contempletur: hoc postremum concedetur facilè, esse etiam hac ratione data mandata, vt sint quasi speculum (sic enim & Paulus in ea quam ad Romanos scripsit epistola tradit) Sed nusquam vel Pauli, vel alia quæuis scripturæ sententia, quòd ob solam peccatorum agnitionem, & non etiam vt custodiantur & impleantur data esse ostendit. Et perspicuum est, vnius rei plures esse posse causas. Quod autem præterquàm quod peccata accusat custodiri debeant, siue vt custodiantur data sint, hoc in scripturis Canonicis scriptum inuenimus, Audi Israël, inquit Moses, & obserua vt facias, quæ præcepit tibi Dominus Deus, & bene sit tibi: Dominus Deus noster, Deus vnus est. Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo & ex tota anima tua, & ex tota fortitudine tua. Et mox: Custodi præcepta Domini Dei tui, ac testimonia, & statuta quæ præcepit tibi, & fac quod placitum est & bonum in conspectu Domini, vt benè sit tibi. Et iterum: Præcepit nobis Dominus vt faciamus omnia statuta hæc, & timeamus Dominum Deum nostrum. Et deinceps: Considera quòd hodie proposuerim in conspectu tuo vitam & bonum, contrà mortem & malum: vt diligas Dominum Deum tuum, vt ambules in viis eius, & custodias mandata illius, & viues. Sic & Dauid: Mandasti mandata tua custodiri nimis. Et: Maledicti qui declinant à mandatis tuis. Sed ais, Moses & Dauid Iudæis hæc præceperunt, ac scripserunt. Audi igitur Christum tibi loquentem, si forte illi acquieueris: Omnis, inquit, qui audit verba mea hæc, & facit ea, assimilabitur viro sapienti, qui ædificauit domum suam super petram, & descendit pluuia, & venerunt flumina, & flauerunt venti, & irruerunt in domum illam, & non cecidit, fundata enim erat super petram. Et omnis qui audit verba mea hæc, & non facit ea, similis erit viro stulto, qui ædificauit domum suam super arenam.

Rom. 7
Deut. 6
Deut. 30
Psal. 18
Matt. 7

arenam, & descendit pluuia, & venerunt flumina & flauerunt
venti, & irruerunt in domum illam, & cecidit, & fuit ruina
Mat. 19 eius magna. Et alibi: Si vis ad vitam ingredi, serua manda-
Luc. 10 ta. Et iterum: Hoc fac, & viues. Loquitur autem de Dei ac
Rom. 2 proximi dilectione. Huic & apostolica consentit doctrina.
Ioan. 5 Paulus enim testis est, quòd non auditores, sed factores legis
iustificabuntur. Et Ioannes ait, Hæc est charitas Dei, vt man-
data eius custodiamus, & mandata eius grauia non sunt. Et:
Ioan. 2 Qui dicit se nosse Deum, & mandata eius non custodit, men-
dax est, & in eo veritas non est. Qui autem seruat verbum
Iacob 1 eius, verè in hoc charitas Dei perfecta est. Hinc Iacob horta-
tur, dicens: Estote factores verbi & non auditores tantùm,
fallentes vosmetipsos. His ergo aliisque eius generis scriptu-
ræ testimoniis clarissimè ostenditur, non ideo tantùm legem
latam esse, vt peccata manifestentur, verumetiam vt custo-
diantur & seruentur. Et quomodo illorum opinio huic scri-
pturarum sententiæ conueniet, qui apertissimis testimoniis
contradicunt? Iam verò secundum discutiamus, quòd di-
cunt, mandata diuinæ legis facto esse impossibilia, à nullo
obseruari posse. Hæc opinio aut vera est, & scripturæ testimo-
Deut. 30 niis conueniens omnibus approbatur: aut falsa est, & scriptu-
vide Au ræ repugnans, ab omnibus rectè exploditur. Sed scriptura pos-
gu. quæst. sibilia ea esse, & ob id obseruari posse testatur. Moses enim
13. super ait, Mandatum hoc quod ego præcipio tibi hodie non mira-
Deuter. biliter supra te est, neque procul positum, nec in cælo situm,
vt possis dicere: Quis nostrum valet ad cælum ascendere, vt
deferat illud ad nos, vt audiamus atque opere impleamus? ne-
que trans mare positum, vt causeris, & dicas: Quis è nobis po-
terit mare transfretare, & illud ad nos vsque deferre, vt possi-
mus audire & facere quod præceptum est, sed iuxta te est ser-
mo valde in ore tuo, & in corde tuo, vt facias illum. Et Chri-
Matt. 11 stus in Euangelio: Tollite iugum meum super vos, &c. Iu-
gum enim meum suaue est, & onus meum leue. Et Ioannes:
Mandata eius, inquit, grauia non sunt. Quanquam hoc faci-
lè concesserim, sine fide in Christum atque eius gratia impos-
Ioan. 15 sibilia esse humanis viribus. Christus enim ait: Sine me nihil
2. Cor. 3 potestis facere. Et Paulus testatur nos non esse sufficientes co
gitare aliquid à nobis quasi ex nobis. Nihilominus tamen
impossibilia dicere mandata, falsum est: possumus enim ea cu
stodire, si non ex nobis, certè ex eo qui in nobis habitat spiri-
tu. Id

tu. Id quod idem Paulus consequenter docere voluit, cum ait: Nostra sufficientia ex Deo est. Et alibi: Spiritus adiuuat infirmitatem nostram. Tum per gratiam acceptat nos. Sed & in hodierna epistola eiusdem Apostoli cla;e videtur, quid gratia Dei in credentibus præstet, cum per gratiam Christi in omnibus, in omni verbo, & in omni scientia diuites factos esse Corinthios testatur, nec quicquam illis deesse in vlla gratia. Ecce quod præter hominem etiam aliquid sit in homine. Si ergo ipse Deus qui verax & fidelis est, confirmat credentes, non vno aliquo die, sed vsque ad aduentum Domini nostri Iesu Christi, quid impossibile eis erit? An non omnipotens Spiritussanctus est? an non omnia potest? an abbreuiata est manus Domini, aut imminutæ sunt vires eius? An non veritas dixit, credenti omnia possibilia esse? Amen dico vobis, si habueritis fidem, dicetis huic monti, Tollere, & mittere in mare, & fiet. An non & Paulus magistri verba suo exemplo confirmat, cum omnia se posse confirmat in eo qui nos confortat. Non igitur ideo solùm data sunt Dei mandata vt peccata ostendant, verumetiam vt perficiantur & compleantur. Neque etiam impossibilia sunt quæ Christi fides & gratia facit facilia & leuia. Quiescat ergo diuersa opinatium peruicacia. Iam verò iis quoque sed breuiter respondeatur, qui vltra potior sit fides an charitas quærunt. Cui quæstioni causam dedit scripturæ varia interpretatio. Qui enim charitatem potiorem dixerunt, illi loco, qui est prima ad Corinthios 13. inhæserunt. Nunc autem manent hæc tria, fides, spes, charitas: maior horum charitas. Tunc huius Euangelij dictis: In his duobus mandatis (de dilectione Dei & proximi loquitur) vniuersa lex pendet & Prophetæ. Et hæc quidem aperta scriptura est. At qui fidem præstantiorem dixerunt, aliis scripturæ locis innituntur. Vt in Ieremia, vbi Dominus non se victimas, sed obedientiam, hoc est, fidem quæsiuisse ait. Et quod Propheta ait: Oculi tui Domine respiciunt fidem. Et quis controuersiam hanc tollet? Ipse Christus vel hoc ipso tollet, quòd hic vtranque & fidem & charitatem coniungit. Propterea & Marcus Euangelista cum hanc lectionem scriberet clariùs expressit ambas coniungens. Audi Israël, Dominus Deus tuus, Deus vnus est, & diliges Dominum Deum tuum. Atque in hanc sententiam Ioannes quoque scripsit: Hoc est, inquit, mandatum eius, vt credamus in nomine

Ibidem. *Rom. 8* *1. Cor. 1* *Matt. 17* *Mat. 11* *Phil. 4* *1. Cor. 13* *Mat. 22* *Iere. 5* *Marc. 12*

nomine filij eius Iesu Christi & diligamus alterutrum. Ecce tibi vtrumque vno mandato comprehensum: non quòd vnum sint, & hæc ab illa diuidi non possit, sed quòd diuidi non debeant. Altera enim sine altera Deo displicet. Cum autem hæc tria manent, fides, spes, charitas. Charitas tamen ipsum cælum ingreditur, manétque sola, cæteris cessantibus. Fides & spes huius tantùm vitæ sunt, charitas & futuræ: illic enim videbimus & habebimus. Quod autem videtur iam, vtique non creditur, & quod habetur, iam non speratur. Cum autem videtur quod hic creditur, & habetur quod hic speratur: vtique quod hic amatur, ardentiori charitate diligitur. Tria ergo hæc cum hic simul sunt, maior horum charitas eo fit perfectior, quo manet diuturnior. Atque hac ratione hoc Euangelium consideratum, non absurdè communis quædam regula dici potest secundum quam omnino viuendum sit, vt in prima quæstione à malo desistamus, & an verè diligamus scrutemur: in secunda verò nosmet confirmemus in omnibus aduersitatibus, atque fidem si recta ac vera sit examinemus. Hæc enim duo Christus voluit, cum dilectionis magno mandato fidem coniunxit. Et quidem ita coniunxit, vt multa comprehendant, multa cogitanda communicent. Nam quod ad dilectionem attinet. primum quod de magno legis mandato interrogatus, dilectionis meminit, voluit significare quod non, vt Moses in tabulis lapideis, sed in affectu mentis legem suam inscripturus esset, vt in Iere-
Ierem. 13 mia se facturum esse promiserat, & quod credentes non edicti seueritate vel à prauis absterrere, vel ad bona velit compellere, sed voluntatem per Spiritumsanctum & dilectionem
Matt. 11 ad obedientiam inducere. Vnde iugum suum suaue, & onus
Mat. 22 suum leue dixit. Deinde quod addit, Ex toto corde tuo, & in tota anima tua, & in tota mente tua: hoc fecit, ne quis sibi persuadeat se diligere Deum. Licet ad quæuis alia hunc affectum diuidat qui in dilectione Dei totus requiritur. Sic & illud: Diliges proximum tuum sicut teipsum, addidit, vt discamus vbi quærendus sit Deus, nempe sub cruce in aduer-
Matt. 25 sis. Hic enim probatur dilectio Dei, an perfecta sit cùm Christum in proximo reficis, seruas, nutris. Tertiò, quòd ait in his duobus mandatis vniuersam legem & prophetas comprehendi, ostendit Deum non tam factum quàm affectum requirere, & quòd nullum factum sine charitate Deo placeat. Vnde sequit

sequitur Iudæos, gentes, hæreticos, aliósque legem non implere, etiamsi nullum atrox facinus committant, frustrà exter nis bonis omnibus studeant, si non ex charitate opera sua metiti fuerint. Finis enim præcepti charitas. Et hinc illa operum Pharisæorum reiectio Christi. Amen dico vobis, receperunt mercedem suam. Non enim ex charitate Dei, aut proximi prodierunt, sed vt viderentur ab hominibus quæcunque fecerunt. Quartò, interrogatus de vno magno mandato, addit & secundum. Hoc nimirum significans, quia Deus diligi non possit, nisi & proximus charitate complectatur. Qui enim non diligit fratrem quem videt, Deum quem non videt quomodo potest diligere? Et hoc mandatum habemus à Deo, vt qui diligit Deum, diligat & fratrem suum. Id quod hypocritas suæ confidentiæ arguit, qui sibi ipsis bellè placebant, quasi Deum diligerent, nullo licet affectu erga proximos tangerentur. Hæc aliáque multa Christus hoc dilectionis mandato significauit. An nõ autem in his Christiano homini digna latet meditatio? An non est, quo se pij quique exercere possint? Beatus ergo vir cuius voluntas in lege Domini est, & qui syncero pectore in lege eius meditatur die ac nocte. Erit enim vt lignum iuxta decursus aquarum plantatũ, quod fructum suum dabit in tempore suo. Et folium eius non defluet, & omnia quæcunque faciet prosperabuntur. Beatus (inquit) qui timet Dominum, & in mandatis eius volet nimis. Potẽs in terra erit semen eis, generatio rectorum benedicetur. Gloria & diuitiæ in domo eius, & iustitia eius manet in seculum seculi. Vtinam autem & nos mandata Dei meditaremur, non Pharisaico more multa de iis inquirentes, sed ex dilectione illa implentes. Non enim illę solùm quarum Psalmista meminit, benedictiones in nos venirent, sed multò potiores atque sempiternæ. Sed videamus quid de altera parte idem Christus doceat, vt conueniente fundamento & structura, fide inquam & dilectione spiritualis ædificatio nostra crescat sursum. Hypocrita (inquit) non est quòd de magno mandato tu quæras, qui minimum horum non implesti. Non est quòd hoc de tuis te viribus facturũ speres, & si maximè feceris, an ideo tibi felicitas debebitur cælestis? Ad quid igitur promissio Messiæ: cur Christum venturum creditis? Quod eius officium erit, ad quid gratiæ ipsius dona elargientur, si sine ipso ex lege cælum vobis deberi vultis? Hac occasione suam quæstionem legis doctoris interroga

Rom. 28.
Matt. 6.
1. Ioan. 4.
Psal. 1.
Psal. 111.

tioni addit: Quid vobis videtur de Christo, cuius filius est? Duo autem docere vult quæ fides nostra de Christo requirit, nimirum quod homo ipse ac verus Deus sit, vnus Christus. Et quidem hominem esse Iudæi nouerant ex scripturis, at Dei filium esse ignorauerunt. Rogat igitur, cuius filius sit? Dicunt ei: Dauid. Et iusta hæc eorum responsio est. Nam scriptura id de Christo testatur, totiúsque Christiani orbis fides sic habet. In psalmis ipse ait, Annunciabo nomen tuum fratribus meis, in medio Ecclesiæ laudabo te. Ecce ego & pueri mei quos dedit mihi Deus. Quia ergo pueri communicauerunt carni & sanguini, & ipse similiter participauit iisdem. Et in Ioanne: Vade, dic fratribus meis, ascendo ad patrem meum & patrem vestrum, Deum meum & Deum vestrum. Hanc inquam naturam in Christo quam videbant agnouerunt, & confessi sunt. Homo cùm sis (inquiunt) facis teipsum Deum, Sic ipse se etiam palam hominem esse profitebatur, vt in Matthæo 8. & 20. Marc. 10. Alibi quoque hanc ipsam quæstionem apud discipulos mouit: Quem, inquit, dicunt homines esse filium hominis? Et mox: Vos autem quem me esse dicitis? Hinc est quod Paulus humanitatem in Christo prædicat asserens factum illum esse ex semine Dauid, secundum carnem, in similitudinem corruptibilis carnis. Et eiusdem facta collatione cum Adam primum illum hominem ait de terra terrenum, secundum verò, id est, Christum, de cælo esse cælestem. Et alibi apertius etiam, Vnus, inquit, mediator Dei & hominum, homo Christus Iesus. Ecce tot multísque aliis locis scriptura humanam naturam in Christo prædicat. Et quis fructus, credere Christum verum esse hominem? Primum confutantur hæretici, qui ipsum non verum, sed fantasticum corpus assumpsisse asseuerarunt olim. Deinde ingens consolatio piis mentibus hinc venit, si Iesum confitemur nostram carnem assumpsisse, quod suæ erga nos dilectionis magnum sit argumentum, tum etiam vt sciamus nos non habere pontificem qui non possit compati infirmitatibus nostris, tentatum autem per omnia pro similitudine absque peccato. Hinc est quòd Ioannes ait: Omnis spiritus qui confitetur Christum in carne venisse, ex Deo est. At non solùm in carne, verumetiam in carne & semine Dauid venisse confitendum est, propter promissionis veritatem. Nam quemadmodum, vt Paulus testatur, nusquam angelos apprehendit, sic

Psal.21. Heb.2. Isa.8. Ioan.20. Ioan.10. Mat.16. Rom.1. 1.Cor.15. Heb.4. 1.Ioan.4. Heb.2.

nec quoduis semen, sed Abrahæ & Dauid semen apprehendit. Ad Abraham enim ait: In semine tuo benedicentur omnes gentes, non dicit, In seminibus, quasi in multis, sed in semine tuo, quasi in vno, qui est Christus. Et Dauid: De fructu ventris tui ponam super sedem tuam. Idem alibi prophetæ testantur, Isa.11. Hier.25. Psal.88. Propterea & Paulus Romanis scribens, ipsum ex semine Dauid natum asserit, hoc est, ipsum esse qui Abraham ac Dauid promissus erat, quem scriptura Dauid filium vocat, in quo omnes promissiones Dei sunt, Amen & ita. Ac talem agnouerunt qui clamauerunt: Iesu fili Dauid miserere nostri. Huc respicit quod ad virginem matrem angelus ait: Et dabit illi Dominus sedem Dauid patris eius. Tertiò non solùm filius, verùm etiam Dominus confitendus est. Et hoc est, quod hic Christus vrget. Quomodo ergo, inquit, Dauid in spiritu vocat eum Dominum, dicens: Dixit dominus domino meo, sede à dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum? Si ergo Dauid vocat eum Dominum, quomodo filius eius est? Parum esset filium esse Dauid secundum carnem, si nō & dominus eius esset secundum Deum. Dominum autem eius esse scriptura ostendit, Dixit dominus domino meo. Dominus autem Dauid non solùm natiuitatis, verumetiam regiæ maiestatis ratione. Dauid enim ad tempus regnauit mortalis, Christus autem rex est in æternum, quia spiritualis, Dauid quidem hostes suos deuicit, sed homines, Philistæos, Ammonitas, Idumæos, & alios. Sed nobis non est colluctatio aduersus carnem & sanguinem, sed aduersus principes & potestates, aduersus mundi rectores tenebrarum harum, contra spiritalia nequitiæ in cælestibus. Quid autem Dauid filius aduersus hos potuisset? Aliud igitur semen promissum erat Christus, qui caput huius serpentis contereret. Hunc regem significabant Isaias 9. Daniel. 7. Gabriel Luc. 1. Hic ergo Dauid regnum confirmauit & benedixit, sine quo nec Dauid regnasset. Per hunc omnium regnorum dominum, sedentem à dextris domini Dei nostri, reges etiam nunc regnant. Huic conueniunt quæ sequuntur, quod sub pedes eius omnes inimici eius subiugabuntur. Id quod partim factum est, cùm ait: Data est mihi potestas omnis in cælo & in terra, partim futurum, & planè fiet, cùm ipse Deo & patri regnum tradiderit. Sed quid, inquis, mihi commodat Christum regem esse & dominum? Et hoc accipe,

Gen.22. Galat.3. Psal.131. 2.Cor.1. Matt.9. & 20. Luc.1. Psal.109. 2.Reg.8. Ephe.6. Gen.3. Mat.28. 1.Cor.15.

Christus ad dexteram patris sedens regnat, hoc est, spiritualis rex est. Dextera enim spiritalia, sinistra terrena significat. Rex
Ioan.16. est non in se vno, sed & in nobis omnibus. Vnde vt cõfidamus
Psal.109 monet, quia ipse vicerit mundum. At quomodo in nobis regnet, audi, Dominare in medio inimicorum tuorum. Non dicit, inimicos tuos omnes pariter prosternes, ne vnus supersit, sed dominaberis in medio eorum. Vndique te petent, tu verò Dominus & rex permanebis. Non enim malum omnino aufer à nobis, sed vt ipsum vincamus virtutem confert. Id quod
2.Cor.12. in Paulo videre est, qui cũ interrogasset Dominũ, vt hostem, stimulum carnis auferret, tandem hunc sibi regem dicentem audit: Sufficit tibi gratia mea. Nam nos quoque hac contenti gratia certamus, quousque ipse sub pedibus subiiciat omnes inimicos nostros: vt possimus Paulinum illum triumphum
1.Cor.15. canere; Vbi est mors victoria tua, vbi mors stimulus tuus? Deo autem gratia, qui dedit nobis victoriam per dominum Iesum Christum. Talis rex Christus est, cui subiugabuntur
Quest.7. omnes inimici eius, nolint velint. Quidam enim sua sponte,
Actor.9 vt Magdalena, quidam casti, vt Paulus, se huic imperio subdunt. Talis, inquàm, qui nos quoque dominari facit in medio inimicorum nostrorum, nobiscum in certamen descendit, pro nobis pugnat. Ecce quomodo & nobis commodat Christum regem esse. At hic quoque sacerdos credẽdus est, Vt idem Psal-
Psal.109. mus habet; Tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech. Sacerdos, inquàm, qui apud patrem pro nobis apparet & interpellat, qui etiam pro sua reuerẽtia exauditur. Sic & iudex venturus confitetur. Id quod idem quoque Psalmus testatur. Dominus à dextris tuis confregit in die iræ suæ reges. Iudicabit in nationibus, implebit ruinas, cõquassabit capita in terra multorũ. Hæc omnia Christus proposita quæstione docet, cum Psalmum Dauid in testimonium vtriusque naturæ suæ adducit, duo quasi in vnum colligens, vt quæ ad salutem scitu sunt necessaria, facilius & percipiantur & memoria teneantur felicius. Agite ergo, huc oculos mentémque aduertite, Christum hominem atque Deum credite & confitemini, ipsum super omnia diligite, inque ipso proximum amplectimini. Confisi de ipsius gratia, qui vt se diligere velimus monet, etiã vt possimus dabit. Id ergo præstet trinus & vnus, cui laus per omne æuum.

DOMI

DOMINICA VIGESIMA POST PENTECOSTEN EVANGELIVM, MATTH. IX.

ET aſcendens Ieſus in nauiculam transfretauit, & venit in ciuitatem ſuam. Et ecce offerebant ei paralyticum iacentem in lecto. Et videns Ieſus fidem illorum, dixit paralytico: Confide fili, remittuntur tibi peccata tua. Et ecce quidam de Scribis dixerunt intra ſe: Hic blaſphemat. Et cùm vidiſſet Ieſus cogitationes eorum, dixit: Vt quid cogitatis mala in cordibus veſtris? Quid eſt facilius dicere, Dimittuntur tibi peccata tua, an dicere, Surge & ambula? Vt autem ſciatis quia filius hominis habet poteſtatem dimittendi peccata in terra, tunc ait paralytico, Surge, tolle lectum tuum & vade in domum tuam, Et ſurrexit, & abiit in domum ſuam. Videntes autem turbæ timuerunt & glorificauerunt Deum, qui dedit poteſtatem talem hominibus.

EADEM DOMINICA EPISTOLA, EPHES. IIII.

REnouamini autem ſpiritu mentis veſtræ, & induite nouum hominem, qui ſecundum Deum creatus eſt in iuſtitia & ſanctitate veritatis. Propter quod deponentes mendacium, loquimini veritatem vnuſquiſque cum proximo ſuo: quoniam ſumus inuicẽ membra. Iraſcimini, & nolite peccare. Sol non occidat ſuper iracundiam veſtram. Nolite locum dare diabolo. Qui furabatur, iam non furetur: magis autem laboret, operando manibus ſuis, quod bonum eſt, vt habeat vnde tribuat neceſſitatem patienti.

SERMO.



Commodè superiori Euangelio hoc in paralytico factum miraculum adiungitur. Vna enim vtriusque historiæ intentio, & hic quidem apertius demonstratur, quod illic agebatur obscurius. Illic, inquam, Psalmi autoritate Christus confitebatur Deus & homo, cum filius Dauid secundum carnem, idémque dominus eius secundum diuinitatem asserebatur. Sed Iudæi nec Christum, quem expectabant, talem fore credebant, qualem ipsi in Dauide, non intellecto, legebant: nec ipsum esse Christum, quem loquentem audiebant, agnoscebant, secundum carnem viuentes, præter carnem & sanguinem nihil sapiebant. Hæc illius gentis illa nimirum est cæcitas, cuius & Isaias propheta meminit, & postea Christus iusto Dei iudicio eos percussos pro duræ ceruicis pœna, vt nos moneamur, testatus est, vt oculis videntes non agnoscerent, & auribus audientes non intelligerent, vtique malitia excæcati, videre non potuerunt, quod non nisi fidei lumine intueri potest. Quos ergo scripturæ testimoniis ad Christi diuinitatis professionem inducere non potuit dominus, hos nunc euidenti miraculo ad eiusdem naturæ confessionem nititur attrahere, sed nec vno, verum tribus miraculis, iisque eiusmodi omnino, quæ nulli præter diuinam potentiam conueniunt. Scrutari ac intueri corda renésque hominum solius Dei opus est. At Christus hic Iudæorum cogitationes cognouit, cognouit, inquam, & indicauit, Quid, inquit, cogitatis mala in cordibus vestris? Solius Dei est, dimittere noxas hominum, vt in Isaia clarè scriptum est. At Christus hic paralytico peccata dimittit: Confide, inquit, fili, remittuntur tibi peccata tua. Sed quia hoc factum oculis hominum videri nequit, ideóque de eo dubitari posset, ecce euidentius, ac oculis nostris expositum tertium addit: Vt autẽ sciatis quia filius hominis habet potestatem dimittendi peccata in terra, tunc ait paralytico: Surge, tolle lectum tuum, & vade in domum tuam. Et surrexit, & abiit in domum suam. Nimirum & hoc Dei opus, nullo adhibito medicamine sanare morbos. His diuinitatis operibus cum Christum Dauid Dominum, tum sese ipsum & filium & dominum esse demonstrauit. Et quibus argumentis hanc suam naturã in humili specie aperuisset & ostẽdisset validius? An nõ gẽs illa cæca, an nõ duræ ceruicis, an nõ pertinax?

Margin notes: *Isa.6.* *Sap.2.* *1.Reg.16.* *Psal.7.* *Matt.9.* *Ibidem*

quæ

quę tot tantísq; factis nec duci voluit.nec potuit trahi? Nos ergo relictis cæcis cæcorũ & pertinacium hominum ducibus qui olim excutiẽtium oculorũ squamas agni sanguine ablui mus,huc oculos conuertamus; beneficẽtiæ simulatque omnipotentiæ diuinæ hoc factum consideremus, fidem nostram confirmemus,vt nos quoque omnipotens curet medicus precemur, & denique ad eiusdem magnificentiæ laudem tantorum recordatione factorum moniti accendamur. Hæc & summa & intentio huius Euangelij est, huius in illo magna satis offertur occasio. Iam ipsum Euangelistam audiamus. Ascendens,inquit,Iesus in nauiculam transfretauit, & venit in ciuitatem suam Euangelicæ fratres historiæ naturam consideremus. Qui principum virorum huius seculi facta literis commendant posteritati,magno spiritu, ingentique verborum apparatu,rem aggrediuntur & deprædicant, & id quidem necessariò,nimirum vt quam factorum magnitudo non meretur gloriam, sermo plausibilis impetret. At longè alia ratio est dictatori spiritui sancto, cum ad enarrandã Christi facta calamos velociter scribentium Euangelistarum admouet. Simplex vbique narratio, inaffectata oratio. Ecce enim est tantum diuinæ potentiæ facinus enarraturus Matthęus, nihil de Christo præmittit, quod non de quolibet homine & sentire & liceat dicere, cum conscensa nauicula tranasse refert. Quis autem tam simplici exordio, illud subsequuturum sperasset factum? Non sublimis per aëra vectus populi anteuolat oculos,non mutata stagni natura pessundat, id quod potuit,& alibi fecit, imò nec fecit solum, verumetiam aliis facere, concessit. Quis enim Israëlem siccis pedibus mare rubrum transire fecit? Nempe idem qui fluctus maris sedauit, & qui Petrum super aquas ambulare fecit,& mergentem dextera porrecta seruauit. Sed vt nec semper,nec vbique, nec omnibus diuinitatis virtutem ostendit, ita hic vt nauigaret, ipsi erat conuenientissimum, nobis verò pernecessarium. Si enim vbique se Deum manifestasset, quæ nobis humanitatis suæ argumenta reliquisset? Licet enim & multa & magna sint,quæ humanam naturam in ipso demonstrant, multi tamen non vulgi solùm, verumetiam literatissimorũ hominum applausu verum hominem negauerunt: vt Cerdo, Apelles,Valentinus,Manichæus,Apollinaris, & alij. Qua autem insania triumphassent,si aut nullis, aut infirmis demonstratio

Euangelicarum historiarũ narratio simplex.

Matt. 14

Exod. 14

Matt. 8.

Matt. 14

Cur Christus non semper diuinam virtutem ostendit.

Chryst. in Hom.

data omnia impleat, non video, quomodo trahi posſit. Eadem ratio proximi eſt. Nam & huius ſcriptura monet nos, & natura docet. Sed in Chriſto eius & argumenta & exempla perfectiſsima conſideramus. Vt ipſe in Ioanne ait: Maiorem
Ioan.13 charitatem nemo habet, quàm vt animam ſuam ponat quis pro amicis ſuis. Et: Ego ſum paſtor ille bonus & cognoſco
Ioan.10 oues meas, & animam pono pro eis. Et Ioannes: Dilexit nos,
Apoc.1 inquit, & lauit nos à peccatis noſtris in ſanguine ſuo. Et Paulus: Dilexit nos, inquit, & tradidit ſemetipſum pro nobis. Et
Ephes.4 hanc Dei in nos charitatem Ioannes in argumentum noſtræ erga proximum dilectionis adducit. In hoc cognouimus charitatem Dei, quoniam ille animam ſuam pro nobis poſuit, & nos debemus pro fratribus animas ponere. Qui habuerit ſubſtantiam huius mundi, & viderit fratrem ſuum neceſſe habere, & clauſerit viſcera ſua ab eo, quomodo charitas Dei manet in eo? Ecce hoc modo agnitio Chriſti, quæ eſt ex fide, vt & Deum & proximum diligamus facit. Præpoſterè igitur legis doctor tumidus ille de mandato legis quærit, non ſolùm quòd per illud ſe vitam conſequuturum confidebat, verum etiam quia ſine Chriſti fide illud ſe implere poſſe putabat, quo certè facto & inſcientiam ſuam eximiam, & hypocriſin inſignem prodidit. Optimè autem Chriſtus, mox ſoluta Pharisæi quæſtione, aliam de fide inſtituit, non quidem reprobans quod de diuinis mandatis ſyncerè in quæſtionem vocari poteſt, & confuſum doctrinæ ordinem arguens. Nam ſi de mandatis Dei ſcrutari, eáque obſeruare credentem indignum eſſet, haud dubiè & doctorem & quæſtionem explodiſſet. Sed quia aliquid in iis ſitum eſt, noſtro bono reſpondit. Noſtri etiam hoc tempore de fide ac charitate diſputant, ſed contrario modo, & quemadmodum ille iuſtificationem hominis legi ſine fide tribuebat, ita hi contrario modo eandem nudæ fidei imputant ſine vllius mandati obſeruatione. Sic alij paulo clementiores charitati, hoc diſputant, quæ potior fides an charitas? Sed vtrobique error & falſitas ineſt. Et illi quidem qui fidei ſoli iuſtificationem imputant, ſine mandatorum Dei obſeruatione, duo potiſsimùm in ſuæ opinionis defenſionem adferunt: alterum quod non ea ſint legis mandata, vt impleantur, ſed vt in iis homo veluti in ſpeculo ſeſe contempletur, ſuam imbecillitatem agnoſcat, ac ſe peccatorem confiteatur. Alterum, quòd non poſsit lex à quoquam obſeruari, vt humanis

manis viribus grauior. Hinc voces illæ, Fide sola iustificamur. Deus non vitam, quantumlibet impiam, sed fidem intuetur. Euangelium nescit opera bona. Homo liberi arbitrij non est. Omnia fato reguntur: & id genus infinitæ. Dictum est autem, mandatorum legis obseruationem sine fide in Christum nihil ad salutem facere, nec posse illa nisi ex agniti Christi gratia impleri. Nunc his respondeamus, qui contrarium tuentur. Et primùm quod aiunt, Legis mandata non ideo data esse vt impleantur, sed vt in iis homo veluti in speculo sese contempletur: hoc postremum concedetur facilè, esse etiam hac ratione data mandata, vt sint quasi speculum (sic enim & Paulus in ea quam ad Romanos scripsit epistola tradit) Sed nusquam vel Pauli, vel alia quæuis scripturæ sententia, quòd ob solam peccatorum agnitionem, & non etiam vt custodiantur & impleantur data esse ostendit. Et perspicuum est, vnius rei plures esse posse causas. Quod autem præterquàm quod peccata accusat custodiri debeant, siue vt custodiantur data sint, hoc in scripturis Canonicis scriptum inuenimus, Audi Israël, inquit Moses, & obserua vt facias, quæ præcepit tibi Dominus Deus, & bene sit tibi: Dominus Deus noster, Deus vnus est. Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo & ex tota anima tua, & ex tota fortitudine tua. Et mox: Custodi præcepta Domini Dei tui, ac testimonia, & statuta quæ præcepit tibi, & fac quod placitum est & bonum in conspectu Domini, vt benè sit tibi. Et iterum: Præcepit nobis Dominus vt faciamus omnia statuta hæc, & timeamus Dominum Deum nostrum. Et deinceps: Considera quòd hodie proposuerim in conspectu tuo vitam & bonum, contrà mortem & malum: vt diligas Dominum Deum tuum, vt ambules in viis eius, & custodias mandata illius, & viues. Sic & Dauid: Mandasti mandata tua custodiri nimis. Et: Maledicti qui declinant à mandatis tuis. Sed ais, Moses & Dauid Iudæis hæc præceperunt, ac scripserunt. Audi igitur Christum tibi loquentem, si fortè illi acquieueris: Omnis, inquit, qui audit verba mea hæc, & facit ea, assimilabitur viro sapienti, qui ædificauit domum suam super petram, & descendit pluuia, & venerunt flumina, & flauerunt venti, & irruerunt in domum illam, & non cecidit, fundata enim erat super petram. Et omnis qui audit verba mea hæc, & non facit ea, similis erit viro stulto, qui ædificauit domum suam super arenam.

Rom.7 *Deut.6* *Deut.30* *Psal.118* *Matt.7*

arenam, & descendit pluuia, & venerunt flumina & flauerunt venti, & irruerunt in domum illam, & cecidit, & fuit ruina
Mat. 19 eius magna. Et alibi: Si vis ad vitam ingredi, serua manda-
Luc. 10 ta. Et iterum: Hoc fac, & viues. Loquitur autem de Dei ac
Rom. 2 proximi dilectione. Huic & apostolica consentit doctrina.
Iaan. 5 Paulus enim testis est, quòd non auditores, sed factores legis iustificabuntur. Et Ioannes ait, Hæc est charitas Dei, vt mandata eius custodiamus, & mandata eius grauia non sunt. Et:
Ioan. 2 Qui dicit se nosse Deum, & mandata eius non custodit, mendax est, & in eo veritas non est. Qui autem seruat verbum
Iacob 1 eius, verè in hoc charitas Dei perfecta est. Hinc Iacob hortatur, dicens: Estote factores verbi & non auditores tantùm, fallentes vosmetipsos. His ergo aliisque eius generis scripturæ testimoniis clarissimè ostenditur, non ideo tantùm legem latam esse, vt peccata manifestentur, verumetiam vt custodiantur & seruentur. Et quomodo illorum opinio huic scripturarum sententiæ conueniet, qui apertissimis testimoniis contradicunt? Iam verò secundum discutiamus, quòd dicunt, mandata diuinæ legis facto esse impossibilia, à nullo obseruari posse. Hæc opinio aut vera est, & scripturæ testimo-
Deut. 30 niis conueniens omnibus approbatur: aut falsa est, & scriptu-
vide Augu. quest. 13. super Deuter. ræ repugnans, ab omnibus rectè exploditur. Sed scriptura possibilia ea esse, & ob id obseruari posse testatur. Moses enim ait, Mandatum hoc quod ego præcipio tibi hodie non mirabiliter supra te est, neque procul positum, nec in cælo situm, vt possis dicere: Quis nostrum valet ad cælum ascendere, vt deferat illud ad nos, vt audiamus atque opere impleamus? neque trans mare positum, vt causeris, & dicas: Quis è nobis poterit mare transfretare, & illud ad nos vsque deferre, vt possimus audire & facere quod præceptum est, sed iuxta te est sermo valde in ore tuo, & in corde tuo, vt facias illum. Et Chri-
Matt. 11 stus in Euangelio: Tollite iugum meum super vos, &c. Iugum enim meum suaue est, & onus meum leue. Et Ioannes: Mandata eius, inquit, grauia non sunt. Quanquam hoc facilè concesserim, sine fide in Christum atque eius gratia impos-
Ioan. 15 sibilia esse humanis viribus. Christus enim ait: Sine me nihil
2. Cor. 3 potestis facere. Et Paulus testatur nos non esse sufficientes cogitare aliquid à nobis quasi ex nobis. Nihilominus tamen impossibilia dicere mandata, falsum est: possumus enim ea custodire, si non ex nobis, certè ex eo qui in nobis habitat spiritu. Id

tu. Id quod idem Paulus consequenter docere voluit, cum ait: *Ibidem.*
Nostra sufficientia ex Deo est. Et alibi: Spiritus adiuuat in- *Rom.8*
firmitatem nostram. Tum per gratiam acceptat nos. Sed &
in hodierna epistola eiusdem Apostoli clarè videtur, quid
gratia Dei in credentibus præstet, cum per gratiam Christi
in omnibus, in omni verbo, & in omni scientia diuites fa-
ctos esse Corinthios testatur, nec quicquam illis deesse in *1. Cor. 1*
vlla gratia. Ecce quod præter hominem etiam aliquid sit in
homine. Si ergo ipse Deus qui verax & fidelis est, confirmat
credentes, non vno aliquo die, sed vsque ad aduentum Do-
mini nostri Iesu Christi, quid impossibile eis erit? An non
omnipotens Spiritussanctus est? an non omnia potest? an ab-
breuiata est manus Domini, aut imminutæ sunt vires eius?
An non veritas dixit, credenti omnia possibilia esse? Amen
dico vobis, si habueritis fidem, dicetis huic monti, Tollere, & *Matt. 17*
mittere in mare, & fiet. An non & Paulus magistri verba *Mat. 11*
suo exemplo confirmat, cum omnia se posse confirmat in eo *Phil.4*
qui nos confortat. Non igitur ideo solùm data sunt Dei man-
data vt peccata ostendant, verumetiam vt perficiantur & com-
pleantur. Neque etiam impossibilia sunt quæ Christi fides &
gratia facit facilia & leuia. Quiescat ergo diuersa opinātium
peruicacia. Iam verò iis quoque sed breuiter respondeatur,
qui vltra potior sit fides an charitas quærunt. Cui quæstioni
causam dedit scripturæ varia interpretatio. Qui enim chari-
tatem potiorem dixerunt, illi loco, qui est prima ad Corin-
thios 13. inhæserunt. Nunc autem manent hæc tria, fides,
spes, charitas: maior horum charitas. Tunc huius Euange-
lij dictis: In his duobus mandatis (de dilectione Dei & pro-
ximi loquitur) vniuersa lex pendet & Prophetæ. Et hæc qui-
dem aperta scriptura est. At qui fidem præstantiorem dixe-
runt, aliis scripturæ locis innituntur. Vt in Ieremia, vbi Do- *Mat. 22*
minus non se victimas, sed obedientiam, hoc est, fidem quæ- *Iere.5*
siuisse ait. Et quod Propheta ait: Oculi tui Domine respiciunt
fidem. Et quis controuersiam hanc tollet? Ipse Christus vel
hoc ipso tollet, quòd hic vtranque & fidem & charitatem con-
iungit. Propterea & Marcus Euangelista cum hanc lectionem
scriberet clariùs expressit ambas coniungens. Audi Israël,
Dominus Deus tuus, Deus vnus est, & diliges Dominum
Deum tuum. Atque in hanc sententiam Ioannes quoque
scripsit: Hoc est, inquit, mandatum eius, vt credamus in
nomine

nomine filij eius Iesu Christi & diligamus alterutrum. Ecce tibi vtrumque vno mandato comprehensum: non quòd vnum sint, & hæc ab illa diuidi non possit, sed quòd diuidi non debeant. Altera enim sine altera Deo displicet. Cum autem hæc tria manent, fides, spes, charitas. Charitas tamen ipsum cælum ingreditur, manétque sola, cæteris cessantibus. Fides & spes huius tantùm vitæ sunt, charitas & futuræ: illic enim videbimus & habebimus. Quod autem videtur iam, vtique non creditur, & quod habetur, iam non speratur. Cum autem videtur quod hic creditur, & habetur quod hic speratur: vtique quod hic amatur, ardentiori charitate diligitur. Tria ergo hæc cum hic simul sunt, maior horum charitas eo fit perfectior, quo manet diuturnior. Atque hac ratione hoc Euangelium consideratum, non absurdè communis quædam regula dici potest secundum quam omnino viuendum sit, vt in prima quæstione à malo desistamus, & an verè diligamus scrutemur: in secunda verò nosmet confirmemus in omnibus aduersitatibus, atque fidem si recta ac vera sit examinemus. Hæc enim duo Christus voluit, cum dilectionis magno mandato fidem coniunxit. Et quidem ita coniunxit, vt multa comprehendant, multa cogitanda communicent. Nam quod ad dilectionem attinet, primum quod de magno legis mandato interrogatus, dilectionis meminit, voluit significare quod non, vt Moses in tabulis lapideis, sed in affectu mentis legem suam inscripturus esset, vt in Iere-
Ierem. 13 mia se facturum esse promiserat, & quod credentes non edicti seueritate vel à prauis absterrere, vel ad bona velit compellere, sed voluntatem per Spiritumsanctum & dilectionem
Matt. 11 ad obedientiam inducere. Vnde iugum suum suaue, & onus
Mat. 22 suum leue dixit. Deinde quod addit, Ex toto corde tuo, & in tota anima tua, & in tota mente tua: hoc fecit, ne quis sibi persuadeat se diligere Deum. Licet ad quæuis alia hunc affectum diuidat qui in dilectione Dei totus requiritur. Sic & illud: Diliges proximum tuum sicut teipsum, addidit, vt discamus vbi quærendus sit Deus, nempe sub cruce in aduer-
Matt. 25 sis. Hic enim probatur dilectio Dei, an perfecta sit cùm Christum in proximo reficis, seruas, nutris. Tertiò, quòd ait in his duobus mandatis vniuersam legem & prophetas comprehendi, ostendit Deum non tam factum quàm affectum requirere, & quòd nullum factum sine charitate Deo placeat. Vnde

sequit

ſequitur Iudæos, gentes, hæreticos, alióſque legem non implere, etiamſi nullum atrox facinus committant, fruſtrà exter nis bonis omnibus ſtudeant, ſi non ex charitate opera ſua meriti fuerint. Finis enim præcepti charitas. Et hinc illa operum Phariſæorum reiectio Chriſti. Amen dico vobis, receperunt mercedem ſuam. Non enim ex charitate Dei, aut proximi prodierunt, ſed vt viderentur ab hominibus quæcunque fecerunt. Quartò, interrogatus de vno magno mandato, addit & ſecundum. Hoc nimirum ſignificans, quia Deus diligi non poſsit, niſi & proximus charitate complectatur. Qui enim non diligit fratrem quem videt, Deum quem non videt quomodo poteſt diligere? Et hoc mandatum habemus à Deo, vt qui diligit Deum, diligat & fratrem ſuum. Id quod hypocritas ſuæ confidentiæ arguit, qui ſibi ipſis bellè placebant, quaſi Deum diligerent, nullo licet affectu erga proximos tangerentur. Hæc aliáque multa Chriſtus hoc dilectionis mandato ſignificauit. An nõ autem in his Chriſtiano homini digna latet meditatio? An non eſt, quo ſe pij quique exercere poſsint? Beatus ergo vir cuius voluntas in lege Domini eſt, & qui ſyncero pectore in lege eius meditatur die ac nocte. Erit enim vt lignum iuxta decurſus aquarum plantatũ, quod fructum ſuum dabit in tempore ſuo. Et folium eius non defluet, & omnia quæcunque faciet proſperabuntur. Beatus (inquit) qui timet Dominum, & in mandatis eius volet nimis. Potẽs in terra erit ſemen eius, generatio rectorum benedicetur. Gloria & diuitiæ in domo eius, & iuſtitia eius manet in ſeculum ſeculi. Vtinam autem & nos mandata Dei meditaremur, non Phariſaico more multa de iis inquirentes, ſed ex dilectione illa implentes. Non enim illę ſolùm quarum Pſalmiſta meminit, benedictiones in nos venirent, ſed multò potiores atque ſempiternæ. Sed videamus quid de altera parte idem Chriſtus doceat, vt conueniente fundamento & ſtructura, fide inquam & dilectione ſpiritualis ædificatio noſtra creſcat ſurſum. Hypocrita (inquit) non eſt quòd de magno mandato tu quæras, qui minimum horum non impleſti. Non eſt quòd hoc de tuis te viribus facturũ ſperes, & ſi maximè feceris, an ideo tibi felicitas debebitur cæleſtis? Ad quid igitur promiſsio Meſsiæ: cur Chriſtum venturum creditis? Quod eius officium erit, ad quid gratiæ ipſius dona elargientur, ſi ſine ipſo ex lege cælum vobis deberi vultis? Hac occaſione ſuam quæſtionem legis doctoris interroga

Z tioni

Rom. 28.
Matt. 6.
1. Ioan. 4.
Pſal. 1.
Pſal. 111.

tioni addit: Quid vobis videtur de Christo, cuius filius est? Duo autem docere vult quæ fides nostra de Christo requirit, nimirum quod homo ipse ac verus Deus sit, vnus Christus. Et quidem hominem esse Iudæi nouerant ex scripturis, at Dei filium esse ignorauerunt. Rogat igitur, cuius filius sit? Dicunt ei: Dauid. Et iusta hæc eorum responsio est. Nam scriptura id de Christo testatur, totiúsque Christiani orbis fides sic habet. In psalmis ipse ait, Annunciabo nomen tuum fratribus meis, in medio Ecclesiæ laudabo te. Ecce ego & pueri mei quos de-
Psal.21. dit mihi Deus. Quia ergo pueri communicauerunt carni
Heb.2. & sanguini, & ipse similiter participauit iisdem. Et in Ioanne:
Isa.8. Vade, dic fratribus meis, ascendo ad patrem meum & patrem
Ioan.20. vestrum, Deum meum & Deum vestrum. Hanc inquam naturam in Christo quam videbant agnouerunt, & confessi sunt.
Ioan.10. Homo cùm sis (inquiunt) facis teipsum Deum, Sic ipse se etiam palam hominem esse profitebatur, vt in Matthæo 8. & 20. Marc. 10. Alibi quoque hanc ipsam quæstionem apud
Mat.16. discipulos mouit: Quem, inquit, dicunt homines esse filium hominis? Et mox: Vos autem quem me esse dicitis? Hinc est quod Paulus humanitatem in Christo prædicat asse-
Rom.1. rens factum illum esse ex semine Dauid, secundum carnem, in similitudinem corruptibilis carnis. Et eiusdem facta collatione cum Adam primum illum hominem ait de terra terrenum, secundum verò, id est, Christum, de cælo esse cæle-
1.Cor.15. stem. Et alibi apertius etiam, Vnus, inquit, mediator Dei & hominum, homo Christus Iesus. Ecce tot multísque aliis locis scriptura humanam naturam in Christo prædicat. Et quis fructus, credere Christum verum esse hominem? Primum confutantur hæretici, qui ipsum non verum, sed fantasticum corpus assumpsisse asseuerarunt olim. Deinde ingens consolatio piis mentibus hinc venit, si Iesum confitemur nostram carnem assumpsisse, quod suæ erga nos dilectionis magnum sit argumentum, tum etiam vt sciamus nos non habere pontificem qui non possit compati infirmitatibus nostris, tentatum autem per omnia pro similitudine absque pec-
Heb.4. cato. Hinc est quòd Ioannes ait: Omnis spiritus qui confite-
1.Ioan.4. tur Christum in carne venisse, ex Deo est. At non solùm in carne, verumetiam in carne & semine Dauid venisse confiten-
Heb.2. dum est, propter promissionis veritatem. Nam quemadmodum, vt Paulus testatur, nusquam angelos apprehendi, sic
nec

nec quoduis semen, sed Abrahæ & Dauid semen apprehendit. Ad Abraham enim ait: In semine tuo benedicentur omnes gentes, non dicit, In seminibus, quasi in multis, sed in semine tuo, quasi in vno, qui est Christus. Et Dauid: De fructu ventris tui ponam super sedem tuam. Idem alibi prophetæ testantur, Isa.11. Hier.25. Psal.88. Propterea & Paulus Romanis scribens, ipsum ex semine Dauid natum asserit, hoc est, ipsum esse qui Abraham ac Dauid promissus erat, quem scriptura Dauid filium vocat, in quo omnes promissiones Dei sunt, Amen & ita. Ac talem agnouerunt qui clamauerunt: Iesu fili Dauid miserere nostri. Huc respicit quod ad virginem matrem angelus ait: Et dabit illi Dominus sedem Dauid patris eius. Tertiò non solùm filius, verùm etiam Dominus confitendus est. Et hoc est, quod hic Christus vrget. Quomodo ergo, inquit, Dauid in spiritu vocat eum Dominum, dicens: Dixit dominus domino meo, sede à dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum? Si ergo Dauid vocat eum Dominum, quomodo filius eius est? Parum esset filium esse Dauid secundum carnem, si nō & dominus eius esset secundum Deum. Dominum autem eius esse scriptura ostendit, Dixit dominus domino meo. Dominus autem Dauid non solùm natiuitatis, verumetiam regiæ maiestatis ratione. Dauid enim ad tempus regnauit mortalis, Christus autem rex est in æternum, quia spiritualis, Dauid quidem hostes suos deuicit, sed homines, Philistæos, Ammonitas, Idumæos, & alios. Sed nobis non est colluctatio aduersus carnem & sanguinem, sed aduersus principes & potestates, aduersus mundi rectores tenebrarum harum, contra spiritalia nequitiæ in cælestibus. Quid autem Dauid filius aduersus hos potuisset? Aliud igitur semen promissum erat Christus, qui caput huius serpentis contereret. Hunc regem significabant Isaias 9. Daniel. 7. Gabriel Luc. 1. Hic ergo Dauid regnum confirmauit & benedixit, sine quo nec Dauid regnasset. Per hunc omnium regnorum dominum, sedentem à dextris domini Dei nostri, reges etiamnum regnant. Huic conueniunt quæ sequuntur, quod sub pedes eius omnes inimici eius subiugabuntur. Id quod partim factum est, cùm ait: Data est mihi potestas omnis in cælo & in terra, partim futurum, & planè fiet, cùm ipse Deo & patri regnum tradiderit. Sed quid, inquis, mihi commodat Christum regem esse & dominum? Et hoc accipe,

Gen.22. Galat.3. Psal.131. 2.Cor.1. Matt.9. & 20. Luc.1. Psal.109. 2.Reg.8. Ephe.6. Gen.3. Mat. 28. 1.Cor. 15.

Christus ad dexteram patris sedens regnat, hoc est, spiritualis rex est. Dextera enim spiritalia, sinistra terrena significat. Rex

Ioan.16. est non in se vno, sed & in nobis omnibus. Vnde vt cõfidamus

Psal.109 monet, quia ipse vicerit mundum. At quomodo in nobis regnet, audi, Dominare in medio inimicorum tuorum. Non dicit, inimicos tuos omnes pariter prosternes, ne vnus supersit, sed dominaberis in medio eorum. Vndique te petent, tu verò Dominus & rex permanebis. Non enim malum omnino aufer à nobis, sed vt ipsum vincamus virtutem confert. Id quod

2.Cor.12. in Paulo videre est, qui cũ interrogasset Dominũ, vt hostem, stimulum carnis auferret, tandem hunc sibi regem dicentem audit: Sufficit tibi gratia mea. Nam nos quoque hac contenti gratia certamus, quousque ipse sub pedibus subiiciat omnes inimicos nostros: vt possimus Paulinum illum triumphum

1.Cor.15. canere: Vbi est mors victoria tua, vbi mors stimulus tuus? Deo autem gratia, qui dedit nobis victoriam per dominum Iesum Christum. Talis rex Christus est, cui subiugabuntur

Quest.7. omnes inimici eius, nolint velint. Quidam enim sua sponte,

Actor.9 vt Magdalena, quidam casti, vt Paulus, se huic imperio subdunt. Talis, inquàm, qui nos quoque dominari facit in medio inimicorum nostrorum, nobiscum in certamen descendit, pro nobis pugnat. Ecce quomodo & nobis commodat Christum regem esse. At hic quoque sacerdos credẽdus est, Vt idem Psal-

Psal.109. mus habet: Tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech. Sacerdos, inquàm, qui apud patrem pro nobis apparet & interpellat, qui etiam pro sua reuerẽtia exauditur. Sic & iudex venturus confitetur, Id quod idem quoque Psalmus testatur. Dominus à dextris tuis confregit in die iræ suæ reges. Iudicabit in nationibus, implebit ruinas, cõquassabit capita in terra multorũ. Hæc omnia Christus proposita quæstione docet, cum Psalmum Dauid in testimonium vtriusque naturæ suæ adducit, duo quasi in vnum colligens, vt quæ ad salutem scitu sunt necessaria, facilius & percipiantur & memoria teneantur felicius. Agite ergo, huc oculos mentémque aduertite, Christum hominem atque Deum credite & confitemini, ipsum super omnia diligite, inque ipso proximum amplectimini. Confisi de ipsius gratia, qui vt se diligere velimus monet, etiã vt possimus dabit. Id ergo præstet trinus & vnus, cui laus per omne æuum.

DOMI

DOMINICA VIGESIMA POST PENTECOSTEN EVANGELIVM, MATTH. IX.

ET ascendens Iesus in nauiculam transfretauit, & venit in ciuitatem suam. Et ecce offerebant ei paralyticum iacentem in lecto. Et videns Iesus fidem illorum, dixit paralytico: Confide fili, remittuntur tibi peccata tua. Et ecce quidam de Scribis dixerunt intra se: Hic blasphemat. Et cùm vidisset Iesus cogitationes eorum, dixit: Vt quid cogitatis mala in cordibus vestris? Quid est facilius dicere, Dimittuntur tibi peccata tua, an dicere, Surge & ambula? Vt autem sciatis quia filius hominis habet potestatem dimittendi peccata in terra, tunc ait paralytico, Surge, tolle lectum tuum & vade in domum tuam, Et surrexit, & abiit in domum suam. Videntes autem turbæ timuerunt & glorificauerunt Deum, qui dedit potestatem talem hominibus.

EADEM DOMINICA EPISTOLA, EPHES. IIII.

REnouamini autem spiritu mentis vestræ, & induite nouum hominem, qui secundum Deum creatus est in iustitia & sanctitate veritatis. Propter quod deponentes mendacium, loquimini veritatem vnusquisque cum proximo suo: quoniam sumus inuicē membra. Irascimini, & nolite peccare. Sol non occidat super iracundiam vestram. Nolite locum dare diabolo. Qui furabatur, iam non furetur: magis autem laboret, operando manibus suis, quod bonum est, vt habeat vnde tribuat necessitatem patienti.

quę tot tantisq; factis nec duci voluit, nec potuit trahi? Nos ergo relictis cæcis cæcorũ & pertinacium hominum ducibus qui olim excutientium oculorũ squamas agni sanguine abluimus, huc oculos conuertamus; beneficentiæ simulatque omnipotentiæ diuinæ hoc factum consideremus, fidem nostram confirmemus, vt nos quoque omnipotens curet medicus precemur, & denique ad eiusdem magnificentiæ laudem tantorum recordatione factorum moniti accendamur. Hæc & summa & intentio huius Euangelij est, huius in illo magna satis offertur occasio. Iam ipsum Euangelistam audiamus. Ascendens, inquit, Iesus in nauiculam transfretauit, & venit in ciuitatem suam Euangelicæ fratres historiæ naturam consideremus. Qui principum virorum huius seculi facta literis commendant posteritati, magno spiritu, ingentique verborum apparatu, rem aggrediuntur & deprædicant, & id quidem necessariò, nimirum vt quam factorum magnitudo non meretur gloriam, sermo plausibilis impetret. At longè alia ratio est dictatori spiritui sancto, cum ad enarranda Christi facta calamos velociter scribentium Euangelistarum admouet. Simplex vbique narratio, inaffectata oratio. Ecce enim est tantum diuinæ potentiæ facinus enarraturus Matthęus, nihil de Christo præmittit, quod non de quolibet homine & sentire & liceat dicere, cum conscensa nauicula tranasse refert. Quis autem tam simplici exordio, illud subsequuturum sperasset factum? Non sublimis per aëra vectus populi anteuolat oculos, non mutata stagni natura pessundat, id quod potuit, & alibi fecit, imò nec fecit solum, verumetiam aliis facere, concessit. Quis enim Israëlem siccis pedibus mare rubrum transire fecit? Nempe idem qui fluctus maris sedauit, & qui Petrum super aquas ambulare fecit, & mergentem dextera porrecta seruauit. Sed vt nec semper, nec vbique, nec omnibus diuinitatis virtutem ostendit, ita hic vt nauigaret, ipsi erat conuenientissimum, nobis verò pernecessarium. Si enim vbique se Deum manifestasset, quæ nobis humanitatis suæ argumenta reliquisset? Licet enim & multa & magna sint, quæ humanam naturam in ipso demonstrant, multi tamen non vulgi solùm, verumetiam literatissimorũ hominum applausu verum hominem negauerunt: vt Cerdo, Apelles, Valentinus, Manichæus, Apollinaris, & alij. Qua autem insania triumphassent, si aut nullis, aut infirmis demon-

Euangelicarum historiarũ narratio simplex.

Matt. 14

Exod. 14

Matt. 8.

Matt. 14

Cur Christus non semper diuinam virtutem ostendit.

Chryst. in Hom.

tionibus erroris sui conuinci potuissent, qui paucis iisq; non intellectis Scripturæ locis tantum fauoris consecuti sunt? Vt ergo verum se hominem declararet, nauim ascendit, nauigauit, nauigando nostræ fidei seruiuit, nostræ saluti consulit. Nostræ naturę substantiam assumens, nobis per omnia assimi-
Hebr. 2 lari debuit. Clarificaturus diuinitatem suam miraculo, in nostra forma humiliat se nauigio. Hic ordo factorum Dei: prius humiliat, deinde exaltat: prius mortificat: postea exaltat, prius deducit ad inferos, postea reducit. Sic mortuus est prius in carnis humilitate, quàm resurgeret pro diuinitatis potentia. Habet autem & aliam significationem hæc nauigatio.
Matt. 8. Vltro in Gerasenorum fines venerat, beneficia non potētibus obtulerat, & ecce tota illa ciuitas exiens rogat vt transeat à finibus eorum. Quos ergo beneficiis ad fidem attrahere laborabat, hos inuitus deserit. Et cum subitò eorum oculos finésque effugere potuisset, moram trahere voluit. Eadem ratione
Apoc. 3
Isaie 65 nobiscùm agit. Stat ante ostium nostrum pulsans, si quis aperiat ei. Inuentus est à non quærentibus se. Ipse eligit nos, & non ipsi nos, & propter nimiam charitatem suam qua dilexit nos ante constitutionem mundi, nullo nostro merito, cùm
Ioan. 5 essemus mortui delictis, conuiuificauit nos Christo. Delitiæ
Ephes. 1 autem cum eius sint, esse cum filiis hominum, inuitus & non nisi profligatus recedit. Id quod manifestè in Israële videre licet. Quoties enim peccauit Israël, & iterum atque iterum
Exod. 33 exoratus mansit cum illa gente: Dereliquerunt ipsi dominum noluerúntqne vias eius, vitulo erecto, Ecce (dixerunt) dij tui, qui te eduxerunt ex Aegypto. Peccauit & Dauid domino, adulterio coniungens homicidium, neque tamen Dominus
Matt. 28 deseruit eum. Occiderunt Iudæi prophetas Domini, omnes,
Actor. 7 non tamen dereliquit eos, nisi nouissimè clamantes: Nolle
Ioan. 10 se Christum regem, magis verò tolli ac crucifigi velle, quod
Marc. 16 præter Cæsarem nullum regem habeant. Tunc demum se
Acto. 18 suósque ab iis, nec adhuc penitus auertit. Tunc, inquam, præcepit discipulis, vt in vniuersum orbem irent, Euangelium & salutem oblatam prædicarent omni creaturæ. Hinc illa Petri vox: Vobis oportebat primùm loqui verbum Dei, sed quia repellitis illud, & indignos vos iudicatis æternæ vitæ, ecce
Isa. 5 conuertimur ad Gentes. Hæc igitur & Gerasenis hac mora sua dum nauim ascendit, quasi dicere voluit: Ecce obtuli beneficia vobis, repellitis & me & illa. Quid debui tibi popule meus

meus facere quod non feci? Adhuc expecto, inuitus recedo, moram ob id traho, quid est, quo minus longanimitas mea *Rom. 7* ad pœnitentiam vos inuitat? Vt ergo se hominem declararet, nauiculam ascendit. Venit in ciuitatem suam. Et quid est quod in ciuitatem suam venit? Magnum profectò profundæ humilitatis indicium. Creator enim ipse rerum, orbis terræ dominus, posteaquàm se propter nos nostra coartauit in carne, cœpit habere humanam patriam, cœpit ciuitatis Iudaicæ esse ciuis, parentes habere cœpit, parentum omnium parens, vt attraheret charitas, quos disperserat metus. Et quem hæc charitas non attraheret, si humana mens, quid sit Deum fratrem nostrum factum esse, & nobiscum habitasse in terra, cogitaret? In patriam venit, & in patria offertur paralyticus. Ecce (inquit Matthæus) *Matt. 9* offerebant ei paralyticum iacentem in lecto. Marcus verò & Lucas fusiùs hæc eadem narrant: Venerunt ad eum ferentes paralyticum, qui à quatuor portabatur, & quærebant eum inferre, & ponere ante eum. Et non inuenientes qua parte illum inferrent pręturba, ascenderunt & nudauerunt tectum vbi erat, & patefacientes, per tegulas submiserunt eum, & grabatum, in quo decumbebat, in medium ante Iesum. Hic datur occasio patefaciendi potentiam diuinam, hic medium se præstabit, offertur enim debilis, offertur paralyticus. bene autem res se habet. Geraseni rogabant eum, vt à finibus suis discederet. In sua ciuitate Capharnaum vt sanet rogatur medicus: & vt saluet, prius peccata dimittit. Iudæi Christum è tem- *Matt. 11* plo eiecerunt: Gentes eiectum quærunt. Et hoc est quod ipse alibi ait: Regnum cælorum vim pati, atque violentes violenter istud rapere. Magna hìc vi non corporis sed fidei opus est, quam Christus expetit, quáque ipse afficitur. Nam & Chananæam fide firmam prędicat: O mu- *Matt. 15* lier, inquit, magna est fides tua, fiat tibi sicut vis. & hic sequitur, quod videns fidem illorum dixit paralytico: Confide fili: Remittuntur tibi peccata tua. Machina fidei, remissionem impetrat peccatorum. Nam quia tantam ostendunt fidem, monstrat & ipse suam virtutem. Quantum autem poterit apud Deum fides propria, apud quem *An aliena fides prosit.* sic valuit aliena? Hac occasione quidam disputant an prosit fides aliena, & quibus in rebus. Nec omnino inutilis illa

quæstio. Vtrobique enim peccatur, cum alij falsò sibimet ipsis persuadent, nullo se alienæ fidei indigere ministerio, nec prodesse quicquam: alij contraria amplectentes, nimium huic externo confidunt officio, impij ipsi impietatem suam quamlibet enormen aliorum suffragiis elui arbitrantur. Breuissimè igitur id quod res est dicturus. Primum qualis illa fides fuerit, quam hic Christus vidit considerandum arbitror. Principiò igitur illorum fides non informis aut emortua erat, quæ nec aliis, nec habenti eam

1. *Cor.* 13 prodest quicquam. Quid enim vel tibi vel mihi prodesset, si quotidie sine pia intentione, ac charitate millies fidei enarrares articulos? Eadem ratio est orationis. Horum ergo virorum fides quam Christus vidit, meta fuit fiducia bonitatis ac misericordiæ Christi, ex fama Christi certa concepta, tam firma vt de salute paralytici nihil dubitarent, si ad Christi pedes possent perferre, tam certa, vt nullo modo domini indignationem timuerint. Hanc iam non informem aut mortuam, sed formatam & officiosam dominus vidit. Quia aut respectu illius paralytici peccata dimittit, ac sanat, (id quod hic apertum est) dubium non est, quin ei placeat alterius pro altero fides & oratio. Misericordiam enim facere complacuit illi plus quàm victima.

Matt. 5 Et cur non placeret quod ipse iubet? Orate, inquit, pro persequentibus & calumniantibus vos, vt sitis filij patri vestri, qui in cælis est. Quanquam autem prodesse alienam fidem & orationem, hoc ipso manifestum est, quod iussit, ac hunc paralyticum non suæ, sed aliorum orationis intuitu sanauit: tamen id clarius fit aliorum scripturæ locorum demonstra-

Exod. 32 tione. Moses orauit Dominum, vtiq; in fide: Et quot homi-

3. *Reg.* 18. num millia seruauit? Elias homo nobis similis sua oratione

Exod. 17 pluuiam impetrauit omni populo. Rursum Mosi oratione hostes Israël fugati sunt, soror ipsius Maria mūdata est. Et quid multis? Vbiq; huius testimonia, quòd aliorum fide & oratione aliis, sine propria vel fide vel oratione impetrata sunt cor

Gen. 18. poris & animę beneficia. Sic Abraham pro Sodoma atq; Gomorrha precatus est, & exauditus est. Non enim prius Sodoma conflagrata est, quàm Abraham orare destitit. Sic Dominus de Ierusalem promittit. Protegā, inquit, vrbem istā pro-

4 *Reg.* 20 pter me, & propter Dauid seruum meum. Dauid multo tempore iam vita defunctus fuerat, cum hæc Deus promitteret.

Tamen

Tamen propter mortui fidem non mortuã, fide mortuis, corpore tantum viuentibus beneficia sua promittit. Nõ ergo diffidendũ, Deum, quæ sua est bonitas, etiam infantes nostros suscipere & amplecti, non in propria, quã non habẽt, sed in aliena, hoc est, Ecclesiæ cũ fide, tùm oratione. Cur enim abnueret infantibus, quod præstitit adultis? An immitior factus Deus in tẽpore gratiæ, quàm fuit tẽpore legis? Aut non faciet nostris paruulis, quod fecit sub lege constitutis? Clarè autem scriptura refert, quòd illius temporis infantes amplexus sit Deus, quibus & signum fœderis communicauit, & in suum peculium annumerauit. Ad Abrahã enim loquitur: Statuã pactũ meum inter me & te, & inter semen tuũ post te in generationibus tuis fœdere sempiterno: vt sim Deus tuus, & seminis tui post te. Et mox: Infans octo dierum circũcidetur in vobis. Et alibi, Omne masculinum adaperiẽs vuluam, sanctum Domino vocabitur. Sed se minimè immitiorem factũ gratiæ tempore cum aliis argumẽtis innumeris, tùm hoc maximè ostendit, qui noluit paruulos à se prohiberi, voluit ad se venire Christus, imò contra nitentibus Apostolis indignè tulit. Et complexans eos, imposuit manus super eos, & benedixit eis: & regnum cælorum talium esse affirmauit. Iam verò venire ad Christum, benedici, & regnum cælorum habere, non conueniunt nisi qui per baptismum ingrediuntur. Omnes enim filij iræ, à Christo complecti ac benedici non possumus, nisi per eam ianuam, quæ sola introitum regni cælorum patefacit. Vt in Ioanne scriptum est: Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, nõ potest videre regnum Dei. Porrò sacramentum baptismi est fides. Cũ igitur propria fides in infantibus nõ est, vtiq; in fide Ecclesiæ baptizantur, & saluantur. Cur autem aliena fide nõ saluarentur, qui sine fide aliena culpa damnantur? Si consortium carnis quod ab Adam trahimus maledicit, quomodo participatio spiritus non benedicit? Hæc illa sanctorum communio in Ecclesia vnius mystici corporis vita. Quæ autem sanctorum communio, quod mysticum corpus erit, vbi nulla spiritualium donorum participatio? Ecclesiæ igitur fides & oratio, eos qui per baptismũ in cõsortiũ admissi sint sanctorũ, benedicenti Christo adiungit. Quanquã nõ desunt qui paruulis infusam à Deo fidẽ asserant, huic nitẽtes argumentationi: Nemo sine fide benedictionem Christi cõsequitur. Impossibile enim est, sine fide placere Deo. Et:

An Ecclesia fides prosit infantib.

Gen. 17

Leu. 12.

Exod. 34

Luc. 21

Mar. 10

Ephes. 2

Ioan. 3

Hebr. 11

Marc.10 accedentem ad Deum oportet credere. Sed paruuli benedi-
Marc.16 ctionem consequuntur, vt in Marco videre est. Huic addunt:
Ioan.3 Qui non crediderit, condemnabitur. Qui incredulus est filio, non videbit vitam, sed ira Dei manet super eum. Sed fides cum est lumen intellectus, non video cur patres eam sententiam approbare debuerint: intellexerunt autem illos scripturæ locos iam de Ecclesiæ fide, iam de ea quã obferentes pro paruulis spondent, & quam paruuli postea consequuturi sunt. Illud sine controuersia constat, quemadmodum aliena fides non habilibus fidei, cum ad corporis, tum ad animæ salutem valet, ita eandem in adultis & fidei capacibus non sufficere ad salutem, nisi accedente propria fide. Non sufficere autem dixi, quòd prosit tamen ac promoueat ad salutem. Sic oratio
Act.7 fidei, qua Stephanus pro persecutoribus suis ad Deum preca-
Ephes.3 batur Saulo non sufficiebat quidem, sed profuit tamen. Sic Pauli oratio quam pro omnibus faciebat, vt crescerent in agnitione Christi, profuit quidem, sed minus erat sufficiens ad salutem. Sic hic cùm vidisset baiulantium fidem, non nudè, remittit peccata decumbentis, sed præmittit: Confide fili,
Matt.9 remittuntur tibi peccata tua. Aliena ergo fide iuuantur adulti, iuuantur inquam corpore & anima, non perfectè saluan-
Ioan.8 tur. Huc enim requiritur propria fides. Nisi enim credideritis, inquit Christus, quia ego sum, in peccatis vestris moriemini. Ideóque paruuli baptizati postquam adoleuerint, vt & ipsi credant moneantur. Vide autem miram Domini humilitatem, despectum & debilem, totis membrorum compagibus solutum, filium vocat: quem Sacerdotes non dignantur attingere. Remitti ipsi autem peccata sua testatur: vt significet morbi causam fuisse delicta: & vt causa infirmitatis sublata, restituatur sanitas. Sic in Ioanne de eo qui trigintaocto, annos in infirmitate sua habuerat, legimus, Ioan.5. Sic Moses Israëli minatur pestem & alia: Deuter.28. Vel ideo filium dixit, quòd peccata diuidant à Deo, & filios iræ constituant, iísque per fidem & pœnitentiam sublatis iustificari nos
Psal.124 ac filios fieri. Isa.59. Threnor.3. Vnde Dauid beatos dixit, quorum remissæ essent iniquitates, & quorum tecta essent peccata. Confide, inquit, fili, remittuntur tibi peccata tua. Quidam autem his verbis abutentes solam fidem dixerunt sufficere ad delictorum emundationem: ex fide vel misericordiæ Christi fiducia præsumptionem quandam impiam interpret

Ob peccata sæpè infirmitates eueniunt.

interpret

terpretantes. Confidentiam Christus suadet, consolationem siue spem expetit: non vanam aut falsam, aut etiam audacem postulat. Est enim vana spes, qua temporanea confidunt homines. Ideo vana, quòd mundus & omnia in eo transeunt: falsa autem, qua vitæ longitudinem sibi pollicentur, cum ipsa sit breuis quasi vmbra quædam euanescens: audax verò, qua quispiam resipiscentiam suspendit in venturam senectam, cum scriptura difficile admodum esse testetur hominem relinquere viam, qua consueuit adolescens, vt Aethiopem pellem suam mutare: sed & inuersa quædam confidentia est, eò peccare, quòd Christus misericors, & ad ignoscendum facilis est, aut ideo non studere virtuti, quòd ipse pro nobis satisfecit. Christus confidere iussit, sed nullam eiusmodi confidentiam præcepit. Spem salutis suasit, ex promissis Dei conceptam, ita vt licet magna sint & certa Dei promissa, nihilominus tamen homo sese exerceat in omni bono, quo ipsa iuuatur spes. Horum autem duo sunt: Promissio Dei, & mandatorum eius obedientia. Si enim promissis Dei assentio, ac præterea quæ placita sunt ipsi facio, firmiorem confidentiam meam reddo. Sic Ioannes: Scimus, inquit, quia translati sumus à morte in vitam. Vnde autem scimus? Ex promissione. Sed vnde hoc quoque nouimus, quòd nos etiam promissio tangat? Ex fide. Quis autem persuadebit nobis fidem nostram veram esse & perfectam? Dilectio fratrum, hoc est, mandatorum Dei obedientia. Ecce, igitur quomodo mandatorum Dei obedientia, hanc nostram fiduciam siue spem iuuet. Ideóque nec arguendi sunt patres, qui spem, certam esse expectationem futuræ beatitudinis, ex gratia & meritis prouenientem definierunt. Quam descriptionem licet repudiare conati sint multi, quòd meritorum in ea mentio fiat, nihilominus tamen iidem velint nolint hoc dabunt, vanam esse omnem fidem & spem eius, qui pertinaciter in præceptorum Dei inobedientia perstat. Eiuscemodi enim Christus ipse ait: Quousque dicitis mihi, Domine domine, & non facitis, quæ præcipio? Nescio vos. Recedite à me iniqui. Veram igitur spem Christus suasit, nullius præsumptionis autor. Confide fili, remittuntur tibi peccata tua. Nemo his verbis ad suam ipsius perditionem abutatur. Non enim quia Paralytico tam facilè peccata dimisit, te eadem facilitate absoluit: nec quia turba præs

1.Ioan.2
Prou.11
Iere.13.
1.Ioan.3
Spes quid sit.
Matt.7
Matt.9

ba præsens Deum laudat, qui talem potestatem dedit hominibus, ideo tibi nihil faciendum restat, nisi vt remissionem peccatorum & gratiam Dei prædices. Non hæc (vt iactas) pura Euangelij doctrina est, nec hoc facere, est integrum Euangelium prædicare. Seducimus nos, Euangelio abutimur: & quod esse posit ad vitæ medicinam, ipsi nos deprauamus in mortis venenum. Quid ergo? Sine operibus remissionem peccatorum consequutus est paralyticus. Ergo & nos iustificabimur sine operibus. Blandus profectò sermo iste est, sed naturam serpentis habet. Primum enim non sine opere est iustificatus, qui post iustificationem tollere lectum & in domum suam ire iubetur, & paret iussis. Et si maximè sit sine operibus præcedentibus, non tamen inde sequitur nos itidem ea facilitate iustificari. Omnes semel eadem facilitate, sine præcedente opere iustificati sumus, cum baptizati ex aqua & Spiritusancto, ab originali macula mundati, Christi sanguine sanctificati, eiúsque meritis sumus iustificati. Quod autem post baptisma iterum ad pristinam conuersionem relapsi, non sit tàm facilis ad ignoscendum Deus, sine nostro facto & pœnitentia, vel vnus Paulus satis perspicuè demonstrat, qui in ea quam ad Hebræos scripsit Epistola sic loquitur: Impossibile enim est eos qui semel sunt illuminati, gustauerunt etiam donum cæleste, & participes facti sunt Spiritusancto: gustauerunt nihilominus bonum Dei verbum, virtutésque seculi venturi, & prolapsi sunt: rursus renouari ad pœnitentiam, rursum crucifigentes sibimetipsis filium Dei. Et: Voluntariè enim peccantibus nobis post acceptam notitiam veritatis, iam non relinquitur pro peccatis hostia: terribilis autem quædam expectatio iudicij & ignis æmulatio, quæ consumptura est aduersarios. Ecce non eadem ratio est primùm iam per baptisma à peccatis liberati, & iteratis post baptisma peccatis veniam illorum impetrantis. Non quòd nulla sit remissio post baptisma, vt Nouatiani, sed quòd non sit eadem facilitas quæ ante. In baptismo dictum est tibi: Confide fili remittuntur tibi peccata tua. Nunc verò iuberis lectum, id est, peccandi, quæ te portauerat, consuetudinem tollere, prauas voluptates, quæ te ante tenuerant, tu iam feres, hoc est, imperio tuo reges, de virtute in virtutem transibis. Prædicatur vtique in nomine ipsius remissio pec

Hebr.6

Hebr.10

ſo peccatorum, ſed præcedente pœnitentia. Sic poteſtatem dedit Apoſtolis remittendi peccata, ſed non ſolum eam, ſed & retinendi, idque munus vno eodémque Spiritusanćto confirmauit. Blande quidem & ipſe Chriſtus peccatores allocutus eſt, ſed non omnes, nec ſolùm: quin etiam addidit: Vade, noli amplius peccare, ne quid deterius tibi contingat. Tum pius ille Samaritanus vulneribus ſemimortui hominis non ſolum oleum, ſed & vinum infudit. Vbique & ſemper & omnibus peccata remittere poteſt, quia Deus ipſe eſt: ſed nec vbique, nec ſemper, nec omnibus eadem facilitate remittit. Noſtrum eſt, vt non deſperare, ita etiam non nimium confidere. Lapſi autem iuſtis vtamur mediis, & pœnitentia ducti prioris vitæ deteſtemur impietatẽ, ſic per ipſum quem Deus pater propoſuit propitiatorem omnium accedamus ad thronum gratiæ. Cæterùm quod poſsit peccata dimittere Chriſtus, hoc eſt, quòd vnius eum patre ſubſtantiæ ſit, conſequentibus oſtendit factis. Quorundam enim intra ſe tacitè loquentium (hic blaſphemat) cogitationes vidit atque aperit: Vt quid (inquit) cogitatis mala in cordibus veſtris? Hoc autem quemadmodum initio huius ſermonis dictum eſt, ſolius Dei eſt. Spiritus, inquit Paulus, omnia ſcrutatur, etiam profunda Dei. Quis enim hominum ſcit, quæ ſunt hominis, niſi ſpiritus hominis qui in ipſo eſt? Et Petrus, Tu, inquit, corda noſti omnium. Et Paulus teſtatur, quòd nulla creatura inuiſibilis ſit in conſpectu eius, omnia autem nuda & aperta oculis eius. Et hæc certè non minima piarum mentium eſt conſolatio, quòd Deus interiora hominis cognoſcit. Quemadmodum contra etiam impiis hæc eadem Dei potentia terribilis eſt. Illi enim norunt & vota & ſuſpiria ſua coram Dei oculis non eſſe inania, hi verò cum iuſtum Deum norunt, pro ipſis etiam cogitationibus ſuis malis pœnam reportaturos ſe norunt. Deinde & alio modo ſe eam habere poteſtatem oſtendit. Remittere peccata ſpirituale quiddam eſt. Vnde an factum ſequutum ſit verba, nemo vidit. Proinde eadem potentia, qua peccata remiſerat, aliud euidens miraculum facit. Proponit ergo: Quid, inquit, facilius eſt dicere: Dimittuntur tibi peccata tua, an dicere: Surge & ambula? Vnius potentiæ erat, vnius difficultatis: ſed præcedens inuiſibile, quod ſequitur, erat viſibile. Tanto tamen maius erat peccata remittere, quàm corpus ſanare, quanto anima potior

Luca 24 *Matt. 16* *Ioan. 20* *1. Cor. 2* *Act. 1* *Hebr. 4*

tior corpore. Fit ergo minus visibile, vt comprobetur maius spirituale. Surge & tolle lectum tuum, & vade in domum tuam: & surrexit & abiit in domum suam. Non longa mora ad sanandum opus habet, qui verbo fecit & reficit omnia. Ipse dixit, & facta sunt. Ipse mandauit, & creata sunt. Ecce
Psal.148 quòd Christus Dei hominísque filius potestatem habet dimittendi peccata in terris. Et hoc est quod Ioannes prædicat:
Ioan.1 Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi. Non quòd nullum amplius sit peccatum, & impunè deinceps liceat peccare, vt quibusdam nostro iniquissimo seculo placet, sed vt post hac iustitiæ viuamus, vt non regnet in mortali corpore nostro peccatum, vt sicut exhibuimus membra nostra seruire immunditiæ & iniquitati ad iniquitatem, ita nunc exhibeamus membra nostra seruire iustitiæ in sanctificationem. Qui enim mortem aufert, idem vitam reddit. Sic qui peccatum aufert, largitur iustitiam. Si igitur peccato exui voluerimus, in Christum oculos conuertamus. Ille enim est, qui non solùm peccata dimittit, sed qui etiam exemplum dedit, in quo purgandi delicti modus discitur. Quemadmodum enim ille peccata mortificauit, ita etiam necesse est ea in nobis mortificari. Sed Christus morte peremit peccatum. Igitur in nobis quoque cruce & afflictione perimendum est, vt Paulus docet: Quos præsciuit, inquit, hos & prædesti-
Rom.8 nauit conformes fieri imaginis filij sui. Et iterum: Si Christo sumus complantati in similitudinem mortis, igitur & resurrectionis erimus. Hinc in Dauide clamat: Salus ego populi mei sum, de quacunque tribulatione clamauerint ad me, exaudiam eos, & ero illorum Dominus in seculum seculi. Hæc præsens lectio in Christo manifestare voluit. Quid ergo restat? An satis est hæc in Christo credere? An non & nostra membra ad pietatis & iustitiæ exercitium infirma sunt? An non lecto voluptatum torpemus? Quicunque ergo Christum hominem Deúmque confitemur, qui mederi eum velle atque posse nostris languoribus confidimus, quod nostrum est faciamus, ipsum adeamus, si minus hoc ipsi possumus, Ecclesiæ suffragantis manibus offeramur; sed volentes, sed resipiscentes. Siue enim corporis te vexat aduersitas, siue conscientiæ prauitas, siue propria infirmitas, siue denique an velit Christus quod potest dubitatio angit, omnes hic quo consolemur, inueniemus. Quicquid

enim

enim externi mali hûc presſit, totum Chriſtus abſtulit. Confide fili, remittuntur tibi peccata tua. Quicquid propria inſufficientia angit, totum (ſi modò volumus) proximorum rependet fides. Hanc enim Chriſtus reſpicit. Quicquid etiam de voluntate Chriſti ſuggerit dubitatio, totum eluitur, quod filium dixit paralyticum. Hanc beneficentiam ille per alios petiit, vt & nos peteremus. Conſequutus eſt quod petiit, & longè maiora quàm petiit, vt & nos conſequuturos eſſe omnia quæ ad noſtram ſalutem & ad Dei laudem petimus, confidamus. Quod poſſit atque velit Chriſtus, expertus eſt: qui à quatuor portabatur lecto, lectum tollit & firmis paſſibus vadit in domum ſuam. Vidit hæc omnia, quę tunc aderat, turba, & magnificauit Deum, qui talem poteſtatem dedit hominibus. Nos maiori fide, vti perfectos decet, Chriſto Deo dignas grates perſoluamus. Puras manus ad Deum eleuemus, & cum Paulo patrem miſericordiarum Deúmq; totius conſolationis benedicamus. Cui laus in æuum, Amen.

DOMINICA VIGESIMA PRIMA POST PENTECO. EVANG.

MATT. XXII.

ET reſpondens Ieſus, dixit iterum in parabolis eis, dicens: Simile factum eſt regnum cælorum homini Regi, qui fecit nuptias filio ſuo. Et miſit ſeruos ſuos vocare inuitatos ad nuptias, & nolebant venire. Iterum miſit alios ſeruos, dicens: Dicite inuitatis: Ecce prandium meum paraui, tauri mei & altilia occiſa ſunt, & omnia parata, venite ad nuptias. Illi autem neglexerunt, & abierunt, alius in villam ſuam, alius verò ad negociationem ſuam. Reliqui verò tenuerunt ſeruos eius, & contumeliis affectos occiderunt. Rex verò cùm audiſſet, iratus eſt: & miſsis exercitibus ſuis, perdidit homi-

cidas illes,& ciuitatem illorum succendit. Tunc ait seruis suis; Nuptiæ quidem paratæ sunt, sed qui inuitati erant,non fuerũt digni. Ite ergo ad exitus viarum,& quoscunque inueneritis, vocate ad nuptias. Et egresi serui eius in vias,congregauerunt omnes quos inuenerũt,malos & bonos:& impletæ sunt nuptiæ discumbentibus. Intrauit autem Rex vt videret discumbentes,& vidit ibi hominẽ non vestitum veste nuptiali.Et ait illi;Amice,quomodo huc intrasti,non habens vestẽ nuptialem?Tunc dixit Rex ministris;Ligatis manibus & pedibus eius,mittite eum in tenebras exteriores. Ibi erit fletus & stridor dentium. Multi autem sunt vocati, pauci verò electi.

EADEM DOMINICA

EPISTOLA

EPHE. V.

Videte itaque fratres quomodo cautè ambuletis:nõ quasi insipientes, sed vt sapientes, redimẽtes tempus,quoniam dies mali sunt. Propterea nolite fieri imprudentes,sed intelligentes quæ sit voluntas Dei. Et nolite inebriari vino, in quo est luxuria, sed inebriamini Spiritusancto, loquentes vobismetipsis in Psalmis, hymnis, & canticis spiritualibus cantantes & psallentes in cordibus vestris Domino:gratias agentes semper pro omnibus, in nomine domini nostri Iesu Christi Deo & Patri:Subiecti inuicem in timore Christi.

SERMO.



Vangelica hæc parabola nõnihil affinitatis habet cum ea, quam Lucas præscripsit. Vtrobiq; conuiuij splendor, & inuitantis liberalitas Dei, & inuitatorum totius mundi multitudo describitur.Sed illic cœna, hic verò nuptiale signifi

significatur prandium. Illic conuiuator non venientibus tantum irascitur, hic verò & discumbenti. Affinitas ergo vtriusque quædam est non vtrobique idem conuiuium est. Vnius tamen matrimonij nuptiæ vtrobique sunt. Sed quia illic nemo discumbentium eiicitur, hic verò non habens vestem nuptialem ligatis manibus & pedibus in tenebras exteriores mittitur, illic consummanda in cælis matrimonij spiritualis innuitur copula, hic verò huius vitæ inchoatæ significantur nuptiæ. Longa parabola est. Sed si magnitudinem rerum quas continet, considerabimus, breuis est. Quasi enim compendium quoddam Scripturæ est. Quicquid enim vsque magnum & ad salutem necessarium scriptura loquitur, hic grata breuitate proponitur. Loquitur autẽ scriptura de Deo, de reparatione humana per Christum, de fœdere & pacto Dei, quod cum patribus iniit, de beneficiis Iudææ genti exhibitis, de ingratitudine illius populi, de perditione eorundem, de vocatione Gentium ad salutem, de diuersitate Christianorum, & denique Christi iudicio. De his omnibus scriptura passim loquitur, quæ si parabolam hanc contulerimus, singula comperiemus. Homo enim Rex, Deus est, filius Regis Christus est, nuptiæ sunt incarnatio Christi, qua sibi vniuit humanam massam. Prandium nuptiale, per Christum facta redemptio, tauri & altilia, varia Dei dona sunt. Inuitati sunt Iudæorum populus, cui primum promissiones factæ erant. Serui qui principiò missi sunt: Moses, Aaron, Iosue, Phinees, Samuël, Dauid, & alij fuerunt. Qui verò secundò: Elias, Helizeus, Isaias, Hieremias, Prophetæ. Quòd autem eorum qui inuitati fuerant, quidam contempserunt prandium, Iudæorum ingratitudinis significatio est, Exercitus per quem perditi sunt, Romani. Qui verò tertiò mittuntur serui, Apostoli sunt, Qui à plateis cõgregantur, Gentes & diuersarum nationũ homines sunt. Quòd impletus est numerus discumbentium, significatur multitudo baptizatorum. Quòd boni ac mali coniuncti sunt, significat quia nõ omnes Christi sint, qui in hac vita in Ecclesia sunt, Ille qui sine nuptiali veste discumbit, aut eos qui fidem sine operibus habent, aut qui sine fide speciem bonorum operũ ostentant. Intrasse regem ad videndum discumbentes, iudicium Christi futurum prædicat. Quod primùm vidit hominẽ non habẽtem vestem nuptialem, significat vbi Christus reuersus fuerit, nihil occul-
 tum

tum fore oculis illius, cum etiam manifesta erunt abscondita
2.Cor.4 cordium. Quod verbis eundem compellit, hoc innuitur, quia
Isaia 66 vermis impiorum non moritur. Quod autem obmutuit, est, quia nulla excusatio coram iudice illo proderit. Serui tortores, mali sunt spiritus. Quod autem manus & pedes ligantur, significat, quia in iudicio nemo vel pœnitentiam operari potest, vel damnationē effugere. Quod denique in tenebras exteriores mittitur, hoc docetur, quia lata super eum sententia, firma manebit, nec vnquam reuocabitur. Ecce tibi hæc vna parabola expressum quicquid sparsim sacra Scriptura tradit. Omnia autem eiusmodi, quæ magnum pondus meritò apud omnes habent. Quod si igitur totam scripturam perlegere nō vacat, hanc vnam addiscas parabolam, & erit quod toto vitæ tuæ tempore mediteris. Ideo autem Christus tantas res tanta breuitate cōplexus est, vt omnis ignorantiæ præ-
Ioan.1 cludatur excusatio. Quare si nunc attendere libet huius parabolæ autorem, quis & quantus sit, quanta de ipso Ioannes Euangelij sui exordio narrat: quod ipse verbum Patris omnipotens, quod filius, Deus, gratia & veritate plenus, quod fallere nesciat, si ex præteritis futura collegerimus, si non inuitantis & vocantis amore, certè pœnæ timore ad horum nuptiarum gaudia (vt decet) festinabimus. Nam hæc duo præcipua sunt, in quibus cardo rei versatur, gratia, inquam, & iustitia. Gratiæ est, quod sine merito vllo, Iudæos prædestinatione ad has nuptias inuitatos per Prophetas iterū atque iterum vocauit: gratiæ etiam, quòd gentes in negligentium Iudæorum locum subrogauit. Iustitiæ verò, quòd Iudæos homicidas perdidit. Iustitiæ etiam, quòd veste nuptiali carentem & discumbētem ligatis manibus & pedibus in tenebras exteriores misit. Quæ duo quia à Christo coniuncta sunt, & vix alterum sine altero intelligi potest, nos quoque illius parabolæ verba dili gētius, vt æquū est, imitantes, non separabimus. Et respōdens Iesus, inquit Euangelista, iterū in parabolis eis, dicens. Hoc Euangelistæ exordium, quibus sanè verbis hanc parabolam superiori connectit. Proposuerat enim Iesus curā patrisfamiliàs in vineā suam, declarauerat agricolarum impietatem, quod futurū præuidebat, enūtiabat exitiū. Ideo, inquit, dico vobis, quia auferetur à vobis regnum Dei, & dabitur gēti facienti fructus eius. Hic autē superiora declarat, innuens quæ illa gens, cui regnum Dei sit datum, & cur à Iudæis

dæis sit ablatũ. Quos promissionibus & donis ad regni fructus faciendos perducere non possit, extremæ perditionis denunciatione conatur trahere. Quo certè pium se patrem erga Iudæos ostendit, qui nihil non facit, quò filios habeat obsequẽtes: docet, hortatur, obsecrat, largitur & promittit, minis vrget atque increpat. Quibus si nihil efficit, excludet deinde, & patris nomen hæreditatémque abneget, qui paternus conatus extremus est. Et quanquam idem alibi non semel fecerit, non tamen dum licet ab incepto cessat, omninóque & verbo & exemplo ostendit, quæ Paulus postea Timotheum edocuit: Prędica verbum, insta, opportunè, importunè, argue, obsecra, increpa in omni patientia & doctrina. Docet autem hoc ipso, non mox desperandum esse de peccãtis salute. Tum pastores admonet ab officio non statim cessare, si quando spei suæ fructus non respondeant. Sed & immorigeros arguit; vt iustitiæ diuinæ seueritatem timeant. Multa fecerat, multum laborauerat, priusquàm ad eam iustitiæ sententiam procederet. Et quid terribilius quàm in Dei domo locum & in cælesti hæreditate partem non habere? Et certè, quemadmodum Christus prædixit, ita Iudæi magno suo malo experti sunt. Quibus autem verbis id egerit, consequenter Euangelista tradit: Simile factum est regnũ cælorum homini Regi, qui fecit nuptias filio suo. Cum regnum cælorum variè in Euangeliis accipiatur, superius dictũ est, non hic illud intelligẽdum, quòd facto iudicio extremo in cælis vigebit triumphans, sed quòd hic in mũdo dicitur militans. Hoc ipsum, inquam, regnum quod intra nos est hic describitur, ac simile dicitur homini Regi. Iam quid hominis appellatio in Deo velit, alibi dictum est: Hic mos scripturæ est, vbicunque ita & seueritas Dei describitur, Leoni, Leopardo, Vrso, aut alterius generis feris assimilatur, vt in Amos, Isaia, & Hieremia videre est. Contrà vbi bonitas & beneficentia Dei designatur, hominis appellatione Euangelistæ vtuntur. Ipso ergo huius parabolæ exordio indicatur, quòd Dei Opti. Maxi. hic prædicentur beneficia. Vnde sequitur hominem Regem hũc filio suo fecisse nuptias. Filius huius Regis Christus Iesus est, Verbum illud Patris altissimi, Deus ipse, cuius hæreditas omnes gentes sunt, & possessio termini terræ. Huic humana natura copulata est, ita vt duæ naturæ, Deus & homo, vnus in vna persona Christus effectæ sint. Relinquet homo

2. Tim. 4

Amos 3
Isa. 51
Thren. 3

patrem & matrem, & adhærebit vxori suæ & erunt duo in carne vna. Sacramentum hoc magnum est. Ego autem dico in Christo & Ecclesia. His nuptiis vterus virginis matris factus est thalamus, hæ initium omnis boni sunt, quibus Christus omni beneuolentia nobis coniunctus est, frater noster factus, vnius naturæ & sanguinis. Sed & quemadmodum prius in suæ personæ vnionem, naturam nostrā assumpsit, ita postea vniuersam humanam massam, (quantum quidem in ipso erat) sibi indissolubili copula sociauit: omnia cum ipsa bona atque mala diuidens, mala nostra in semetipsum assumens,
2. Cor. 11 bona sua, ipsámque vitæ hæreditatem communicans. De qua
Eph. 5 copula Apostolus Corinthiis ita scripsit: Despōdi vos vni viro virginem castam exhibere Christo. Et alibi: Christus dilexit Ecclesiam, & semetipsum tradidit pro ea, vt sanctificaret illam, mundans & lauacro aquæ in verbo vitæ, vt exhiberet ipse sibi gloriosam Ecclesiam, non habentem maculam aut rugam, aut aliquid huiusmodi, sed vt sit sancta & immaculata. Hanc Christus sponsam voluit, hanc sibi coniunxit, quæ sit sancta & immaculata: non quærit genus, non diuitias sed castitatem, sanctitatē, hoc est, talem, in qua fides & charitas consideretur. Hæc enim duo ipse exhibuit; & summè exhibuit,
Osea 2 exhibet etiamnum, vt in Osea, Et sponsabo te mihi in sempiternum, & sponsabo te mihi in iustitia & iudicio, & in misericordia & miserationibus. Et sponsabo te mihi in fide, & scies
Isa. 49 quia ego Dominus. Et in Isa. Nūquid obliuisci potest mulier infantē suū, vt nō misereatur filio vteri sui? Et si illa oblita fue-
Isa 59 rit, ego tamen non obliuiscar tui: Ecce in manibus meis descripsi te muri tui coram oculis meis semper. Et iterum: In mi-
Genes. 9 sericordia sempiterna misertus sum tui, sicut in diebus Noe istud mihi est, cui iuraui ne inducerem diluuij aquas vltra suprà terram, sic iuraui, vt non irascar tibi, & non increpem te. Hāc fidem & dilectionem promisit & præstitit Ecclesiæ sponsus. Neque verò nuda verba sunt sed firma veritatísq; plena.
Luce 21 Ait enim: Cælum & terra transibunt, verba autem mea non transibunt. Et quæ maior charitas esse poterit, quàm vt ani-
Ioan. 13 mam suam quis ponat pro dilecta sua? Sed hanc quoque sponsus in eius precium impendit. Nec hoc solùm, verumetiam quòd hodie requiri potest, præstat, mundat, consolatur, nutrit, sua séque ipsum illi offert. Huic ergo affectui suo vult vt respondeat sponsa. Fidem & dilectionem præstitit Eccle-

siæ

fiæ, eadem ab illa non immeritò exigit. Fidem, ne cui alteri commisceatur fornicatrix. Charitatem verò, vt ab illo solo pendeat. Vbicunque autem alterum horum deest, veræ nuptiæ, legitimum matrimonium non est. Si enim fides defuerit, adulterium dicitur: si charitas perpetuum sine remedio dissidium. Per fidem coniungimur Deo, per charitatem fruimur ipso. Quicunque ergo hæc duo non præstat, nec ipse verum sponsæ Christi membrum est, nec sponsi vnquam fruetur amplexibus. Pars enim hominum fidem non habentes indigni his nuptiis iudicati sunt, pars contrà fidem iactant frustra vacui charitate. Illi noluerunt venire, hi veniunt quidem, sed aut nudi, aut hypocrisi velati. Propter ea neutra pars ad speratam agni cœnam perueniet, foris enim canes & venefici. Sunt enim ad has nuptias inuitati & vocati Iudæi primùm, deinde & gentes. Abrahæ, inquit Paulus, dictæ sunt promissiones & semini eius. Et, Quorum (de Israëlitis loquitur) adoptio est filiorum, & gloria, & testamentum, & legislatio, & obsequium, & promissa: ex quibus est Christus secundum carnem. Hinc est quòd ad oues quæ è domo Israël periissent, se tantum missum dicebat Christus. Hinc etiam Petrus Iudæos alloquens, ait: Vos estis filij prophetarum & testamenti, quod disposuit Deus ad patres nostros. Ad hos missi sunt serui, primum Moses, Aaron, Iosue, Phinees, Samuel, Dauid, & alij. Sed noluerunt venire. Misit secundò, vt Eliam, Helizæum, Isaiam, Hieremiam, eiúsque generis prophetas plures. Sed & Ioannem Baptistam pœnitentiæ prædicatorem, & Apostolos misit: cum ille in desertum ad se euocat, hi verò accepta prædicandi potestate ad oues è domo Israël cætū perditas Euāgelizatū veniūt. Misit autem hos secundos, nōn vti priores, vt simpliciter vocarent inuitatos, sed expressa verborum forma dicere: Ecce prandium meū parau, tauri mei & altilia occisa sunt, & omnia parata, venite ad nuptias. Voluit enim descriptione ferculorū attrahere quos nuptiarū honestas nō duxerat. Voluit & iā indignitatē rei proponere, tot sumptus vestra causa feci ne cōmittite, frustra illa omnia parauerim. Qui autem eiusmodi sumptus sint, Paul. ostēdit, dicēs: Qui cum in forma Dei esset nō rapinā arbitratus esse se æqualē Deo, semetipsum exinaniuit, formā serui accipiens in similitudinem hominū factus & habitu inuentus vt homo, humiliauit semetipsum factus obediens vsq; ad

Apoc. 22
Galath. 3
Roma. 9
Matth. 15
Luca 3
Matt. 10
Luca, 10
Philip. 2

ad mortem, mortem autem crucis. Hinc peccatorum remissio iustitia, pax, gaudium in Spiritusancto, vita, salus, filiatio Dei sempiternáque beatitudo: parata sunt oĩa opipara & super mel
Psal. 118 dulcia fercula, preciosæ dapes. Non enim corruptibilibus au-
1. Petr. 1 ro vel argento redẽpti sumus de vana conuersatione paternæ traditionis, sed precioso sanguine, quasi agni immaculati,
1. Cor. 6 Christi. Empti sumus precio magno. His dapibus Apostolus alibi etiam testatur conuiuium nobis paratũ esse tantum hoc restare vt veniamus, veniamus autem non ad laborem, sed ad
Hebr. 4 nuptias. Adeamus, inquit, cum fiducia ad thronum gratię eius vt misericordiam cõsequamur, et gratiam inueniamus in auxilio opportuno. Sed quid tandem? Nunquid venerunt? Audi quid dicat: Illi autem neglexerunt, & abierunt alius in villam suam, alius verò ad negociationem suam. Reliqui verò tenuerunt seruos eius, & contumeliis affectos, occiderunt. O miseram infelicissimorum hominum conditionem! ad vitam vocantur, eligunt mortem: ad requiem, & ecce diligunt la-
Sapien. 5 borem. Quid enim hominũ studia sunt, nisi labor improbus, & solicitudo assidua? Proinde in inferno tandem eiulãtes cõquerebuntur: Lassati sumus in via iniquitatis, & perditionis, & ambulauimus vias difficiles. Non quia negotiari & operari aliquid simpliciter malum sit, sed quòd per hæc salutẽ contẽnere, extrema sit dementia. Et tamẽ eiusmodi cum sint dementissimi, miserabiliores tamen & desperatiores ij sunt, qui & contemnunt salutem, & homicidio pœnæ se implicant. Pœnam meretur, qui lædit hominem, scelus est occidere: parricidium verò amicum & eiusmodi qui prodesse vult, trucidare. Voluit ergo & Apostolos futurorũ præmouere, quòd iisdem
Matt. 5 malis afficiendi essent, quæ antè Prophetæ alij fuissent passi, & Iudæos preteritę futurę́q; arguere demẽtiæ, vt alibi quoq; cũ ait: Ecce ego mitto ad vos prophetas & sapientes & Scribas, &
Mat. 23 ex illis occidetis & crucifigetis & ex eis flagellabitis in synagogis vestris & persequemini de ciuitate in ciuitatem. Sed ne
Matt. 22 deiicerentur animis Apostoli, quasi nihil sit curæ Deo vindicare sanguinem suorum, ideo addit: Regem cum hæc audisset iratum missis exercitibus suis perdidisse homicidas illos, & ciuitatem illorum succẽdisse. Et benè, cum audiuisset, iratum
Gene. 4 dixit: clamat enim vox sanguinis innocẽtis ad Deũ de terra. Si-
Apoc. 6 cut Ioannes etiã in Apocal. vidit animas propter verbum Dei interfectorum subtus altare clamantes, & à Deo sanguinis sui
vind

vindictã postulantes. Misit ergo exercitus suos, Romanos nimirum diuinæ iustitiæ executores, nec hos solùm, verumetiam famem, pestilentiam. Non enim exercitum dicit, quasi vnum, sed exercitus plures. Et quàm duram hi ab ea gente pœnam sumpserint, testatur Iosephus, & ex Christi verbis videre est. Nam quòd hic vno verbo dixit: Perdidit homicidas illos, hoc alibi flens fusius declarat: Venient in te, inquit ad Ierusalem, dies, circundabunt te inimici tui vallo, & circundabunt te, & coangustabunt te vndique, & ad terrã prosternent te, & filios tuos, qui sunt in te. Et non relinquent &c. eo quòd non cognoueris tempus visitationis tuæ. Et quis miretur hanc corporalem pœnam, cum grauius sit supplicium animæ, qua percussit eos, cæcitas? Neque hanc quamcumuis grauem cæcitatem mirari licet multòque minus peruestigare velle, cur hoc modo pœnam de reprobis sumat Deus. Non enim cogitationes meę cogitationes vestrę, dicit Dominus: neque viæ vestræ, viæ meæ. Qui in mundi regnis principatum tenent, diuersa quibus malos compescant tormenta habent, iisque vbi opus fuerit vtuntur, nec quisquam eorum facta reprehendit, scientes quòd non magistratus, sed facinus diiudicat & damnat sontes. Cur ergo non liceret Deo quod promissum est hominibus. Grauis quidem cæcitas Iudeorum, sed si culpæ enormitatem cogitauerimus, iustam confitebimur. Imò ipsi super se hanc induxere, quòd lucem mundi non receperunt. Id quod Ioannes testatur. Et Christus ipse: Venit, inquit, lux in mundum, & dilexerunt homines magis tenebras, quàm lucem. Proinde præstat Dei iudicia iusta approbare: & cum Dauid dicere: iustus es Domine, & rectum iudicium tuum: & cum Daniele: Tibi domine iustitia. nobis autem confusio: & cum Salomone: Quis dicet tibi, Quid fecisti? aut quis stabit contra iudicium tuum? Si enim inimicos seruorum tuorum, & debitos morti, cum tanta cruciasti attentione, & liberasti, dans tempus & locum per quæ possent mutari à malitia: cum quanta diligentia iudicasti filios tuos? Cum ergo das nobis disciplinã inimicos nostros multipliciter flagellas, vt bonitatem tuam cogitemus iudicantes, & cum de nobis iudicatur, speremus misericordiam tuam. Hæc scriptura de Dei iudiciis vbique prædicat, ex quibus facilè videre est quem vindictæ atque iræ cumulemus aceruum, qui nulla vocatione mouemur, & bonita

Luc.19 *Isa.55* *Ioan.1* *Ioan.3* *Psal.118* *Dan.9* *Sapien.12*

nitatis diuinæ longaminitatem contemnimus. Longanimitatis erat secundò vocare,& non nisi homicidij reos punire. Iustitiæ verò sanguinem suorum vindicare. Vt autem videamus quia non delectetur Deus in perditione hominum ideo subditur: Tunc ait seruis suis, Nuptiæ quidem paratæ sunt, sed qui
Matt.22 inuitati erant, non fuerunt digni. Nihil prætermisi, nuptias feci: paraui prādium, inuitatos vocaui iterum atque iterum, sed non fuerũt digni. Et verè indigni sumus tātis nuptiis, non solùm Iudæi verum etiam Gentes. Non ex operibus iustitiæ quæ fecimus nos inquit Apostolus, sed secũdum magnam misericordiā nos saluos fecit. Sola misericordia Dei dignos efficit, cum fidē, spē, charitatémque in nobis accendit; & per hæc fidentes, gratósq; Deo facit. Quicunq; honorificauerit me glorificabo eum: qui autem cōtemnunt me erunt ignobiles. Propterea Iudæis ingratis Paulus loquēs ait: Vobis oportebat primùm loqui verbū Dei, sed quoniā repellitis illud & indignos vos iudicatis æternæ vitæ, ecce cōuertimur ad gentes. Persuasum Iudæi habebant, tantùm ad ipsorū semē promissiones Dei
Ioan.8 pertinere. Vt in Ioanne se Abrahæ semen esse iactant. Quam tamen Baptista alibi refutat, dicens: Nolite dicere intra vos,
Matt.3 Patrem habemus Abraham. Dico enim vobis, quoniam potēs est Deus de lapidibus istis suscitare filios Abrahæ. Ex gentibus enim saxis durioribus filios fecit Abrahæ, in quibus etiamnum promissiones suas adimplet. Ex parte ergo contigit cæcitas in Israël: donec plenitudo gētium introeat. Nihil
Rom.11 minus quàm promissiones Dei etiam in gentibus implendas cogitassent Iudæi, veruntamen in ipsis implentur. Et ipsum nos doceret timere à iudiciis Dei. Quanquam enim immutabiles sunt promissiones Dei, nescimus tamen in qua gente implendæ sint. Videmus maximam partem eorum, qui primùm verbum Dei susceperunt ex Gentibus, imò omnes ferè eos, ad quos Paulus scribit, à fide excidisse. Et licet huiusmodi partem in promissis Dei non habeant: ille tamen propter veritatem suam alios elegit, & quotidie vbi minimè cogitassemus, excitat, in quibus quod promisit, implet. Quod autem iis contigit nobis manere potest. Etenim verus est Deus etiamsi plurima pars mundi decidat, séque indignam iudicet his nuptiis. Videamus si fortè pulsis Germanis esse ris, veritatem suam in aliis impleat. Pauli ergo semper cogitanda monitio est: Tu autē, inquit, fide stas. Noli altū sapere, sed time. Si enim Deus

naturalibus ramis non pepercit, ne fortè nec tibi parcat. Vide ergo bonitatem & seueritatem Dei. In eos quidem qui ceciderunt seueritatem, in te autem bonitatem Dei, si permanseris in bonitate. Quæ autem illa in nos Dei bonitas? Audi quid sequatur. Ite, inquit, ad exitus viarum, & quoscunque inueneritis, vocate ad nuptias. Hæc nostra qui ex gentibus credidimus, vocatio est, cuius apertum Apostolis mandatum dedit, cum ait, Euntes in mundum vniuersum prædicate Euangelium omni creaturæ. Et, Euntes docete omnes Gentes. Vbicunque ergo Euangelium prædicatur, homines ad nuptias vocantur. Id quod eos erroris arguit, qui Euangelij prædicationem, omnémque vocalem vocationem tanquam non necessariam spernunt. Quid, inquiunt, opus est Euangelio scripto aut prædicatione? Est scriptum in Prophetis, Et erunt omnes docibiles Dei. Deus iussa sua homines edocet. Sed & Dauid beatos à Deo eruditos, & doctos pronuntiat. *Psal.93* Non legisperitos, sed Theodidactos esse oportet. Deum audire præceptum est. Si enim olim sine scriptura ac prædicationibus loquutus est patribus, cur non idem nunc poterit? Huiusmodi dictis Euangelij munus spernunt, quod immediatè à Deo doceri volunt. Hinc nouas inspirationes somniant, iactántque spiritum, cuius alloquio arcano doceantur, séque aliósque seducunt. Sed Satanæ hæc præstigia euitanda sunt. Quis enim ignorat etiam sine pane aut aliquo externo cibo nos posse cibare. id quod in Mose & Elia ostendit? Nemo tamen ideo panem contemnit. Largitur spiritum, sed per Euangelij sui prædicationem. Id quod apertè Paulus docet, cum *Rom.10* ait fidem ex auditu esse. Fides verò donum est Spiritussancti. *Gala.5* Sic alibi, Quos prædestinauit, hos & vocauit, & quos vocauit, *Rom.8* hos & iustificauit. Et alibi, Hoc solùm à vobis volo discere, Ex operibus legis spiritum accepistis, an ex auditu fidei? Et *Gala.3* alibi iterum, Cum audissetis verbum veritatis, Euangelium salutis vestræ, in quo & credentes signati estis spiritu promissionis sancto. Et Petro prædicante Iudæis, cecidit Spiritussan- *Ephes.1* ctus super omnes, qui audiebant eum. Quemadmodum ergo si quis esuriens, panem haberet, nec velit vti, Deum tentaret: ita qui Euangelij sermonem, & scripturas habens iis nolit vti, sed cælitus eruditionem expectet. Christus misit seruos suos ad nos, & hoc medio ad nuptias vocauit. Hoc medio etiamnum vtitur. Sed quod ad exitus viarum misit, quid est,

nisi

nisi quòd cuiuscunque linguæ, nationis, vitæque homines ad
Cant.1 nuptiarum filij sui epulas conuocat? Conuocauit per Apostolos, & venimus, in odore vnguentorum tuorum cucurrimus, & vt nos post se trahat cum sponsa clamauimus, pretium ferculorum cum Dauid prædicauimus, *Psal.21* Parasti nobis mensam *Mat.22* aduersus omnes qui tribulant nos. Egressi ergo in vias congregauerunt omnes quos inuenerunt, malos & bonos, & impletæ sunt nuptiæ discumbentium. Non enim omnes sancti, qui coutuntur sanctis. Sancta est Ecclesia catholica, sed habet & sustinet malos. Id quod eos arguit qui Ecclesiam confingunt, quæ sine malis permixta sit. Vnde vniuersalem congregationem relinquentes, noua conuenticula instituunt. Et vt in vniuersali, ita etiam quotidie in suis conuenticulis malos subrepere & intrare vident. Non sine ratione Christus militantem ecclesiam sagenæ missæ in mari, agro, atque horreo comparauit. Nam sagena & malos & bonos pisces contractos in lucem profert, & ager tam zizaniam habet, quàm triticum. Tum verò non semper solùm triticum, sed & paleæ in horreum congregantur. Veniet autem rex Christus videre discumbentes, veniet iudicare, & tunc ventilabrum in manu eius videbitur, separabitque bonos à malis, oues ab hœdis.
Mat.25 Tunc manifesta erunt abscondita cordium. Tunc dicet, Ami-
1.Cor.4 ce quomodo huc intrasti non habens vestem nuptialem? Ar-
Mat.21 guam te, & peccata tua statuam contra faciem tuam. Tacui,
Psal.49 semper silui, patiens fui, sicut parturiens loquar, Dissipabo &
Isa.42 absorbebo simul, desertos faciam montes & colles & omne gramen eorum exsiccabo. Tantam verò indignationem nu-
Rom.13 ptialis vestis carentia meretur. Et quæ illa? nempe de qua Pau-
Ephes.4 lus loquitur, Induite Dominum Iesum Christum. Et, Induite nouum hominem, qui secundum Deum creatus est, in iustitia & sanctitate veritatis. Fit autem hoc duplici modo. Primò internè, cum peccata, delicta, atque inobedientiam nostram
Ioan.13 illius iustitia, meritis, & obedientia contegimus. Deinde etiam cum externè exemplum dilectionis imitamur, vt cùm ait, Mandatum nouum do vobis, vt diligatis inuicem sicut dilexi vos. In hoc cognoscent quia discipuli mei estis, si vos dilexeritis inuicem. Et Paulus, Induite viscera misericordiæ, benignitatem, humilitatem, modestiam, patientiam, supportantes inuicem. Hæc illa vestis nuptialis, quam qui non habet, audiet, Amice quomodo huc intrasti non habens vestem

nuptia

nuptialem? Sed nec hoc audiet solùm, verumetiam ligatis manibus & pedibus in exteriores eiicietur tenebras. Seuera profectò Regis hæc sententia, Ligatis (inquit) manibus, ne deinceps salutem suam possit operari, & pedibus, ne qua via pœnam effugiat. Et quid illo miserius, qui nec salutem quærere, nec demeritam pœnam potest effugere? Mitte eum ex societate fidelium, mitte in tenebras exteriores, vbi nec Deus nec Christus videri potest, illic erit fletus, quia hic flere noluit, & stridor gentium, qui hic Deum confiteri contempsit. Videte ergo salutem nostram, considerate periculum, Vocati sunt Iudæi, sed neglexerunt, propterea indigni iudicati sunt. Vocamur & nos, sed nisi quemadmodum istæ nuptiæ postulant, venerimus, periculum non effugiemus. Quia enim non vnus, sed multi eiicientur, Christus concludens ait, Multi sunt vocati, pauci verò electi. Certam ergo faciamus vocationem nostram per bona opera, vt cùm multi ex iis qui vocati sunt eiicientur, accùbentes lætitia nuptiali fruamur æterna. Amen.

DOMINICA VIGESIMASECVNDA POST PENTECOST.

EVANG. IOAN. IIII.

ET erat quidam Regulus, cuius filius infirmabatur Capharnaum. Hic cum audisset, quia Iesus adueniret à Iudæa in Galilæam, abiit ad eum & rogabat eum vt descenderet & sanaret filium eius. Incipiebat enim mori. Dixit ergo Iesus ad eum, Nisi signa & prodigia videritis, nō creditis. Dixit ad eum Regulus, Domine descende priusquam moriatur filius meus. Dixit ei Iesus, Vade filius tuus viuit. Credidit homo sermoni quem dixit ei Iesus, & ibat. Iam autem eo descendente, serui occurrerunt ei, & nuntiauerunt, dicentes, quia filius eius viueret. Interrogat ergo horam ab eis, in qua melius habuerat. Et dixerunt ei, quia heri hora septima reliquit eum febris

febris. Cognouit ergo pater quia in illa hora erat, in qua dixit ei Iesus, Filius tuus viuit, & credidit ipse, & domus eius tota. Hoc iterum secundum signum fecit Iesus, cùm venisset à Iudæa in Galilæam.

EADEM DOMINICA

EPISTOLA EPHES. VI.

DE cætero fratres, confortamini in Domino, & in potentia virtutis eius. Induite vos armaturam Dei, vt possitis stare aduersus insidias diaboli, quoniam non est nobis colluctatio aduersus carnem & sanguinem, sed aduersus principes & potestates, aduersus mundi rectores tenebrarum harum, contra spiritalia nequitiæ, in cælestibus. Propterea accipite armaturam Dei, vt possitis resistere in die malo, & in omnibus perfecti stare. Estote ergo succincti lumbos vestros in veritate, & induti loricam iustitiæ, & calciati pedes in præparationem Euangelij pacis, in omnibus sumentes scutum fidei, in quo possitis omnia tela nequissimi ignea extinguere, & galeam salutis assumite, & gladium Spiritus, quod est verbum Dei.

SERMO.



Vangelium hoc dictorum factorúmque Christi & Reguli cuiusdam narratio est, quam si obiter percurrere voluerimus, nihil ad nos pertinere iudicabimus, sed si quis diligentius inspexerit, plurimum ad omnes omnium ordinum homines pertinere intelliget. habent enim hoc peculiare nostræ historiæ, non solùm, vt, quæ aliorum sint gesta, recenseant, verùm eandem Christi beneficentiam posteris omnibus promittant. De verbis enim suis Christus ait, Quod vobis dico, omnibus dico, vigilate. Et, Quod vobis dico in tenebris, dicite in lumine, & quod in aure auditis, prædicate super tecta. De factis verò suis idem loquitur, Qui credit in me,

Mat.13 Mat.10

opera

opera quæ facio,& ipse faciet,& maiora horum faciet. Et iterum, Si potes credere, omnia possibilia sunt credenti. Nemo qui in fidei domo inuenitur, à dictis factísque seruatoris nostri secluditur, nemo qui non multa sibi conuenientia in sacris Euangeliis inueniat. Vnde & afficimur & delectamur iisdem vehementius, scientes nimirùm quòd nobis conscripta sint. Aliæ literæ quantumuis sæpe magna referant, nos minus recreant, vt quæ propriè nobis scripta non sunt. Iis ergo amplius occupari eáque diligentiùs cogitare æquum est, quæ maiori bono esse possunt. Principiò igitur hic docemur, quibus mediis Deus nos ad se attrahat. Verbo Euangelij sui atque aduersis, illo quidem adducere vult (quantum quidem in ipso est) propterea etiam vbique prædicari iussit. Hoc verò agit atque compellit. Illud quidem Apostolis satis erat, sequebantur enim sponte, cognoscentes vim verborum Christi, quòd verba vitæ æternæ essent. Alij verò aduersis adacti venerunt, id quod in hoc regulo videre est. Licet enim multa Iesus in Galilæa fecerit miracula, nusquam tamen huius fit mentio, quòd Christum accesserit, nec venisset nisi filij coactus febri. Neque tamen hoc ipsum sua laude caret, quod coactus licet, venit tamen. Sic Dauid de Israële scripsit, cum occideret eos Deus (inquit) quærebant eum,& reuertebantur,& diluculo veniebant ad eum. Et alibi de eodem populo Deus, In tribulatione sua mane consurgent ad me, Venite & reuertamur ad Dominum, quia ipse rapuit, & sanabit nos, percutiet & curabit nos. Nempe vexatio dat intellectum. Exemplo sunt præter alios innumeros, quorum sacræ literæ meminerunt, Nabuchodonosor, qui tandem didicit esse vnum Deum rerum regúmque potentem. Et filius ille prodigus inedia compulsus ad patrem recurrens. Nos quotidie verbo duci possemus, sed nec illo duci, nec tot aduersis trahi volumus. Propterea etiam irascitur Dominus. Si enim Regulum hunc tam insuaui voce excepit, cum eum non crediturum fuisse nisi signis visis obiicit, quibus quæso verbis adorietur eos, qui nec malis attracti veniunt? Percussisti eos. & non doluerunt, attriuisti eos & renuerunt accipere consolationem. Et, Percussi vos in vento vrenti, & in ærugine multitudinem hortorum nostrorum, & vinearum nostrarum oliuetam, nostram, & ficeta nostra comedit eruca, & non rediistis ad me, dicit Dominus. Misi in vos pestem in via Aegypti, percussi in gla

Ioan. 14
Marc 9
Psal. 77
Osee 6
Isa. 28
Danie. 4
Luc. 15
Hier. 33
Amos 4

in gladio iuuenes vestros vsque ad captiuitatem equorum vestrorum, & ascendere feci fœtorem castrorum vestrorum in nares vestras, & non rediistis ad me. Dicit Dominus Subuertit vos sicut subuertit Dominus Sodomam & Gomorram, & facti estis quasi torris raptus ab incendio, & non rediistis ad me, dicit Dominus. Secundò, modus describitur potiundi desiderij nostri coram Deo. Quanquàm enim claro sanguine ortus fuisset Regulus, tamen nec genus, nec diuitias, nec potentiam suam cogitat, sed humilis & mœstus precibus opem
1. Pet. 5 medici implorat. Et hic commodissimus cum Deo agendi
Sap. 5 modus, cum humilitate inopiam enarrare, nec sine fide auxilium petere. Deus quum superbis resistit, humilibus dat gratiam, nec verebitur magnitudinem cuiusquam, quia pusillum & magnum ipse fecit, & cor humiliatum nunquam de-
Psal. 50 spiciet. Sed non omnes hunc modum apprehendunt, quibus Iacobus loquitur, Petitis, & non accipitis, eò quòd malè pe-
Iaco. 1 tatis. Sed instanter orat, Expecta Dominum, viriliter age, & confortetur cor tuum, & sustine Dominum. Postremò, quis finis miraculorum Christi sit, significatum est, cùm Euangelista ait, Credidit ipse (Regulus) & domus eius
Ioan. 4 tota. Filius Reguli correptus fuerat febri, non sine Dei dispositione, vt ex salute eius fides in parente sumeret initium & cresceret. Nisi enim in febrim incidisset ille, hic salutem à Christo non petiisset, non audiuisset verbum, non credidisset. Vt ergo credentes faceret Christus, immisit languorem, non vt perderet. Sed hæc omnia aliáque id genus plura ipsius Euangelij aperiet declaratio. Sic Euangelista orditur narrare, Et erat quidam Regulus, cuius filius infirmabatur Capharnaum. Regulus dicitur, aut quasi generis existens regalis, aut dignitatem aliquam principatus habens. Huic erat filius languens, vt bene scriptura dixerit, diuitias non prodesse in die vltionis, nec
Prou. 11 regem saluari per multam virtutem. Omnes subiecti vanitati & vicissitudini, nec quicquam ab Adam de terra propagatum, quod non ad principium suum flectetur. Et quæ hominum illa imprudentia, tot curis atque vigiliis salutem in honore aut seculi huius diuitiis quærere? Non prosunt diuitiæ, neque saluat virtus quantumlibet potentes. Ergo hic Regulus à Christo salutem expetit. Cur autem non quoque ista cogitamus? Hic rogabat Iesum vt desc

vt deſcenderet, & ſanaret filium eius: incipiebat enim mori. Multa in eo pietatis exempla ſunt, ſunt & imbecillitatis nonnulla. Trahitur aduerſa filij valetudine, auxilium non à Beelzebub vt Ochoſias, nec à Pythone, vt Saul, ſed à Chriſto petit. Petit autem pro filio pater, venit ipſe vt videremus non ſolùm ſacra Scriptura, verumetiam natura parentes doceri, quantum filiis debeant, nempè eorum cura affici, & vt feſtinent in Chriſti eos tutelam committere, priuſquam moriantur ſpirituali morte. Prouerbium eſt: Adoleſcens iuxta viam ſuam, etiam cùm ſenuerit non recedet ab ea. Quanquam quod feſtinet Regulus, fidei in cauſa eſt imbecillitas, quemadmodum & illud quòd vt deſcendat & pro corporis tantum ſalute orat. Si enim perfectus fuiſſet fide, vtique credidiſſet, quia non de propinquo ſolùm Deus eſt, verumetiam de longinquo, Dauid teſtante, qui ait: Prope eſt Dominus omnibus ſe in veritate inuocantibus. Maior illa Centurionis fides, qui parato Chriſto domum ſuam conſcendere, indignum ſe reputat qui tantum medicum ſub tectum ſuum ſuſciperet, verùm ad pueri ſalutem verbum ſufficere. Nobis verò firmior ſermo datus eſt, quod ipſe de longinquo ſit Deus, non tamen derelinquat nos orphanos, ſit vſque ad ſeculi conſummationem nobiſcum: Matthæi 28. Præſtat igitur auxilium Chriſti implorantes Centurionem quàm Regulum ſequi fidei norma. Rarior tamen illa ſemper fuit. Vnde & ipſe Chriſtus admiratus ait ſe tantam fidem in vniuerſo Iſraël non inueniſſe. Et verè dixit, quandoquidem ipſi etiam Apoſtoli ſuæ fidei imbecillitatem alicubi prodiderunt, qua ratione Chriſto non ita quamlibet modica fides diſplicet. Habet enim illa, vt humana corpora, ſuos gradus & progreſſus. Id quod in Apoſtolis videre eſt qui Chriſto pro augmento fidei ſupplicant. Imbecillior Reguli fides erat, qua primum acceſsit: ſed vide qua ratione Chriſtus eam augeat. Quid cupiat Regulus, audit, nec tamen petita recuſat omnino, aut mox præſtat. Illud nec deſperet ſupplex, hoc vt ardentius & maiori cum fide petat. Sic etiam Cananæam pro filiæ ſuæ ſalute ſupplicantem non citò exaudit, ſed tardat, vt fides in ea creſcat. Et hinc eſt quod regulo ait: Niſi ſigna & prodigia videritis, nõ creditis. Primò enim hoc dicit, vt perfectior fides impetret, quod non merebatur imbecillior, deinde etiam quo doceretur non ſemper

4. Reg. 1 *1. Reg. 28* *Prou. 28* *Hier. 25* *Pſal. 144* *Matt. 8* *Luca 7*

prodigiis fidem augendam esse, sed verbo. Sufficiunt enim
2.Cor. 5 prioris temporis prodigia ad credẽdum. Per fidem enim hic,
& per speciem ambulamus. Et beati sunt, qui non viderunt,
Ioan. 20 & tamen crediderunt. Nam & contra naturam fides est, non
nisi prodigiis aut signis credere, ꝙ fides sit substantia rerum
Hebr. 11 sperandarum, & argumentum non appparentium. Nõ enim
meritũ habet fides, vbi humana ratio prębet experimentum.
Sed & contumelia Christum afficimus, quicunque sine signis
Rom. 3 non credimus: quasi enim fallere possit aut velit. Verbis ipsius
Psal. 115 diffidimus, cùm solus verax sit, omnis verò homo mendax.
Exod. 7 Denique periculosum est plus aliquid signis tribuere quàm
Deute. 3 verbo. Illa enim fallere possunt, hoc non potest. Nam & magi in Aegypto Mosen prodigiis æmulabantur, verbi autem veritate non imitabantur. Propterea admonet ille, ne credamus, neque audiamus verba prædicentis signum aut portentum, licet eueniat quod dixit, quia tentat Deus, imò occidatur Propheta talis, quia populum voluerit auertere. Postremò, ex miraculis solis concepta fides inconstans est. Id quod in Israële videre est, qui dum signa videbant crediderūt, subtractis signis deficiebant fide. Meritò ergo Christus ait: Nisi
Ioan. 4 signa & prodigia videritis, non creditis. Hoc autem considerandum est, quòd non solùm Regulum his verbis alloquitur, verumetiam omnes Iudæos. Nam & hi signa quærebãt. Qua quidem in re patribus suis quàm dissimilimi erãt. quod enim signum, quod prodigium fidelis Abraham vidit, vt centenario sibi contra naturam filium gigni posse, & se in promissam terram iturum esse crederet. Nullum, opinor. Sequi-
Gen. 11. 15 tur tamen Deum, & naturæ impossibilia sibi promittẽti cre-
& 17 dit, obedit iubenti. Iudæi multis visis signis, nec monentem sequuntur, nec promittenti credũt, nec denique iubenti obediunt. Imò arguentem licet Christum hic Regulus audiat, nõ tamen credit. Nā quum Christus diceret seipsum aliósque non nisi visis signis credere, sine prodigiis solo verbo fidẽdum esse vtique intellexit. Sed nunquid confidit? Domine, inquit,
Ioan. 4 descende priusquam moriatur filius meus. Non hæc credentis sed diffidentis animi verba sunt. Fides enim verbo Christi salutem tribuit, hic adimit cum coram præsentem cupit. Fides credit, ꝙ etiam mortuũ possit excitare Christus, hic priusquã moriatur, vt veniat precatur. Qui credit non festinat, hic
Isa. 28 tardantẽ vrget. Si moram fecerit, inquit Propheta, expecta il-

lum

lum, quia veniens veniet, & non tardabit. Meritò ergo & ipsum & alios incredulos diffidentiæ arguit, non tamen illorum id causa vel factum vel scriptum est tantum, verùm etiam nos per hæc docemur, quàm Deo fides placeat, quàm contra incredulitas displiceat in suis. nam quòd illos solùm arguat, inde manifestum est, quòd accedentem ad Deum, oportet credere: & impossibile est sine fide placere Deo, & vt humana mens intelligat, quantam ille ex paruis initiis fidem faciat: filio sanitatem pro sua gratia præstat, quam parentis tardabat imbecilla fides. Vade, inquit, filius tuus viuit. Hæc ipsius bonitas illa quæ infirmis & imperfectis indulget, eósque iuuat, vt fiant perfecti. Nouit figmentum nostrum, eóque vt pater filiorum suorum, nobis miseretur. Nó enim in æternum irascetur, sed ad vesperum demorabitur fletus, & ad matutinum lætitia. Quoniam ira in indignatione eius, & vita in voluntate eius. Visitat quidē in virga iniquitates nostras, & in verberibus peccata nostra. Misericordiam autem suam non disperget à nobis, neq; nocebit in veritate sua. Nam quem prius perterruit, mox consolatur. Obiurgat, vt incredulitatem pellat: sanat, vt fidelem faciat. Vade, inquit, filius tuus viuit. Sic prius Centurionis puerum absens, sic Syrophenissæ sanauerat filiam, vt sciamus quia ipse cælum & terrā adimplet, & quia nec herba neq; malagma sanet, sed eius qui vitæ mortisq; imperium habet, sermo Domini. Quemadmodū & Angelus alicubi testatur, nō in exercitu aut robore, sed in Spiritu Domini exercituum potentiā esse. Et sicut Helisæus Naaman per seruum nuncians vt lauaret in Iordane, & mundaretur à lepra, hoc voluit, vt Gentilis potentiam verbi diuini agnosceret. Et hoc ipsum Dauid volebat, cùm ait: Misit verbum suum, & sanauit eos, & eripuit eos de omnibus interitionibus eorum. Quanquā & ideo fortè nō venit ipse, vt ostēderet quàm diuersa sint Dei iudicia à nostris. Nos quod altū & sublime est secundum mūdum, suspicimus, reueremur: huic honorē & obsequia deferimus: contrà, quod vile & abiectum, humile, & ignobile est, despicimus. Christus verò quòd despectum & ignobile est in mūdo agnoscit. Minor erat Cēturionis puer huius Reguli filio. Sed ad illum ipsum iterum se offerebat, hunc accedere tardat. Maior Regulus mūdo, imbecillior fide minórq; Deo, Deū præsentem habere non potuit, dum fide paratur via qua nos ad eum, ipséque ad nos conuertitur. Vnde & ipse cre-

Ioan. 4
Psal. 101
Psal. 29
Matt. 8.
Isa. 66
Sapiē. 66
Matt. 8

didit sermoni quem dixerat illi Iesus, & abiit. Quod crediderit, hoc ostendit, quia abiit. Neque enim abiisset, nisi credidisset. Quia autem credidit, ideo abiit. Minus credidit Regulus, at homo factus amplius credidit. Non credidit Regulus quod debuit, qui quomodo & quando Christus sanare posset nesciuit. Tunc autem hominis appellatione iudicatur dignus, cum quod absens verbo, & semper sanare posset Christus persuasum habuit. Quanquam & cum admiratione Euangelista hæc dixisse intelligi potest, quòd subitam illam mutationem (vt dignum erat, si hominem respicias) admiratus sit. Credidit homo sermoni quem dixit ei Iesus. Non quòd Christum verum Dei filium crederet, sed quòd illi tantùm sermoni, quem à Iesu tanquam Propheta aliquo magno & homine audierat, fidem habebat. Et hac ratione nostram incredulitatem arguit Regulus, qui (vt nunc sunt hominum errores) nulli nec prophetarum veteris Testamenti, nec noui Euangelistis credimus. Vt vt audiri se in eis Deus iubeat, eorúmque sermones tanquam
Luca 12 ab ipso profectos suscipi velit, Qui vos audit, me audit: & qui vos spernit, me spernit. Certè prophetæ fidem merenturmerentur & Euangelistæ, multo magis ipse Deus. Et
Gene. 12 Abraham vocantem Deum, in terram quam nesciebat secutus est: nec cum promisionem deinde multiplicando benedicendóque semine suo audiret dubitauit. Moses quoque promissioni Dei secum loquentis credēs, incertus quomodo possit educi populus è tyrannide Pharaonis, in Aegyptum reuertitur. Sic alij omnes qui Deo testimonio fidei comprobati sunt, firmo assensu verbo adhæserunt. Et rectè, vt enim nullum meritum habet fides, cui humana ratio præbet experimentum, ita contra rationem nostram Deo loquenti
Hebr. 1 credendum. Nobis idem Deus qui olim multifariè multísque modis loquutus erat patribus in Prophetis, nouissimo hoc tempore loquitur in filio. Quòd si Iudæi quia non audierint in Prophetis loquentem, reprehēsibiles sunt, quam excusationem adducemus, quibus in proprio suo loquitur filio? Et quidem Regulus hic noster, fortè fama tanta, quàm de Christo audierat, huc adductus, vt Iesum pro filij salute precaretur, cui & semel tantum iubenti, vt iret domum, obediit, nobis non semel, sed per omne vitæ tempus verbo atque exemplo loquitur Christus, & non audimus. Et quid restat, nisi

nisi vt eandem quam immorigeri experti sunt pœnam Iudæi nos quoque expectemus. Illi quia obduratis cordibus vnum monētem Deum non audiuerunt, exacerbauerūt, in requiem Dei non introierūt. An fortè fratres frustra monet Apostolus, vt festinemus in illam requiem ingredi, ne in idem incredulitatis exemplum incidamus? Certè quæ nos mala expectent futuri tēporis, præsentes docent miseriæ, vt nulla in filio visa fuit sanitas nisi patre verbo Christi credente, ità nihil in nostris rebus emēdatur quamdiu in incredulitate detinemur. Quanta vbique & omnium foret exultatio si verbis Christi haberemus fidem? Vnico sermoni credidit homo Regulus, & quàm ingens non sanati modò filij aut patris, verùm etiam omnium domesticorum gaudium? Iam autem eo descendente, inquit Ioannes, serui occurrerunt ei & nuntiauerunt, dicentes, quia filius eius viueret. Christus absens dixerat ei, quia filius eius viueret, veniunt serui, qui filio subitò renascenti adfuerant, & idem quod Christus nuntiant. Verbum igitur Christi, sanitas filij secuta est. Ipse dixit, & factū est quod dixit. Nullum ergo aliud nomen datum est sub cælo, in quo oporteat nos saluos fieri, quàm in Christo Iesu. Sic Nathanaël quum ex Christo intelligeret quid absens sub ficu fecisset, confessus ait, Rabbi tu es filius Dei, tu es Rex israël. Sic Nicodemus alibi Iesu Christi edoctus miraculis ait: Scimus quia à Deo venisti Magister, & nemo potest hæc signa facere, quæ tu facis, nisi Deus fuerit cum eo. Huiusmodi ergo Christi facta, si conferantur dictis, quibus passim deitatem suam aperit, confirmat. Vt quum ait se lucem mundi, resurrectionem præterea & vitam; esse sibi datam potestatem à Patre, vt quomodo Pater suscitat mortuos & viuificat, ità & filius ipse viuificet. Rectè ergo Dauid, Diligam te, inquit, Domine fortitudo mea, Dominus rupes mea & refugium meum, liberator meus. Et: Hi in curribus, & hi in equis, nos autem in nomine Domini nostri inuocabimus. Ipso enim corpus animámque saluante, nulla, quod aliqui pereunt, relinquitur causa, quàm quòd medicum hunc spernunt, & planè fit vti Iudæis exprobans ait: Non vultis venire vt habeatis vitam. Commodè ergo Christus suos admonuit primùm quærere regnum Dei & iustitiam eius, eò quòd omnia essent apponenda. Rectè etiam Dauid ait: Reuela viam tuam Domino, & spera in eum, & ipse faciet.

Hebr. 4 · *Acto. 7* · *Ioan. 1* · *Ioan. 3* · *Psal. 17* · *Psal. 9* · *Matt. 6*

ciet. Rectè & Iosapha (2. Paralipom. vigesimo capitulo) dicens: Credite in Domino Deo vestro, & securi eritis: credite Prophetis eius, & cuncta euenient prospera. Ecce credidit homo ille sermoni quem dixit ei Iesus: & redeunti Domino serui læti læta voce prospera nunciant, Filius tuus viuit. Quid iucundius pater de filio, cuius vices adeò dolebat, audire posset? Verè hæc illi vox erat Euangelica: Filius tuus viuit. Sed quid porrò? Quis rei ordo? Credidit ille sermoni Christi. Non hoc satis erat filium sanatum corpore, patrem fide purificatum esse. Agnouit se patrem non solùm filij, sed & familiæ. Hinc sui officij memor, non sibi satis erat de filij recuperatione exultare, totam porrò familiam suo exemplo
Ioan.4 ad fidem trahit. Hinc est quòd horam, in qua melius habere cœpisset à seruis suis exquirit, non solùm vt cognosceret si verbis Christi conueniret tempus, sed vt seruos virtutem verbi Dei doceret. Ita enim secum concluserat, si hora verbis conueniret, & eodem momento filius sanatus fuisset in quo Christus dixerat viuere eum, iam nihil de diuina huius prophetæ potentia addubitare, at obfirmato animo credere hunc ipsum verum viui Dei esse filium. Etenim verbis facta tempúsque conueniunt. Septima hora Iesus dixerat, quià filius eius viueret, & septima hora filium reliquit febris. Olim diei tempus in duodecim diuidebatur horas: septima ergo hora prima numerabatur à meridie, quo tempore Sol inclinari solet versus occasum. Quemadmodum autem à mundo cum sole splendor recedit, ita & vires humani corporis occidente sole deficiunt. Id quod aduersa valetudine laborantes manifestè experiuntur. Hinc ergo colligitur, quia filius illo tempore febri liberatus est, quo solent alij torqueri vehementius, præter naturam venisse sanitatem, atque ideo verbum Christi ipsam quoque naturam superare. Hoc ergo facto summum gradum fides scandit, cùm omni semota hæsitatione non solùm ipse credidit pater, verumetiam tota ipsius domus. Nam hoc tertiò hominis illius fidei fit mentio. Primùm enim, quum Christum adiret, ipse credidit. Quanquam imbecillis illa fides & admodum imperfecta erat. Secundò, verbo Christi credit sed vnico: Vade, filius tuus viuit. Iam verò tertiò
vbi

vbi virtutem expertus erat verbi, perfectè omnibus verbis credit. Et quod credit ostendit, cum familiam suam ad fidem inducit. Ea enim natura est fidei, quàm multos sui efficere similes, omnes ad fidem, ad agnitionem Dei, ad vitam pertrahere æternam: maximè verò (vt æquum est) domesticos, atque nostræ fidei commissos, in huius salutis portum dirigere. Nec fiet id melius quàm superioris exemplo. Nam Regis ad exemplum totus componitur orbis. Ad patris familias mores, vniuersa corrigitur familia. Vnde enim inter nos tanta fidei imbecillitas, tantáque morum peruersitas? A parentibus, à patribus familias. Si enim aliunde est, quod dedecet, cur quod vident, ac norût sustinent? Cur non arguunt & pia correctione detergunt? Sed timent ne vel quid lucelli ipsis ergo decidat, aut ab aliis audiât: Medice cura teipsum. Tolle trabem quæ in oculo tuo est primùm: deinde veniens *Luc.4* educ festucam de oculo fratris tui. Ideóque iudicium durissimum, quòd Salomon iis, qui præsunt denunciat, certò expectabunt. Regulus ille noster eam vel maximam laudem meretur, quòd fidelis ipse fidelem & credentem fecit familiam. Vide tamen quòd Euangelista hanc solam domum credidisse narrat, non aliquã aliam. Sic superius miraculum illud, quo aquam in vinum conuerterat, discipulorum tantùm secuta est fides, nemo præterea qui tamen omnes, vt discipuli aquam vinum factum per ipsum nouerant discumbentium. Quo hoc docetur, licet plurima homines videant & audiant, tamen maior pars semper in peccato & in incredulitate perseuerat, vni tamen familiæ fides attribuitur, ex vnius reualescentia filij, vt quemadmodum initio sermonis dictum est, intelligamus, tribulationes & aduersitates sæpe spiritualibus bonis commodare Quemadmodum Paulus Apostolus gloriatur in tribulationibus suis, sciens quòd tribulatio patientiam operatur, patientia autem probationem probatio verò spem. Spes autem non confundit. Vnde Salomon recté admonet, ne abiiciamus disciplinam Domini, neq; deficiamus, cùm ab eo corripimur eò quod quem diligit dominus, corripit & quasi pater in filio cõplacet sibi. Hinc & Iacob. monẽs ait: Omne gaudiũ existimate fratres, cũ in varias tẽtationes incideritis, sciẽtes quod probatio fidei vestræ patiẽtiã operatur, patiẽtia autẽ opus perfectũ habeat, vt sitis pfecti & integri in nullo deficientes. Aduersa valetudine Regulus admonitus, venit

Luc.6 *Rom.5* *Prouer.3* *Iacob.1*

rediit ipse credulus qui exierat incredulus. Et vt ipse exiret & Christum quęreret, filius non seruus febri correptus est. Hinc se humiliauit, & orans tandem plus quàm sperare ausus fuisset impetrauit. Et hæc quidem omnia breuis illa docuit Euangelij historia. Cæterùm quemadmodum superius Syrophenissa figura erat Gentium ad fidem conuersorum, ita filius reguli typum gerit Iudaici populi. Hic enim populus mori incipiebat, quum gentium saluaretur multitudo: At Regulus filij pater, salutem precatus filij, patrum
Rom. 11 ac prophetarum veteris testamenti fides est. Non enim omnino & irreuocabili eos proiecit Deus sententia, imò vbi plenitudo gentium intrauerit, omnis quoque Israël saluus fiet: idque septima hora, hoc est, quando Christus iustitiæ sol secundò sese ad nos huc inclinauerit, illiúsque quod expectamus iudicij signa dederit. Quemadmodum enim Gentes fidem receperunt, quando ascendit Christus, ita Iudæi eandem fidem suscipient vbi secundò descenderit. Morale: Regulus ratio est, filius sensualitas, febris peccatum: habet enim frigus & calorem inordinatum, id est, interdum amorem & timorem. Causa febris siue peccati, adolescentia, nobilitas, rerum affluentia. Vbi enim eiusmodi sunt, facilis ad peccatum lapsus est. Et hic morbus certè inducit mortem, nisi Christus auxilio fuerit. Eo igitur festinemus citius ipsum accedere. Ne tardemus conuerti ad ipsum,
Eccle. 5 quoniam citò venit ira eius. Gratia eius nobiscum, Amen.

DOMINICA VIGESIMATERTIA POST PENTECOSTEN EVANGELIVM, MATT. XVIII.

IDeo assimilatum est regnum cælorum homini regi, qui voluit rationem ponere cum seruis suis. Et quum cœpisset rationem ponere, oblatus est ei vnus, qui debebat ei decem millia talenta. Cum autem non haberet vnde redderet, iussit eum Dominus

nus eius venundari, & vxorem eius, & filios, & omnia quæ habebat, & reddi. Procidens autem seruus ille, orabat eum, dicens: Patientiam habe in me, & omnia reddam tibi. Misertus autẽ Dominus serui illius, dimisit eum, & debitum dimisit ei. Egressus autem seruus ille, inuenit vnum de conseruis suis, qui debebat ei centum denarios, & tenens suffocabat, eum dicens: Redde quod debes. Et procidens conseruus eius rogabat eum dicens: Patientiam habe in me, & omnia reddam tibi. Ille autem noluit, sed abiit & misit eum in carcerem, donec redderet debitum. Videntes autem conserui eius quæ fiebant, contristati sunt valde, & venerunt & enarrauerunt domino suo omnia quæ facta fuerant. Tunc vocauit illum Dominus suus, & ait illi: Serue nequam, omne debitum dimisi tibi, quoniam rogasti me: nónne ergo oportuit & te misereri cõserui tui, sicut & ego tui misertus sum? Et iratus Dominus eius tradidit eum tortoribus quoadusque redderet ei vniuersum debitũ. Sic & pater meus cælestis faciet vobis, si nõ remiseritis vnusquisque fratri suo de cordibus vestris.

EADEM DOMINICA EPISTOLA,

PHILIP. III.

IMitatores mihi estote, fratres, & obseruate eos, qui ita ambulant, sicut habetis formam nostram. Multi enim ambulant, quos sæpe dicebam vobis (nunc autem & flens dico) inimicos crucis Christi: quorum finis interitus, quorum Deus venter est, & gloria in confusione ipsorum, qui terrena sapiunt. Nostra autem conuersatio in cælis est: vnde etiam Saluatorem expectemus, Dominum nostrum Iesum Christum, qui reformabit

corpus humilitatis nostræ configuratum corpori claritatis suæ secundum operationem virtutis suæ qua etiam possit subijcere sibi omnia.

SERMO.

Leuit. 11 IN Leuitico legimus fissis vngulis animalia quę ruminant munda, & non solùm humanis cibis, verumetiam diuinis apta iudicata fuisse sacrificiis: contrà, non ruminantia immunda, vt nec humanis vsibus, nec diuinis sacrificiis digna. Sed nunquid Deo cura de bobus? Quærit Apostolus, an pecudum sanguine delectatur Dominus & creator omnium? Nobis hæc scripta sunt: nos Dei sacrificio digna animalia, si ruminamus, indigna si non ruminamus. Ecce quotquot hic conuenimus, in campo euangelicæ messis congregamur, triticum verbi diuini, legente me concepistis, in que pectoris secreta ingessistis. Iam videte si munda an verò immunda sitis considerate. Non in hoc verbum audiuistis Euangelij, vt mox abeuntes, nobilis cibus intrà vosmet intereat, inque secessum abeat: sed quod audiuistis, quod concepistis ex secretis cogitationum eructandum est, in os meditationis proferendum est, pedem figentes præsentibus animis opus est, sic veram gustus dulcedinem me monitore percipietis. Quid enim ad nos si plurima pars immunda, & aut hunc diuinæ segetis campum planè negligunt, aut si qui huc veniunt, inglutientes abeunt, nec dulcedinem nec fructum vllum percepturi? Valeant immũda animalia. Abominatio enim sunt Deo. Vos autem, vt munda sitis, studete. Verbum Dei, quod iuxta literam audiuistis, & hic mecũ & domi ruminantes cogitate, examinate, quid velit quærite, dulcedine eius fruamini. Digna enim hæc est parabola isto studio vestro. Ego quod meum officium est, non deero: & si singula verba ruminare tempus non patitur. occasionẽ tamẽ dabo, vt possitis ipsi. Parabola est, & lõga est, sed ideo longa, vt diutius eius dulcedini immoremur: parabola verò, vt facilius intelligamus. Sit Iudęis vt crux Christi, ita & sermo eius simplex scandalum, sit gentibus stultitia: nobis verò virtus Dei est & sapientia. Potuisset ille quidem supra humanum captum exquisitis & abstrusis verbis regni cælestis mysteria sonare, sed nõ cõueniebat illi, qui omnes docere venerat, nobis expediebat: vt nec autem apertis verbis

ad

ad intellectum nostrum sese accomodaret, nobis erat vtilissimum. Primum enim licet Syris vulgare sit parabolis loqui, voluit tamen Christus per hunc loquendi modum ostendere, eodem se quo prophetæ priores spiritu loqui: nam & his eadem loquendi consuetudo fuit, vt in Isaia & Ezechiele videre est. Deinde, vt adimpleret prophetas id vaticinantes futurum. Dauid enim in persona Christi ita in Psalmis loquitur: Audite hæc omnes gentes auribus percipite omnes, qui habitatis orbem, quique terrigenæ & filij hominum, simul in vnum diues & pauper. Os meum loquetur sapientiam, & meditatio cordis mei prudentiam. Aperiam in parabolam aurem meam, aperiam in psalterio propositionem meam. Et iterum: Attendite popule meus legem meam, inclinate aurem vestram in verba oris mei. Aperiam in parabolis os meum, loquar propositiones ab initio. Et Isaias de Christo: In loquela labij, & lingua altera loquetur ad populum istum, cuius prophetiæ & Paulus Apostolus meminit. Tertiò etiam quo intelligeretur melius, eo loquitur apertius, vt ipse in Ioanne ait: Si terrena dixi vobis & nõ creditis, quomodo si cælestia dixero credetis? Voluit enim hoc ipso omnẽ nobis præripere excusationẽ, ne quis sublimitatẽ verborũ prætẽderet damnationi suæ. Sic Moses Israëli præcepta scribens tanquam colophonem addit, Mandatum hoc quod ego præcipio tibi hodie non supra te est, neque procul positum, nec in cælo situm vt possis dicere: Quis nostrum valet ad cælum ascendere, vt deferat illud ad nos, vt audiamus, & opere impleamus? neque trans mare positum, vt causeris, & dicas: Quis è nobis poterit mare transfretare, & illud ad nos vsque deferre, vt possimus audire & facere quod præceptum est? sed iuxta te est sermo valde in ore tuo, & in corde tuo, vt facias illum. Iisdem ferè verbis Baruch propheta loquitur. Quartò denique ac postremò, ideo parabolis vsus est Dominus vt sciremus Euangelij negotium non consistere in verborum sublimitate, sed simplicitate sermonis. Quemadmodũ ea de re Paulus fusius loquitur, cum ait: Ego in infirmitate & timore & tremore multo fui apud vos, & sermo meus & prædicatio mea non in persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis, sed in ostensione spiritus & virtutis, vt fides vestra non sit in sapientia hominum, sed in virtute Dei. Idẽ nihil se scire præter Iesum Christũ & hũc crucifixũ iudicat. Has ergo ob causas

Isaia 34 *Ezech. 17* *Psal. 48* *Psal. 77* *Isai. 28* *1. Cor. 14* *Ioan. 3* *Deut. 30* *Baruc. 3* *Corint. 2* *Matt. 4*

parabolis vtitur Christus, nec hic solùm, verumetiam alibi multa in parabolis docet, pro captu auditorum, imò sine parabolis non loquebatur eis. Cum igitur parabolis locutum audis, tuæ eum vtilitati consuluisse cogita. Si enim bonus & pius es, in hoc tibi seruiunt, vt tùm fide, tum pietate proficias.
Mat. 21 Sin malus & impius, hoc te monent, vt resipiscas. Huic rei
Mat. 22 parabola, quam de vinea & agricolis malis, & seruos & filium occidentibus proposuit, huic etiam nuptiæ, quas alij trucidatis seruis negligunt, alij malè subintrant, huic denique & præsens quam audiuimus seruit. Nihil enim proderit tibi dimissum esse debitum, téque manumissum, nisi tu ipse etiam eundem misericordiæ affectum exhibueris erga tuos debitores. Cæterùm occasionem huic parabolæ Petri quæstio dedit. Monstrante Domino viam, qua reducerent fratres errantes, præscriptóque correptionis fraternæ modo, Petrus quoties peccanti in se fratri remittendum esset, suo aliorúmque nomine quæsiuit, Domine (inquit) quotiens peccabit in me frater meus, & dimittam ei? Vsque septies? Homo cum esset Petrus, homini fratri abundè satisfactum, si septies dimitteret, arbitrabatur, adhuc quid Christiani nominis perfectio postularet ignarus, cum interrogatione profert sententiam, quasi magnum aliquid diceret. Hic ergò vel propter ministerium, postea illi concreditum in Ecclesia, vel propter priuatam inuidiam repellendam, præter humanam cælesti erudiendus erat doctrina. Proinde quasi summam negotij perstringens hominũ amator, nõ dico tibi (inquit) vsq; septies sed vsque septuagies septies. Numero nimirum definito, infi-
Leuit. 26 nitum significans. Completus enim est numerus septenarius, vt in Leuitico scriptum legimus. Sin autem (inquit Dominus) nec sic obedieritis mihi, addam correptiones vestras septuplum propter peccata vestra. Et ne arbitrarentur nullam post septuplum plagarum numerum superesse pœnam, & vt impunitatis spe priuarentur, addit, Et conteram superbiam duritiæ vestræ, ac si diceret, toties multiplicabo plagam, quoties opus fuerit pro conterenda duritiæ vestræ superbia. Vt ergo nos omnes intelligeremus, quàm indignum sit homini Christiano, imò cum quanto periculo coniunctum sit à Deo Optimo Maximo, misericordiam suscepisse, & eandem fratri non exhibere, hanc Christus parabolam horroris profectò & timoris plenam addidit, eámque tanquam ad omnes nos

pertinentem his verbis conclusit. Sic & pater meus cælestis faciet vobis, si non remiseritis vnusquisque fratri suo de cordibus vestris. In his enim verbis totius parabolæ expositionem habemus, nempe, quis rex ille sit, cum ait, Sic & pater meus cælestis faciet, quis seruus, si non remiseritis, quod debitum, quis conseruus, si non remiseritis vnusquisque fratri suo de cordibus vestris, qui tortores, quis carcer, & quo hæc tempore fient. Pater ergo cælestis Rex & Dominus noster est. Id quod Dauid etiam innuit, cum ait, Deus magnus Dominus & Rex magnus super omnes Deos. Et mox, Ipse fecit nos, & non ipsi nos. Nos populus pascuæ eius, & oues manus eius. Sic alibi quoque serui illius Domini regis dicimur, vt Paulus Christum scribit formam accepisse serui, vtque sciamus, quis ille seruus sit, mox subdit, in similitudinem hominum factus, & habitu inuentus vt homo. Quicunque ergo homo est, sibi hæc dicta existimet, verè (inquit Petrus) comperi, quia non est personarum acceptor Deus, non est illi cura de aliquo, vel impiis etiam attestantibus, nec respicit hominum personas. Omnes enim subiiciuntur illi, nolentes, volentes. Pij quidem sponte se seruos Domini Dei agnoscunt, nec gloriantur in obsequiis, quorum diues Dominus non eget, sed magis cum omnia quæcunque præcepta sunt, fecerint, inutiles se seruos profitentur: impij verò digna correptione trahuntur, vt quam beneficiis superbi respuunt, aduersis humiliati profiteantur, vt in Pharaone, Antiocho, Nabuchodonosor, & aliis multis videre est, qui omnes castigati, vnum ac verum Dominum cæli terræque confessi sunt. Sed nec serui solùm nos, verumetiam debitores sumus. Principiò enim donauit nobis omnia delicta, delens quod aduersum nos erat chirographum decreti, quod erat contrarium nobis, ex seruitutis domo eripiens, è potestate tenebrarum transtulit nos in admirabile lumen suum, ídque non corruptibilibus auro vel argento, sed precioso sanguine quasi agni immaculati Christi, quo nec maius, nec præstantius quicquam diuinitas habuit. Quæ autem illius seruitutis fuerit tyrannis, pretij, quod vt inde liberaremur à patre pro nobis impensum est, magnitudo indicat. Deinde etiam cum nos libertate donasset, insuper multis cælestium donorum charismatibus imbuit, alij minus, alij maius distribuit, secundum mensuram donationis suæ, dispensatoréisque multiformis

gratiæ

Mat. 18 — Psal. 94 — Philip. 2 — Act. 10 — Mat. 2 — Luc. 17 — Exod. 9 — 2. Mac. 9 — Dan. 4 — Colos. 2 — 1. Pet. 2 — 1. Cor. 6

gratiæ ac mysteriorum suorum constituit nos. Ad hæc ipsius cæli patriam hæreditario iure possidendam promissione tradidit, sed quid nos? Alius vltro in pristinæ seruitutis domum deflectit, alius talentum frustra sibi concreditum in terram abscondens gratiam negligit, plurima verò pars bona Domini sui dissipant. Hæc gratia est, quam creatori, redemptori altorique munifico reddimus. At pij id agnoscentes vbique
1. Ioan. 1 se debitores esse clamant, vt Ioannes, si (inquit) dixerimus quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, & veritas in nobis non est. Et mox, Si dixerimus quoniam non peccauimus, mendacem fecimus eum, & verbum eius non est
Psal. 142 in nobis. Et Dauid orans, ait, Non intres in iudicium cum
Psal. 31 seruo tuo Domine, quia non iustificabitur in conspectu tuo
Psal. 37 omnis viuens. Et iterum, 31. Pro hac orabit omnis sanctus in
Psal. 129 tempore opportuno. Et iterum, Domine ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripias me. Quoniam iniquitates supergressæ sunt caput meum, & sicut onus graue grauatæ sunt super me. Et iterum, Si iniquitates obseruaueris Domine, Domine quis sustinebit? Neque verò secus possunt pij homines. Agnoscunt enim ita debere se cum propria infirmitate perspecta, hinc vltricem conscientiam reformidant, illinc etiam hac se lege teneri, vt pro suo quisque debito orent quotidiè, sciunt. Idque manifestissimè videri potest in hac ipsa parabola, quæ seruum debitorem non fuisse soluen-
1. Reg. 2 do perhibet. Sed in Regum libris simile quid legimus, dicente Heli filiis suis, Si peccauerit vir in virum, placari ei potest Deus, si autem in Dominum peccauerit vir, quis orabit pro eo? Quotquot ergo homines sumus, & serui & peccatores sumus, & quidem eiusmodi debito obligati omnes, cui nemo
Apoca. 3 soluendo est, quantumlibet iustus, sanctus, ac diues. Dicere quidam non verentur, quia diuites sunt, & locupletes, vt nullius egeant, qui tamen miseri, miserabiles, pauperes,
Ephes. 2 cæci, atque nudi sunt. Hoc solo medio tantum exoluitur de-
2. Cor. 1 bitum, si procidentes supplices misericordiam Domini re-
Psal. 129 gis experierimus. Ipse enim pater misericordiarum diues in misericordia. Apud Dominum (inquit exultans Dauid) misericordia, & copiosa apud eum redemptio, & ipse redimet Israël ex omnibus iniquitatibus eius. Nostrarum non est virium tantum exoluere debitum, neque enim ex operibus iustitiæ quæ fecimus nos, sed secundum suam misericordiam

saluos

saluos nos fecit, inquit Paulus, vt iustificati gratia ipsius, hæredes simus secundum spem vitæ æternæ. Hæc magna illa misericordia, quam Dauid cum debitor constitutus esset petiit. Et verè magna est. Ecce enim seruo solius temporis dilationem petenti, maius eo quod petiit dedit, dimissionem & concessionem totius mutui. Eodem planè modo nobiscum agit. Ponit enim & nobiscum rationes quotiescunque conscientias nostras per verbum excitat, consummabitque in illa die, quando de vnoquoque etiam otioso verbo rationem reddituri sumus, Matth. 12. Et quando iustus Dominus vnicuique vel pro malefactis pœnam, vel pro benefactis redditurus est præmium, non sumus soluendo, nec licet rationem ponentis ditionem effugere. Si occultabitur vir in absconditis, & ego non videbo eum, dicit Dominus? Nunquid non cælum & terram ego adimpleo? Et alibi, Non, inquit, erit fuga eis. Fugient, & non saluabitur ex eis qui fugerit. Si descenderint vsque ad infernum, inde manus mea educet eos, & si ascenderint vsque in cælum, inde detraham eos. Et si absconditi fuerint in vertice Carmeli, inde scrutans auferam eos, & si celauerint se ab oculis meis in profundum maris, ibi mandabo serpenti, & mordebo eos. Et si abierint in captiuitatem coram inimicis suis, ibi mandabo gladio, & occidet eos, & ponam oculos meos super eos in malum & non in bonum. Fugere igitur frustra nitimur, excusare debiti magnitudo non patitur, præsentissimum verò medium est, manus mentémque ad Deum attollere, misericordiam, id est, Christum Iesum postulare. Ille ille est vnica nostris debitis reconciliatio, per ipsum habemus accessum ad patrem, per ipsum exoluimus quod ex nobis non possumus. Nulla nobis gens, nulla natio beatior. Quotquot enim extra nostræ professionis familiam populi sunt, nullam debiti satisfactionem, nullam propitiationem habent, in peccatis suis moriuntur, in carcerem, in captiuitatem & ipsi & vxores, & liberi eorum detruduntur. At de Christo, Dei misericordia, dicitur, Hæc est voluntas patris, qui in cælis est, vt omnis qui videt filium & credit in eum, habeat vitam æternam. Blasphemia ergo est, cum maledicto Cain dicere, Maior est iniquitas mea, quàm vt veniam merear. Omne enim peccatorum debitum, solo in Spiritumsanctum excepto, hominibus remittitur. Vnde meritò cum Dauid dicimus, Laudate Dominum quoniam bonus, quoniam

Tit.3 *Amos 3* *1.Ioan.2* *Ephes.2* *Ioan.6* *Gen.4* *Mat.12* *Psal.117*

Psal.31 quoniam in seculum misericordia eius. Et iterum, Beati quorum remissæ sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata. Ecce quò Christus primam parabolæ partem deducat. Voluit enim ostendere omne debitum nobis esse dimissum, vt postea doceret idem misericordiæ opus cæteris membris esse exhibendum. Et quibus verbis, quóve orationis genere id demonstrasset lucidius? Nostram ergo miseriam, Deique in nos misericordiam audiuimus Nunc porrò & deprauatam nostram naturam & diuinam aduertamus iustitiam. Qui debitis onustus, æréque alieno grauatus accessit ad Dominum, liber & manumissus exit. Exultabat de condonatis sibi mille talentis, & conseruum pro centum denariorum debito suffocat, in carcerem mittit, nec Domini quod acceperat beneficio monitus, nec conserui debitoris sui petitione exoratus. Et quid aliud nos facimus? In templis Deum pro delictis oramus, in vicis, in plateis ac domibus proximum quibus possumus modis torquemus. Nec vnquam execrabilior tyrannis, inclementia, ac immanitas atrocior audita est. quàm hac ipsa ætate, omnes licet pleno ore de Euangelij verbo mul

Mat.24 tum gloriemur, planéque fit, quod Christus olim prædixit, refrigescente charitate multorum abundat iniquitas. Christus Petrum septies remissurum peccanti in se fratri tacitè reprehendit. Quid nobis faceret, quibus verbis nos adoriretur, si mortali adhuc inter nos corpore circuiret, qui non solùm non remittimus septies, verumetiam (quę nostra est plus quàm beluina immanitas) immerentibus vim inferimus, damnis incommodísque afficere proximum sæpè benè merentem etiam, Deo obsequium ducimus. Oculos claudimus ne miseriam proximi videamus, aures obturamus, ne clamorem patientiam nostrã rogantis audiamus, suffocamus, in carcerem detrudimus. Sed non est necesse hominum omnibus cognitam describere immanitatem, hoc magis cogitandum est, quid tandem expectandum sit. Et nunquid conuenienti id ordine Christus prosequitur narrare? An fortè celare poterimus iniquitatem quam operamur? An non videbit Deus & arguet? Non potest (credite) tanta diu oculos Domini latere impietas. Nouit Dominus cogitationes hominum, verbáq; atq; actus mortalium ponderat, vident etiam cõserui nostri, & cõtristantur, nec quicquã eorũ silent quæ viderunt, facti nimirũ conscientia, quæ nunquam silet, sanguis gemitúsq; oppressorum

rum,imò ipſi etiam angeli & Eccleſia. Et quomodo quicquam eiuſmodi latere poteſt, cùm Chriſtus ſibi factum dicat quicquid vni ex minimis fit? Nam & Saulo innocentes perſequente, dominus è cælo clamat: Saule Saule, quid me perſequeris? Ego ſum Ieſus. Et Abel ſanguis clamauit de terra ad dominum cæli. Nunquid Deus non faciet vindictam electorum ſuorum clamantium ad ſe die ac nocte, patientiam habebit in illis? Vocat ergo immiſericordem atque ingratũ ſeruum dominus, & ait illi: Serue nequam omne debitum dimiſi tibi, quoniam rogaſti me: nónne oportuit & te miſereri conſerui tui, ſicut & ego tui miſertus ſum? Hic mihi vide periculum noſtrum. Miſertus eſt noſtri Dominus, dimiſit debitum noſtrum, manúque miſit nos, idque quia miſericors ipſe, & nos rogauimus eum. Sed repetit nos, & quia quod accepimus ipſi nõ exhibemus aliis, pro debito tortoribus tradit nos. Ecce, quomodo pro Dei miſericordia à peccatis iuſtificati ſumus. Ecce quomodo oporteat miſereri conſerui noſtri. Qui miſereri poteſt dominus, poteſt & iraſci, poteſt & ſubtrahere iratus gratiam quam dederat miſerans, ſi non miſeremur fratris & conſerui noſtri. Nihil adeò diſplicet Deo, quàm ingratitudo. Nec ſufficit non malefacere, niſi & benefeceris. Nil prodeſt credere, & fide iuſtificari, niſi & dilectione operatus fueris, imò poſteriora tua peiora fiunt prioribus. Melius enim tibi eſſet non cognoſcere viam iuſtitiæ, quàm poſt agnitionem retrorſum conuerti ab eo quod tibi traditum eſt ſancto mandato. Contingítque tibi quod prouerbio dicitur: Canis reuerſus ad ſuum vomitum, &, Sus lota in volutabro luti. Vide ergo quanta hæc nobis parabola ob oculos ponat, quàm apertè, quàm ſeuerè? Quis ergo hæc vel non intelligit, vel vt aliis, non ſibi dicta negligit? Quicquid enim excuſationis tergiuerſantes adferre poſſe nos credimus, totum hic deperit. Principiò enim ſi proximus famam læſit, aut impugnat infamia, tu ipſi inuideas propterea, ac tantum damnum accepiſſe te conqueraris, vt nec poſſis remittere: nunquid hæc tuam inuidiam arguere videtur parabola? An non Chriſtum dicentem tibi videris audire: Serue nequam, tam immitis ne eſſe in famiæ tuæ arbiter poteris, qui toties in me meáq; mandata, manifeſta pertinacia atque multimoda nominis mei blaſphemia delinquis? Nũquid te omnéque debitum tuum dimiſi tibi, nec id ſemel, ſed multoties? In baptiſmo originale peccatũ, in quo

Mat. 25. *Act. 9.* *Luc. 18.* *1. Cor. 13.* *2. Pet. 2.*

natura filius iræ natus erâs, deinde etiam alia quæ non carnali ductu, sed propria contumacia post agnitam atque susceptam gratiam perpetrasti facinora, dimisi: an non ea ratione decem
Eccl.7. millibus talentis mihi obæratus fueras? Dimisi tamē. Et quid ad hæc respondebis inuidus? An non omnis tibi his dictis perit excusatio? Sed inquis: Quomodo possum remittere, qui famam læsit? Verum quidem est, cum bonum nomen vnguentis preciosis melius est, famæ inustam maculam contristare cor sapientis. Sed maioris adhuc alia precij habes, hæc ipsi tibi ne perdas vide. Habes fidem, qua certò Deum vindicem tuum esse doceris, habes patientiam & dilectionē. Hæc cum habeas, quod inimicus damni referre potest, nihil est. Quod si ipsum te vindicem acceptæ iniuriæ constituis, & illa omnia perdis, & te maiori, quàm inimicus posset, damno afficis. Si decem tibi floreni fuerint, inimicus horum quatuor furto abstulerit, nónne si reliquos sex in mare abieceris, meritò stultitię argueris? Sic nec auro cuius omnis in congerendis pecuniis animus est, vlla hic relinquitur excusatio. Licet enim quæsitus,
Gen.4.e cur pauperibus misericordiam deneget, cum maledicto Caim
1.Corin.4. nunquid ego custos sum fratris mei, respondeat, tamen in
Iob 1. Paulo Christi spiritu arguitur: Quid habes quod non accepi-
1.Tim.6. sti? Nunquid nudus in terram ingressus? An non scriptura, ne dicam quotidiana experientiā docet, nihil nos in mundum hunc intulisse? Si ergo ô serue nequam ex te nihil, ex me verò omnia habes: nunquid igitur & te fratris tui oportuit misereri, sicut & ego tui misertus sum? Ecce quomodo & auaris omnibus excusatio omnis hac parabola aufertur. Idem & de tyrannis dicitur, qui sine omni misericordia subditos & miseros grauant, hoc dicentes, quod præter ius nihil agant. His ergo Christus ait: Serue nequam, nunquid & mihi tecum iure contendere licuisset? Nunquid vero & iusto iudicio tete condemnare potuissem? Si ergo ego Dominus & Deus tuus iure meo cessi, nunquid & te oportuit misereri conserui tui, sicut & ego tui misertus sum? Et quæ hic tyrannis relinquitur excusatio? Sic etiam omnibus pseudo Christianis dicere potest, qui in sola fide salutem sperant, quantumlibet egregiè alios defraudēt aut expolient. Serue nequam, ideóne tui misertus ego sum, vt in nuda fide salutem sperare ausis? An non audiuisti dicentem
Mat.11. me: Discite à me, quia mitis sum & humilis corde? An non le-
Luc.6. gisti quod dixerim: Quid dicitis mihi domine domine, & non

facitis quæ præcipio vobis? An non discipulis mâdantem me intellexisti: Mandatum nouum do vobis, vt diligatis inuicem, sicut dilexi vos? In hoc cognoscent quia discipuli mei estis, si dilectionem habueritis inuicem. Ecce quod & pseudo Christianis aufert excusationem hæc parabola, cum apertissimè indicat, quia ab omnibus Deus misericordiam exiget, qui diui na misericordia salutem & iustificationem sperant, iis verò quibus ipse misericordiam præstitit, nec eam alij exhibeant, terribilem iudicij sui futuri sententiam denunciat. Sic, inquit, & pater meus cælestis faciet vobis, si non remiseritis vnusquis que fratri suo de cordibus vestris. Non quòd simpliciter redeant peccata dimissa, per hoc ingratitudinis & immisericordiæ peccatum post pœnitentiam, sed quia quodammodo reatus prius dimissorum peccatorum redit, cum aggrauatur reatus postremi peccati ex præcedentibus peccatis. Huc ergo oculos mentémque conuertamus. Quid hac parabola Christus velit, cogitemus. Omnino enim necesse est præstare proximo peccanti in nos, quod ipsi in Deum peccantes postulamus nobis, hac enim lege nostrorum commissorum indulgentiam, quam misericordia Dei largita est, obtinebimus, si & ipsi aliis remiserimus. Sic Dauid Saulo & Semero ignouit, cum posset se vlcisci. Sic Stephanus pro persequutoribus suis Christum imitatus orauit.

Ioan. 13. *2. Reg. 16.* *Act. 7.*

DOMINICA VIGESIMA QVARTA POST PENTECOSTEN

EVANG. MATTH. XXII.

TVnc abeuntes pharisæi consilium inierunt, vt caperent eum in sermone. Et mittunt ei discipulos suos cum Herodianis, dicentes: Magister, scimus quia verax es, & viam Dei in veritate doces, & non est tibi cura de aliquo. Non enim respicis personam hominum. Dic ergo nobis, quid tibi videtur, licet censum dari Cæsari, an non? Cognita autem Iesus

nequitia eorum, ait: Quid me tentatis hypocritæ? ostendite mihi numiſma cenſus. At illi obtulerunt ei denarium. Et ait illis Ieſus: Cuius eſt imago hæc, & ſuperſcriptio? Dicunt ei: Cæſaris. Tunc ait illis: Reddite ergo quæ ſunt Cæſaris Ceſari, & quæ ſunt Dei Deo. Et audientes mirati ſunt, & relicto eo, abierunt.

EADEM DOMINICA EPISTOLA, PHILIP. I.

GRatias ago Deo meo in omni memoria veſtri (ſemper in cunctis orationibus meis pro omnibus vobis cum gaudio deprecationem faciens) ſuper communicatione veſtra in Euangelio Chriſti à prima die vſque nūc confidens hoc ipſum, quia qui cepit in vobis opus bonum, perficiet vſque in diem Chriſti Ieſu: Sicut eſt mihi iuſtum hoc ſentire pro omnibus vobis, eo quòd habeam vos in corde & in vinculis meis, & in defenſione & confirmatione Euangelij, cùm ſocij gaudij mei omnes vos ſitis. Teſtis enim mihi eſt Deus quomodo cupiam omnes vos in viſceribus Ieſu Chriſti, & hoc oro, vt charitas veſtra magis ac magis abundet in omni ſcientia & in omni ſenſu, vt probetis potiora, vt ſitis ſynceri & ſine offenſa in diem Chriſti, repleti fructu iuſtitiæ per Ieſum Chriſtum in gloriam & laudem Dei.

SERMO.


Væ lectionis huius ſumma ſit, Chriſti reſponſio docet: Reddite, inquit, quæ ſunt Cæſaris Cæſari, & quæ ſunt Dei Deo. Vtilis admodum doctrina & perneceſſaria his temporibus. Cum enim multa nunc apud nos in controuerſiam quæſtionémque & dubium vocantur, quæ olim ſcripturæ autoritate approbata & recepta ſunt, de hoc maximè diſputatur, quod hic quæſierunt Legati, Liceat cenſum dari Cæſari, an nō. Nec paruam

hæc

hæc quæstio turbarum in Germania causam præbuit. Omnes libertatē tueri volumus,& præter voluntatē nostram aliorum imperio subditi sumus: imò imperare ipsi non parere volumus, eóque res Germaniæ deuenerunt, vt non solùm quæ re Christianæ Reipubl. forent non amplectamur, verumetiam nec ipsius Christi monita sequamur. Ille iussit Cæsari dari, quæ sunt Cæsaris,& quæ sunt Dei Deo. Et id quidem si faceremus non tot Germania turbas sentiret, non tam diris concuteretur motibus, sed tranquillè atque securè habitaremus omnes. Et quid Euãgelij minister sperabit, quid efficiet apud eos, quibus nec patriæ salus curæ, nec in Christi præcepta voluntas est? Vtinam inter Iudæos tantum hæc quæstio moueretur, & non etiam inter nos, vtinam hæc frustra illis solùm populis dixisset: Reddite quæ sunt Cæsaris Cæsari: & quæ sunt Dei Deo. Sed ecce toties nobis hoc Christi mandatum accinitur, imò ipse Christus loquitur, nihilominus tamen contrà annitimur, Christi voluntati repugnamus, ordinationi Dei resistimus,& veluti blandiens Cæsari, aut verbera timens hæc dixisset, etiamnũ inter nos quærimus: Sit ne ordinatio diuina Magistratus, sit ne parendum,& quatenus? Quo fit vt expressam in his legatis nostræ impietatis imaginem videre liceat. Honorificè de Christo loquimur, blandè ipsum alloquimur, magistrum nostrum, veracem, veritatísque doctorem, nil hominum iudicia mináſque timentem dicimus, non quòd illius esse discipuli, veraci, veritatísque doctori adhærere, eiúsque præcepta seruare velimus, sed vt tentemus illum, vt in sermone capiamus, vt accusemus, vt perdamus. An non hoc est tentare, an non est velle capere, accusare, & perdere, Iudaico more de præceptis eius disputare, factóque ipso repugnare? Meritò ergo nobis dictum putamus: Quid me tentatis hypocritæ. Q. d. toties vobis loquor, prædico, erudio, discipulos vos esse meos confingitis, nec tamen, quæ præcipio, quæ vestro omnium bono suadeo amplectimini, Vide quàm grande piaculũ sit, aliud corde sentire, aliud verbis sonare: maximè in diuinis rebus. Qui autem coram Deo fingere non veretur, quid non audebit erga homines? Magister (aiunt) scimus quia verax es, & viam Dei in veritate doces,& non est tibi cura de aliquo. Conferamus cum his verbis, quid alibi de Christo sentiant Pharisæi,& videbimus planè fictis animis hæc ipsi tribuere. Tu, inquiunt, de te ipso testimonium perhibes, testimonium tuum

verum non est. Et: Nónne benedicimus nos, quia Samaritanus es tu, & dæmonium habes? Et: Non est hic homo à Deo, qui sabbatum non custodit. Et: Nos scimus quia hic homo peccator est. Nos scimus quia Mosi loquutus est Deus, hunc autem nescimus vnde sit. Et iterum: Dæmonium habet, & insanit. Quid eum auditis? Et iterum: Si non esset hic malefactor, tibi non tradidissemus eum. Et iterum: Ecce homo vorax & potator vini, publicanorum & peccatorum amicus. Et iterum: Hunc inuenimus subuertentem gentem nostram, & prohibentem tributa dari Cæsari, & dicentem se Christum regem esse. Hæc ipsi de Christo partim sentiebant, partim odio accensi confingebant & euulgabant. Quid verò hæc omnia commune habent cum huius Euágelij verbis? Aut vbi non repugnant? Quantum ergo in ipsis erat, vt caperent, hæc tanquam escas posuerunt, vt illaquearent retia tenderunt. Eiusmodi homines quæuis audebunt in homines, qui ne quidem Christo pepercerunt ipsi. Nec quicquam periculosius illis, quemadmodum contrà nihil salubrius quàm fidi amici correptio. Vt Salomon ait: Melius est, inquit, à sapiente corripi, quàm stultorum adulatione decipi. Et: Meliora sunt vulnera diligentis, quàm fraudulenta oscula odientis. Quid enim hæc legatorum verba, nisi fraudulenta oscula? Contrà verò Christus diligens, ipsum cor feriendo vulnerauit. Quid me, inquit, tentatis hypocritæ? Et vtrum horum melius, Dauid respondeat: Corripiet me, inquit, iustus in misericordia, & increpabit me, oleum autem peccatoris non impinguet caput meum. Ita regius Propheta iudicauit. Et hanc firmam illius menti sedisse sententiam, suo exemplo suóque bono maximo ostendit. Nemo hominum ne rusticus quidem vel plebeius ab quoquam eiuscemodi colloquium, quale Dauid rex à Propheta Nathan, sustineret, ne dicam nobiles, duces, aut Reges tale quicquam in bonam partem interpretaturos esse. Blanditiis hi deliniri volunt, & decipi, vt Absalon & Roboam, quorum ille vitam, hic magnam regni sui partem amisit. Sed Christus nostro bono imposturas horum detexit, vt scientes quoniam plures sunt, qui nequiter humiliant se, pleni dolo in interioribus suis, non cuiuis adulatori patulas aures præbeamus: nec semper corripientis verba diffugiamus, quoniam sæpè vita in voluntate eius est. Missa autem faciamus hanc

hanc illorum hominum inconstantiam, qui coram & in faciem non audent nisi blandiri, à dorso verò facta atque infecta congerunt: & quia per malos etiam Deus vera solet eloqui, hanc ipsorum salutationem non vt hominum, sed vt ipsius Dei per os ipsorum loquentis verba accipiamus. Id quod in sacris scripturis nouum non est. Nam & Caiphas de Christi morte, non ex sua industria prædixit, sed quia pontifex esset anni illius, ex spiritu sancto prophetauit, quia Iesus moriturus esset pro gente. Nec tantum pro gente, sed vt filios Dei qui erant dispersi congregaret in vnum. Ipse enim solus in suo sanguine lauit nos à peccatis nostris. Et Pilati milites multa Iesum contumelia affecerunt, induerunt eum purpureo vestimento, & imposuerunt ei coronam spineam, procidentésque salutauerunt eum Iudæorum regem. Hæc illi ludebant, sed nobis minimè lusus est. Eum enim purpura regem decet. & sufferens spinas, nobis indoluit, estque verus Iudæorum, hoc est, confitentium Rex. Sic hi quoque legati ludunt quidem, sed tamen veritatem vel inuiti nesciique profitentur, idque ex inspirante Deo. Nemo enim potest dicere, Dominum Iesum in Spiritu sancto. Nobis ergo magister est veritatis, imò ipsa veritas. Nec hoc verbo aut mente solum vel confiteamur, vel credamus, sed ipsis etiam factis profiteamur. Neque enim hic nudam eius rei fidem, sed & facta & imitationem requirit. Quousque dicitis mihi, Domine domine, & non facitis ea quæ dico? Et: Vos vocatis me magister & dominus, & bene dicitis, sum etenim. Si ergo ego magister & dominus vester sum, quæ ego facio, & vos facite. Vos amici mei estis, si feceritis quæ præcipio vobis. Et si hæc scitis, beati estis, si feceritis. Nempè tum demum apparet, nos illius Magistri esse discipulos, quando quæ ipse docet, vera esse iudicamus atque amplectimur: tùm illius domini serui sumus, quando quæ ipse præcepit, facimus, Contrà si quis fecerit, iniquè sibi discipuli atque serui nomen vendicat, nequiter Christum Magistrum appellitat, imò tentator & hypocrita est, nec vlla in parte his legatis melior est. Præmissa autem tam splendida adulatione legati, etsi suam non impunè laturos se hypocrisin, multorum exemplis facilè potuissent intelligere, excæcati tamen cui nihil absconditum est, ei fucum facere pergunt. Dic ergo nobis, inquiunt, quid tibi videtur: Licet censum dari Cæsari, Matt. 22

an non? Quo animo hanc legationem miserint, Euangelista initio commemorauit, vt caperent eum in sermone, consiliũ inerunt. Et hoc impiæ multitudinis atque magistratus studium propheta ante præuidens in hæc verba descripsit: Congregamini populi, & vincimini: accingite vos, & vincimini. Inite consilium & dissipabitur, loquimini verbum, & nõ fiet. Aderat enim in foribus tẽpus quo filius hominis erat in impiorum manus ad crucifigendum tradendus, eóque sæuiit crudelius Satan, commouítque in innocentis caput omnia, suo tamen ipsius interitu. Nolebat enim in regno suo impio perferre iustum, & cuius innocentiam tentando non potuit infringere, occidendo è medio statuit tollere. Concitatis ergo ad inuidiam Pharisæorum animis, perapposita hæc inuadendi hominem videbatur occasio. Sciebant hanc apud doctos pariter & indoctos iniquis animis moueri quæstionem. Cur Romani externus & impius magistratus imperaret Dei populo: cur tributa censúsque exigeret ab iis, quos Deus sibi in peculium de cunctis gentibus elegisset? Imperabat enim Herodes, & diuisi in prouincias suberant præfectis, & iudicibus impiis, grauémque sustinentes tyrannidem, non modò disceptabant, sed multi etiam ex omni numero excutere quo quo modo hoc iugum cogitabant, inuentíque sunt nonnulli, & in his Theudas quidam, & Iudas Galilæus, qui in suã fidem adacta plebe, per ciuiles motus externum à se magistratum tentabant propellere. Tali ergo Christus adoriatur quæstione, quæ non ex dolo composita, sed ex populis votis videatur desumpta. Liceat censum dari Cæsari, an non. Galeata hæc est omnino quæstio, qualecũque enim responsum dederit, incidet. Affirmat, Iudæi: si negat, indignabuntur Herodiani. Et ne alterius partis absentia, in præsentis expectationem cogat concedere, vtriusque gentis legatio est, vnà hæc proponunt Pharisæorum discipuli, & Herodis ministri, digni tàm captiosæ quæstionis legati, dignum patellæ (quod aiunt) operculum, imò quales magistri & domini, tales mittuntur discipuli & serui. Impia domini imperant, impia perficiũt serui. At vbi hic quod Petrus dixit postea: Obedire oportet Deo magis, quàm hominibus? Seruis præcipitur obedire Dominis suis, sed non contra Deum. Dei voluntas est, vt loquamur inuicem veritatem proximo, alter ad alterum, vt foueamus fraternitatis dilectionem, colamus amicitias, quod

Isai. 8

Deu. 7

Actor. 5

Ibidem.

nobis

nobis volumus fieri, præstemus aliis. Quisquis horũ aliquid prætermittit, contra Deum pugnat, quanto magis ij qui insuper insidias struunt, tantum vt hominibus placeant. Misera sanè hæc Reipu. facies est, vbi iustitiæ vindices, iniquitatium fiunt executores, vbi peruersa conditionis formula ad oculũ famulatur magistratus impia præcipientis, & Dei ridetur autoritas rectè monentis, vt Doeg, qui vt Regi Saul placeret, iustum Dauid conabatur tradere. Achimelech cum suis occidit. Vt Israël, qui in gratiam Achab & Iezabel, iustum Naboth damnauerunt. Vt Iudas, qui in gratiam summorum pontificum, Christum magistrum tradidit. Vt seruus pontificis qui gratiam captans domini sui, Christo dedit alapam. O miserã eiuscemodi mancipiorum seruitutem, quia si tanta indignatione eos Christus corripit tempore gratiæ, quid faciet in die iræ? Quid me, inquit, tentatis hypocritę? Quanto autem grauior futura est iudicis sententia? Videbas, inquit, furẽ, & currebas cum eo, & cum adulteris portionem tuam ponebas. Os tuum abundauit malitia, & lingua tua concinnabat dolos. Sedens aduersus fratrem tuum loquebaris, & aduersus filium matris tuæ ponebas scandalum. Hæc fecisti, & tacui. Existimasti iniquè, quòd ero tui similis, arguam te, & statuam contra te faciem meam. Intelligant hæc omnis generis serui, dominorum iussa ponderent, etsi quid Deo contrarium iubentur, aut excusent humiliter, aut denegent constanter, exemplo Danielis & sociorum, qui Regibus diuinos honores sibi postulantibus minimè obedire voluerunt. Et seruorum Saul, cui Sacerdotes trucidare mandanti, non obsecundarunt. Iam porrò proposita est quæstio, nondum soluta. Abscondita sunt retia, necdum tamen respõsuri capta est prudentia, fistula dulce cecinit, necdum tamen decepit. Antequam verò respondeat, Ostendite, inquit, mihi numisma census, & oblato denario, cuius illa sit imago & superscriptio quærit, tandem verò Cæsaris esse audiens: Reddite, inquit, quæ sunt Cæsaris Cæsari, & quæ sunt Dei Deo. Tanta præmittit, priusquam ad quæstionis veniat solutionem. Quod de numismate quęrit, ostendit quàm ipse nihil cõmune habeat cũ mundi huius rebus, & quàm apud Deum ignota sint, quæ mundus hic admiratur. Approbat autem hoc responso magistratum: Quomodo enim non opprobaret suam ordinationem? Ipse enim est, qui in Salomonis sapientia: Per me, ait, reges re-

1. Reg. 22. 3. Reg. 21 Matt. 26 Ioan. 18 Matt. 22 Psal. 45 Deuter. 6 1. Reg. 22

gnant,& legum conditores iusta decernunt, per me principes
Prou. 8 imperant, & potentes decernunt iustitiam. Et Paulus pote-
Rom. 13 statem gladij, Dei ordinationem esse dicit. Proinde,& Iosa-
2.Par.19 phat ducibus, quos populo præfecerat, seriò inculcat, non hominis eos exercere iudicium, sed domini, & quodcunque iudicauerint, in ipsos redundaturum esse, ipsisque timorem Domini, vt cuncta cum diligentia faciant, precatur. Et quod magis est, ipse Dominus, per Dauid, Iudices & po-
Psal. 83 tentes, Deos vocat. Ego dixit, inquit, Dij estis, & filij excelsi omnes, hoc est, diuinis vos officiis præposui: nempè pacem, iustitiam, disciplinam, probitatem, moresque per vos conseruari, iniustos damnari, bonosque tueri per vestram vigilantiam, volo. Principio igitur hic consideremus, quanta cum autoritate de magistratus potentia scriptura loquatur. Neque enim id sine causa fecit. Multo enim secus ratio hominum dictat, cum crebras & ferè annuas illius status mutationes cum nonnulla quæ correctione opus habent, imò sæpè per vim proprij commodi & honoris ergò eam eminentiam inuadi, videt. Fortuito enim hæc omnia fieri, aut certè tyrannidem esse sine verbo Dei vsurpatam iudicat. Vnde in hominum animis odium magistratus creuit, quod vt eximat, summopere scriptura laborat. Docet enim quod Deus magistratum non modò ferat, vt ad tyrannidem, adulteriáque ad tempus conuiuere solet, verùm etiam ipse ordinet, instituat, approbet, atque defendat. Iam verò cum magistratum approbat scriptura, etiam leges, ordinationes, iudicia, officia publica, pœnam malorum, iusta bella, & quicquid ad conseruandam politicam Rempublicam pertinet. Nihil ergo est quod Anabaptistæ in alienam à scripturis opinionem ganniunt: Non esse occidendum, non malum malo pellendum. De priuata enim vindicta illic loquitur scriptura, quæ fit sine mandato Dei. Hanc scriptura prohibet, quia omnis qui sine mandato Dei. Deut. 32. propter priuatam vindictam gladiũ accipit, gladio & ipse peribit. Et hæc de magistratus approbatione senten
Matt. 26 tia valere debet, etiam si impius sit magistratus & tyrannidẽ exerceat, qualis cum hanc sententiam ferret Christus, Tyberius erat, omnium historiarum testimonio. Id quod & Pe-
1. Petr. 2. trus postea docuit. Serui, inquit, obedire dominis vestris, non

tantum

tantum bonis, sed & discolis. Quod si quæras num sufficiat non impugnare magistratum, responsio breuis est: Minimè, Christus enim aliud adhuc requirit: Date, inquit, quæ sunt Cæsaris Cæsari, & quæ sunt Dei Deo. Dandum ergo est Cæsari, sed cum iudicio. Ea enim Cæsari danda sunt, quæ sunt Cæsaris hominis, non quæ Dei. Tradunt enim historiæ diuinos aliquādo honores hominibus Cæsaribus regibusq; esse exhibitos, vt in actis legere est. Nonnunquam ipsi Reges sibi diuinos honores vsurparunt, vt Nabuchodonosor. Sed non sunt *Act.* 12
hæc Cæsaris, sunt Dei: ideóq; non Cæsari, sed Deo danda. Quæ *Dan.* 3
ergo sunt Cæsaris rogas? Audi Paulum: Reddite ergo omnib. *Rom.* 13
debita, cui tributũ, tributũ: cui vectigal vectigal: cui timorē, timorem: cui honorem, honorem: nemini quicquam debeatis, nisi vt inuicem diligatis. Quatuor Apostolus hic enumerat: sed accipiamus priora duo, tributũ & vectigal omne id, quod corporalium rerum magistratui dandum est, quocunque nomine censeri potest. Neq; enim sine subditorum adminiculis magistratus Reip. molē per se sustinere possunt. Sic per timorem atq; honorem, obedientiam, æquam de magistratu existimationem accipimus: vt non modò facultates ad necessarios vsus Reip. impendamus, aut corporis ministeria præstemus, sed etiam mens nostra benè & honorificè de illo sentiat, iudicet & loquatur. His enim rebus ab Ethnicis differimus, qui tantum metu non timore vero suos magistratus reuerebantur. Differimus etiam ab adulatoribus, qui, principibus vt placeant viris, quiduis faciunt, si quid aiunt, aiunt: si negant, rursum & ipsi negant. Rectè autem tum demum de Magistratu sentimus, quando Dei in illo ordinationem agnoscentes, nosmetipsi submittimus, edicta ipsius potiora iudicamus nostra opinione, mandatis ipsius salua religione morem gerimus, si quid in ipso minus perfectũ, celamus atque excusamus: & denique cum multorum eum bonorum administrum nobis esse intelligimus, qui pacem procuret, *Luc.* 23
qua necessaria corporis ac religioni conuenientia sequi possimus: qui vitam, vxorem, liberos, & quicquid charum habemus, tueatur atque defenset, Deo, cuius hæc ordinatione nobis contigēre, gratias agimus, imò & pro ipsa magistratus salute supplicamus. Hæc enim omnia Paulus timoris atque honoris nomine comprehendit. Sunt enim hæc Cæsaris, id est, magistratus, eóque Christi ea mandata rectè

illi

illi impendimus atque reddimus. Atque hinc videre est, qua impietate Iudæi Christum atque Apostolos motus atque seditionis causa accusarint, qua iniquitate ipsius verba inuerterint, cum euidentissimè veritati repugnãtes, prohibuisse eum aiunt tributa dari Cęsari. Non enim prohibuit, sed magis dari iussit. Pręmisso autẽ quid magistratibus subditi debeant, quáque lege ipsis sint deuincti, non incongruè quid magistratum deceat erga subditos, quid non, addiderimus. Neq; enim cum Christus dari iubet Cæsari, quæ sunt Cæsaris, omnem licentiam in subditos magistratui permisit, aut ipsius tyrannidi patrocinatur. Propterea summo studio vigilandum est magistratui, ne frustra & iniquè imperet, ne in manus domini &
Sap. 6 ipse incidat. Quod autem officium sit magistratus, Salomon indicat, cum ait: Audite Reges & intelligite, discite iudices finium terræ, Præbete aures vos qui continetis multitudines, & placetis vobis in turbis nationum: quoniam data est à Domino potestas vobis & virtus ab Altissimo, qui interrogabit opera vestra, & cogitationes scrutabitur: quoniam cum essetis ministri regni illius, non rectè iudicastis, nec custodistis legem iustitiæ, neque secundum voluntatem Dei ambulastis. Horrendè & citò apparebit vobis: quoniam iudicium durissimum in his qui præsunt, fiet. Exiguo enim conceditur misericordia, potentes autem potenter tormenta patientur. Quibus sannè verbis per ea quæ magistratus iniquè fecit, quid sui sit officij intelligere datur. Primùm ergo magistratus officium est, quales fuerint, & à quo hanc potestatem acceperint, agnoscere. Hoc enim sapientia vult cum à Domino potestatem hanc accepisse, ipsos verò ministros tantum in regno Dei esse ostendit. Vtrunque autem eò pertinet, vt humiliter de sese sentientes, omnia Deo tribuant. Deinde & illud magistratus officium est, rectè iudicare, & legem iustitiæ custodire. Coniunctim hæc dico, vtrunque enim ad dicendum ius pertinet. Neque enim alterum sine altero rectè administrari potest. Rectè enim iudicat, qui secundum legis decreta ius pronunciat, atque sententiam fert. Iustitiæ verò legem custodit, qui rectè & secundum legis decreta diiudicata, quantum in se est exequitur, vt vtrunque hoc, licet diuersum officium,
2. Par. 19 ad magistratum legitimum pertinere intelligamus. Hinc Iosaphat iudicibus quos per ciuitates constituerat loquens, præcepit, dicens: Videte quid faciatis. Non enim hominis exer-
cetis

cetis iudicium, ſed Domini, & quodcunque iudicaueritis, in vos redundabit. Sit timor Domini vobiſcum, & cum diligentia cuncta facite. Non eſt enim apud Dominum Deum noſtrum iniquitas, nec perſonarum acceptio, nec cupido munerum. Et mox: Sic agetis in timore Domini, fideliter & corde perfecto. Omnem cauſam quæ venerit ad vos fratrum veſtrorum, qui habitant in vrbibus ſuis, inter cognationem & cognationem, vbicunque quæſtio eſt de lege, de mandatis, de cæremoniis, de iuſtificationibus, oſtendite eis, vt non peccent in Dominum, & ne veniat ira ſuper vos & ſuper fratres veſtros. Sic ergo agentes non peccabitis. Denique licet magna hæc ſint, non tamen ſufficiunt. Nam & illud requiritur, vt ſecundum Deum magiſtratus ambulent, hoc eſt, Deum vita referant, & omnibus exemplum piæ vitæ ſtatuant. Atque hic maximè ſuperfluus ille ſumptus, & ſubditorũ ſanguine quæſitus ſplendor arguitur. Eſt enim in primis contra Deum viuere, alienum ſudorem conſumere. Viuit enim Deus nullius incommodo, omnium bono. Et Chriſtus homo cum in terris conuerſaretur agens, pauperem vitam agere maluit, quàm aliquem incommodo afficere, vixit cum paucis ſelectis, vixit ſine ſplendore, equos nullos aluit. Plus ſemper dedit quàm accepit. Et huius exemplum in primis magiſtratui ſequendum eſt. Dauid enim Reges appellans, Intelligite, inquit, erudimini qui iudicatis terram. Seruite Domino in timore, & exultate ei cum tremore. Apprehendite diſciplinam: id quod Hebræi interpretes: Oſculamini filium, reddidere, hoc eſt, vitæ imitatione ſequimini Chriſtum, quantum fieri poteſt, conformes illi vos reddite. Hinc in Deuteronomio Dominus ait: Cum fuerit conſtitutus Rex, non multiplicabit ſibi equos, non habebit vxores plurimas, neque argenti & auri plurima pondera. Nimirum hæc ſunt eiuſcemodi, quæ quum plurimum ad ſui conſeruationem conſumunt, ſæpe tyrannidi principum cauſam dare ſolent: neceſsitate enim vrgente, vt adſit quod requiritur, laborant: & per fáſque nefáſque quum de ſuo non poſſunt, de alieno, quouis quæſito colore rapiunt. Id quod Iob etiam animaduertiſſe videtur, cùm impiorum in pauperes violentiam deſcribens: Alij, inquit, terminos tranſtulerunt, diripuerunt greges, & pauerunt eos, aſinum pupillorum abegerunt, & abſtulerunt pro pignore bouem viduæ. Subuerterunt pauperum viam, & oppreſſerunt

[Margin notes: *Ibidem.* — *Pſal. 2* — *Deut. 17* — *Iob 24*]

runt pariter mãſuetos terræ: alij quaſi onagri in deſerto egrediuntur ad opus ſuum, vigilanteſque ad prædam præparant panem liberis. Agrum non ſuum demetunt: & vineam eius quem vi oppreſſerunt vindemiant. Nudos dimittunt homines, indumenta tollentes, quibus non eſt operimentum in frigore, quos imbres montium rigant: & non habentes velámen amplexantur lapides. Vim fecerunt deprædantes pupillos, & vulgum pauperem ſpoliauerunt. His, inquam, & id genus multis aliis verbis Propheta illicitam vim, quam ani-
*Ezec.*19 maduerterat, deſcripſit. Simile quid in Ezechiele ſcriptum legimus, vbi de Ioachim Dominus loquens, Leo, inquit, factus eſt, & didicit capere prædam, hominémque comedere.
*3.Reg.*19 Hinc Roboam reprehenditur, qui populo ſuo ab intolerabili iugo releuari cupienti, reſpondens inhumaniſsimè: Pater, inquit, meus cecidit vos flagellis, ego autem cædam vos ſcorpionibus. Imò hanc vocem, quòd plena eſſet tyrannidis, Aduri Quæſtoris Roboam mors, & decem adeò tribuum defe-
*Luc.*3 ctio ſequuta eſt. Propterea Baptiſta etiam Magiſtratus miniſtris viuendi rationem præſcribens, & ne officij terminos tranſilirent monens: Neminem, inquit, concutiatis, neque calumniam faciatis, & contenti eſtote ſtipendiis veſtris. Rectè id ſanè. Non enim Chriſtus iuſsit Cæſari reddi, quæ poſtulat, ſed quæ ſunt eius, quæ iuſtis rationibus ipſi debentur. Atque hæc quæ ſibi inuicem debent Magiſtratus & populus, ideo hic coniunxerim, vt inuicem debita præſtent, non ſolùm quòd ita recta ratio dictet, aut ad tranquillitatem publicam plurimum faciat, verumetiam quòd ita fieri Deus præcipiat, ac ſacræ literæ moneant. Iam verò quæ Chriſtus Deo reddi vult, eiuſmodi ſunt, vt partim noſtram, partim etiam Dei perſonam concernant. Et in nobis quidem ſunt corpus & anima. Externa enim vt non ſunt propriè noſtra, ita nec in nobis verè ſunt. Tum nec eiuſmodi ſunt, quæ Deo per nos rectè dari poſſunt. Non quia iam ante in Dei poteſtate ſunt, & per nos (quantumuis velimus) ſæpe dari non poſſunt, ſed quòd digna Deo munera non ſunt. Corpus autem & anima hominem conſtituunt: & quia cætera hominis cauſa à Deo data ſunt, homo autem propter Deum conditus eſt, rectè animam & corpus, vt quæ propriè hominis ſunt, & à Deo ſunt, Deo reddimus. Reddimus autem, quando anima iugi meditatione circa diuina occupatur, & quodammodo tota in Deum rapta transformatur

formatur, quando corpus à vitiorum sordibus emundatum, solius Dei ministeriis exercetur, & peccato liberum, Spiritus sancti factum est domicilium. Qua de re Paulus Corinthiis scribens: An nescitis, inquit, quoniam membra vestra templum sunt Spiritussancti, qui in vobis est, quem habetis à Deo, & non estis vestri. Empti enim estis precio magno, glorificate & portate Deum in corpore vestro. Deo ergo debetur, anima, corpus, hoc est totus homo, fides, spes, charitas, timor, obedientia, castitas. Et hæc ex parte hominis. Iam verò in Deo sunt æternitas, omnipotentia, scientia, bonitas, quæ omnia illi reddimus, quando ipsum verè æternum, omnipotentem, scientem, veracem, iustum, atque bonum esse & sentimus & confitemur. Et hoc in primis elaborandum est, vt Deo vbique suus constet honos, nec alia ratione Magistratus honoretur, quàm propter Deum. Hæc igitur Christi hoc in Euangelio voluntas, hoc filij Dei mandatum est, vt Cæsaris quæ sunt, Cæsari: & quæ sunt Dei, Deo reddamus, neutrum suo honore priuemus. Cessent ergo querelæ, nec disputemus cur Deus ita voluerit, sed magis promptè & ex animo pareamus. Sic fiet vt hic tranquillè, atque olim æternùm cum Christo viuamus, vbi Deus omnia in omnibus, cui sit imperium, honos, & dignitas omnis. Gratia Dei vobiscum. Amen. 1. Cor. 6

DOMINICA VIGESIMA QVINTA POST PENTECOSTEN, EVANG. MATT. IX.

HÆc illo loquente ad eos, ecce Princeps vnus accessit & adorabat eum, dicens: Domine filia mea modò defuncta est, sed veni, impone manum tuam super eam, & viuet. Et surgens Iesus sequebatur eum & discipuli eius. Et ecce mulier quæ sanguinis fluxum patiebatur duodecim annis, accessit retro, & tetigit fimbriam vestimenti eius. Dicebat

enim intra se: Si tetigerô vestimentum eius, salua ero. At Iesus conuersus & videns eam, dixit: Confide filia, fides tua te saluam fecit. Et salua facta est mulier ex illa hora. Et cùm venisset Iesus in domum principis, & vidisset tibicines & turbã tumultuantem, dicit illis: Recedite, non est enim mortua puella, sed dormit. Et deridebant eum. Et cùm eiecta esset turba, intrauit & tenuit manum eius, & dixit: Puella surge. Et surrexit puella. Et exiit fama hæc in vniuersam terram.

EADEM DOMINICA EPIstola, Coloss. I.

NON cessamus pro vobis orantes & postulantes, vt impleamini agnitione voluntatis eius in omni sapientia & intellectu spirituali: vt ambuletis dignè, Deo per omnia placentes, in omni opere bono fructificantes, & crescentes in scientia Dei, in omni virtute, confortati secundum potentiam claritatis eius, in omni patientia & longanimitate, cum gaudio gratias agentes Deo patri, qui dignos nos fecit in partem sortis sanctorum, in lumine, qui eripuit nos de potestate tenebrarum, & transtulit in regnum filij dilectionis suæ, in quo habemus redemptionem & remissionem peccatorum.

SERMO.



Vangelica hæc lectio nec obiter nec frigidè intuenti mihi veram Euangelij naturam refert. Cùm enim vna ferè hora, vnico in itinere duo homines solius Christi cùm omnipotentia, tum commiseratione sanati sunt, alter in via, alter in domo, ille languidus, hic etiam mortuus: non modò nostræ naturæ conditionem declarat, verumetiam naturæ huius domini Christi potentiam eximiam, & voluntatẽ paratam describit.

Quid miserabilius fœdiusúe in via hac muliere? Attamen Christus emundat. Quid desperatius in domo mortua virgine? sed Christus viuificat. Hic omnia in omnibus, diues in omnes. Verè igitur huius pedes tam bonum nuntium adferentis speciosi sunt. Benedictus qui venit in nomine Domini Rex Israël. *Isai.52* *Psal.117*

Nolite autem intra vosmet cogitare, hæc illis tantùm duobus obtigisse: nemo quasi ad nos nihil pertineat secum disputet. In hoc enim Euangelio est, quod ad nos quoque pertinet. Nobis enim isthæc historia seruit, & nostrã ad doctrinã hæc scripta sunt. Imò nostri causa facta sunt. Nempè vt Christum Iesum agnoscamus, in quo omnis & salus & spes nostra consistit, præter cuius nomen, non est aliud sub cælo in quo oporteat nos saluos fieri. Et hoc ipsum nomen quicunq; verè inuocauerit, saluus erit. Neque enim apud Dominum est discretio Iudæi & Græci: sed fides hic requiritur, sine qua nec saluti ad nos, nec nobis ad salutẽ transitus est. Fides ex auditu, auditus per verbũ Dei est. Ex auditu enim agnitio Christi est, ex agnitione fides; porrò ex fide fiducia, hinc verò inuocatio est. Loquitur ergo hic verbũ Dei, cùm beneficia Christi proponit, & requirit à nobis agnitionem & fidem, vt cũ fiducia ipsius misericordię accedamus, & inuocemus. Hæc summa est. Cùm enim fides confirmetur tribus præcipuè rebus, promissione diuina, acceptorum beneficiorum memoria & exemplis: maximè exempla fidem & faciunt & confirmant. Duplici autem ratione par illud hominum cõsiderandum est. Principio huius vitæ, & futuræ vitæ exemplum sunt, cum hæc in via sanatur, illa in domo à morte suscitatur. Deinde etiã vtrunque populum designant, Iudaicũ & Gentilem. Iudæorũ enim puella mortua est, Gentium mulier languida figuram habet. Non enim erat missus, nec venit Dominus nisi ad saluandas oues quæ perierunt domus Israël, & ecce in via gens languida saluatur. Postea verò archisynagogæ filia resuscitatur. Cum autem vtranq; hanc sanat, illam resuscitat Christus, se esse eum declarat, qui vitæ mortisq; habeat imperium, nec alteri cuiquam hanc communicare potentiam ac dignitatem. Quandoquidem Paulo teste, vt per vnum hominem mors, ita & per vnum hominem mortuorum resurrectio. Vnde & Psalmista Christum inducit sic loquentem; Propter gemitum & miseriam pauperum nunc exurgam; ponam in salutari, *Act.4* *Ioël 2* *Rom.10* *Matt.15* *1.Cor.15* *Psal.11*

Osee 13 fiducialiter agam. Et in Osea loquens Dominus: De manu, inquit, mortis liberabo populum meum, de morte redimam eum. Ero mors tua ô mors, morsus tuus ero inferne. Necdum quidem apparet, hanc vocem Dei in omnibus efficacem esse, cum iusti pariter atque iniusti morimur, & vita

Colos. 3 nostra cum Christo abscondita est in Deo. Cum autem Christus vita nostra apparuerit, tunc & nos cum ipso apparebimus in gloria, quia mortale hoc induet immortalitatem, &

1. Cor. 15 fiet sermo qui scriptus est: Vbi est mors victoria tua? vbi mors stimulus tuus? In resurrectione ergo victoria mortis perimetur, in hac vita stimulus mortis obtunditur. Et hæc in Christo certò nobis & speranda & expectanda sunt, vt nempe hic per ipsum mortis stimulum obtundamus, id est, peccatum euitemus, vt olim per eundem mortis eludamus victoriam, cum resuscitati viuemus iterum non moriturí.

Hæc infideles nihili æstimant, quia nec Christum norūt, nec quanta sint dona eius intelligunt. Circa corporalia tantùm occupantur, & huius morbis mederi student, animæ languorem eo periculosiorem morbis corporis, quò corpore præstantior anima est, non sentiunt, cautibus duriores, nec conscientiæ angore morderi volunt: imò lætantur cùm malefecerint, & exultant in rebus pessimis. Propterea etiam nec liberari animæ malis petunt, quia salute eius non affi-ciuntur. Idque ad tempus ipsis conceditur, sed erit aliquan-

Isai. 65 do quum iidem præ dolore cordis clamabunt, & præ contritione spiritus vlulabunt, sed serius & frustra. Incredulis autem ij amplius quid viderunt, quibus pari ratione mentis atque corporis sanitas curæ fuit, vt qui propterea diuinum numen orandum esse censerunt, vt sit mens sana in corpore sano. Sed longè melius atque rectiùs sentiunt, qui solius mentis sanitati student, eiúsque languore afficiuntur: vtut circa corpus hoc agatur. Verè enim anima languet, cum peccato squalida, iræ Dei subiecta, mortis terrore atque conscientiæ mordenti angore. Cuiusmodi pri-

Gen. 3 mus homo sentiit, cùm ait: Audiui vocem tuam Domine, & timui. Cuiusmodi Cain, sed non ad sanitatem habuit, Ecce, inquit, eiicis me, & quicunque inuenerit Cain, oc-

Iob 6 cidet me. Cuiusmodi Dauid in se inuenit, cùm ait: Domine ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripias me, Quoniam non est sanitas in carne mea à facie iræ tuæ,

 non

non est pax ossibus meis à facie peccatorum meorum. Quoniam iniquitates meæ supergressæ sunt caput meum, & sicut onus graue grauatæ sunt super me. Cuiusmodi & Iob animaduertit, quando sagittas Domini in se esse, earùmque venenum spiritum suum ebibisse, conqueritur. Cuiusmodi denique & mulier illa in ciuitate peccatrix, cum cordis dolore, atque gemitu non voce, sed affectu ad Christi pedes, professa est. Neque est qui non aliquam propriæ animulæ debilitatem animaduertat, nemo tam iustus aut sanctus, qui non inueniat in se quod emendatione opus habeat. Omnium hæc communis conditio est huius viæ, propriè per mulieris huius passionem significata. Neque enim vlla ferè mulier est, quæ illo malo sit planè libera. Variè tamen diuersas pro cuiusque qualitate afficit. At in hac incurabile malum erat. Nam Luca teste omnem ea propter substantiam in medicos impenderat, nec ab vllo potuerat curari, imò afflicta multis modis mulier magis in deterius venerat, idque iam duodecim annos sustinuerat flagellum, eáque eius erat conditio, vt sibi fœda, omnibus fieret exosa & abominabilis. Nam & in lege eiuscemodi mulieres immundæ iudicabantur & ab hominum consortio arcebantur. Planè hæc peccati natura est, quod tales efficit omnes, qualem hic morbus fecit fœminam. Est enim peccatum nullis humanæ naturæ viribus curabile. Solus Deus pro sui nominis gloria miseretur, curat atque delet peccatum in homine, efficitque ex immundo purum, ex peccatore iustum. Tum vt morbus ille omnem sibi sumit substantiam, ita peccatum eneruat hominem & obscurat, vt nec ratio ipsa sibi sufficiat. Denique peccatum fœtere facit eum in quo est coram Deo & hominibus, aliósque diffluens inficit. Quemadmodum Paulus similitudine fermenti totam massam corrumpentis sumpta, claris verbis ostendit. Et quid tali homine desperatius? Quid miserabilius? Talis hæc erat mulier, tales omnes sine Christo sumus. Sed curata est mulier, curata & sanata, sanata & saluata est. Nos in via adhuc sumus, molestat nos circunstans peccatum, illo liberati ac purificari viuere cupimus. Ecce mulier, noui eam aliquando & longo tempore fœdam quomodo nunc sanata est, quomodo saluata? Quo vsa vnguento est, cui ipsam natura denegauit opem? Quo precio remunerauit impensam, quæ

Luce 7

Luce 8

Leuit. 19

erogauit omnia sua in medicos. Audi quid Euangelista dicat. Cum audisset de Iesu, venit in turba retro, & tetigit vestimentum eius. Dicebat enim intra se: Quia si vel fimbriam vestimenti eius tetigero, salua ero. Occasionem salutis fama de Christo dederat, venisse hominem Deo satum, potentem, facilem, beneficum, qui quoslibet quantumuis desperatos sanaret, qui hanc suæ potentiæ opem nulli deneget, qui missus à Deo, gratis nulla impensæ remuneratione, solo verbo sanans, omnibus optatam valetudinem restituat. Hæc de Christo fama erat, quæ tum demum ad eam perueniebat, quando multa à medicis perpessa fuerat, omnem substantiam insumpserat, iámque de salute propè desperauerat. Conuenientissimè verò id & in tempore: Si enim antea venisset hæc fama, quando adhuc sub medicorum cura erat mulier, aut non secuta fuisset famam, aut recuperatam valetudinis gratiam, non Christo, sed medicis retulisset. Solet autem sua dona illic libentius communicare Deus, vbi cessant & nihil possunt ratio atque natura, vt agnoscantur dona, & referatur gratia. Hinc in Sapientiæ libro scriptum
Sap. 16 est de Hebræis, quos nec herba, nec malagma, sed Domini sermo sanauerit. Et quis ille sermo? Ille de quo Ioannes scri-
*Ioan.*1 bens, fuisse eum in principio apud Deum, imò esse Deum, &
*Psal.*106 omnia per ipsum facta esse, confirmat. De quo & Dauid loquens: Misit inquit, Deus verbum suum, & sanauit eos, & de omnibus interitionibus eorum saluauit eos. Meritò igi-
Psal. 9 tur Propheta ipsum verbum alloquens: Tibi Domine, in-
Psal. 49 quit, derelictus est pauper, orphano tu eris adiutor. Ipse viduarum pater, ac pupillorum vindex. in Psalmis, vt se conueniat quisquis aduersis agitur monens, Inuoca me, inquit, in die tribulationis tuæ, eripiā te, & honorificabis me. Eruere vult nos, & vult honorificari à nobis. Quòd si tribulationem per naturæ aut rationis media discutiamus, minus sanè accendemur ad honorandum Deum, quàm si per ipsum immediatè sanati fuerimus, licet enim ab vno eodémque autore sit, siue mediatè, siue immediatè sanemur, tamen diuersitas operationis, differentiam parit honoris. In tempore igitur fama veniens, Christi virtutem reddidit magis conspicuam. Docemur autem hoc ipso non desperare in eiusmodi angustiis positi, magis verò accurrere vbicunque Christus prædicatur, & quæ de ipso prædicantur, quasi ad nos quoq; pertineant

neant, firma fide apprehendere, quòd neminem ad se venientem eiiciat foras, certissimò persuasum habere. Hæc occasio *Ioan. 6* sanitatis erat. Sed vide quid agat mulier, venit retro in turba, & tetigit vestimentum eius. Dicebat enim intra se, Si tantùm tetigero fimbriam vestimenti eius, salua ero. Audierat de Christo, & quòd non frustra audiuerit, respondit: magna enim hæc fides erat, solius fimbriæ attactu sanitatem sibi polliceri. Nos altius hæc perpendentes vestimentum Christi sacram Scripturam, in qua Christus absconditus est, interpretamur: fimbriam eius vestimenti, minutissima quæquæ scripturæ dicimus, quam ille tangere dicitur, qui minimas quoque testimoniorum Christi particulas obseruat, apprehendit, atque in iisdem inhæret. Sed & humanitatem Christi per vestimentum intelligimus, vt enim corpus humanum veste tegitur, ita Christus quatenus Deus est in humana carne latuit. Hanc tangit, qui diuinitatis Maiestate territus, incarnati verbi mysterium fide apprehendit: fimbria huius ipsa passio & mors est. Non modò quòd, vt in vestimento fimbria, ita in vita Christi mors ferè nouissimum est, sed magis quod vt hic fimbriæ attactu purgatio, ita morte Christi data est peccatorum emundatio, vt Ioannes ipse testificans, Sanguis eius, *1. Ioan. 1* inquit, mundat ab omni peccato. Et Paulus, In ipso, inquit, habemus remissionem peccatorum per sanguinem eius. Et: Sanguis Christi, qui per Spiritumsanctũ obtulit semetipsum *Ephe. 1* immaculatum, Deo immundabit conscientiam nostram ab *Hebr. 9* operibus mortuis, ad seruiendum Deo viuenti.

Vtranque fimbriam, hoc est, Scripturas sacræ atq; Christi humanitatem hæc sola mulier in tota illa turba tetigit, propterea interius exteriúsque mundata est. Nos verò nobis quidem videmur eandem bellè tangere cùm verbi Euangeliũ audimus, & corporis sanguinísque mysteria sumimus. Hinc nobis nihil non salutis pollicemur. Sed reuera non tangimus, sed vt turba hæc premimus Christũ, vita nostra Christi nominis gloria esse debuit, sed dehonestamento est & re- *Isa. 34* ligioni & nomini Christiano. Neque enim vt oportuit scripturæ intendimus, neque vt decet sacramenta percipimus. Atque hinc est, quòd multi inter nos sunt infirmi, & dormiunt multi, id quod Dominus conqueritur, dicens: Ecce *1. Cor. 11* verbum Domini factum est in opprobrium, idcirco furo- *Isai. 1* re Domini plenus sum, laboraui sustinens. Imò non Do- *Ier. 6*

minus modò, sed serui etiam Domini hoc ipsum testantur, quòd à multis non tangatur Dominus, sed comprimatur, cùm Prophetæ atque Apostoli magna vehemētia corripiunt eos, qui sub prætextu Christiani nominis impiem sequuntur vitam, ignominiáque deprimunt Christi gloriam. Hinc cunctis negantibus, Petrus & qui cum illo erant, respondit:

Luca 8 Præceptor, turbæ te comprimunt & affligunt, & tu dicis: Quis me tetigit? Id quod spiritualiter intelligas, perinde ac si dixisset: Innumeri, præceptor, tuam gloriam sub prætextu fidei obscurant, deprimunt, affligunt: & quid miraris vnam aliquàm inueniri, quæ hoc verè intus sentiat, quod præ se fert foris? Sanata ergo est mulier sola in omni hac turba, quia cunctis prementibus Christum, ipsa sola tetigit, hoc est, verè & viuaciter credidit. Sed neque nuda, neque sola hæc ipsius fides fuit, ornata enim fuit humilitate, comitata confessione. Humilitatem enim duplici modo ostendit, cùm quod retro accessit, tum quod videns quia latere non posset, & tremens venit, & ante pedes Iesus procidit, indignam se, quæ tanta fœditate in conspectum prodiret Saluatoris, iudicauit. Sed & mundata iam quantumuis egregia fide imbuta, non nisi tremens ac pauens in conspectum adacta, ad pedes procidit. Inuenias quidem qui in conspectum non sine præsumptione prodeant, hoc est, qui dignos se diuinis donis pro meritis reputent, qualis erat Pharisæus

Luca 18 ille, qui in templo stans sua benefacta enumerat. Euentus autem vtriusque diuersitatem, declarat, cùm hic nullo suo commodo ista quantumuis vera recenset, illa verò ex humilitate sanitatem retulit. Quo & nos rursum do-

Gene. 32 cemur humiliter de nobis sentire, & cum Iacob, quòd minores simus cunctis miserationibus Dei & veritate quam

Psal. 61 implet in nobis confiteri: & cum Dauid, Deo subiecta anima, in conspectu eius orationem nostram effundere, & tribulationem nostram ante ipsum pronuntiare.

Hoc Deo gratum nobísque conuenientissimum. Confessio verò mulieris fidem comitata duplex est. Etenim immundam se fuisse, & à Christo sanitatem consecutam

Luca 8 esse, coram omni populo confessa est. Id quod Marcus

Marc. 5 in vnum colligens, Omnem (inquit) veritatem mulier dixit ei. Sola hæc atque vera veritas est, nos accusare, & Christo omnem salutem nostram tribuere. Non autem

cuiusc

cuiuscunque est veritatem profiteri, sed eius, qui à veritate sanatur, sicut hæc mulier. Videmus ergo veritatem in hac muliere; hoc est, fidem egregiam, humilitatem summam, confessionem puram. Et hanc multiplicem veritatem mulieris, æterna Dei veritas Christus non immeritò desiderata salute remunerat: Filia, inquit, fides tua te saluauit vade in pace. Iucundissimum sanè hoc spectaculum est, ex quo Christus virtutis suæ testimonium, & mulier sanitatem fidei suæ dignum reportauit præmium. Diximus autem initio sermonis huius, mulierem hanc duplici ratione considerandam esse. Primò quæ huius vitæ habeat figuram, deinde quæ populi credentis ex gentibus habeat imaginem. Vtraque consideratio periucunda est: dum enim in hac via sumus, immundi sumus. Et quid Christiano homini lætius obtingeret, quàm scire non modò quòd per Christum certa nobis maneat sordium nostrarum emundatio, verumetiam qua ratione ipsa emundatio consequi possit ac debeat. Atque vna hæc mulier omnia ista suò docet exemplo. Sic cum Gentium habet imaginem, nónne nos & officij nostri commonefacit, & mêtes nostras ad gratias agendas Deo incendit? Quorum illud eo consistit, vt faciamus vocationem nostram: hoc verò, vt memoremus quanta sit gratia, excisis Iudæis, nos esse insertos, repudiato populo Dei, ad veritatis agnitionem peruenisse gentes. Illi enim populo ex promisso debebatur salus, & illi etiam venerat Christus. Vnde & hic scriptum est, posteaquam Iairi Synagogæ principis oratione pro filiæ salute interpellatus esset, surrexisse dominum cum discipulis suis, atque sequutū fuisse eum. Vt intelligamus, quòd hæc mulier sanata est, esse ex accidente, quantum ad nos, nec ideo illuc venisse Christum. Sequebatur Iairum, & ipsum quidem orantem. Præmisit enim Euangelista quòd accesserit ille adorans, & dicens: Domine, filia mea modò defuncta est. sed veni, impone manum tuam super eam, & viuet. Hæc (inquam) petitio præcesserat. Quòd si iam hoc etiam miraculum considerare placet: vt mulier huius vitæ, ita puellæ excitatio futuræ imaginem resurrectionis habet, & totū quod hic pater agit, Iudæis inueniemus conuenire. Orat pater, & in oratione sua tria præcipuè, humilitatem quā & in muliere prædicauimus, desideriū & fidem cōplectitur. Et quid Iudæorum prophetæ præterea fecerunt, quàm hic præstitit. Nónne & ipsi pro populo Matt. 9

Iudaico orauerunt, ficuti hic pro filia? Nónne & humilitatem, & defiderium & fidem fuam egregiè tot fcriptis declararunt? Sanè quòd Iairus adorauit Dominum, abundè & apertè fatis neceffitatem, periculum & infufficientiam fuam profeffus eft, cui refarciendæ nemo nifi Chriftus fufficeret. Idem prophetarum fupplicationes multæ & variæ
Eccle.35 volunt. Et commodiffima hæc confequendæ vitæ via eft.
Isai. 66 Oratio enim humiliantis fe nubes penetrat, & Domini Spiritus non nifi fuper pauperem fpiritu & contritum corde requiefcit. Sic quòd hic tam multa dicit, vt quum filiam vocat, & fuam, & hanc mortuam, & modò mortuam. Vt ergo & ipfe veniat, & manum fuper demortuum imponere non horreat, certò victuram eam ingens defiderium oftendit. Ita enim precari, verè eft orare, hoc
Exod. 14 eft, mentem in Deum eleuare. Id quod duo maximè efficiunt, propriæ miferiæ confideratio, & Dei miferationis contemplatio. Et hoc ipfum Iudæorum prophetæ præftiterunt. Clamauit Mofes non lingua, fed mente, non aliud optans quàm vitam huius filiæ, hoc eft, Sy-
Psal. 118 nagogæ. Et Dauid hoc egit, cùm diceret: Clamaui in toto corde, exaudi me Domine. Tertiò & fidem fuam declarans, cùm certò victuram filiam fibi perfuadet ex manu impofitione, Prophetarum imaginem reddit. Nam & hi fis de excellenti præditi fuerunt, id quod in omnibus ipforum oraculis videre eft. Sed quantumuis humilitas fuerit fumma, ardens defiderium, fides excellens: non tamen quod petit reportat, nifi primùm fanata muliere. Sic licet Deus promiffis ftet, & iam tunc prophetarum humilitatem, defiderium, fidémque afpexerit, velitque faluare, & à morte liberare: tempus tamen definitum expectandum erat, vt qui in gentibus fanandi erant, prius fubintrarent, deinde verò reliquiæ Ifraël faluabuntur. Vehementer autem fides Iairi huius exercetur, & defeciffet, nifi Domini confolatio conferuaffet eum. Eft enim pulcherrimum fidei & rationis certamen. A domo fua abiens filiam reliquerat decumbentem pater: fpes erat per Domini manum poffe fanari: imò vt hoc fperaret, Chriftus effecit, quum mox audita prece, furgés fequebatur eum. Sed vide quàm multa fiat quæ hanc fpem infringere conantur. Mora fit dum mulier fanatur, & fi quæ fpes fuerat vitæ, mora tamen hanc eludit. Deinde cum iam mulier fanata effet
&

& appropinquaret domui suæ, ecce serui eius veniũt, ac mortem filiæ nunciantes, desisteret precari, ne vexaret magistrum iubent. Et quæ hic spes superesse potuit, quæ fides aut non caderet, aut non languesceret? Totum quod in filia reliquum vitæ erat, perierat: & certè cùm vita perire potuit & fides. Sed quid Christus? Noli, inquit, timere, crede tantum, & salua erit. Ratio de morte loquitur: fides vitam ostendit. *Luc.8.*
Inter vtramque mens versatur dubia. Simile quid in Ioanne Christus ad Martham loquitur: Qui credit in me, etiam si mortuus fuerit, viuet: & omnis qui viuit & credit in me, non morietur in æternum. quasi dicat: Pugnat cum fide tua ratio, sed noli à fide desistere. Non enim ad salutem filiæ facit, mortuáne sit, an viuat, sed fides tua. Sic Dominus suorum fidem probare solet: probauit Israëlem: crediderat enim Deo, & per signa quæ in Moyse fiebant, propitium se habere Deum iudicabant, omniáque sibi læta & fœlicia pollicebantur. Sed postea quàm ad mare rubrum venissent, intérque illud atque insequentes Aegyptios medij premerentur angustiis, timere, desperare, deinde etiam fame pressi relictas post se carnium ollas appetere incipiebant. Probauit & Iob prophetam, & eo vehementius quo ille perstabat fortius: Primò non vnius, sed multorum nunciis eum rerum suarum statum audiebat, qui solet esse à Deo derelictis. Deinde & amici atque propinqui multis ad fallendum compositis argumentis à fidei tramite seducere iustum laborãt, Postremò ipsa etiam coniunx insultabat, sed perstabat ille, & veluti Marpesia cautes nullis neque dictis neque malis mouebatur: Scio (inquit) 19 quòd redemptor meus viuit, & in nouissimo die de terra resurrecturus sum, & in carne mea videbo Deum saluatorem meum, quem visurus sum ego ipse, & oculi mei conspecturi sunt. Et paulò antè: Si, inquit, occiderit me (Deus) in ipso sperabo. Nos quoque probamur, quoties- 13 cunque à Domino corripimur. Sed longè alia atque diuersa in nobis fidei ratio est. Credimus dum bene nobiscum agitur, & omnia ex animi sententia succedunt. At leui aliqua inuadente pruina, fidei nostræ seges exuritur, languescit, decidit, inque nihilum redigitur. Verùm tamen multa sunt & egregia exempla quæ hanc inconstantiam tollere fidéque firmare poterant. Israël probatus quantumuis timeret atque deficeret, Deus tamen propter promissionem

(Margin notes: *Ioan.12.* beside "Christus ad Martham"; *Exod.14* beside "lud atque insequentes"; *Iob 1.* beside "phetam".)

suam diuiso mari ipsos sicco pede perduxit, faméque labo-
Exod. 16 rantes cœlesti pane atque volucribus pauit, aqua de petra
fluente potauit. Sic Iob posteaquam constantiæ reliquisset
Iob 17 exemplum, omnibus denuò ditatus bonis redditáque sunt
pro amissis duplicia. Nec potest tanta fiducia Dei beneficiis
destitui. Quomodo enim qui iustus est Dominus in se confi-
dentes abiiceret, quomodo non misereretur suorum, & à
3. *Reg.* 17 se solo tanquam ab beata anchora pendentium? Antequam
Elias fame periret, ipsi etiam corui panem quo viueret sub-
ministrare cogebantur, vt ne Israël in medio etiam deserto
pereat, cœlestibus alimoniis reficitur. Nempe fidei hoc est
præmium, quæ omnia etiam possibilia facit, cui & ipsi mon-
tes cedunt atque obediunt. Nemo ergo de Christi potentia
dubitet, nemo à fide in ipsum deficiat, salua fide, salua est &
ipsa vita, etiamsi morte commutanda sit vita. Fuerunt olim
suntque (prô pudor) etiamnum: quibus de futura resurre-
ctione testimonia fabulæ videntur aniles. Hi cogitent se-
cum, & excitatæ huius puellæ exemplo discant eum qui
suam virtutem demonstrauit in paucis, potentem esse, ean-
dem exhibere & ostendere in omnibus. Neque enim auto-
ri naturæ minus subiectum est totum quàm pars. Tum tem-
pus expectent à Deo definitum, quod ne ipsis quidem ange-
lis manifestum est, atque intelligant non posse omnes re-
suscitari, nisi priùs mortiantur omnes. Sed videamus mo-
dum quomodo puellam excitauerit. Cùm venisset in do-
mum Principis, vidissétque tibicines, & flentes & eiulantes,
& turbam tumultuantem, dicebat: Recedite, quid tumultua-
mini? Non est enim mortua puella, sed dormit. Verè non
erat mortua, ad quam veniebat vita. Mortua, erat homini-
bus. Voluit autem per hoc quod tibicines eiicit, dicere: Non
nimiò fletui esse indulgendum propter dormientes: cur enim
flemus defunctum quasi mortuum: quum viuat, suóque tem-
pore ad vitam sit reuersurus? Mundo hoc est proprium, qui
emortuo corpore, totum hominem interiisse opinatur. Sed
nobis mors ianua vitæ est. Propterea rectè Paulus monet,
Thes. 4 ne contristemur, sicut cæteri, qui spem non habent. Et scri-
ptura defunctos non planè mortuos, sed dormientes vocat,
vti hic Christus, vera enim mors est, à qua ad vitam non est
transitus, qualis est mors incredulitatis, quæ verè mortuos
facit, ac propterea pessima mors dicitur. Ita mortui, etiam

si vi

si viuant, deflendi sunt, sicut Paulus ipse incredulos defleuit Iudæos. Christianus deflendus non est, siue viuat, siue mortuus sit. Siue enim viuimus, siue morimur, Domini sumus. Hinc in Ecclesia nullæ lamentationes apud demortuos sonant, sed consolationes quæ fidem futuræ resurrectionis scripturæ autoritate corroborant, vt ex Iob: Scio quòd redemptor meus viuit. Et ex Dauid, Conuertere animam meam in requiem tuam, quia Dominus benefecit tibi. Quomodo autem fletus ille super demortuos docebit credentes, quum in infidelibus inuenti sint, qui decessum suorum æquo animo tulerunt? Et illis de resurrectione nulla spes, nobis verò de ea certa expectatio est. *Rom. 9* *Rom. 4* *Iob. 19* *Psal. 114*

Voluit deinde etiam docere, quòd fideli mors timenda non sit. Non est, inquit, mortua, sed dormit. Per Christum enim deuicta est mors. Id quod in Osea promisit, & in Euangelio in se credentibus præstitit. Hinc illa Pauli exultatio: Vbi, inquit, est mors victoria tua, vbi est mors stimulus tuus? Voluit propterea dehortari à nimio sumptu quo circa funera nonnulli gloriam hominum captant, qui nec defunctos quicquam iuuat, nec viuentibus aliquid prodest. *Osee. 13* *1. Cor. 15.*

Sed mundus hæc non intelligit, propterea ridet, quantumuis vera prædicet Christus suúmque sequitur institutum. Audit quidem verba prædicantis Christi, sed nec fidem confirmat, nec vitam emendat. Ideóque indignus iudicatur, qui propius tantæ virtuti accedat. Eiicitur ergo & ab arcanis secluditur Maiestatis. Quanquam & ideo eiectos dicere licebit, quòd hominum laudes non appetierit, nobis in hoc ipso linquens exemplum, ne quam vulgi in benefactis venemur gloriolam. Assumpsit autem patrem & matrem puellæ, & ex suis Petrum & Iacobum & Ioannem, dignos tantæ virtutis testes.

Cùm autem in tribus illis quos Christus sua manu à morte diuisim resuscitauit, hanc nimirum puellam in domo, viduæ filium vnicum ante portam, & Lazarum in monumento, mysterij nonnihil annotarunt sanctarum scripturarum interpretes; quælibet resuscitatio peccatoris à damnatione liberationis habet significationem: & per hanc puellam, peccatorem quidẽ, sed cuius peccata adhuc in absconditio lateant: per vnicum viduæ filium, peccatorem & quidẽ manifestum, per Lazarũ sepultũ, peccatorẽ lõga cõsuetudine inueteratum *Matt. 9* *Luc. 7.* *Ioan. 11*

atque

atque desperatum intelligamus. Hoc quoque Christus innuere hîc voluit, quòd eorum qui ex imbecillitate in aliquod facinus, sed occultum inciderint, delicta manifestanda non sint, verùm aut nullis aut paucissimis adhibitis testibus emendandum & sanandum esse, ne scilicet pusillanimes facti, nimióque pudore confusi, aut desperent, aut insolescant magis. Filium viduæ palàm & omnibus aspicientibus resuscitauit, quia mors eius iam nota erat. Et qui manifestè peccauerunt, publicè corrigendi sunt. At in iis qui longa consuetudine iam indurruerunt, perdifficilis est emendatio. Id quod Christus in Lazari excitatione ostendit, intenta enim voce clamat, Prodeat qui mortuus est. Postremò præcipit cibum apponi puellæ resuscitatæ, ideo, quo omnibus constet verè resurrexisse filiolam. Atque hæc iam de his duobus miraculis dicta sufficiant. Omnia autem eò faciunt, vt agnoscamus Christi virtutem, ipsíque nos totos committamus, in ipso certam omnium resurrectionem expectemus, & quod ad veritatis agnitionem peruenerimus, gratias agamus. Licet enim Iudæorum Sacerdotes taceant, Pharisæi blasphement, Scribæ rideant, mundus persequatur Christum, nostrum tamen est & agnoscere & prædicare gratiam, qua duo populi facti sunt vna gens, vnius moris in vna domo. In hac nos viuos & morte secunda liberos conseruet Christus Iesus, Amen.

DOMINICA VIGESIMASEXTA POST PENTECOST.

EVANG. IOAN. VI.

CVm subleuasset ergo oculos Iesus, & vidisset quia multitudo maxima venit ad eum, dicit ad Philippum, Vnde ememus panes vt manducent hi? Hoc autem dicebat, tentans eum, ipse enim sciebat, quid esset facturus. Respondit ei Philippus, Ducentorum denariorum panes non sufficiunt eis, vt vnusquisque modicum quid accipiat. Dicit ei vnus ex discipulis eius, Andreas frater Simonis Petri,

Eſt puer vnus hic qui habet quinque panes hordeaceos & duos piſces, ſed hæc quid ſunt inter tantos? Dicit ergo Ieſus, Facite homines diſcumbere. Erat autem fœnum multum in loco. Diſcubuerunt ergo viri, numero quaſi quinque millia. Accepit ergo Ieſus panes, & cùm gratias egiſſet, diſtribuit diſcumbentibus, ſimiliter & ex piſcibus quantum volebant. Vt autem impleti ſunt, dixit diſcipulis ſuis, Colligite quæ ſuperauerunt fragmenta, ne pereant. Collegerunt ergo & impleuerunt duodecim cophinos fragmentorum ex quinque panibus hordeaceis, quæ ſuperfuerunt his qui manducauerant. Illi ergo homines cùm vidiſſent, quòd Ieſus faceret ſignum, dicebant, Quia hic eſt verè Propheta, qui venturus eſt in mundum.

EADEM DOMINICA.

EPISTOLAE LOCO LECTIO IEREMIAE XXIII.

Ecce dies veniunt, dicit Dominus, & ſuſcitabo Dauid germen iuſtum, & regnabit Rex, & ſapiens erit, & faciet iudicium & iuſtitiam in terra. In diebus illis ſaluabitur Iuda, & Iſraël habitabit confidenter. Et hoc eſt nomen, quod vocabunt eum, Dominus iuſtus noſter. Propter hoc ecce dies veniunt, dicit Dominus, & non dicent vltrà, viuit Dominus, qui eduxit filios Iſraël de terra Aegypti, Sed, viuit Dominus, qui eduxit & adduxit ſemen domus Iſraël de terra Aquilonis, & de cunctis terris, ad quas eieceram eos illuc, & habitabunt in terra ſua.

SERM

SERMO.



ANnum quem Ecclesia neque Solares, neq; Lunares reuolutiones respiciens, cum ex Oriente Sole suo Christo Iesu incipit, in duo diuisit antiquitas, vt sit altera pars eius tempus redemptionis, altera peregrinationis. Et illud quidem à prima aduentus dominica ad S. S. Triadis festum, hoc verò inde ad hanc præsentem dominicam diem cum sequenti sua hebdomada deducitur. Pulchrè igitur & necessariò, quando postremam anni dominicam diem hodie celebramus, veluti epilogo & sub grata quadam breuitate populus hic admonebitur, cùm quid hactenus toto anno didicerit in memoriam reuocare; tùm quid transacta ferè omnium peregrinatione atque seculi consumatione appropinquante, Christus facturus sit, quæque nos maneat felicitas cogitare. Duo autem potissimum Christiana doctrina compræhendit, fidem nimirùm atque iustitiam. Quæcunq; enim vsquam in sacris Bibliis conscripta sunt, ad hæc duo referri possunt, vt & firma sit de Deo fides, & vita ab impietate libera ad diuinitatem accedat quàm proximè. Rectè igitur hæc duo veluti epilogum eorum quæ hactenus audiuimus, hodie superaddimus. Verùm inter ea quæ Christus consumatione seculi appropinquante facturus est, non infimum locum habet Iudæorum conuersio. Nam & de hac prophetica atque apostolica scripta clarè testantur. Nobis verò qui Christi hic vestigia sequimur, quique illius promissis credimus, quàm sperari possit abundantior in cælesti illa fruitione saturitas manet. Quæ omnia huic postremæ dominicæ diei apprimè conueniunt, vt ea quæ præterierunt & quæ sequuntur vigilantibus animis atque sedulò meditemur. Sed vbi horum melior aut expeditior sumeretur occasio, quàm ex hoc Euangelio? Sanè quia miraculum hoc Christi fidem confirmat, populi in sequendo Christo prompta voluntas vitam instruit, panum quinque fractio Iudæorum conuersionem, populique impletio futuram beatitatem figurant, ideo prudentissimè huic diei talis Euangelica lectio attributa est. Erunt fortè quibus hæc lectio nauseam pepererit & tædium, bis enim quolibet anno legitur, & vt rara cara solent esse, ita quotidiana vilescunt. Verùm quemadmodum boni patres filiis suis non semper quæ volunt, sed quæ magis conducunt, porrigũt,

ita etiam ecclesia hoc studet, vt filios habeat non curiosos, sed bonos. Pij verò non hoc quòd bis legitur offenduntur, sed multò magis ad diligentiorem eius indagationem accedunt, rectè arbitrantes inesse illi, cur meritò bis atque iterum populis proponatur. Quid ni? Vniuersæ enim scripturæ sacræ hæc natura est, vt quo sæpius legas, eo magis quo nouo modo delecteris, inuenias. Sapientia siquidem Dei est ad salutem omni credenti. Et ipsa quidem clamat, dicens, Qui edunt me, *Eccle. 24* adhuc esurient, qui bibunt me, adhuc sitient. Qui audit me, non confundetur, & qui operantur in me, non peccabunt, & qui elucidant me, vitam æternam habebūt. Beatus homo qui me audit, & qui inuenerit me, inueniet vitam æternā, & hauriet salutem à Domino. Ipsam ergo huius Euangelij lectionem diligenter expendamus, & inueniemus nec imprudēter, nec fortuitu huic diei coniunctam esse antiquitus, quæ per omnia meditationi huic vltimæ dominicæ diei dignè seruit, & vt quàm diligenter isthæc cogitemus, per occasionem monet. Ab initio quidem doctrinam Christianam quæ per totū annum in ecclesiis sonat, duo potissimùm complecti dicimus, fidem & iustitiæ constantiam. Fidei autem doctrina duo in Christo respicit, diuinitatem atq; humanitatē, & quòd vtraq; natura in ipso ad salutem sit nobis, quos homo Christus in se *Heb. 9* suscipit, & Deus defensat ac protegit. Quòd ipse mediator verus, quod propitiatio pro peccatis nostris atque totius mundi sit. Nulla enim vtilitas est credere tantum quòd ipse sit verus Deus & homo, sed scire, quòd noster Deus est, ac nostram propter salutem è cælis, vbi ab æterno in sinu patris Dei viui est, descendit nostri causa, miracula edidit, atq; ærumnas perpessus est. Hoc spem erigit, atq; mentes solatur eorum, in quibus inest vera fides. Necesse est cum vt firma sit & indubitata fides, qua cum Deo agimus, ita vt nec Iudæorum blasphemiis à fide, nec Turcarum fortunis à iustitia, nec hæreticorum insanis contentionibus vllo modo moueamur à constantia. Nam his tribus potissimùm machinis Satan ad fidei euersionem & impediendam salutem nostram vtitur, eóq; magis elaborandum est nobis, vt in medio vndequaque muniti & validi persistamus, ac veluti lumen supra candelabrum positum omnibus qui in domo sunt luceamus. Exordium autem fidei à Deo *Ioan. 5* miserante est per verbum, vt Paulus ad Romanos testatus est, augmentum eius etiam ex miraculis sumitur. Sicut enim in eum

eum finem destinata, vt de Christi deitate dent testimonium, ipso dicente, quod fecerit opera, quæ nemo alius fecit, eáq; testimonium de se perhibere, quòd à patre sit missus. Firma hæc sunt testimonia, nec possunt fallere. Cùm enim supra naturã sunt, & à nullo prætereà fieri possunt, palàm ostendunt eum, per quem fiunt supra naturam esse & dominum. Tale hoc est, cuius hæc lectio meminit. Quinq; erant hominum millia in deserto, fame laborabant omnes, erant tot panes hordeacei quot hominum millia, duóque pisces in omnes distribuendi.

Ioan.6 Et quid hæc inter tantos? exclamat Apostolus. Quid si & fragmentorum duodecim cophini exiguam illam annonam numero atque mensura superauerint? Collegerunt, inquit Euangelista, & impleuerunt duodecim cophinos fragmentorum. Vnde? Ex quinq; panibus hordeaceis & duobus piscibus, quæ superfuerunt iis qui manducauerant. Apertum hoc erat atq; euidens miraculum, ipsius etiam quantumlibet rudis populi acclamatione extra naturam positum signum indicatur, Vnde mox tale quid in natura non inuenientes, ipsum, qui fecit, verè Prophetam eum edicunt, qui expectabatur in mundum.

Ecce qualis fides vnicum hoc miraculum sequuta est. Nobis plura sunt signa & præstantiora ad confirmandam fidem nostram, quàm illis ad credendum. Quæcunque enim ad nostram doctrinam scripta sunt de Iesu Deo, velut coram hodie fierent fidei oculis aspicimus, & Euangelistis attestantibus, vnico verbo diuina virtute eum nunc cæcis visum reddere, nunc surdis auditum, mutisq; linguam restituere, nunc leprosos mundare, nunc mortuos excitare, nunc dæmonibus liberare, deniq; etiam ventis atque mari cum potentia ad effe-

Mat.10 ctum imperitare cognoscimus. Et quod maius est, eandem A-

Mat.14 postolis suis, imò credentibus omnibus suę ex abundantia potentiæ communicat. Quæ omnia nemo præter solum Deum potest. Proptereà non modò quid Iudæus, Græcus, aut hæreticus contra Christum obganniant, respuendum, verùm etiam ac multo magis quòd Christus verè sit Deus, non qualis stulta cõfinxit gentilitas, sed qualis mundo necessarius ab omnibus iuxta prophetarũ oracula promissus in expectatione erat, dum hęc ipsa faceret, credendũ est. Eundem enim venisse nos cõfiteamur necesse est, qui tunc venturus credebatur, qualémq; hæc turba cõfessa est, qualem prophetarũ vaticinia depingũt, & vniuersalis Ecclesia per totum mundum persusa agnoscit.

Hæc inquam de Christo credere atque confiteri, omnes necesse est. Propterea ne quis ignorantiam suam alicundè quæsito prætextu excuset, quasi minus sufficiens sit isthæc populi de Christo confesſio: Hic est verè Propheta, qui venturus est in mundum, ecce tibi eorum fidem, qui in veteri testaméto Christum & agnouerunt ipsi, & annunciauerunt aliis, compendio per Ieremiam & hodie Epistolæ loco præter morem, in Ecclesia lectam. Ecce dies veniũt, dicit dominus, & suscitabo Dauid germen iustum, & regnabit Rex, & sapiens erit, & faciet iudicium & iustitiam in terra: & quæ sequuntur. Hæc, inquam, epistolæ loco hodie legitur lectio ex propheta. Raró autem prophetiæ Epistolarum locum subeũt dominicis diebus. Sed vt hodie ita fieret, nobis erat vtilisſimum. Licebit enim ex vnica illa Ieremiæ prophetia, quicquid de Christo nondum incarnato prædicauerint homines Dei, addiscere. Et si populi huius acclamationem prophetarum prædicationi coniunxerimus, nihil eorum quæ de Christo secundum fidei regulam vel prædicari vel credi necessariò debent, desiderabimus. Principiò enim fides habet, Christum à Deo missum hominẽ quidem, sed sine peccato factum esse. Hoc Ieremias refert, vbi quod Deus suscitaturus sit Dauid germen iustum conscribit. Quod enim germen Dauid dicit, declarat hominem: quod iustum, sine peccato respondit. Deinde & hoc fides docet, Christum regẽ esse, cui Deus omnia in manus dederit quæcunque in cælo atque in terris sunt, ipsúmque esse qui credentium populos sapienter ducat, & potẽter liberet. Ipsum, inquit vox patris, audite. Idipsum Ieremias referens, regnabit Rex (inquit) & sapiens erit. Tertia fidei regula est, Christum perfectam salutem conferre, plenámque securitatem. Ipse enim testatur venisse se vt vitam, eámque abundantiorem habeamus, & vt confidamus monet, quòd ipse vicerit mundum, & nos in se pacem sumus habituri. Id Ieremias prædicans, Iuda, inquit, saluabitur, & Israël habitabit confidenter. Quartò fidei norma, Christum iustitiam nostram confitemur, qui sua gratia à peccatis liberatis nobis merita sua iustitiámque impertiatur. Id Ieremias futurum indicans, Hoc est, inquit, nomen quo vocabunt eum, dominus iustus noster. Quintò & hoc fidei est, Christum secundò aduenturum suósque electos à quatuor ventis & ex omnibus mundi partibus segregaturum esse. Id quod Ieremias præcinit, cum ait: Viuit dominus qui eduxit & adducit semen domus Israel

Iere.23. *Matt.28* *Matt.17.* *Ioan.10.* *Ioan.16.* *1.Cor.1.*

Iere. 29. de cunctis terris. Et alibi idem in persona Dei ad populum fidelem loquens: Reducam, inquit, captiuitatem vestram, & congregabo vos de vniuersis gentibus & de cunctis locis, ad quæ expuli vos, dicit dominus. Iuxta literam quidem propheta Iudæos captiuos consolatur, qui in Babylonem per Nabuchodonosor exercitum abducti fuerant: sed mysterium futuri liberatoris Christi iisdem sub verbis absconditur. Hæc passim prophetæ de Christo Deo prædicauerũt, sed de futuro loquuntur omnes, verùm populus in hoc Euangelio præsentem adesse clamat. Hominem enim Christum esse videbant & intelligebant omnes, vt qui manducaret, & biberet, loqueretur, dormiret, fatigaretur ac fleret. Deum verò ex signo passionis credebant, suffragantibus prophetarũ oraculis, quæ vel ipsi ante legerãt, vel in templis audierant, confidenter confitebantur. Quod si etiam nos vtranque hanc in Christo naturam confessi fuerimus hodie, profectò totius anni præteriti nec tẽpus vanè consumpsimus, nec inutiliter sacras conciones audiuimus: exultabimus autem de bene transacto tempore, & proficere porrò studebimus. Iam verò posito fidei fundamento, vt quod primum in homine consideratur, quid porrò Christiana doctrina complectatur, peruestigãdum est. Et sanè vt fidei, ita etiam vitæ exemplum in ista turba nobis accõmodamus. Illa enim per auditum verbi siue per miracula, siue etiam humanitatem Christi omnibus obuiam, ad agnitionem eius peruenerunt, ab agnitione in admirationem, ab admiratione ad sequelã transcenderunt. Pulcherrimus hic ordo rei. Nam vt Christum fide atque vita sequamur, ideo prædicatur nobis, miracula fiunt, humanitásque omnibus exposita est, ideo etiam agnoscimus atque admiramur ipsum & opera ipsius: vt, inquam, Christum imitemur: ideo toto anno hortantibus, increpãtibus, prædicantibúsque pastoribus desudatum est, hic prophetarum, Christi, Apostolorum, aliorúmque piorum omnium scopus in docendo est. Audiuit hic populus Christum. Sed nũquid primum in

Deut. 6. lege est, quod Moses monet, dicẽs: Audi Israël, Dominus Deus noster, vnus Deus est. An non & Paulus fidem ex auditu esse testatus est. Hæc vterque egit, vt diligentissimè saluificum verbum audiamus. Vidit populus miracula Christi. An nõ Dauid vult, vt cognoscamus opera Dei? Venite, inquit, & videte opera Domini, qui posuit prodigia super terram. Sequutus est Dominum populus. An non Christi hoc mandatum est, omnes vt

Psal. 45.

idem

idē faciamus? Qui mihi ministrat, inquit, me sequatur, & vbi *Ioan.12.*
ego sum, illic & minister meus sit. Et iterum: Qui vult venire
post me, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequa-
tur me. Et: Qui perseuerauerit in finem, hic saluus erit. Et: Ne- *Matt.24*
mo mittens manum ad aratrum, & respiciens retro aptus est *Luc 9.*
regno Dei. Videte ergo per quos gradus scriptura nos ad Chri
sti imitationē ducat. Nemo sequetur nisi magnifecerit & ad-
miratus fuerit ipsum. Et quis magnificabit, quem non agno-
scit? Quomodo agnoscet, de quo non audiuit? Primum igitur
omnium est, audire. An non maximè omnium Moses suos mo
nuit vt audirent? Audi, inquit, Israel, Dominus Deus noster,
Deus vnus est. An non & Paulus fidem ex auditu esse testatus
est? Agnitio quidem Christi & fides nonnunquam etiam ex mi
raculis causam habere possunt, quemadmodū Dauid propter
fidem & agnitionem Dei miracula eius intueri iubet: Venite,
inquit, & videte opera Domini quæ posuit super terrā. Sed ple-
na & perfecta fides nudis miraculis non constat, verùm huma
nitate illa Christi omnibus tam exposita plus augmenti præ-
stat cùm ad agnitionem, tum verò ad admirationem & imita-
tionem. Vnde enim Dauidi constans illa, & ipsa admiranda po
tiùs quàm sequenda Dei agnitio atque fides, nisi ex ea qua sæpe *Psal.10.*
& exauditus & seruatus est humanitate atque clementia? In *Psal.26.*
Domino confido, inquit quomodo dicitis animæ meæ; Trans-
migra in montem sicut passer. Et: Dominus adiutor meus, non
timebo quid faciat mihi homo; imò despiciam inimicos meos
omnes. Sed verbi auditio fidem, agnitionem, admirationem,
atque sequendi amorem plenius præstat. In verbo enim Dei
omnium temporum ad omnes homines promissiones, dicta
factáque inueniuntur. In ipsis enim dicentem eum legimus,
quòd sit lux mundi, quòd resurrectio, via, veritas atque vita.
Hoc verbo mulier peccatrix ad Dominum conuersa est, latro
Christum in paradisum vsq; sequutus est. Hoc verbū Apostoli *Ioan.6.*
gustauerāt, cū an & ipsi abire velint quæreti Domino: quò ibi-
mus? respōdēt, Verba vitæ æternę habes. Atq; hinc licebit intel
ligere, non solùm quàm necessariū sit credētibus ad vitæ mo-
rūq; Christi imitationē verbū Dei audire, verū etiā vnde sit, q
tā pauci eum angusta sed tamē regia via sequamur, siue imitę-
mur. Angusta, inquā, & regia via. Sequūtur enim eum alioqui
multi, quorū vnusquisq; suā priuatā viā graditur, quemadmo-
dum etiā illo ipso tēpore quo homo in terris cum hominibus

conuersatus est,à multis quærebatur,& multi etiam sequebantur eum,singuli tamen priuatas tantum ob causas. Non enim verè vel quærunt vel sequuntur eum Pharisæi, non pseudo Euangelici, non pastores iniqui, non hæretici aut schismatici, quorum insequendo, alij gloriam humanam, alij libertatem carnalem, alij ipsum ventrem, alij denique vanæ scientiæ inflati & tumidi reputationem quandam gloriç quærunt. Qui
Matt. 7. tamen omnes quasi imitatores Christi volunt videri, sed Chri
Luc. 13. stus eos meliorum admonens, Intrate, inquit, per angustam
Psal. 83. portam, quoniam lata porta & spaciosa est, quæ ducit ad perdi
Psal. 78. tionem, & multi sunt qui intrant per eam. Illi verò sequun-
Matt. 7. tur, qui quod apud ipsum sit fons vitæ intelligentes, cum psalmista dicere possunt: Domine non recedimus à te, viuificabis nos, & nomen tuum inuocabimus. Sed quàm exiguus horum inuenitur numerus? Quàm angusta porta & arcta via est, quæ ducit ad vitam, & pauci sunt, qui inueniunt eam? Nempe hoc inde est, quòd Christum neque per verbum eius agnoscimus, neque ex miraculis admiramur vel suspicimus. Cum enim in verbo atque miraculis Dei, & videmus quæ rara sunt, audimus quæ iucunda sunt, iis attendentes, quomodo possemus in Christo non sperare omnia quæ bona sunt, ac propterea ipsum & quærere & sequi? Trahit enim & quodammodo in se rapit ex
Ephe. 3. verbo Dei atque signis deprõpta agnitio. Atque hinc est quod Paulus tantopere Ephesiis suis Christi scientiã & agnitionem precatur: Flecto, inquit, genua mea ad patrem domini nostri Iesu Christi, ex quo omnis paternitas in cælis & in terra nominatur, vt det vobis secundum diuitias gloriæ suę virtutem corrobarari per spiritum eius in interiori homine, Christum habitare per fidem in cordibus vestris, in charitate roborati, vt possitis comprehendere cũ omnibus sanctis, quæ sit latitudo, & longitudo, & sublimitas, & profundum, scire etiam supere-
Act. 28. minentem scientiæ charitatem Christi, vt adimpleamini in omnem plenitudinem Dei. Et ad Agrippam loquens, omnes in agnitione Christi sibi similes esse optat. Proinde hoc initium sequelæ Christi erit, vt vbicunque Euangelij vox vera sonat, illuc cupida mente accurramus, & ita attendamus, vt secundum Euangelici decreti regulam vita nostra instituatur, moresque corrigantur. Sic Euangelij verbum audientes, tandem aliquando ad veram & Christo dignam imitationẽ transcẽdamus, vereq;, quod prophetę Isaias, 2. 49. & 60. Zacharias 8.

& Dauid

& Dauid Psalmo 71.de Iudeorum sequela vaticinati sunt futurum esse,in nobis implebitur,& maioribus diuinæ pietatis remediis implebimur. Est quidem res isthæc ardua & difficultatem nonnullam habet.Sed qui Christum in verbo suo, cum obedientia audire præcepit, orandus est, vt excitet voluntates nostras,quo fructum diuini operis propensius exequamur.Atque hactenus de iis quæ per totius anni circulum è suggesto nobis proposita sunt,dixisse sufficiat,quorũ omnium hæc summa est,vt turbæ huius in confessione fidem, & in conuersione Christiq; imitatione,viam nos dignã,Deóq; gratã referamus, vtrunq; enim horum nostra complectitur doctrina,atq; ab iis qui huic religioni addicti sunt, vtrunq; exigit.. Nunc porrò quæ Christus in aliis quæq; in nobis aliquando facturus sit,tanquàm futura consideremus. Atq; hoc ipsum, quemadmodum superiora etiam ex Euangelica lectione sumemus,Nam si miraculum hoc non modò fidei confirmatio,sed & figura futuræ vitæ est, profectò ipse etiam miraculi apparatus futurorum significationem gerit.Quod ergo quinque panes accipit dominus,eósque fractos in omnem hanc multitudinem discipulorũ manibus distribuit,quid velit quídue significet videamus, Sanè scriptura sacra de Iudæorum ad Christum conuersione sub finẽ cõsummationis seculi futura,multa prædicat.Et quid per quinque hos panes significamus, quàm ipsos legis quinq; libros exprimimus?Sunt enim & ipsi verbum Domini, quod alioqui panis nomen in sacris Bibliis obtinet. Tum vtrobique etiam numerus conuenit,& quinque panes quinque legis voluminibus respondent.Ipse ergo Christus qui quinque panes ante resurrectionem generalem Iudæis franget & exponet.Integros enim & clausos nulla cum sua vtilitate nunc eos non ætate,sed scientia pueri circumferunt,imò portando desudant atque gemunt,non intelligentes sensum scripturæ illius, nec gustus dulcedinẽ percipiunt. Nobis enim nõ sibi commodãt, cum legis volumina ipsis non intellecta custodiunt, & ad nostros vsus porrigunt.Verùm vbi plenitudo gentium subintrauerit,tunc etiam reliquiæ domus Iacob saluabuntur. Franget enim dominus panes eorum,& sensum scripturæ verùm aperiet,vt eius nucleo degustato,nobiscum confiteantur, ꝙ Christus Iesus sit ille Propheta,qui venturus erat in mundum,Atq; de hac Iudæorum conuersione,cum multa testetur scriptura, apertissimè apostolus Paulus loquitur;Moses, inquit,ponebat

Roma.11. *Ioan.6.* *2.Cor.3.*

velamen super faciem suam, vt non intenderent filij Israël in faciem eius, quod euacuatur, sed obtusi sunt sensus eorum, vsque in hodiernum diem idipsum velamen in lectione veteris testamenti manet non reuelatum (quoniam in Christo euacuatur) sed vsque in hodiernum diem cum legitur Moses, velamen positum est super cor eorum. Cum autem conuersi fuerint ad Deum, auferetur velamen. Huc etiam referantur quæ idem Apostolus in ea quam ad Romanos scripsit Epistola, per integrum caput vndecimum disputat. Sed & Ieremias 23. & 29. cap. huius conuersionis meminit. Et quid multa? Ipse Dominus omnium clarissimè quando interrogantibus discipulis, quid Pharisæi de Elia venturo dicerent, respondit: Elias cum venerit, primò restituet omnia, id est, reliquum quod deprehenderit ex Israël ad cognitionem Dei reuocabit. Tunc fiet vnum ouile & vnus pastor.

Hil. in 17. ca. Mat.

Ecce quomodo etiam Iudæorum conuersio panum quinque fractione significata atque præfigurata est. Quam hodie considerare, cùm ad ineffabilem Dei veritatem etiam erga crucifixores suos paratam considerandam, tùm etiam ad certam faciendam nostram ipsorum vocationem, pertinet: eritque cur diuinæ pietati gratias agamus, quod vt auersionem ipsorum, ita etiam conuersionem, ad nostræ ordinauerit incrementum salutis. Si enim, Paulo teste, delictum eorum diuitiæ sunt mundi, & diminutio eorum diuitiæ gentium, quanto magis plenitudo eorum? Nimirum nos quibus per occasionem auersionis Iudaicæ salus obtigit, considerantes, quòd Iudæi quoque ad dominum communem omnibus sint aliquando redituri, ne nostrum delictum Iudæorum fiant diuitiæ, quemadmodum illorum delictum nostræ, diligentissime cauebimus. Vnde Iob de hac vicissitudine loquens: Conteret, inquit, dominus multos & innumerabiles, & stare faciet alios procis. Et Ioannes: Tene, inquit, quod habes, ne alter accipiat coronã tuam.

Roma. 11. *Iob 34.* *Apoc. 3.*

Iam verò illud quoque cogitandum est, quid peracta huius vitæ fabula, in nobis sit facturus, qui per omnem vitam illi adhæsimus, qui tantã clementia eos quos aliquando hostes habuit, suscipit. Duo huius Euangelij figura olim in nobis perfectiòre modo implenda prædicat. Primò enim fecit homines discumbere: deinde etiam discumbentes multiplicatis dapibus saturauit. In discunbendo requiem laborum, & ab omni malo securitatem libertatémque intelligimus. Quemadmodum

dum per ſpiritum in Apocalypſi de beatis mortuis dicitur, vt requieſcant à laboribus ſuis, quòd opera eorum ſequuntur eos. In ſaturitate, omnium bonorum tam ſpiritualium quàm corporalium conſideramus abundantiam. Quæ duo, ſcilicet malorum libertas, & bonorum abundantia perfectè beatum reddunt hominem. Quòd ſi iam ſingulatim hæc duo expendere voluerimus, quàm latus campus dicēdi, quàm longa meditandi via hic ſeſe aperit? Et ſi multum de vtroque dicere voluerimus, quis poterit, cum ne quidem animus cogitandis iis ſufficiat humanus? Quibus hic malis premitur? Quanta verò felicitas eſt iis omnibus liberatum eſſe? Quàm multa hic bona deſideramus? Imò quàm nihil hic boni inuenimus? Quanta ergo beatitudo omnium bonorum copia ad omnem vſum abundare, nihílque præterea poſſe appetere? Quàm læta vox illa Chriſti erit: Venite benedicti patris mei, percipite regnum? Quod gaudium illic, vbi ipſe faciet nos diſcumbere, ſeipſo (quia ipſum ſolum hic eſurimus) nos paſcet, implebitque facie ſua & gloria, ablatis figuris atque ænigmatibus huius viæ: ſed & tranſiens miniſtrabit nobis, exhibebit dabitque ea quæ nec ſperare auſi fuiſſemus, imò quæ nec oculus vidit, nec in cor hominis aſcenderunt, ipſe præparauit diligentibus ſe. Illic præter gratiam, quam hic accipimus, etiam gloriam conſequuturi ſumus, vbi in gaudium domini ingreſſi, ſuper omnia bona ſua conſtituet nos paterfamiliâs, erimúſque in ipſo omnia, ipſe verò in Deo.

Apoc. 14.

Mat. 25.

Pſal. 38.

Huius ergo hodie admonemur per hanc populi refectionem, vt quid ſperandum ſit, diſcamus. Eſt enim veluti guſtus quidam futuræ ſatietatis. Nam ſi tam beneficè in huius peregrinationis deſerto refecit, quid faciet in cælo? Et ſi tantum beneficium præſtitit iis, à quibus negatus & crucifixus poſtea eſt, quid non beneficentiæ exhibebit illis, qui ipſum hic conſtanti fide ſequuntur? Haud dubiè qui cælos aſcendens quaſi dorſum nobis præbuit, tandem ad nos conuerſus lætam faciem ſuam, in quā & angeli proſpicere exultant, exhibens, gratanter in æternā ſuam ſuſcipiet patriā, ſuſceptos tractabit abūdanter. Proinde licet multa per annum propoſita ſint, quæ & placeant & reficiant, hodie tamen propoſitum epulum cætera omnia vincit: vt etiam hinc colligamus, quicquid beneficij in hac vita à Chriſti manibus ſuſcipiamus, nulla comparatione ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis, poſſe conferri,

1. Cor. 9.

Hoc illud brabeum, propter quod hic in stadio currimus, & omnia facimus. In huius ergo consideratione præsentem annum cõcludamus, si fidem firmam custodiamus, & imitantes dominum per huius mundi desertum, non deficiamus: teneamus quod accepimus, ne alius accipiat promissam coronam. Digna est enim illa, quam expectamus, fœlicitas, isto nostro studio: imò non sunt condignæ omnes passiones huius temporis ad gloriam, quæ reuelabitur in nobis: perfectissimo enim modo beati sunt, qui habitant in domo Dei. Obediamus voci Dei, qui vt sequamur inuitat: & vt velimus, largiri vult: vt possimus, præstat, & præmiũ promittit. Semel tantùm Abraham vocabatur, vt sequeretur Dominum, & relicta paterna domo atque cognatis, sequutus est Dominum in terram, de qua non nouerat. Nos hoc toto anno ad sequendum inuitati sumus, & non ignota terra, sed certa & præparata à communi patre patria sequentibus præmium proponitur. Adhuc carnem sapiebant Apostoli, & mundanam cum Christo gloriolam appetebant, ac hoc solum nomine, non se discessuros à Christo confirmant.

Psal. 88. *Genes. 12.*

Non ergo faciamus, vt totius huius anni labor inuitantium nos pereat. Non ducamus diem de die, aut mensem ex mense, aut annum ex anno. Hodie si vocem Dei audieritis, nolite obdurare corda vestra: nolite, inquam, ad iram concitare Dominum. Respicite priora secula. Noë temporibus nemo audire, nemo sequi voluit. Prædicauit ille centum annos, sed nullo cum fructu, antiquum obtinere, quàm vocantem sequi, peccare, quàm commeritam pœnam effugere maluerunt. Sed in medio luxu irruit in eos ira Domini. Deus Optimus, Maximus, concedat ita præsentem annum concludamus, vt perpetua & huius miseriæ, & futuræ patriæ memoria viuamus: ita etiam nouum ingredi, vt ad felicem atque optatum perueniamus finem. Ipsi soli laus omnis & gloria in secula seculorum, Amen.

Genes. 6.

FINIS PARTIS AESTIVALIS.

REVER




REVERENDI PATRIS D. IOANNIS FERI IN THRENOS HIEREMIAE PROPHETAE CONCIONES XVI.

AB AVTORE IPSO LATINE Conscriptæ nostris temporibus accommodatissimæ.

CONCIO PRIMA.

In statione Generali, pridie Nonas Aprilis.



SI cognouisses & tu, & quidem in hac die tua, quę ad pacem tibi, sed abscondita sunt ab oculis tuis. Luc. 19. Non arbitror necessarium in exordio huius sermonis iterũ de nouo rationem reddere huius hodiernæ conuocationis, qua non ad forum, non in tabernas, sed in Ecclesiam, ad orationem, & verbum Dei cõuocati sumus. Tot enim hoc anno similes conuocationes habuimus, & semper cum adiuncto sermone, vt nemo tam rudis sit, qui non (si velit) intelligere possit, cur hoc fiat, imò quod iustè sic fiat, summáque necessitas hoc exigat. Quod si etiam in prioribus sermonibus nullam huiusmodi cõuocationum causam assignassem, posset tamen quemque quotidiana experientia docere, cur hoc fiat. Quis enim non videt, ne dum homines, sed bruta etiam animantia enixiùs & maiori cum solicitudine laborare in periculis, quàm extra periculum? Cadit quis in ignem, aquam, aut lœtalem morbum, aut aliud periculum, primò omnium terretur, angustiatur, circumspicit, suspirat, laborat,

vt euadat: Hoc si non potest, clamat, aliorúmque consilium & auxilium implorat, vbicunque & vndecunque id habere potest: denique quicquid offertur, cupidè arripit. Et videmus plerósque, per hæc media ex maximis periculis emergere. Econtrà videmus multos perire, qui vel adeò stolidi sunt, vt periculum suum non videant, vel adeò pigri, vt laborare nolint, vel adeò superbi, vt aliorum auxilia petere nolint, vel adeo peruersi, vt acquiescere dedignentur. Quisque igitur ex his, quæ quotidiè experitur, facile videre potest, cur his temporibus plus solito stationes, processiones, & conciones habentur. Ideo inquam fit, vt periculosos casus huius temporis diligentiùs perpendamus, conciliū & auxilium in verbo Dei quæramus, & eo inuento quàm primùm & vnanimiter acquiescamus, suffulti bona spe fidéque firma nullum periculū tam magnum & præsentaneū esse, quin Deus inde nos eripere possit, & erepturus sit. Hæc inquam causa est hodiernæ congregationis. Possemus quidem singuli omnia hæc in domibus nostris facere, & sic etiam deberemus, non semel tantùm in mense, sed quotidie, quia autem, quæ nostra stupiditas est, hoc negligimus, necessarium est, vt vel semel in mense admoneamur: Ne nosmetipsos negligamus & perdamus, quos Deus pro sua bonitate, & quantum in se est, non cupit perdere. Quod enim olim Iudæis dixit, etiam nunc verissimum permanet & permanebit. Quare, inquit, moriemini domus Israël? Non est voluntatis meę mors etiam impij, sed vt conuertatur & viuat. Et in Hieremia: Fornicata es cum multis amatoribus, tamen reuertere & suscipiant te, quantumuis mundus aliter agat cum adulteris. Et iterum: Etiam si dixero & destinauero gentem aliquam perdere, & eradicare, Illa tamen pœnitentiam egerit, pœnitebit & me mali, quod decreueram inferre. Hæc & similia Deus olim Iudæis locutus est, cùm & ipsi pessimi essent & Deus vel maximè offensus, tamen pollicetur se propitium futurum, si illi desistere velint. Hæc nos quoque consolari debent, in præsentibus malis & periculis: Verùm non tantùm consolari sed vrgere, vt quàm primum ad Deum conuertamur: quandoquidem non possumus dubitare, quin Deus etiam nobis iratus sit, nósque punire velit. Huius enim rei multa indicia habemus, quorū pleraque superioribus sermonibus ostendi. Duo tamen sunt, quę me maximè mouent, vt non dubitem Dei iram & iudicium nobis imminere. Primum est

Ezec. 18.
Hier. 3.
Hier. 18.

est, quòd omnia consilia & conatus nostri in irritum abeunt, nullúmque progressum habent, Secundum, quòd ex tot concionibus nemo emendatur. Hæc duo apud me certissima inditia sunt iræ Dei, idque etiam manifestè ostendit scriptura. Nam Isaiæ 8. 19. & 29. expressè videmus Deum his, quos punire vult priùs adimere omnem sapientiam, consilia, prudentiam. Isaiæ autem 6. & 1. Reg. 2. videmus iudicio Dei dignis etiam adimi gratiam, vt vel audire nolint, vel bene monentibus acquiescere negligant. Non, inquit, audierunt patrem suum, quia voluit Dominus perdere eos. Quando autem omnia consilia nostra minorem progressum habuere, quàm nũc? aut quando vnquam minus ad auditum verbi Dei emendatio sequuta est, quàm nunc? Quis dubitet igitur Deum nobis iratum esse? Cæterùm non ideo cessandum nobis est. Imò eò fortiùs insistendum. Ob hanc causam etiam ego (quandoquidem ad hoc conuenimus) prioribus admonitionibus etiam nunc aliquid addam, ea spe vel aliquando fructus aliquid sequuturũ. 1. Reg. 2.

PRAEFATIO IN LAMENTATIONES HIEREMIAE.

CVM antehabitis concionibus in genere admonuerim proposuerímque, quicquid ad rem, quam nunc agimus, conducibile videbatur, operæ precium facturus mihi videor, si librum aliquem ex scriptura sacra ad huiusmodi conciones accommodum in manus sumam, ac per partes proponam. Nihil autem commodiùs se offert, quàm Lamentationes Hieremiæ, maximè si consideremus, quomodo nunc se habeat Ecclesia. Imò quæ bona habuerit, quæ mala sustineat, quæqúe illi pericula & damna immineant, & quid in omnibus & ad omnia hæc nos agamus. Hunc igitur libellum, & quia breuis est, & quia omnia illa dilucidè ostendit, quæ nunc scitu necessaria nobis sunt, enarrandum vobis proponam. Non deessent quidem & alij libri ad hanc rem opportuni, verùm aut nimis prolixi aut nimiùm obscuri sunt, hic & breuis & planus est: denique eiusmodi verbis est scriptus, quæ etiam ipsum cor penetrant. Quid enim citiùs hominem mouere potest, quàm vbi res querulosè & cum lacrymis proponitur? Atqui totus hic libellus eo modo conscriptus est, tótque lamenta & ploratus

præ se fert, vt etiam lapidem mouere posset, ne dum homines. Atque hoc potissimum me ad hunc librum permouet, si fortè querelis & lacrymis permouere possim, eos, qui exhortationibus minus acquiescunt. Ad hoc enim res nostrę deuenerunt, in tātum creuit ignominia nostra, vt fermè nihil amplius curemus, vt verè si vnquam aliâs, in nobis verificetur aliud Euan-
Matt. 11. gelicum, Cantauimus vobis, & non saltâstis, &c. Sic Hieremias diu multúmq; prædicârat Iudæis, cùm autem nihil proficeret, cogebatur prædicationē suam claudere lamētationibus. Sic Christus post longam prædicationem fleuit super ciuitatē
Luca 19. Hierusalem, &c. Et in alio loco lamētabiliter: O Hierusalem,
Mat. 23. inquit, quoties volui congregare filios tuos, &c. Sic Ezechiel
Ezech. 2. cùm ad prædicationem mitteretur, iussus est comedere librū, in quo scripta erant carmen lamentationis & Væ. In signum, quòd & ipse prædicationem suam querelis & lamentationibus conclusurus esset. Sic Paulus, ne dum prædicando & scribendo docuit, sed etiam vbi hæc nihil proderant, obsecrationibus & lacrymis rogauit, & obtestatus est, vt patet 2. Cor. 2. Philipp. 3. Act. 20. Iam si summi prophetæ, ac Apostoli, imò Christus ipse lacrymis & querelis vsi sunt, vbi doctrinis & admonitionibus nihil proficiebant, nemo miretur, quòd & ego nunc idem prætendam. Eandem enim causam habeo, quam ipsi habuerunt. Quàm malè tunc habebat terrena Hierusalem, cùm Hieremias, Ezechiel & Christus ipse super eam flerent, tam malè nunc habet Ecclesia. Quando igitur & ego hactenus admonitionibus meis parùm profeci, Mutabo nunc sermonem meum, Lugebo matrem meam Ecclesiam, quæ me Christo genuit, & huc vsque verbo Dei aluit. Lugebo, inquam, quòd tam miserè discerpitur, tam malè tractatur, tam impiè negligitur, Plorabo & super patriam meam Germaniam, dico cui tanta mala imminent. Et quid aliud possum? Alij possent consiliis & auxiliis adiuuare, possent mala prohibere, possent emendare, sed nolunt, aut nimium differunt, donec omnia dilabantur. Alij omni conatu student omnia impedire, dissipare, euertere. Ego nihil aliud possum quàm plorare, miseriam Ecclesiæ & Germaniæ, & hoc etiam fideliter faciam, fortassis aliqui lamentationibus commouebuntur, quos priora nihil mouerunt. Hæc igitur vna causa est, quæ me ad hunc librum lamētationum permouet. Altera est, quòd in eo libello omnia illa expressa sunt, omnia quæ nunc vel

max

maximè considerare nos oportebat. Illic enim audietis, quàm insigniter incœperit & creuerit Ecclesia, quàmque egregiè dotata fuerit, simul autem videbitis, quàm male nunc habeat. Audietis secundò, quàm beatum sit Deum habere propitium: Econtra videbitis quàm miserum sit, Deum habere iratum. Audietis tertiò, quàm seuerè Deus puniat, vbi post multa beneficia & longam expectationem adhuc peccata augentur. Simul tamen etiam videbitis, quòd Deus etiam in media ira misericordiæ suę non obliuiscatur. Audietis postremò, quid Hieremias in communi malo & periculo egerit, quàm amarè plorauerit, quámq; ardenter orauerit, simul tamen videbitis, quid nobis nunc in communi malo & periculo tam Ecclesiæ quam Germaniæ faciendum sit. Et quid meliùs nunc vel audire vel cogitare possemus? Vtinam librum hunc ita possemus deuorare, nobisque incorporare, quemadmodum Ezechiel librum sibi oblatum deuorâsse dicitur. Magnā certè dulcedinem post se relinqueret, quantumcunq; amarus prima facie videatur. *Ezech. 3.* Hæc igitur altera causa est, quæ me ad librum istū promouet. Hieremias quidem tum primum lamentatus est, cum iam destructa esset Hierusalem. At ego ante destructionem nostram plorabo. Longè enim meliùs est priùs plorare & futura mala præuidere & pręuenire, quàm pòst. Insania mundi est quòd nec credere nec plorare nec præuidere aut præuenire vult mala futura. Tum autem primùm plorare incipit, cùm iam mala sentit & patitur. At pij homines priùs plorāt, Deúmq; timent etiā antequam puniat, omníq; studio cauent, ne eum ad puniendū prouocent. In summa plorant sua peccata, ne post cogātur plorare, in pœna. Hoc ego quoque in nobis omnibus cuperem, in hunc finem lamentationes assumpsi. Nō expectemus, ô fratres, donec mala iam ingruant. Satis denique expectamus & tardamus. Aquæ iam intrant vsque ad animum nostrum, Infixi sumus in limo profundo. Vnde nemo eripiet nos, nisi vnus Deus. *Psalm. 8.* O igitur Hierusalem si cognouisses & tu. His verbis sermonem hunc auspicatus sum, & deinceps auspicabor. Pulchrè *Luce 19.* enim conueniunt cum lamentationibus Hieremiæ. Cùm Christus hæc verba diceret, flebat super Hierusalem. Idem faciebat Hieremias, cum librum hunc scriberet: Eadem causa, idémque affectus vtrique erat. Plorabat Christus ante destructionem ciuitatis: Hieremias autem post destructionem. Christus suo fletu monet, vt præueniamus mala: Hieremias conquer

queritur, quod miseri homines hoc non facimus, símúlque docet, vt etiam post inflictam pœnam non desperemus. Nos vtrunque audimus. Vtinam cogitaremus, quæ ad pacem nobis prodesse possent, quia autem hoc non facimus, saltem post acceptum damnum miseriam nostram agnoscamus, & peccata, ne simul & corpore & anima pereamus. Satis durum est fratres corporaliter perire. Væ nobis, si cum externo damno etiam animarum damna patiamur. Et tamen omnia
Ezech. 18. hæc præuenire possemus: Non est, inquit, voluntatis meæ mors impij. Hæc præmittere volui lamentationibus Hieremiæ, vt & animos & affectum vestrum excitarem, & præpararem. Plura adhuc præmittenda essent. Sed nolo vestram charitatem longiori præfatione onerare. Nunc igitur Hieremiam audiamus.

TEXTVS.

Caput 1. Quomodo sedet sola ciuitas plena populo? Facta est quasi vidua domina gentium? Princeps prouinciarum, facta est sub tributo?

In hunc modum Hieremias lamentationes suas incœpit: vbi statim quilibet videre potest, qualiter affectus fuerit, cum hæc scriberet, Nihil enim aliud quàm summum mœrorem hæc verba prę se ferunt. Dolebat pius Propheta super patriam suam, super populum suum, super ciuitatem Hierusalem & super templum. Omnia enim ea dissipauerat, & destruxerat rex Babylonis. Pulchra autem antithesi & priora bona & præsentia mala inter se confert. Hierusalem enim illa cum suo populo in multis excelluerat omnes alias ciuitates. Tria autem in hoc versu ponit, quæ insigniter præ aliis vrbibus habuerat, Primò fuerat plena populo. Nam & ciuitas in se magna erat, & populus ter in anno ex omni regione ad eam in magno numero confluebat. At nunc, inquit, sedet sola. Nam populum abduxerant Chaldæi, & templo destructo, nemo iam extraneus ad eam veniebat. Secundò Hierusalem ita excelluerat alias ciuitates, quasi si dominam compares ad ancil-
2. Par. 6. & 7. las. Erat, inquam, domina gentium, habebat reges, sacerdotes, templum, cultum, eámque omnes aliæ, vt dominam suspiciebant: Imò Deum ipsum habebat. Elegi, inquit, locum hunc, vt sit nomen meum ibi, vsque in sempiternum, &c. At nunc, inquit, facta est quasi vidua, perdidit reges, sacerdotes, templum

plum & Deum ipsum, quibus rebus olim gloriabatur & superbiebat. Non tamen simpliciter dicit, facta est vidua, sed velut vidua. Nondum enim in totum eam reliquerat Deus, quamuis videretur eam reliquisse. Tertiò Hierusalem fuerat princeps prouinciarum. Omnes enim regiones in circuitu tributum illi dederant, maximè temporibus Dauidis, & Salomonis. At nūc, inquit, ipsa tributum pendit regi Babylonis, eidem subiecta & ab eo captiuata. Hæc igitur deplorat in primo versu. Quomodo, inquit, sedet sola? &c. non hæc loquitur quasi ignorans, & causam tantæ mutationis quærens, sed admirans, stupens & dolens. Sed, quid inquis, hæc ad nos? Audi Paulum. Omnia in figura contingebant illis: scripta sunt autem ad correptionem nostram. Elegerat Deus populum illum, vt in eo ostenderet omnibus gentibus opera sua, qualis scilicet esset tam erga bonos, quàm erga malos. Illis autem ob incredulitatem excisis, bona illa radice, nos inserti sumus. Vnde nobis iam dicitur: Vos estis semen Abrahæ, & secundum promissionem hæredes. Et iterum: Vos estis genus electum, &c. Quicquid igitur Deus cum illis egit, siue bonum, siue malum, hoc nos quoque vel sperare vel timere possumus. Populus enim ille figura nostri fuit. Sic & Hierusalem illa figura & typus fuit Ecclesiæ. Vnde & Ecclesia hoc nomine sæpe apud Paulum & Ioannem appellatur, Gal. 4. Hebr. 12. Apoc. 21. Congruè autem Ecclesia ciuitati comparatur, & signanter Hierosolymæ. Est enim reuera ciuitas: habet suos muros, suos custodes, suum regem, suam libertatem, suos ciues, suam legem, & iura. Murus huius ciuitatis Deus ipse est. Iuxta illud. Ego ero murus igneus, &c. Et Saluator ponetur in ea, murus & antemurale. Custodes sunt angeli sancti. Vel etiā pastores & rectores, quos scriptura speculatores nominat. Rex huius ciuitatis est Christus, ciues omnes credentes, lex Euangelium, priuilegia, libertas filiorum Dei. Vides quàm meritò Ecclesia dicatur ciuitas. Cæterùm nulli alij ciuitati meliùs comparatur quàm Hierosolymæ. Hierusalem enim interpretatur visio pacis. At vbi aliàs vera pax videtur, ac sentitur, quàm in Ecclesia? Hierusalem habebat populum Dei, cultum Dei, templum Dei, Deum ipsum, at omnia hæc perfectiùs habet Ecclesia, & cætera declarat. Denique Ecclesia Catholica omnia illa habuit, quæcunque insigniter de veteri illa Hierusalem dicta sunt. Ipsa fuit ciuitas plena populo: Ipsa domina gentium, Ipsa princeps prou

1. Cor. 10. *Rom. 11.* *Galat. 3.* *1. Pet. 2.* *Zach. 2.* *Esa. 26.* *Esa. 62.* *Esa. 65.*

prouinciarum. Primò enim an non erat plena populo, cùm dilatata esset vsque ad terminos orbis terrarum, cùm vndique homines ad eam confluerent? vt Esaias prædixerat, cùm vbique prædicaretur Euangelium, vbique nomen Christi inuocaretur? Deinde ipsa inter omnes & præ omnibus aliis gentibus Deo vnita fuit & desponsata. Ipsa, inquam, domina & sponsa Dei est. Omnes aliæ gentes etiam Iudaicæ ancillæ sunt & à Deo alienæ. Hæc autem domina domus est, & sponsum habet Deum. Præterea ipsa etiam fuit princeps prouinciarum. Nam & temporale dominium & imperium habuit, super omnes gentes, maximè autem principatum super diabolum, eiúsque regnum. Ecce, inquit, dedi vobis potestatem calcandi supra serpentes, & omnem virtutem inimici. Vides igitur Ecclesiam omnia illa habuisse, quæ habuit Hierusalem illa terrena? Propter primum pulchra fuit: vt luna: Propter secundum pulchra fuit vt sol: propter tertium terribilis fuit, vt castrorum acies ordinata. Et quid ea tunc felicius erat? Vide autem qualis nunc sit. Olim erat ciuitas Ecclesia, nunc est, quasi tugurium in vinea. Olim erat ciuium vnitas, Nunc vndique scissa & diuisa est. Olim erat Hierusalem, in qua pax, concordia & vnitas conspiciebantur. Nunc facta est Babylon, in qua omnia confusa & inordinata sunt. Olim Ecclesia erat vinea Domini, cuius palmites ad extrema terræ se protendebant. Nunc vastat eam aper de sylua. Olim erat plena populo, plena hominibus, plena sanctis: Nunc plena est bestiis, hoc est hominibus bestialiter viuentibus: Plena nunc est leonibus, id est, tyrannis: serpentibus, id est, inuidis: plena porcis, id est, immundis, &c. Olim erat domina & sponsa Dei, quod omnibus apparebat. Vbique sentiebat eius præsentiam, consolationem, auxilium: Nunc nihil horum sentit, & licet nondum ab eo relicta in totum sit: tamen facta est quasi vidua & derelicta. Deus enim permittit & patitur, quòd & hostes externi & hæretici & pseudochristiani eam vastent, quasi in totum eam abiecerit. In summa olim Ecclesia & mundo, & dæmonibus imperabat, nunc tam mundo quàm diabolo subiecta est, & tributum pendit, & vndique vincitur, subiicitur. An non autem hæc fletu & lamentatione digna sunt? Quis tam durus, qui se à lacrymis contineret, si diligenter hæc consideraret? Tanta igitur bona perdidimus, tanta mala incurrimus, & nondum finis, sed hæc primùm initia sunt dolorum. Vnde autem

Marginal notes: Esa. 60. — Osee 2. — Luce 10. — Psal. 79.

tem hæc omnia, nisi ex permissu Dei? Et ob quā causam Deus tanta permitteret, super Ecclesiam, nisi propter peccata? Hinc est quod in sequētibus, Hieremias, Omnia hæc mala Deo ascribit. Tu inquit percussisti, &c. Addit autem semper, propter peccata, hoc eum facere & fecisse: Iam si Deus Ecclesiam affligit, nunquàm bene habebit, nisi cum Deo reconcilietur. Si peccata nostra causa malorum sunt, Nunquam tollatur effectus, nisi priùs tollatur causa. Eia igitur fratres cessemus à viciis, reuertamur ad Deum, cogitemus ea, quæ ad pacem nostrā sunt, prænideamus futura mala. Oremus itaq; Dominū Deū patrē, &c.

CONCIO SECVNDA.

De eodem, sexto nonas Maij.



Atis iam, vt opinor, scitis, quibus de causis tot hoc tempore missæ, & precationes votiuæ instituantur & obseruentur: proximo enim sermone easdem causas de nouo recensui, adhæc quilibet vel ex seipso iudicare potest, iustum esse, vt sermones etiam declamatorij ad eandē rem applicentur. In hunc finem proximo sermone Threnos Hieremiæ pro me sumpsi, in huiusmodi stationibus enarrandos. Videtur enim mihi libellus ille pulchrè congruere huic negocio, propter multas causas quas tunc adduxi, quarum tamen potissima est, quòd is libellus fermè omnium malorum nos admonet, quibus nunc laborat Ecclesia, simúlque ostendit, Vnde tanta mala veniāt, & quibus mediis depelli possint. Quamuis autem præterita æstate de omnibus his luculenter disseruerim; omnis tamen vita nostra clamat & testatur, quòd nihil horum adhuc, vt oporteret, attendimus, id quòd pro maximo defectu nostro semper iudicaui, & adhuc iudico. Si enim cogitaremus quantis malis laborat nunc Ecclesia, patria nostra & nosipsi, etiam iniussi cum Hieremia ploraremus. Si credere possemus omnium horum malorum non aliam causam esse quàm peccata nostra, Iam dudum ea emēdâssemus. Si vel tantillum terreremur ad iudicia Dei, longè feruentiùs orationi instaremus, ac gratiam quæreremus. Verùm abscōdita sunt hæc ab oculis nostris: Ideo etiam nunc clamo cum Christo. O si cognouisses & tu, &c. Et cum Mose suspiro ac opto: Vtinam saperent &c. Certissimè enim *Luc. 19.*
in nobis nūc impletur illud, quod olim Osee de regno decem *Deut. 32.*

tribuum conquestus fuit. Ephraim(inquit)factus est tanquam columba seducta nō habens cor. Comederūt alieni robur eius,
Osee 7. & ipse nesciuit. Sed & cani effusi sunt in eo, & ipse ignorauit. Et humiliatur superbia eius in facie eius, nec tamen reuersi sunt ad Dominum Deum suum. An non hæc verba plenissimè in nobis implentur? Verè enim sumus sicut columbæ seductæ & salaces, quæ pastu proposito aduolant interim, non videntes laqueum, qui ipsis paratus est. Sic nos quo affectus nostri nos ducunt currimus, non cogitantes quòd & in laqueum diaboli, & in iudicium Dei incidimus. Deinde quicquid boni habemus siue sit spirituale siue temporale, omne robur nostrum comedunt alieni. Diabolus nempe cum suis corrumpit nobis scripturam, vitiat fidem, mutilat sacramenta, confundit diuinū cultum, aufert omnem deuotionem & pietatem, inficit mores. Sic, inquam, alieni comedūt robur nostrum, & nescimus, non attendimus. Sic & temporalia nostra alieni comedunt, vastantur grandine, pereunt exundantia aquarum, deuorantur à vermibus, rapiuntur à latronibus, vastantur bellis & incendiis, auferuntur à tyrannis, vsurariis. Comedūt alieni robur nostrum, & nescimus. Ad hæc indies crescunt nobis cani, canescunt capita, hoc est, omnia in deterius vergunt ac propinquum exitium minantur. Sicut canities in homine ex senio prouenit, & ea ipsa signum est, vires in homine tenescere, & mortem appropinquare: Sic quòd nunc omnia deficiunt, decrescunt, collabuntur & in deterius vergunt, signum est approximātis perditionis. Decrescit Ecclesia, decrescit imperium, decrescimus nos in omni pietate, decrescunt omnia iura, leges, politiæ, consuetudines & boni mores, hæc est canities nostra, Certissimum signum futuri exitij. Cani effusi sunt in nobis, & ignoramus. Imò scire & perpendere nolumus, Præterea etiam in oculis nostris superbia nostra humiliatur. Videmus enim quotidie malum malo succedere, sicut olim sancto Iob multi sibi inuicem succedentes malorum nuncij adueniebant. Adhuc, inquit, loquente illo
Iob 1. venit alius &c. Itidem nobis contingit. Habuimus iam plus viginti annis dissensionem in religione & fide, huic malo successit, imò antequam illud finiretur, venit terribilis seditio, hanc sequuta est fames, omniúmque rerum caritas, postea, pestis. Hoc anno quatuor simul plagas habuimus. Bellum Turcicum nobis abstulit pecunias & milites, habuimus sterilem vindemiam, austeram hyemem, & nunc damnosam aquarum

inunda

inundātiam. Sic humiliatur superbia nostra in oculis nostris. Nemo tamen cogitat retrò vnde scilicet veniant tanta mala. Nemo cogitat ante se, quò scilicet tendant hæc mala. Nemo credit, quòd propter peccata nostra hæc mala veniant, nec curat quomodo propulsari queant. Nemo conuertitur ad Deum, Nemo Dei auxilium & misericordiam quærit, quid igitur rebus vt sic stantibus aliud sequi potest quàm velox perditio? Meritò igitur pius quisque plorat, quandoquidem nihil aliud potest, & nulla alia remedia prosunt. Ob eandem tādem causam nec me pœnitet, quòd Threnos Hieremiæ enarrandos assumpserim. Imò quādoquidem is ipse defectus nostri est, quòd nec præsentia nec futura cogitamus, ostendam vlteriùs, quid Hieremias in sua illa ciuitate, & populo olim deplorandum viderit, si fortè in alienis malis etiam nostra conspicere possemus.

PROSEQVVTIO LIBRI THRENORVM.

SIc igitur Hieremias lamentationem suam exorsus est. Quomodo sedet sola ciuitas &c. Hæc verba suprà exposui, & quatenus ad nos pertinere possunt, edocui. Nunc sequētia audiamus. Ea ipsa inquit, ciuitas Hierusalē olim tā diues & inclita, nūc,

TEXTVS.

Plorans plorauit in nocte & lacrymæ eius in maxillis eius, Non est qui consoletur eam ex omnibus charis eius. Omnes amici eius spreuerunt eam, facti sunt ei inimici.

Hic nunc versus speculum nobis præbeat miseriarum nostrarum. Atque hîc incipit propheta particulatim deplorare mala ciuitatis suæ, quæ in primo versu summatim comprehenderat. Nullū tamen vel hîc vel in sequentibus ordinē seruat, sed nunc deplorat ciuitatem, nunc tēplum, nunc populum, & nunc in generali, nunc aliquos in speciali, nunc deplorat dāna temporalia, nunc spiritualia, denique eandem rem subinde repetit, omnibúsque modis facit, vt solent afflicti homines, hi enim in querelis suis non curant apposita verba, sed proferūt quicquid affectus suggerit, & quod plus angit, hoc sæpiùs repetūt, semper enim putāt se dolorē suū non satis expressisse. Sic & Hieremias hîc facit. Nemo igitur fastidiosum putet, si rē vnā

sæpe repetit propheta. Sed hinc discamus, quãto affectu indoluerit malis populi sui. Atq; vtinam eodẽ affectu & nos nostra mala sentire & deplorare possemus. Sed audiamus quid Hieremias in hoc versu deploret, deinde considerabimus, num simile quid etiam in nobis fit. Plorãs, inquit, plorauit in nocte, &c. Loquitur de ciuitate & populo Hierosolymitano, quasi diceret ad Iudæos suos. Consideremus, ô filij, quid olim habuerit ciuitas nostra, & quid nũc habeat. Olim ciuitas illa plena gaudij, & omnis iucunditatis erat, Nunc autem plorat, &c. Olim nullum vsquàm gaudium esse putabatur, nisi in Hierusalem. Illic enim tam bona videbantur, tam læta audiebantur, tanta denique Deus ibi faciebat, quòd semper noua gaudendi & laudandi occasio præstaretur. Hinc omnes eò properabant, & qui tristis illuc veniebat, lætus & hilaris inde recedebat, quemadmodũ videmus in matre Samuelis. Hinc & Dauid ait. Lætatus sum in his, quæ dicta sunt mihi, & cætera per totum. Talis olim erat ciuitas nostra, (vult Hieremias dicere) at nunc quò deuenit? Nempe vt nusquàm maior luctus sit. Hoc autem multis verbis exprimit. Cùm enim in aliis ciuitatibus soli pauperes plorent, hæc autem ciuitas tota plorat, Nemo in ea est, qui malum non sentiat. Deinde plorando plorat, hoc est, incessanter non potest quiescere. Præterea plorat in nocte, etiam quando scilicet alij quiescunt, ipsa quiescere non potest. Adhæc ita plorat, vt lacrymas vbertim effundat. Et in his omnibus, non est qui consoletur eam: qui enim priùs ei astiterunt, hi nunc relinquunt eam: in quibus ipsa priùs confidebat, hi nunc eã spernunt, qui priùs amici erant, nũc facti sunt inimici, Habuit Hierusalem multos filios & ciues, nobiles, diuites, doctos, &c. sed non est qui consoletur eam, aut adiuuare posit, Habuit olim etiam Deum & sanctos angelos sibi assistentes, at nũc nec ipsi eam consolantur. Habuit tertiò sua idôla & alienos Deos, in quibus confidebat, at illi nunc eam spernunt & irrident. Postremò amicos etiam extraneos habuit. Erat enim confœderata nunc cum Aegyptiis, nunc cum Assyriis, nunc cum aliis, at illi iam omnes inimici eius facti sunt. Non est qui cõsoletur eam nec ab intra, nec ab extra, nec de supernis. Hoc conqueritur propheta in hoc versu, & verè res est ploratu digna. Nec quisquam ita durus est, cui nõ ploraret, si similia videret in patria sua. Quid autem nos aliud iã videmus in Ecclesia, nunc quàm quòd Hieremias tunc vidit in Hierosolyma? Vbi vnquàm fuit maius

1. Reg. 1.
Psal. 121.

maius gaudium quàm in Ecclesia? Non loquor nunc de insano *Pro. 14.*
gaudio mundi, cuius extrema luctus occupat, sed de vero cordis gaudio: hoc nusquàm maiùs aut perfectiùs fuit, quàm in Ecclesia, id quod primo statim die apparuit, cùm Spiritus sanctus missus esset. *Acto. 2.* Statim enim Apostoli loqui ceperunt ac prædicare magnalia Dei, cum tanta iucunditate, vt omnes mirarentur. Idem gaudiũ postea fuit in toto orbe, cùm Euangelium mundo manifestum fieret, nemo non accurrebat ad Ecclesiam. Omnes hoc gaudio perfrui cupiebant: Vbique audiebatur vox laudis & gratiarum actionis: Vbique consolationem inueniebant timoratæ conscientiæ: Vbique Deus signa gloriæ & bonitatis suæ ostendebat. Hoc idẽ vel maximè contigit Germaniæ nostræ, eo tempore, quo Bonifacius Euangelium prædicabat, tũc enim Deus sua signa innouabat, vt quotidie noua esset causa gaudẽdi, &c. At quid nos videmus nunc? Quia Ecclesia plorãdo plorat, & maximè Germania, quotidie enim mala malis superueniunt, vt semper nouam habeamus causam plorandi. Et vbi patres nostri præ gaudio cantauerũt, hîc nos flere oportet. vbi illi pro beneficiis læti festa celebrãrunt, hîc nos pro euadẽdis malis ad planctum & tristitiam inuitamur, quàm benignum enim se Deus olim ostẽdit, tam iratum se nunc ostendit, & iustè quidem. non enim melioribus digni sumus. Meritò igitur cũ Dauide dicere possumus. Deus auribus nostris audiuimus &c. Opus quod operatus es, in diebus eorum, &c. *Psal. 43.* Nunc autẽ repulisti & confudisti nos, nec ampliùs egrediens cum exercitu nostro, &c. Hoc deplorat Ecclesia, hoc deplorant omnes pij. Hic planctus die ac nocte durat. Nec est, qui consoletur Ecclesiam, ex omnibus charis eius. Habuit olim Ecclesia multos amicos, Habuit egregios Pastores, Apostolos & alios, qui verbo & opere Ecclesiæ astiterunt fidelissimè. Habuit charos filios, qui eam vt matrem summo affectu complectebantur. Habuit denique etiam amicos, qui eam externo gladio defendebant, vt fuerunt: Constantinus, Theodosius, Valentinianus, Carolus, Martianus, &c. Habuit, inquam, amicos, at nunc nõ habet veros amicos. Habet quidem adhuc suos Pastores, Reges, Cæsares, Principes, qui se fingunt amicos, quilibet enim primus vult esse in Ecclesia, Alius enim se sponsum Ecclesiæ nominat, alius se Christianissimum, alius Catholicum, alius defensorem Ecclesiæ se nominant: Hic primatum vult habere inter patriarchas, hic inter episcopos,

hic inter Cardinales, hic inter Abbates, &c. Sic & in vulgo quilibet præ alio Christianum se esse iactat. Et tamen non est, qui consoletur Ecclesiam ex omnibus charis eius: Nemo miseriis eis indolescit, nemo opem adfert, imò qui consolari eam debebant, hi vel maximè causam doloris & fletus eidem præstant. Quid enim aliud tantum luctum Ecclesiæ affert, quàm mala vita clericorum, negligentia pastorum, peruersitas populorum, stultitia principum? Facili opera Ecclesiæ luctus sedari posset, si clerici emendarentur, pastores officio suo intenderẽt, Principes sapere imperent, populúsque pietatem amplecteretur. Sed non est, qui consoletur eam. Imò insuper etiam plerique eam spernunt, irrident, & fiunt ei inimici. Et interim conquerimur de Turca & aliis, quòd Ecclesiæ damnum inferant, cum nos sumus causa certè omnium malorum. Quis enim nobis nocere posset, si boni æmulatores essemus? Quales autem
1.Pet.3. sunt amici, qui in necessitate fugiunt? Erubescite igitur capita Ecclesiæ, quòd tam insigneis titulos & præmia habetis ab Ecclesia, & nihil in commodum eius facitis. En fratres, sic se nunc habet Ecclesia. An non autem iustam causam habet flendi? Imò nõ guttas aquæ sed sanguinis plorare nos oporteret, si vel guttã sanguinis Christiani habemus. Sed audiamus, quid Hieremias vlterius in sua illa Hierusalẽ deploret. Sequitur.

TEXTVS.

Migrauit Iuda propter afflictionem, & multitudinem seruitutis, habitauit inter gentes, nec inuenit requiem, Omnes persecutores eius apprehenderunt eam inter angustias.

Priùs nominauit ciuitatem, Nunc nominat Iudam. In idem tamen redit. Nam ciues Hierosolymæ erant de tribu Iuda, & Beniamin. Attamen latiùs patet hoc verbum Iuda: non enim tantùm comprehẽdit ciues illius ciuitatis, sed etiam homines totius regionis, qui omnes erant de tribu Iuda. Quid igitur mali in his vidit Propheta? Migrauit, inquit, Iuda in afflictionem & seruitutem. Moratúrque nunc inter gentes, nec inuenit requiem: Omnes hostes eius &c. Quid autem miseriùs, quàm à patria exulare, inter gentes? Imò hostes commorari, eisdem subdi, &c. Habuerant Iudæi egregiã regionẽ & patriã, de qua
Deut. 32. Moses. Cõstituit (inquit) eũ super excelsam terrã vt comederet fructus agrorũ, &c. Nũc aut migrauit, inquit, Iuda, &c. Vel mi-

grauit

grauit propter afflictionē quam passus est, ab hostibus, & propter multitudinē falsorum cultuū & idololatrię. En hoc sequitur cum amici deserunt, hoc est pastores & rectores cessant, tunc enim hostibus aperta est ianua, & facilè populus in captiuitatem abducitur. Sic contingit Hierosolymæ: Sacerdotes eius adeò non curabant scripturas, vt tempore Iosiæ inuentus liber legis quasi nouum quiddam & insolitū omnibus admirationem & stuporem ingereret. Similiter & prophetæ sua somnia prædicabant, Reges autem sua commoda tantum sectabantur. Hinc populus primò in varias idolatrias declinabat. Deinde Deo puniente nunc ab Aegyptiis nunc ab Assyriis vastabatur, donec tandem è terra sua migrare cogeretur in Assyrios & Babylonem. Vbi nullam requiem habere poterant, sed semper in angustia erant, & insuper etiam in ea angustia constituti ab hostibus ad idololatriam cogebatur, vt patet in Daniele. Hoc igitur querulatur Hieremias in hoc versu. An non autem similia in nobis videmus? Quàm paucos inuenias pastores, qui inuigilent? quàm paucos principes, qui subditos suos curent? Quid mirum igitur? quòd diabolus multos seducat? Turca multos abducat? Sic igitur migrat Iuda in afflictionem, & seruitutem corporis & animæ. Habitat inter gentes, efficitur paganis similis, Perit corpore & anima. Væ omnibus pastoribus & rectoribus, qui sua negligentia faciunt, vt populus Christianus è sua terra in seruitutem & viciorum & errorum vel Turcarum veniat. Sic igitur iterum videmus, quòd nec nobis deēst causa flendi. O igitur Hierusalem, Si cognouisses & tu, &c. Attendamus hæc fratres, discamus ex aliorum malis, quid nobis desit. Cogitemus, quòd omnia propter peccata nostra eueniant nobis. Emendemus vitam, Clamemus ad Dominum, & miserebitur nostri, &c.

4. Re. 22.

Danie. 3.

CONCIO TERTIA.

Ad idem, Idus Iunij.

SI cognouisses & tu, &c. Admonet me hæc hodierna congregatio, eius historiæ, vbi Philistei contra Israëlitas pugnaturi, Goliath Gethæum gigantem in prima acie ad terrendum Israëlitas collocârunt. Is cum esset magnæ & prodigiosæ staturæ, ad hæc etiam armis vndequaque munitus, à capite vsque ad pedes, superbè improperabat Israëlitis, ac singulos prouocabat ad prælium, minabatur ipsius extremum exitium. Huius terribilem

1. Reg. 17

aspectum, & immania verba cùm timerent Israëlitæ, nec quisquam auderet congredi: Ad hoc tamē illis profuit terror ab hostibus illatus, vt simul se continerent in castris cogitãtes quid agendum esset, donec Deus mitteret auxilium, ipsum scilicet Dauidem, qui solus superbiam hostium deiecit, &c. Hæc historia pulchrè alludit ad negotium nostrum. Nam hodie iterum processimus in bellū, pugnaturi contra hostes nostros, non armis corporalibus, sed fide, precibus, & inuocatione diuini nominis: & meritò quidem, nam necessariū est. Hostis

1. Pet. 5. enim noster diabolus, qui aliàs semper circuit, quærens quem deuoret, nunc apertè nos impugnat, cum suis Philisteis, hæreticis & pseudochristianis, ac conatur Ecclesiā. omninò perdere, temporaliter, spiritualiter, æternaliter, animásque Christi sanguine redemptas vi ac violentia in suum seruitium cogere: Nunc per falsas doctrinas, nunc per peccata & vitia, Nunc etiam per externam potestatem Turcarum, & aliorum impiorum. Ostendítque se hoc tempore malo adeò terribilem, quòd omnes boni contremiscunt. Nam & sic vel se vndique armis suis muniuit, quòd hactenus nihil cōtra eum potuimus, quantumcunque multa tentauerimus. Et ita nunc Ecclesiam vrget, vt pauci illesi ab eo discedūt. Qui enim Turcarū tyrannidem effugiunt, hi in hæreticorū laqueos incidunt, & qui etiam hos effugiunt, se ipsos in turpissimam vitam cōiiciunt, sicque nihilominus in potestatē hostium deueniunt. Adeo potens nunc est diabolus, tantóque impetu nunc Ecclesiam aggreditur, vt

Apo. 20. non immeritò putare possumus, nunc illud esse tempus, quo Ioannes prædixit ante finem mundi, Satanam esse soluendum, quandoquidem tantū nunc ei diuina iustitia contra Ecclesiam permittit. Et tamen adhuc nemo est, qui hæc perpendat. Et in hoc Israëlitæ multò prudētiùs egerunt, quàm nos: illi enim simul conueniebant, vniti manebant, & quamuis non auderēt hostem aggredi, tamen prospiciebant sibi ab insultu hostium, idque tantisper agebant, donec Deus, vnde minimè sperabant ipsis auxilium misit: quo omnes hostes confusi, Ipsi autem cum gaudio ad propria remeàrunt. Quod autem Deus tunc fecit, etiam nunc facere posset, quantumuis malè habeat tam Ecclesia quàm Germania nostra, si tamen nos faceremus, vt illi: Verùm in hoc hactenus omnis defectus noster fuit. Frequēter nos nouit Deus, & quidem multis modis, verùm nemo terretur. Hostis noster apertè impugnat nos, vt nemo non videat, quid

intend

intendat, & tamen nemo obsistit. Adhęc Philistęorum hostium numerus in dies augetur, impiorúmque conatus proficiũt, piè autem credentium numerus indies minuitur & tamen nec sic sapere volumus. Imò quò magis hostes conglobando se cõfortant, eò magis nos ab inuicẽ nos separamus, quò terribiliùs hostis nos impugnat, eò minùs nos munimus. Et quod omnium maximũ est, quò magis Deus irascitur, eò proteruiùs nos peccamus. Sic res nostrę se habent. Et quid aliud inde sequi potest, quàm omnimoda perditio? Ideò non sine causa etiam hodie in 6 [illegible]
exordio sermonis dixi. O si cognouisses & tu, Imò quia vel nolumus vel non possumus mala nostra cognoscere. Iterum aliquid ex Threnis Hieremiæ proponam, si fortè ex aliorum malis tandem admoneamur propriorum malorum. Sic igitur vlteriùs lamentatur Hieremias.

TEXTVS.

Viæ Sion lugent, eò quòd non sint, qui veniant ad solennitatem: omnes portæ eius destructæ, sacerdotes eius gementes: virgines eius squalidæ, & ipsa oppressa amaritudine.

Facti sunt hostes eius in capite, inimici eius locupletati sunt, quia Dominus locutus est super eam propter multitudinem iniquitatũ eius paruuli eius ducti sunt in captiuitatem ante faciem tribulantis.

Et egressus est à filia Sion omnis decor eius: facti sunt principes eius velut arietes non inuenientes pascua: & abierunt absque fortitudine ante faciem subsequentis.

Recordata est Hierusalẽ dierum afflictionis suæ, & præuaricationis: omnium desiderabiliũ suorum quæ habuerat à diebus antiquis, cùm caderet populus eius in manu hostili, & non esset auxiliator: viderunt eam hostes, & deriserunt sabbata eius.

Peccatum peccauit Hierusalem, propterea instabilis facta est omnes qui glorificabant eam, spreuerunt illam, quia viderunt ignominiam eius: ipsa

autem gemens, & conuersa est retrorsum.

Sordes eius in pedibus eius, nec recordata est finis sui: deposita est vehementer, non habens consolatorem: Vide Domine afflictionem meam, quoniam erectus est inimicus.

Manum suam misit hostis ad omnia desiderabilia eius quia vidit gentes ingressas sanctuariũ suum, de quibus præceperas, ne intrarent in Ecclesiam tuam.

Omnis populus eius gemens, & quærens panem: dederunt pretiosa quæque pro cibo ad refocillandam animam: Vide Domine & considera, quoniam facta sunt vilis.

In his verbis videmus, quàm exactè Hieremias singulas populi sui miserias secum perpenderit. Videbant quidẽ & alij hæc mala, imò simul cum aliis ea tolerabant, non tamen ita ea trutinabant vt ille, quemadmodũ & nunc quoq; fit, quòd soli pij rectè æstimare sciunt mala huius temporis. Alij & si ea patiantur & videãt, non tamen corde perpendũt, nec vnquam in se ipsos conuertuntur. Hieremias autẽ perpendere sciebat, ne dum mala quę patiebantur Iudęi, sed etiam causam. Et tamen in omnibus his non agebat, vt desperati solẽt, sed frequẽter in mediis querelis clamat ad Dominũ. Hoc autem desperati non faciunt. Vident quidẽ mala sua, & etiã malorum causam id est, peccatum, sed non possunt oculos leuare ad Deũ. Quid autem miseriùs quàm videre pœnã & culpam, & nullũ remedium vel auxiliũ sperare posse? In hac miseria periit Iudas, quę & ipsum adegit ad laqueũ. Hieremias autem omnia hæc tria simul habuit, Primò enim mala enumerat. Secũdò bis cõfitetur peccata præstitisse causam horũ malorum. Tertiò bis etiã ad Deum exclamat. Quia si hodie tria hæc possemus discere profectò satis esset. Audiamus igitur mala, quæ deplorat, Viæ, inquit, Sion lugent. Hoc primo loco deplorat. quòd Hierosolymis cultus Dei cessauerit: Verè non paruũ malum. Vbi enim cultus cessat Dei, illic & Deus cessat præstare bona. Cæterùm Sion & Hierusalem pro eodem accipiuntur in hoc libello. Hierusalem erat Metropolis Iudeæ, in qua & templum erat. Sion autem erat mons cum arce, in qua reges habitabant. Iam pæceptum erat

Iudæis, vt ter in anno ad festa ascenderent ad templum. Præterea Hierosolymis etiam domus & sedes regum erat, ad quam pro iudiciis confluebant. Vnde non dubium, quoniam viæ ad Hierusalem omnes tritæ essent, partim propter tẽplum partim propter iudicia. Nunc autem, inquit Hieremias, Viæ Sion lugent, hoc est, spinis & vepribus obsitæ sunt, eò quòd nemo per eas incedit. Templo enim destructo & regibus captiuatis nemo ampliùs ad Hierosolymam veniebat. Metaphoricè autem lugere dicuntur viæ Sion, quia sicut in multitudine venientium lætari videbantur, quia materiam lætitiæ præbuerunt ambulantibus in eis: Ita nunc lugere dicuntur, quia materiam luctus transeuntibus dabant. Sic in Machabeis Iudas, cum suis videntes in templo virgulta nata, exortis lacrymis planxerunt. Hoc igitur vult Hieremias. Omnia in diuersum abierunt cum illa ciuitate. Priùs omnes viæ plenę hominibus erant, nunc adeò infrequentes sunt, quòd nemo se à lacrymis continere potest. Quia si quis ad ciuitatem peruenerit, iam ne similitudinẽ quidem ciuitatis habet. Nam priùs habebat portas, & muros clausos, Nunc omnes portę eius destructæ. Quia si quis templum adit, inuenit sacerdotes gementes, qui priùs laudes Domino decantabant. Si quis plateas circuit, videt etiã pueros & virgines squalidos, præ fame & miseria, qui priùs solebãt in omnibus plateis ludos exercere. Et quid opus multis? tota ciuitas oppressa, est amaritudine omnibúsq; malis repleta est. Hoc conqueritur Hieremias, in primo versu. An non autem apud nos similia videt, qui oculos aperit? Viæ quidem nostræ videntur adhuc satis tritæ, nondum videmus destructas portas, adhuc canunt sacerdotes, adhuc in plateis ludunt virgines & pueri. Adhuc apud nos auditur sonitus tympani & musicorum, verùm quales sunt hæ viæ, hæ portæ, hi cantus & gaudia? Hieremias tantùm loquitur de viis, de portis, de sacerdotibus, de virginibus Hierusalem. Vidimus quòd viæ nostrę adhuc tritæ sunt sed viæ ad peccatũ, ad luxum, ad negotiationem. Interim autem viæ Sion lugent. Quęris quomodo? Primò Christus est via ad Sion. Ego, inquit, sum via, veritas & vita. Nemo venit ad patrẽ, nisi per me. Et iterum: Ego sum ostium, &c. Hanc viam incedere oportet credendo, & imitando. Quid autem apud nos minus curatur? Pauci sunt, qui in fide recti incedant. Multò pauciores, qui Christum imitentur. Dura nobis videtur hæc via. Omnes retrocedimus, Nemo non horret

Exod.23.

1. Mac.4

Ioan.14.

Ioan. 10.

horret viam crucis. Interim vnusquisque declinat in viam
Sapien. 5. suam, hæ videntur nobis faciles, at in fine videbimus, quòd ambulauimus vias difficiles. Sic igitur via ad Sion luget, & deserta est. Deinde viæ Sion intelligi possunt, Prophetæ, Apostoli, doctores, vt qui aliis tam verbo prædicationis, quàm exemplo boni operis ad vitam ducatum præbent. Hæ viæ olim lætabantur, ob multitudinem credentium & venientium ad æternam festiuitatem. Vnde Paulus in omnibus epistolis suis læta-
Roman. 1. bundus gratias agit. Nunc autem viæ istæ lugent, eò quòd perpauci sint, qui veniant ad solẽnitatem veritatis & vitæ. Vel viæ Sion sunt virtutes maximæ, Fides, Spes, Charitas, & aliæ, quæ ducunt ad vitam. Itémque præcepta Dei, quæ & ipsa ad vitam dirigunt. Hæ viæ olim frequentes erant. Nunc autem lugent, periit fides, Non est misericordia, non est veritas, &c. Nemo curat mandata Dei, quilibet sibi leuiorem aliquam viã ad cælum excogitat An non igitur verissimè versiculus ille in nobis impletur? Postremò etiam ad literam impletur. Nullæ enim viæ minus frequentes sunt, quàm quæ ducunt ad Ecclesiam. Vbi decem ad forum currunt, vix vnum inuenias, qui ad Ecclesiam ire pergat. Nemo qui in se conuersus futuram solennitatem quærat. At quid prodest omnes alias vias frequen-
Matt. 16. tes esse, si hæc deserta sit? Quid prodest homini, si vniuersum mundum lucretur, & cætera? Vel quid boni sperari potest, vbi viæ Sion lugent? Certè quàm primùm Israëlitæ vias Sion neglexerunt, hoc est, cultum Dei, in omnia mala inciderunt. Sic enim patres nostri ambularent in viis Sion, omnia prosperè illis credebant, nos autem qui eas contemnimus, nihil prosperum habemus. Sic possum, etiam dicere de portis Sion. Ecclesia olim ædificata erat: vt ciuitas habebat suas portas, suos muros: Portæ sunt Christus & Apostoli, Ioann. 10. Apoc. 21. fideles inquam in Christum & doctrina apostolorum portæ Sion sunt. Muri autem leges & ordinationes. Cùm Apostoli prædicarent vbique per orbem terrarum alius in Iudæa, alius in Syria, alius in Aegypto, &c. vbique erectæ erant portæ ad cælum. Nunc autem pro maiori parte in his locis destructæ sunt. Sic cùm leges & ordinationes seruarentur Ecclesia muris munita erat, nunc sublatis legibus muri corruerunt, patéque omnibus bestiis aditus. An non autem lacrymis digna sunt hæc? Sequitur: Sacerdotes eius gementes. Hoc ad literam vidit Hieremias, quia enim templum & cultus Dei destructus erat, non

poter

poterant sacerdotes habere victum suum. Necessariò igitur gemebant. Quoties autem hoc contingit nostris temporibus, quod pij sacerdotes gemunt sub Turca, sub sectis, sub ingratis Christianis, quoties fit, quòd qui diabolo seruiunt honorantur, qui otio & luxui indulgẽt, abundant omnibus bonis: econtra autem, qui Ecclesiæ inseruiunt famem patiuntur? Sic inquam sacerdotes pij gemunt. Vel ideò etiam iidem gemunt propter peccata scilicet hominum. Hoc enim ad sacerdotes pertinet, vt Iohel ait. Hoc qui non faciunt, sed suis quæstibus tantum consulunt, his iusto suo iudicio Deus luctum infert. Vt cogantur deflere damna, qui noluerunt deflere peccata. Sacerdotes eius gemẽtes. Sequitur: Virgines eius squalidę. Et hoc ad oculum vidit Hieremias: verè autem miserum est, & magnæ miseriæ signum, vbi virgines squalidę sunt & plorant. In Ecclesia etiam hoc contingit, vbi Turca tot regna occupauit. Nostræ quidem virgines nihil tale adhuc patiuntur, sed sunt ornatæ, lætæ, leues, &c. sed coram mundo: quid autem magis squalidum coram Deo? Nusquam maior leuitas, lasciuia videtur, quàm in virginibus & adolescentibus. Quid autẽ hinc sequi potest? Quæ virgo pulchra nõ est, quomodo pulchra erit in senio? quę in iuuentute tam leuis est, quomodo bonos filios procreabit? Per virgines possumus & animas nostras intelligere. Sic enim eas nominat Paulus. Deberẽt autem esse ornatæ omnibus virtutibus, maximè fide, spe & charitate. Audi filia, inquit & vide, & concupiscet rex decorem tuum. Quis autẽ non videt quã squalidæ sint animæ nostræ? Vt Deus meritò eas abominetur & comminetur se eas abiecturum. Ezech. 16. Apoc. 3. Incipiã te euomere de ore meo. Sequitur: Et ipsa oppressa amaritudine, q. d. quid conor singula mala explicare? Tota ciuitas oppressa est amaritudine. Huius & alias causas subdit. Facti sunt hostes eius in capite. Sic enim olim cõminatus fuit. Si non seruaueris præcepta mea, tu eris in caudam & hostes tui in caput, &c. Et sic iam factum erat. Sic & apud nos fit. Hostes Ecclesiæ fiunt potentes, nos autem infirmi. Illi ditantur, nos ad egestatem venimus. An non autem pio homini lacrymas excuteret? Certè Dauid hoc deplorabat, in Psal. 72. Sic olim altior in seculo fuit Cain, quàm Abel locupletior, Esau quàm Iacob, sic & nunc. Magnum autem malum est, vbi hostes principantur, & inimici locupletantur: tantò enim valentiores sunt ad persequendum, tantóq; fortiores ad occidendum, possumus etiam

Iohel 2.

2. *Cor.* 11.

Deut. 28.

sic

sic interpretari: Hostes eius in capite sunt, id est, qui Ecclesię ne dicam nihil prosunt, sed plurimū obsunt, nunc capita sunt Ecclesiæ. Item: Hostes in capite, quia capita Ecclesiæ languent, & Ecclesiā negligunt, suáq; negligentia plùs nocent Ecclesiæ, quā hostes externi. Itē hostes in capite, quia dęmones maximè principātur prælatis Ecclesiæ & principibus, ducunt enim eos, quò volunt in omnia vitia. Itē hostes in capite, id est, diabolus, caro, mūdus, hostes nostri vbiq; regnant. Interim ratio, fides, pietas, iacēt, seruiūt. An nō autē omnia hæc lacrymis digna sunt pio homini? Sed audi etiam alia. Paruuli eius ducti sunt in captiuitatē. Hoc vel maximè dolendū, vbi paruuli, id est, pueri & alij infirmi & imperfecti corrūpuntur exemplis, decipiuntur persuasionibus, terrētur minis, sicq; cedūt, in potestatem & prædā aduersariis. Et quid nūc in mundo frequentiùs est? Quàm miserè perit iuuentus? Quis hîc lacrymas contineat? Sequitur. Et egressus est à filia Sion omnis decor eius, quia priuata erat tēplo, & regno, vrbe & sacerdotio. Itémq; pristina facultate, pulchritudine, virtute, donis quoq; & spiritus sancti gratia. Et Ecclesia olim pulchra erat, de ipsa enim dictum est: Tota pulchra es, &c. Itémq; pulchra vt luna, &c. habuit suū decorē intus per fidē & dona spiritus sancti. Habuit & ad extra decorē, hoc est, ordinē in membris suis, &c. Verùm omnia hęc perierunt. Ideò omnes, qui eā glorificabant, spreuerūt eā, quia vident ignominiam eius. Periit deuotio, periit ordo. An non lacrymis digna sunt hæc: Sequitur: Principes eius sicut arietes, nō inuenientes pascua, &c. Possumus sic interpretari ad literā, quòd principes rediguntur ad paupertatem. Imò ducuntur captiui, sunt serui aulicorum & adulatorum, reguntur & non regunt. Melius autem interpretatur de prælatis, hi facti sunt velut arietes, non habentes pascua, quia plerunq; sic viuunt quasi ignorent mandata, quasi nō legerint scripturas, absq; fortitudine animę subditi peccatis, cedentes impellentibus vitiis. An non autem hoc lacrymis dignū? Non sic fuerūt primi illi prælati Ecclesiæ, &c. debebant prælati esse vt arietes, id est, pręcedere & ducere oues ad pascua, at nunc nec ipsi pascua sciunt. Sunt sal infatuatum,

Matth. 5. Sequitur: Nunc recordatur dierū afflictionis & præuaricationis suæ, &c. Hoc verè lamentabile est, quòd malorum nostrorū non recordamur, nisi malis premamur, nisi in manus hostium tradamur. Mallet siquidem Deus, vt sponte recordaremur peccatorum nostrorum, mallet vt prosperis abūdaremus, vt nunquam

quam prosperis falleremur, ne transitoriis vteremur, vt æternorum nunquam obliuisceremur. At hoc non facimus, nisi cū mala vrgent. Sequitur: Sordes eius in pedibus eius, Captiui enim abducti per lutū trahebantur. Pedes Ecclesiæ prædicatores, qui olim speciosi erant, nunc sordidati sunt: nō enim faciūt, quod docent. Vel generaliter, Ecclesia ita deberet inhærere cælestibus, vt terrā nō tangeret, terrena non ambiret, sed corpore hîc exulans, mente conuersaretur in cælis. At nō sic facit. Non est recordata finis sui, deposita est vehementer, amando terrā, obliuioni tradendo altitudinem cæli, nec præ oculis habēs verum, qui in cælis est, consolatorem, dum variam in terra quærit consolationē. Sordes igitur in pedibus eius, quia omnes terrenis implicamur. An non autem lacrymis dignum est? Sequitur: Manū suam misit hostis ad omnia desiderabilia eius. Hoc verissimè nunc impleri, omnes pij gemunt. Nihil enim tā pulchrum & bonū est in Ecclesia, quod diabolus non conetur auellere, scripturas, sacramenta, ordinationes, mores, &c. Insuper videmus gētes ingressas sanctuarium Dei: Videmus indignissimos homines se ingerere rebus ecclesiasticis, & tales homines, quos omnes leges & iura prohibent. An non lacrymis dignum? Meritò igitur sequitur. Omnis populus eius gemens, & quærens panem. Quid enim aliud sequi potest, quàm gemitus & spiritualis fames, vbi indigni præsunt Ecclesiæ? Vides igitur quantis malis laboret Ecclesia. Sed vnde nā proueniūt? Audi. Dominus, inquit, locutus est super eam, propter multitudinem iniquitatum eius. Et iterum. Peccatum peccauit Hierusalem, propterea instabilis facta est. Vides hîc causam omniū malorum esse peccata nostra. Quæ si mala euadere volumus, relinquamus peccata. Hoc igitur primo loco necessarium est. Secundo, vt ad Deum clamemus: quid autem clamemus? Vide Domine afflictionem meam, quia erectus est inimicus. Et iterum. Vide Domine & considera, quia facta sum vilis. Hæc clamemus in fide & corde contrito & humiliato, Clamemus in cælum, & miserebitur nostri Deus.

CONCIO QVARTA.

Ad idem, quarto Idus Iunij.



SI cognouisses & tu. Toties iam ad generales huiusmodi stationes conuenimus, in quibus & meo iudicio sufficienter ostendi, quòd nedum non superuacaneæ sint, sed summè necessariæ, quòd sperabam de

cæter

cætero nihil opus esse vlteriùs admonitione, sed omnes sua sponte & feruentiùs & frequentiùs conuenturos. Nihil tamen tale adhuc video, imò de die in diem segniores efficimur. Vt nesciam, quid potissimum accusem. Fieri enim potest, vt aliqui tam rudes sint, qui putent Deum non curare mortalia. Circa cardines, inquiunt, cæli perambulat, nec nostra considerat, alij autem tam impij sunt, vt putent vanũ ac frustraneũ esse,
Iob 21. Deum inuocare, quemadmodum idem Iob de impiis dicit. Dicunt, inquit, Deo, recede à nobis, scientiam viarum tuarum nolumus. Quid enim nobis prodest, si orauerimus eum? Ad hæc fieri potest, vt aliqui ita præsenti felicitate excœcati sint, vt putent sibi nil mali accidere posse, quemadmodum Esaias de huiusmodi scribit. Pepigimus, inquiunt, fœdus cum morte, &c.
Esaie 28. Quid autem perniciosiùs est, quàm huiusmodi cogitare aut loqui? Vbi enim huiusmodi cogitationes mentem occupant, certum est quòd fides & omnis deuotio perit. Quàm primum enim insipiens homo eò dementiæ peruenit, vt dicat in corde
Psal. 13. suo. Nõ est Deus, haud dubio sequitur, quod in eodem Psalmo subnectitur. Non est timor Dei ante oculos eorum. Et Deũ non inuocauerunt. Qui enim rectè de Deo sentit in corde, non dubium est, quin ipsum & in iudiciis suis timeat, & in necessitate inuocet. Qui autem econtra nec Deum timet, nec inuocat, is conuincitur, quòd nec in corde rectè de Deo sentiat. Quis autẽ talem hominem pro Christiano habeat, qui nihil rectum de Deo sentit & credit? Quantumuis enim verbis aliud testetur: tamen ipso facto conuinci potest, in eo quòd nec Deum timet nec inuocat. Hęc nobis meritò dicta esse putare debemus, maximè hoc tempore. Attendant quis conuentur nostros ad Ecclesiam. Videbit quomodo Deum inuocemus: Consideret quis vitam nostram, & videbit quomodo Deum timeamus. Imò inueniet quod inuocatio diuini nominis parua admodum, timor autem Dei nullus in nobis est: sic nos proficimus in Christianismo, sic emendamur ex plagis Dei, sic trepidamus ad comminationes ipsius. Expectaui, inquit, vt facerent vuas, fece-
Esaie 5. runt autem labruscas, &c. Sic conqueritur Deus in Esaia. Mo-
Deut. 32. ses idipsum quoque conqueritur, &c. Gens, inquit, absque con-
Mich. 7. silio & prudentia, Vtinam saperent. Micheæ querela erat, quòd fermè nihil pietatis inueniebat. Væ mihi, inquit, quia factus sum sicut qui racemos colligit, &c. Christus ipse nihil sæpius conquestus est, quàm negligentiam & ingratitudinem homi-
num

num. Lux, inquit, venit in mundum, & dilexerunt homines magis tenebras, quàm lucem. Item: Non vultis venire ad me, *Ioan.3.* vt vitam habeatis. Item: Quoties volui congregare filios tuos, *Ioan.5.* & noluisti? Et iterum: Si non venissem, & locutus eis fuissem *Matt.23.* peccatum non haberent, &c. Hæc nobis admonitioni esse debuerant. *Ioan.15.* Nos inquam Christiani adeo feruere deberemus ad omne bonum, adeóque frequentes esse in tanto bono cogniti diuini nominis, vt quilibet pius concionator verè de nobis dicere posset, quemadmodum Paulus de Romanis. Gratias ago Deo, quòd fides vestra annunciatur in vniuerso mundo. Et de Thessalonicensibus. Gratias ago Deo, quòd supercrescit fides *Roma.1.* vestra, & abundat charitas, &c. Hæc de nobis dici oportebat, si *2. Thes.1.* verè Christiani essemus. At tam longè absumus ab hac perfectione, vt opus esset, omnes conciones ordiri ab increpatione nostræ ignauiæ. Hoc autem vt & antea dixi, non aliunde prouenit, quàm quòd neq; Deum nec nos ipsos satis agnoscimus. Si enim Deum agnosceremus, certè ad ipsius iudicia & comminationes trepidaremus. Si nos ipsos periculáque nostra cognosceremus, non semel tantum in mense, sed omni die & hora Deum inuocaremus. Verùm abscondita sunt hæc ab oculis nostris, etiam in hunc vsque diem. Quæ cùm ita sint, iterum aliquid proponam ex lamentationibus Hieremiæ, si fortè vel ex alienis malis periculum nostrum tādem videre possumus, & ex consequenti Deum timere, noménque inuocare incipiamus. Hic enim scopus est & esse debet huius & similium concionum. Et in hunc scopū hactenus meas in hoc negotio conciones direxi. Itidem & nunc faciam: Vtinam cum fructu. Sic igitur lamentationes suas prosequitur Hieremias propheta.

TEXTVS.

O vos omnes qui transitis per viam, attendite, & videte, si est dolor sicut dolor meus: quoniam vindemiauit me, vt locutus est Dn̄s, in die iræ furoris sui.

De excelso misit ignem in ossibus meis, & erudiuit me: expādit rete pedibus meis, cōuertit me retrorsum: posuit me desolatā, tota die mœrore cōfectam.

Vigilauit iugum iniquitatum mearum: in manu eius conuolutæ sunt, & impositæ collo meo: infirmata est

ta est virtus mea: dedit me dominus in manum, de qua non potero surgere.

Abstulit omnes magnificos meos dominus de medio mei: vocauit aduersum me tempus, vt cōtereret electos meos: torcular calcauit dominus virgini filiæ Iuda.

Idcirco ego plorans, & oculus meus deducens aquas: quia lōgè factus est à me cōsolator cōuertens animam meam: facti sunt filij mei perditi, quoniam inualuit inimicus.

Expandit Sion manus suas, non est qui consoletur eam: mandauit Dominus aduersum Iacob, in circuitu eius hostes eius: facta est Hierusalem quasi polluta menstruis inter eos.

Iustus est Dominus, quia os eius ad iracundiam prouocaui, audite obsecro vniuersi populi, & videte dolorem meum, virgines meæ & iuuenes mei abierunt in captiuitatem.

Hîc incipit Propheta mutare personam. Hactenus quidem in propria persona, & pro seipso deplorauit mala, quæ videbat. Nunc ipsam ciuitatem Hierusalem plorantē introducit. Multum autem facit ad mouendos affectus auditorum, vbi in lamentationibus mutantur personæ. In Dauide frequens est huiusmodi mutatio. Sæpe enim in vno Psalmo plures introducit personas. Nunc loquitur in persona sua. Aliquando in persona Dei, aliquando loquitur ad Deum, aliquando ad populum. Hæc autem partim indicant varias commotiones, quas sensit in spiritu, finaliter tamen eò tendunt, vt fortiùs mouerentur affectus audientium. Ex eadem causa etiam Hieremias hîc mutat personam: cupiebat enim omnes homines ad commiserationem sui & suorum commouere. Verùm non tantùm ad commiserationem, sed etiam ad considerationem diuinorum operum & iudiciorū. q. d. Si nihil vos mouet, quod ego priuatus homo deploraui, saltem moueat vos, quòd tota ciuitas mea, tot scilicet milia hominum hæc eadem deplo

rant

rant. Quis autẽ tã durus saxeus est, qui nõ cõmoueatur? Vbi tota aliqua ciuitas, senes, scilicet & paruuli plorant & lamentantur? Sic autem tunc erat in ciuitate Hierusalẽ. Audi enim, quomodo lamentetur. O vos omnes, qui transitis per viam, &c. Et quisnam est dolor, quẽ habes ô Hierusalẽ? quia infirmata est virtus mea, filij mei perditi, præualuit inimicus, & quod omnia alia excedit, Longe factus est à me consolator. Expandi manus meas, & non est qui consoletur. Idcirco ego ploro, & oculus meus deducit lacrymas. Sed quis nam tantum dolorẽ tibi intulit? Dominus, inquit, vindemiauit me, Dominus misit ignẽ in ossibus meis. Dominus expendit rete pedibus meis. Dñs posuit me desolatã, Dominus dedit me in manũ, de qua nõ potero surgere, Dominus abstulit omnes magnificos meos, Dñs calcauit torcûlar filiæ Sion, Dominus mandauit aduersum Iacob hostes suos, &c. Et qui fit ꝙ Deus, quem olim tam benignum experta es, nũc tam seuerũ se tibi ostẽdat? Quia vigilauit iugũ iniquitatũ mearum, in manu eius. Quid autem sentis de huiusmodi iudiciis Dei? Iustus est Dominus, quia os eius ad iracundiam prouocaui. Vide quàm pulchrè propheta loquatur de iudiciis Dei? Multa quidem mala enumerat, nihil tamẽ horum ascribit, vel astris, vel fortunæ, vel malis hominibus, vel etiam dæmonibus, sed omnia Deo. Dominus, inquit, vindemiauit me, &c. Deinde, quantumuis terribilia iudicia Dei enumeret: non tamen iudicia Dei reprehendit. Imò gloriã ipsi dat. Iustus, inquit est Dominus. Et cur propheta hoc fecit? Vt etiam nos omnia aduersa Deo & iustis iudiciis eius ascribamus, apertéq; confiteamur, ꝙ peccatis nostris ea meruimus. Hoc nos docere vult Propheta. Multum enim in hoc situm est, quamuis difficulter mundo persuaderi possit, vt hoc agat. Pauci enim sunt, qui præsentia mala iusto Dei iudicio ascribãt. Pauciores, qui confiteantur se ea commeruisse. Et tamen necesse est, vt ea confiteamur, iusto nimirum suo fieri iudicio. Nec cessabit nos punire, donec confiteamur, ꝙ ipse mala hæc nobis infligat, & ꝙ iustè hæc faciat. Complebo, inquit, furorem meum in eis & scient, quia ego Dominus, hoc est, tantisper puniam eos, donec me agnoscant. Et quidem pij homines semper sciunt & fatentur ipsum esse Dominum. Impij autem hoc non discunt, nisi *Leuit. 26.*
in plagis & pœnis. Hieremias hæc sciebat, ꝙ si populus eius similiter instructus fuisset, bene habuissent. Et nobis consultum esset, si hæc sciremus. Nullum enim malũ tam grande & præ-

sentaneum est, quod non effugere possumus, si Deo gloriam demus. Exemplo sit Dauid, qui ita Deum offenderat, vt prophe-
2.Reg.12 ta illi diceret, Non auferetur gladius de domo tua in æternũ,
2.Par.33. & tamen cum Deo gloriam daret, euasit. Sic Manasses propter peccata sua, in tanta mala deuenerat, vt cathenis vinctus iaceret, in carcere Babylonis, & tamen dans gloriam Deo, iterum
Danie. 3. liberatus & in regnum suum restitutus fuit. Sic tres illi pueri etiam in medium ignis proiecti, cũ darent gloriam Deo, illæsi euaserunt. Et quid opus est multa exempla adducere, cùm ipse Hieremias noster exẽpli satis sit, qui omnibus aliis pereunti-
Hier. 391. bus ipse apud regem Chaldæorum inuenit misericordiam? Propterea ꝙ dabat gloriam Deo. Nihil igitur & nos in pessimis istis tẽporibus & multiplicibus malis meliùs facere possumus, quàm vt humiliemur ac exemplum Hieremiæ imitemur. Itaque textum hunc profundiùs inspiciamus. Quatuor hîc per ordinem docet Propheta. Primo. Nihil magis deplorandum esse, quàm à Deo separari. Secundo. Nihil terribiliùs esse iudicio Dei. Tertiò, nihil pernitiosiùs esse peccato. Quartò. Nihil vtiliùs esse, quàm humiliari sub potẽti manu Dei. De primo sic dicit. O vos omnes, qui transitis, &c. Hoc verbum verissimè dicere potuit Hierusalem tunc tẽporis, ꝙ scilicet non esset dolor similis dolori illius. Destruxerat quidẽ Babylonius rex, & alias ciuitates multas: Nullis earum tantus dolor inferebatur, vt Hierosolymæ. Cur hoc? Quia aliæ tantum perdebant temporalia, Spiritualia perdere non poterant, quia ea non habebant: Nesciebãt enim Deum & dona eius gratuita. Hæc autem præter temporalia etiam habebat Deum ipsum, habebat
Roma. 9. eius promissa, fœdus, adoptionem, templum, &c. Quæ tamen omnia simul cum temporalibus perdidit. Meritò igitur plus omnibus doluit. Amittere tẽporalia infert quidem dolorem, at qui Deum propitium habet, is non adeò contristatur de eorũ amissione. Scit enim esse patrẽ in cælis, qui pro ipso curet.
Matt. 6. Scit quòd Domini est terra & plenitudo eius. Cui autem præ-
Psal. 23. ter amissionem temporalium, etiam conscientia testatur, ꝙ Deum iratum habeat, is meritò dolet. Rerum enim temporalium nec possessio admodum prodest, nec amissio admodum obest, facilè enim hoc damnum resarciri potest. At qui Deum perdit, omnia perdit. Hoc igitur vel maximè lacrymis dignũ est. Hinc est, ꝙ Hieremias potissimam causam luctus sui hanc esse dicit, quòd Deum auersum cernebat. Ideo, inquit, ploro

& ocu

& oculus meus deducens lacrymas, quia longè factus est à me consolator, cofortans cor & animam meam. Alia mala leuiùs fert, vt quod infirmata esset virtus eius, quòd filij perditi, quòd hostis præualuisset. Vnum hoc Dei scilicet absentiam maximè conqueritur. Nos autem vt plurimùm contraria facimus, Temporalia dãna magni æstimamus, Spiritualia nõ curamus, meritò igitur vtrunq; perdimus. O igitur vos omnes, qui transitis per viam, qui cognoscitis & confitemini, quòd peregrini estis & aduenæ super terram, manentem hîc ciuitatem non habentes sed futuram inquirentes, attendite & scitote, ꝙ non sit maior dolor, quàm perdere Deum. Omnis alius dolor paruus est, quia de rebus vanis & caducis, sicut & omne gaudium de rebus caducis paruum est. Summum autem gaudium est, habere Deum propitium: sic summus dolor est habere Deum iratum. Hinc igitur discamus, vnde maximè dolere debemus. Imò hîc videamus, num & nos iustam dolendi causam habeamus, Clamat Hierusalem. Infirmata est virtus mea. At vbi nunc est fortitudo nostra, quam olim habebant Christiani? vbi inquam, est fides illa, qua sancti olim vicerunt regna, per quam Paulus asserat extingui omnia ignita tela diaboli, per quam dicit vinci mundum? Vbi est spes illa, qua patres nostri ita inhærebant cælestibus, vt nihil terrenorum quærerent? Vbi est charitas illa fortis, vt mors, quàm nec aquæ multæ in patrum nostrorum cordibus extinguere poterant? Vbi est patentia illa mirabilis, qua veteres omnia aduersa vincebant? Vbi temperantia, qua in rebus prosperis concussi consistebant? Infirmata est virtus nostra. An non autem magnum damnum hoc est Ecclesiæ? Multò leuiùs esset, si Turca omne aurum etiam nostrum auferret, quàm quòd Ecclesia his virtutibus spoliata est. Quomodo enim consistere poterimus, qui nec fidem, nec spem, nec charitatem, nec patientiam, nec temperantiam habemus? Hoc igitur damnum ploremus. Sed & illud, quod in propheta sequitur: filij mei perditi. Itémque illud, Præualuit inimicus. An non hæc omnia in ecclesia videmus? Quid magis perditum, quàm iuuentus? Vnde spes esse debebat Christianismum apud posteros nostros permansurum? Quid magis verum, quàm quòd hostis vbiq; inualescit & præualet? Meritò etiã Ecclesia clamat. O vos omnes qui transitis per viã, &c. Clamat quidẽ, sed nemo audit,

Hebr. 13.
Hebr. 11.
Ephes. 6.
1. Ioan. 5.
Cant. 8.

nemo attẽdit, nemo succurrit. Hoc igitur primo loco considerandum est, in textu proposito. Deinde autẽ Hieremias ostẽdit, nihil terribiliùs esse iudicio Dei, atque hîc multis verbis & similitudinibus vtitur, nimirũ innuens se non posse rem hanc satis exprimere. Primò enim comparat iudiciũ Dei vindemiæ, quæ serò quidẽ & in fine tandem æstatis venit, sed tamẽ omnia aufert, quæ in vinea inueniuntur. Per hoc ostendit, quòd iudicium Dei serò quidem venit, sed tamen postquam semel inceperit, omnia aufert. Ob eandem causam Christus iudicij tempus cõparat messi. Vnde & in Apocalypsi dicitur angelis. Mittite falces vestras, quia maturuit messis. Sic & Hieremias, Dominus, inquit, vindemiauit me, hoc est, diu expectauit, diu dissimulauit. Nunc autem peccata mea ad maturitatem peruenerunt: Impleta fuit mensura. Non poterat Deus ampliùs sustinere. Vides hîc, quomodo de Iudicio Dei loquatur? Quis nõ contremiscat? Sed audi alia quoque & maiora. De excelso, inquit, misit ignem in ossibus meis, hîc iudicium Dei comparat igni. Non tamen simpliciter, sed igni consumenti, exiccanti, deuoranti. Reuera enim iudicium Dei ignis est. Nam & extrà & intus torquet, & angit, pertingit enim vsque ad ossa, ac omnia consumit. Ignis, inquit, accensus est in furore meo, & ardebit vsque ad inferni nouissima, &c. Quis non etiam hîc contremiscat? Ignis corporalis tantùm corpori nocet, at iudicium Dei corpus & animam perdit. Sed audi etiam alia. Expandit rete pedibus meis: hîc comparat iudicium Dei laqueo venantiũ, in quo improuisè capiuntur animalia & pisces: innuit autẽ hac metaphora, quòd iudiciũ Dei inopinatos capit & obruit. Dies Domini sicut fur in nocte, ita veniet. Et cùm dixerint pax & securitas, tunc repentinus eis superueniet interitus. Exemplum habemus in Pharaone, & Balthasar & Sennacherib. 4. Reg. 19. An non autem meritò terrere hæc debent? Sed procedamus. Posuit me, inquit, desolatam, tota die mœrore confectam. Hîc ostendit, quòd iudicium Dei omnem spem & consolationem, omne gaudium & bonum aufert, & non ad tempus tantùm, sed tota die id est, in perpetuum. Dabit, inquit, tibi Dominus cor pauidum. Non credes vitæ tuæ, &c. Sequitur: dedit me in manum, de qua non potero fugere. Hîc ostendit, quod iudicio Dei incipiente nemo effugere potest. Non erit fuga eis, ait Amos, &c. Et iterum. Peribit fuga à veloce, &c. An non & hoc terribile est? Sequitur. Abstulit omnes magnif

Mat. 13. *Apoc. 14.* *Deut. 32.* *1. Thess. 5.* *Exod. 14.* *Danie. 5.* *Deu. 28.* *Amos 9.* *Amos 2.*

magnificos meos, per hoc ostendit, quòd Deo iudicante omnia illa nobis subtrahuntur, in quibus confidimus & quæ vtilia esse possent. Ecce dominator Dominus auferet in die illa ab Hierusalem validum & fortem, senem & iudicem, &c. Hoc etiam re ipsa sic euenit, & etiamnum sic contingit, &c. Sequitur. Vocauit aduersum me tempus, per hoc ostendit, quòd iudicio Dei tempus suum præfixum est: nemo igitur putet se euasisse, si Deus ad tempus dissimilet. Cùm accepero, inquit, tempus, ego iustitias iudicabo. Huc pertinet. Clamor Sodomorum venit ad me, &c. Item implete mensuram patrum vestrorum, &c. Sequitur. Torcûlar calcauit Dominus filiæ Sion, per hoc indicat grauitatem iudicij Dei, premit enim, vt torcûlar, & nihil inexpressum reliquit. Tunc enim manifesta erunt abscondita cordis. Itémque. Arguam te & statuam contra faciem tuam. Item, scrutabor Hierusalem in laternis. Sequitur. Mandauit Dominus aduersum Iacob, in circuitu eius hostes eius? Hìc ostendit quòd Domino iudicâte omnes creaturę hominem impugnant & terrent. Nihil valet nisi hostes. Omnia ei contraria sunt. Deus enim etiam creaturas armat in vltionem inimicorũ, & pugnabit pro eo orbis terrarum, contra insensatos. Vide quàm pulchrè Hieremias descripserit iudicium Dei: hoc autem non ideo fecit, vt ad desperatioēe nos adigat, sed vt territi ad misericordiam confugiamus. Omnia hæc experta est Hierusalem olim. Et nos experimur in parte: vtinam in tēpore expergiscamur, ne & reliqua experiri nos oporteat. Sed quæris, vnde hæc omnia? Audi quid Hieremias interserat. Vigilauit, inquit, iugum iniquitatum mearum. In manu Domini, &c. His verbis pulchrè describit peccati perniciem. Primò enim comparat ipsum iugo, & verè graue iugũ & onus est super omnes filios Adæ, subiicit enim nos diabolo, & quasi captiuos nos tenet. Qui enim facit peccatum, seruus est peccati. Hinc est quòd Paulus dicit se venditum sub peccato, &c. Verè igitur peccatum est iugum illud oneris, & sceptrum exactoris. Vnde solus Christus nos liberat. Deinde dicit iniquitates suas euigilasse in manu Dei, pulcherrima scilicet emphasi. Nos putamus peccata nostra dormire, & tecta esse, inque obliuionem venisse. Reuera autem in manu Domini vigilant, quantò satiùs esset, vt in memoria nostra vigilarent. Sic enin ad pœnitentiam nos adigerent. Tertiò dicit iniquitates suas conuolutas esse, & simul congregatas, quantumuis

Esa.3. *Psal.74.* *Genes.18.* *Mat.25.* *1.Cor.4.* *Psal.49.* *Soph.1.* *Sapiē.5.* *Eccl.40.* *Ioan.8.* *Roma.7.* *Esaiæ 9.*

tumuis enim non simul & vno tempore perpetrantur, tamen ad vnum cumulum & in vnã mensuram congregãtur. Quartò dicit eas nunc impositas collo suo, vel vt pondus deprimentes, vel vt laqueus suffocantes. Certum est, quòd iniquitates tuæ tandem super collum tuum recident. Vides nunc, quàm pernitiosum sit peccatum. Omnia autem hæc experta est Hierusalem, & nos experimur, experiemúrque, nisi properè ad pœnitentiam cõuersi clamemus. Iustus est Dominus, quia os eius ad iracundiam prouocamus. Nec tamen satis est confiteri Dei iustitiam & nostra peccata, sed oportet etiam quærere misericordiam per Christum. Et quibus mediis? Oratione & emendatione vitæ. Hæc hodie cogitemus Charissimi, quanta scilicet infelicitas sit perdere Deum, quàm horrendum sit incidere in iudicium Dei, quánque perniciosum peccare. Doleamus quòd Deum hactenus non tantùm perdidimus, sed à nobis propulimus. Terreamur ad iudicium Dei, fugiamus peccatum. Oremus pro misericordia, &c.

CONCIO QVINTA.

Ad idem prima Augusti.

Conuenimus hodie iterum, quemadmodum Christianos decet vnanimiter Deum oraturi, vt & Ecclesiam & populum suum in nouissimis his pessimisque temporibus conseruare velit, à tam multiplicibus malis & periculis, quæ vndique imminent, nec velit in hoc attendere peccata nostra, sed tantum ineffabilem suam misericordiam. Hæc est causa huius nostræ hodiernæ congregationis, vt neminem latere puto. Faxit Deus, vt & in opere sic inueniatur. Plurimũ enim in hoc situm est, imò tota res & salus nostra. Nã vno hoc medio omnia à nobis mala propellere & auertere possemus. Verum quidẽ est, quòd pessimo in statu res nostræ sunt: At Deus sua potentia potest etiam maiora mala auertere, & sic olim etiam fecit. Tu, inquit dominaris pote-
Psal. 80. stati maris, motum autem fluctuum tu mitigas. Tu humiliasti sicut vulneratum superbum, in brachio virtutis tuę dispersisti inimicos tuos. Tui sunt cæli, &c. Brachium tuum est cum potentia, robusta manus tua, eleuata dextera tua. Iustitia & iudicium præparatio sedis tuæ. Misericordia & veritas præcedunt faciem tuam. Beatus populus, qui nouit iubilationem, id est, qui de his rebus gaudere scit. Imò beatus, qui ex his auditis

confid

confidentiùs ad Deum orat. Inuoca, inquit, me in die tribulationis, Eruam te & honorificabis me. Hæc quàm vera sunt, plena est scriptura exemplis. Vnde Dauid. Cum inuocarem, inquit, exaudiuit me Deus, &c. Quousque ergo, ô filij hominum eritis tam graui corde? Vt quid diligitis mendacium, &c. Scitote, inquam, quia Dominus mirificat sanctos suos. Dominus me exaudiet, cùm clamauero ad eum: Hæc volui dicere, in exordio sermonis, vt eò fidentiùs oremus. Imò in hoc habentur conciones illę extraordinariæ, vt & qui negligentiores aliôqui essent, frequentibus admonitionibus ad orationem vrgeâtur, & pius quisque exemplis & promissis diuinæ gratiæ ad orandum fortiùs animentur. Sic enim sumus vt plurimùm dispositi, vt opus sit nos vel vrgeri vel trahi aut allici. Qui pusillanimis est, libenter oraret sed timet, ne ob suam indignitatem à Deo exaudiatur, vel putat malum suum esse tantum, quod non possit amoueri, atque adeò frustra se oraturum esse, huiusmodi homines exēplis & promissis diuinæ gratiæ ad orationem alliciendi sunt. Qui autem adeo negligentes sunt, quòd nec Deum nec animarū suarum salutē curant, hi & ostensione propriæ miseriæ & declaratione pręsentium periculorum & com minatione etiam futuri iudicij ad orationem vrgēdi sunt. Et hæc quidem in superioribus concionibus obseruaui, obseruabo & nunc, vrgebo & traham ad orationem, quomodo & quibuscunque mediis possum, & spero me non ex toto frustra laboraturum, quanquam si vt Christianos decet, tantummodo Euangelia quæ per annum proponuntur attenderemus, nihil opus esset noua admonitione. Illa enim satis nôs & vrgerēt, & allicerent ad orationem. Verùm quia non omnes ea attēdunt, pulchrè sic institutum est, vt quoties ad orationē conuenimus, semper de nouo & speciali sermone admoneamur. Audiamus igitur vlteriùs in Threnis nostris, quomodo & quibus mediis Hieremias & se & alios ad orationem & timorem Dei permouere conatus sit, sic enim subdit.

TEXTVS.

Audite obsecro vniuersi populi, & videte dolorem meum: virgines meæ & iuuenes mei abierunt in captiuitatem.

Vocaui amicos meos, ipsi deceperunt me: sacer-

dotes mei, & ſenes mei in vrbe cōſumpti ſunt: quia quæſierunt cibum ſibi, vt refocillarent animas ſuas.

Vide Domine quoniam tribulor, conturbatus eſt venter meus: ſubuerſum eſt cor meum in memetipſo, quoniam amaritudine plena ſum: foris interficit gladius, & domi mors ſimilis eſt.

Audierunt quia ingemiſco ego, & nō eſt qui conſoletur me: omnes inimici mei audierunt malum meum, lætati ſunt, quoniam tu feciſti: adduxiſti diem conſolationis, & fient ſimiles mei.

Ingrediatur omne malum eorum coram te: & vindemia eos ſicut vindemiaſti me propter omnes iniquitates meas: multi enim gemitus mei, & cor meum mœrens.

His verbis Hieremias primum caput atque adeo primam ſuam lamentationem concluſit. Nam ſicut libellus hic, quatuor capita continet: ſic habet & quatuor lamentationes. In primo capite lamentatur deſtructionem ciuitatis. In ſecundo captiuationem populi. In tertio ſeipſum. In quarto deſtructionem templi. Vel ſecundum alios: In primo capite lamentatur generalem illam captiuitatem totius generis humani, propter peccatum primorum parentum: In ſecundo lamentatur ſpecialiter captiuitatem Babylonicam Iudæorum: In tertio miſerias & afflictiones piorum in hac peregrinatione: In quarto autem finalem deſtructionem Iudaici populi, quæ per Romanos tunc futura erat, nunc autem facta eſt. Verùm his omiſsis attendamus finem primæ lamentationis, & videamus, quid nobis in eo Spiritusſanctus ſignificare voluerit. Primò, Hieremias ad modū querulantis ſe habet. Nunc hoc nunc illud deplorat, nunc orat, nunc ſeipſum accuſat, nunc inimicis iraſcitur, & ſæpe idipſum repetit, quemadmodū & ſuprà quoque oſtendi. In exordio nunc exclamationem facit, vt fortiùs moueat. Attendite, inquit, vniuerſi populi dolorem meum. Et quis eſt ille dolor tuus, ô Hieruſalem? quia virgines meæ & Iuuenes mei, in captiuitatē abierunt, Vocaui amicos, &c. Et hæc quidem, etiam ſuprà deplorauit, non tamen inutilis repetitio,

aut viciosa tautalogia est, quòd iterum ea deplorat. Imò magnum prophetæ affectum hic videmus. Ex abundantia enim cordis loquitur, & vbi thesaurus tuus, ibi est cor tuum, & quod quis inuitus perdit, de hoc maximè querulatur. Tria igitur fuerunt, quæ maximè augebant prophetæ animum. Primum, quod nemo erat, qui externè adiuuaret. Secundum quòd nemo erat, qui internè cõsolaretur. Tertium quòd nemo erat, de quo etiam in futurum boni quid sperare posset. Hæc tria maximè eum angebāt, ideo toties ea repetit. Nec mirum, verè enim lacrymis digna sunt. Nam aliàs summa etiam mala faciliùs tolerantur, si assit vel externum auxilium, vel interna consolatio, vel saltem spes in futurum. Vbi autem nec auxilium, nec consolatio nec spes etiam in futurum est, ibi meritò quis plorat. Sic aũt erat in Hierosolymis. Cùm adhuc in flore suo esset, tot habebat amicos, hoc est confœderatos reges & populos, vt non dubitaret sibi auxilium affuturum, etiam si quid mali accideret, deinde tot habebat sacerdotes, scribas in lege Dei & scripturis peritos, vt minimè quis crederet ei ciuitati vnquam defuturam consolationem. Postremò tam numerosam iuuentutem habebat, vt persuadere sibi possent, etiam si in præsenti tribulatione nec auxilium nec consolationem haberent, per iuuentutem tamen suam cum tempore restitui posse. Atqui omnia hæc deficiebant. Nullum, inquit, video auxilium ab amicis & confœderatis. Vocaui quidem eos, sed ipsi deceperunt me. Deinde nullam etiam experior consolationem, à sacerdotibus meis. Vocaui quidem & ipsos. Verùm pars eorum in vrbe consumpti sunt, pars reliqua suum tantũ cibum querit ad refocillandas animas. Postremò nec vllam spem habeo, me per filios meos cum tempore restituendam. Nam & ipsi in captiuitatem abierunt. En hæc sunt quæ Hieremias hic repetit. Conqueritur, inquam, quòd Hierusalem nec auxilium nec consolationem nec spem habebat. Hæc autem meritò etiam nobis dicta esse putemus. Cùm enim præsentem Ecclesiæ statum attendimus, paulò mitiora videmus. Habet quidem Ecclesia adhuc potentes amicos, Cæsares, reges, principes, comites, nobiles, &c. sed quid auxilij ab ipsis sentit aut percipit? Habet Ecclesia & multos sacerdotes, Papas, Cardinales, Episcopos, Abbates, Collegia, Monasteria: Verùm quid consolationis ab eis sentit aut percipit? Postremò, habet Ecclesia etiam populosam & numerosam iuuentutẽ, verùm quid boni de ipsis

Mat. 12. *Matt. 6.*

ſperare poteſt? Principes ſunt infideles, Sacerdotes negligẽtes, iuuentus luxu perdita. Vocaui amicos meos, dicit Eccleſia, verùm ipſi deceperunt me. Amicos eos eſſe putabam. Verùm nihil aliud ſunt, quàm amaſij, qui amicitiam quidem prætendũt, ſed tantùm ſua quærunt, nec diutiùs amici eſſe perſeuerant, quàm donec fructum ſentiant. Talium amicorum multos habebat Hieruſalem, cùm adhuc in flore eſſet. At in neceſsitate experiebatur, quid amici illi quæſiſſent. Talium amicorum etiam Eccleſia multos habet, qui videntur eſſe amici. Nam nominantur ſanctiſsimi, & Chriſtianiſsimi & Euangelici, nec enim cõtenti ſunt, vt vulgato nomine Chriſtiani appellentur, quoniã noua ſubinde ſibi aſſumunt nomina, vt videantur veri amici eſſe Eccleſiæ. At nunc videtur, quid auxilij Eccleſia ab ipſis habeat. Nunc apparet, quid quærant, quid pro Eccleſia faciant, & num ſe ipſos an Eccleſiæ vtilitatem quærant. Ex fructibus eorum cognoſcũtur, qui fructus verè peſsimi vſq; adeò & hactenus ſe prodiderunt & indies ſe produnt, vt nõ ampliùs tegi poſsint, magnificis illis titulis. Si enim veri amici eſſent, longè aliter facerent. Quanto iam tempore Eccleſia tales ſuos amicos ad auxilium ſuum vocauit, & maximè anno præterito? *Luca 14.* ſed deceperunt eam, reliquerunt eam: Alius enim villam emerat, alius iuga boum, alius vxorem duxerat, quo minus ad auxilium Chriſtianitatis venirent. Imò pleriq; ipſorum ne dum vocanti & auxiliũ petenti Eccleſiæ non ſubuenerunt, ſed inſuper alios impedierunt, & impediunt, ac etiamnum dolent aliquos ſupereſſe, qui Eccleſiæ bonum quærant. Cupiunt omnes tales iamdudum mortuos eſſe, & cùm nõ aliud poſſunt, ſaltem populo mendaciter perſuadẽt neminem ſupereſſe, qui bonum Eccleſiæ quærat, vt vel ſic deſperantes, & ipſi manum auertant. Hoccine autem eſt Chriſtianum? Hóc ne Chriſtianos principes decet, & eos maximè, qui gloriantur ſe eſſe nouum illum & plus ſatis reformatum populum Euangelicum? Verùm Hieremias omnia hæc prædixit, eo minus igitur mira nobis debent eſſe, quòd olim in Hieruſalem illa contigit, hoc & in Eccleſia impleri neceſſe eſt. Sed quid inquis, Eccleſia adeò opus habet externo horum amicorũ auxilio: Supra petram fundata eſt, & à Deo regitur. Hunc cum habet, nihil aliorum indiget? Reſpondeo. reuera Eccleſia non admodum opus habet externo auxilio principum. Si enim olim à tempore Apoſtolorum, vſque ad tempora Conſtantini conſiſterè potuit, etiam inuitis

& per

& persequentibus eam omnibus mundi principibus, posset etiam nunc sine auxilio eorum consistere, ne dum contra homines, sed etiam contra portas inferorum. Sed est etiam aliud, quod Hieremias conqueritur. Non tantùm, inquit, amici mei à me vocati deceperunt me, sed vocaui etiam sacerdotes meos & senes & nec hi aderant. Videbant quidem dolorem meum, sed nemo me consolabatur. Nam circuibant quærẽtes panem ad refocillandam animam. Quid si etiam hoc in Ecclesia iam cerneretur? Vtinam nõ esset. Verùm in propatulo est omnibus. Quàm parùm auxilij Ecclesia habet à suis principibus, tam parùm consolationis habet à suis sacerdotibus & senioribus, hoc est, prælatis. Quanto iam tempore & ipsos vocauit Ecclesia, vt eam consolarentur? Quanto tempore ipsorum diligentiam desiderauit? quanto tẽpore suspirauit, vt celebrarent concilium ad cõsolandam & pacificandam Ecclesiam? Verùm nec *Zach. 11.*
ipsi audiunt. Cur? quia in vrbe consumpti sunt, Sunt quasi non viuant, dormiunt. Non sunt pastores, sed idôla, nihil aliud faciunt quàm quòd quærunt cibum ad refocillandam animam, hoc est, tantùm quærunt tẽporalia, & quæ ad vitam animalem pertinent, sunt pastores, qui non pascunt oues, sed tantùm seipsos. Hoccinè autem decet Christianos, sacerdotes, & prælatos Ecclesiæ? Num sic fecerunt Apostoli? Certè non. Paulus clamat. Væ mihi, si non euangelizauero. Christus non commendauit Petro oues, nisi ter eum priùs audisset. Domine, tu scis quia amo te. Paulus iterum dicit. Libenter impendam quæcunque habeo, imò superimpendar pro animabus vestris. Hos non necesse erat, vt vocaret Ecclesia, spontè enim parati erant, spontè aderant Ecclesiæ. Sic Paulus cùm in somnis vidisset virum Macedonem orantem, vt in Macedoniam veniret, non statim transiit: Sic cùm videret dissensionem in Ecclesia Antiochena, propter legem Mosi, statim ascendit Hierosolymam, & cum Apostolis concilium congregauit. Si tales pastores nunc haberet Ecclesia, nihil opus esset hac querela. Verùm longè alios habet, nempè tales, de quibus nulla spes est, quòd vel vnquam ex se ipsis concilium celebrabunt, nec vnquam vitam suam reformabunt, nisi externa vi cogantur. Meritò igitur deplorat Ecclesia sacerdotes suos, in vrbe periisse. Sic enim sunt in Ecclesia, quasi non sint: & reuera coram Deo mortui sunt. Sed dico adhuc. Quid igitur, si etiam sacerdotes officio suo desunt, ac Ecclesiam incõsolatam relinquũt? Habemus adhuc iuuentutem

Zach. 34. *1. Cor. 9.* *Ioan. 21.* *2. Cor. 12.* *Act. 16.* *Act. 15.*

tutem numerosam & egregiè literis instructā. Hæc suo tempore Ecclesiam, in pristinum statū restituet. Verùm hoc idem potuisset quis obiicere Hieremiæ querulanti. Quid autē ipse ait? Virgines meæ & iuuenes mei, abierunt in captiuitatem. Dicis hoc quidem apud nos nondum cōtigit. Vtinam sic esset. Si enim iuuentus nostra sana & libera esset, non opus esset lacrymis & querela. Quid autem, si corpore sani sunt & moribus corruptissimi iuuenes nostri? quid si nondum ab hoste captiui abducti sunt, spontè autem in hostium manus currunt? Quid si nihil adhuc à Turca perpessi sunt, & tamen à grauiori tyranno Diabolo scilicet vitiorum funibus constringuntur? Verùm quidem est, quòd numerosam iuuentutem habemus, quid autem prodest esse iuuenem, & simul etiam malum? quid prodest esse doctum & peruersum? Verum etiam est, quòd omnes nunc scholæ, omnes artes florent. Vbi autem manent mores & virtutes? Plus ne refert, vt iuuenes nostri docti euadant an virtuosi? Certè plus refert, vt virtuosi sint, sine scientia enim mundana ad cælum peruenire possumus, at non sine virtutibus & vita Christiana. Surgunt indocti (ait Augustinus de Antonio) & rapiunt cælum, & nos cum scientia nostra in terra repimus. Pulchra quidem connexio est, vbi & artes & virtutes in vnam personam conueniunt. Verum in iudicio non interrogabimur, num multas artes, multas linguas callueriмus, sed num piè vixerimus. Reddet, inquit, vnicuiq; nō secundum scientiam, sed secundum opera sua. An non autem manifestè videmus in iuuenibus omnem disciplinam & virtutes iam dudum periisse? Poterat olim vel solis externis moribus etiam si nihil aliud accederet, agnosci religiosus à seculari. Studens à rustico, virgo à incorrupta, Christianus à pagano. Nunc si religioso detrahas cucullum, nihil quo ad mores differt à seculari: Si virgini corollam detrahas, nihil differt in moribus à corrupta. Sic de studentibus, sic de omnibus Christianis. Quæ igitur spes est, per tales iuuenes Ecclesiam in pristinum statum restitui posse? Certè nulla. Imò non dubium, quin deteriùs habitura sit, & planè in barbariem quandam degeneratura, vbi ad hos iuuenes res redierit. Videmus nunc quale regimen in plerisque locis instituant, iuuenes principes cum similibus sibi consiliariis, tale profectò regimen, quod nemo pius siccis oculis conspicere potest. Virgines, inquit, meæ & iuuenes mei abierunt in captiuitatem. Ex his, vt opinor, satis osten-

Matt. 16.

sum

ſum eſt, quòd etiam Eccleſia nec auxilium à principibus, nec conſolationem à ſacerdotibus nec ſpem à iuuenibus ſuis habet. An non autem peſſimè habet Eccleſia hoc tempore? Qui Chriſtianus eſt, hæc diligenter ſecum expendat, & ni fallor ad lacrymas commouebitur, & ad orationem, propterea, ſcilicet, quòd Eccleſia tam paucos fideles principes, tam paucos diligentes ſacerdotes, tam paucos morigeratos iuuenes, modò habet. Eò fortiùs igitur orandus Deus, vt ſua gratia & ſpiritu omnes & ſingulos excitet Principes, vt fideliter armis protegant: ſacerdotes, vt in verbo Dei inuigilent: iuuenibus, vt ſe in Chriſtianos mores transforment. Verè bona & neceſſaria oratio hæc eſſet noſtris temporibus, & cætera. Sed num hoc ſolum Hieremias hîc deplorat? Nequaquam. Primo quidem loco hoc ponit, ſed addit etiam alia. Conturbatus, inquit, eſt venter meus, ſubuerſum eſt in me cor meum, Amaritudine repleta ſum, quia foris vaſtat gladius. Intus autem mors ſimilis eſt. Et reuera ſic fuit tunc. Duo mala patiebantur intus & foris, & vnumquodque per ſe ſatis magnum erat. Nunc vtraque conuenerant, foris gladius, intus fames. Vtrunque etiam videmus in Eccleſia: Vbique ſe oſtendit gladius ab extra, nec ſolùm ſe oſtendit, ſed iam dudum ſæuire cepit & vaſtare. Intus autem mors ſimilis eſt, imò peior, morimur ex peruerſis dogmatibus, morimur ex peccatis, perimus propter internas ſeditiones, perimus fame verbi Dei, & cætera. Melius eſt interfectis gladio, quàm pereuntibus fame. Melius eſt à Turca temporaliter perdi, quàm à diabolo ſpiritualiter. Quid igitur iuſtiùs hîc facimus, quàm vt dicamus, Vide Domine & conſidera, hoc eſt, vt ad Deum clamemus? quandoquidem ab hominibus neque auxilium neque conſolationem nec ſpem videmus. Huc pertinet totus ille Pſalmus. Qui regis Iſraël intende, & cætera. vbi Dauid non ſemel, imò ſepiùs repetit, & hoc vnum petit: *Pſal. 79.*
Vt Deus faciem ſuam ad vineam ſuam conuertat, & cætera. Sed num ſoli credentes malis ſubiiciuntur? Semper ne impij impunes erunt? Non. Adduces, inquit, ſuper eos tempus, Erunt ſimiles mei. Vindemiabis eos, ſicut me, & cætera. Sic & Machabeorum fratrum vnus dicebat, Antioché: Noli æſtimare genus noſtrum relictum à Deo, & cæt. Et Dauid: Calix *2. Mac. 7.*
in manu Domini vini meri plenus mixto, &c. ſed fecem eius *Pſal. 74.*
bibent peccatores. Iudicium enim nunc incipit à domo *1. Petr. 4.*
Dei

Dei. Quis igitur finis erit eorum, qui non credunt? Habebunt impij suum iudicium eo tempore, cùm nullam inuenire poterunt misericordiam. Nos flagellamur eo tempore, quo ianua misericordiæ adhuc aperta est. Ecce nunc tempus acceptabile, ait, & dies salutis. Hoc igitur curemus, Vt Deum quàm pri-
2. Cor. 6. mum propitium nobis reddamus. Conuertamur igitur à peccatis, Emendemus vitam, quæramus gratiam, Clamemus in cælum pro auxilio, vt quid Domine (inquit Dauid) repulisti in
Psal. 73. finem, Iratus est furor tuus super oues pascuæ tuæ? Memor esto huius, inimicus improperauit Domino, &c. Respice in testamentum tuum, &c. Hoc exemplum orandi hodie imitemur, & vnanimiter oremus misericordem patrem nostrum cælestem, quò principes sapere discant, sacerdotes, quæ sua sunt curent, iuuentus in pristinam integritatem restituatur, in suam gloriam, Amen.

CONCIO SEXTA.

Ad idem, octauo Idus Septembris.

SEpissimè iam hoc anno conuenimus ad orationem, partim adacti malis huius vitæ, partim aut persuasi multifaria admonitione sacræ scripturæ Veteris & Noui Testamenti, quæ & orare nos iubet in tribulationibus, & certam etiam nobis exauditionem promittit, quamuis hoc ipsum minimè adhuc experti simus, imò nihil nisi contrarium vidimus & videmus, nempè quòd Deus subinde magis se à nobis elongat, mala autem & pericula & perditio ipsæ subinde magis augescant, & nobis appropinquent: vt nihil mirum esset, si etiã nunc aliqui
Aba. 1. inuenirentur, qui cum Abacuk auderẽt Deo dicere, Vsquequo
Esa. 58. clamabo & non exaudies? &c. Vel cum Iudæis: Quare ieiunauimus & non nescisti, humiliauimus animas nostras, & non aspexisti? Vereor autem, si sic cum Deo expostulare conaremur, ne nobis idem responsum daret, quot olim Iudæis dedit. Conuenimus quidem ad orationem, at quod interim sunt, qui Deo maledicunt? & impiis operibus ad iram eum prouocant? Quia si etiam omnes simul ad orationem conueniremus, adhuc tamen in nobis verificatur illud propheticũ.
Ibidem. Ecce in die ieiunij & orationis vestræ inuenitur voluntas vestra, hoc est, etsi oramus adhuc, tamen in mala & peruersa vo-
luntate

luntate nostra perseueramus:voluntatem autem Dei negligimus,imò impiè cõtemnimus: qualis autem potest esse oratio, vel quid fructus afferre,vbi orans nihil boni agit,imò incessanter in peccatis suis procedit?Iubet Paulus, vt oremus. Verùm hoc addit. Vt in oratione mundas manus ad Deum leuemus. *1.Tim.2.*
Commendat angelus orationem in Tobia, sed addit ei duos comites ieiunium scilicet & eleemosynam, hoc est, pœnitentiam prioris vitæ & exercitationem in bonis operibus.Quàm paucos autem videmus, qui se à peccatis auertunt? quàm paucos qui emendationi vitæ student?quomodo igitur oratio nostra cælum ascẽdere potest,si duabus suis alis careat, Pœnitentia scilicet & emendatione vitæ? Non igitur est, quod contra Deum queramur, quòd nondum nos audierit, Imò ne semel quidem adhuc rectè & vt oportet orauimus.An non apertè nobis dicit Deus,se neque orationem neque ieiunium, nec festa nec sacrificia &c. respecturum,quamdiu manus nostræ sanguine plenæ sunt? Esa.1,Hiere.11.& 14.Prou.1. Sed quid? Lauamini,inquit,mundi estote,& tunc venite & arguite me, &c.Et iterum: Dissolue colligationes impietatis, solue fasciculos deprimentes,frange esurienti,&c.Tunc inuocabis & exaudiet Dominus,clamabis & dicet,Assum.Ex his similibúsque facilè videmus,non satis esse,quòd in mense semel oramus, imò videmus omnem orationem frustraneam esse, si desit pœnitẽtia & emendatio vitæ.Vult quidẽ Deus rogari, Verùm simul etiam vult timeri & honorari. Si ego Dominus (inquit) vbi est timor meus?Si ego pater vester,vbi est amor meus?Quid tu faceres seruo tuo,qui multa peteret à te, & tamen interim nihil tuum imperium curaret, imò omnia in contrarium faceret? Nõne accepto fuste eum domo abigeres?Et indignamur,quòd Deus non statim nos exaudit, si in mense semel orauerimus, cùm interim omnia eius præcepta pedibus cõculcemus?Reuera non exaudiet. Imò accepta virga tantisper nos percutiet, donec tandem nostri ipsorum misereamur.Et quidem iam dudum incœpit percutere, nec admodum longè à nobis est: Videmus quanta seueritate percusserit Vngariam prioribus annis, & nondum finis. Imò qui prius effugisse se gaudebant, nunc virgam furoris Domini sentiunt.Videmus itidem, quanta seueritate nunc percutiat regiones inferioris Alemaniæ, &c.Sed nunquid hi soli peccauerunt præ omnibus aliis hominibus? Non, sed ad terrorem & admonitionem nostram hæc

Tob.2. *Esa.1.* *Esa.58.* *Mala.1.*

fiunt. Nisi enim pœnitentiam egerimus, omnes simul peribimus. Solùm hoc nos decipit, quòd putamus flagellum Dei longè adhuc à nobis abesse, nec ad nos peruenire posse. Verùm exempla iam dicta ostendunt, vanam esse hanc confidentiam: Neque enim vel Vngaria vel inferior Germania ante paucos annos credidissent, tãta mala ipsis obuẽtura. Hæc igitur exempla nos terrere debent. Nam quod aliis accidit, etiam nobis accidere potest: maximè cùm non minus peccatores simus quàm illi. Ob hanc causam etiam nunc non video, quid magis congruere ad rem nostram posſit, quam Threni Hieremiæ: Loquuntur quidem illi de rebus antiquis, de Hierusalem & Iudæis, sed nihilominus, etiam ostendunt, quid nobis timendum sit, & quanti terrores, angustiæ, miseriæ, &c. sequantur, vbi semel iudicium Dei sæuire inceperit. Hæc autem scire & cogitare multùm nobis commodare posset, in his malis temporibus. Audiamus igitur Hieremiam.

Luc. 13.

CAPITIS SECVNDI TEXTVS.

Quomodo obtexit caligine in furore suo Dominus filiam Sion: proiecit de cælo in terram inclytam Israël, & non est recordatus scabelli pedum suorum in die furoris sui.

Hoc est exordium secundi capitis, imò & secundæ lamentationis, atque adeò etiam secundi alphabeti. Nam Hieremias lamentationes suas descripsit secundum ordinem literarum alphabeti Hebraici, quo quid significare voluerit, nunc omitto. Veteres quidem nostri multùm in hoc laborarunt, nec dubitàrunt prophetam, imò spiritum sanctum speciale aliquid per hoc nobis indicare voluisse. Verùm tempus non patitur, omnium omnes opiniones adducere. Ego, quæ ad rẽ nostram pertinent proponam. Et primò, quod suprà quoque admonui, etiam nunc admoneo, non quærendum esse ordinem in his lamentationibus; morem enim lamentantium & querulãtium vbique seruat, qui nunc hoc, nunc illud querulantur, frequenter eadem etiam repetunt. Hoc tamen loco nulla inutilis repetitio est. Vult enim nobis spiritus sanctus iudicium illud, quo Hierosolyma vastata olim fuit profundè infigere, vt discamus timere Deum. Vide igitur, quomodo propheta secundam

eundam suam lamentationem incipiat. Quomodo, inquit, obtexit, &c. Obseruandum, quòd non simpliciter recésset, quid Hierusalem perpessa sit, sed cum dolore & compassione: hinc non simpliciter dicit, Dominus obtexit filiam Sion caligine, sed quomodo, inquit obtexit? loquitur enim admirando & dolendo. Vnde faciè videmus, quanta compassione & dilectione commune aliorum malum quasi proprium duxerit. Cùm tamen aliorum incommodum, ipsius maximum commodum esset. Nam stante adhuc Hierosolyma multa perpessus fuit à populo suo: Nam & eum vt mendacem arguebant, Et vt proditorem accusabant, Hier. 37. Et libros sermonum eius comburebant igni, Hiere. 36. Denique ipsum etiam carceri mancipabant, in quo pereundum illi fuisset, nisi eum rex Babylonis inde liberasset. Hinc est, quòd toties conqueritur in libro suo. Ve mihi mater vt quid me genuisti? &c. Et iterum: Vt quid natus sum, videre laborem & dolorem? &c. Tam malè, inquam, habuit Hieremias, incolumi adhuc ciuitate. At ea destructa multò meliùs habuit. Nam & rex Babylonis eum è carcere liberauit, & muneribus donauit, & optionem dedit, quocunque vellet pergendi. Tam benè habebat Hieremias, destructa ciuitate, econtrà autem, qui eum afflixerant, vel miserabiliter occidebantur, vel sine misericordia in captiuitatem ducebantur. Ipse tamen nedum illorum iniuriæ oblitus, sed etiam propriam pacem nihil curans, commune damnum populi deflebat. Non videbatur bene esse, si alij malè haberent. Atque hæc est piorum hominum conditio, quòd aliorum & bona & mala vt sua propria accipiunt, gaudent cum gaudentibus, flent cum flentibus: faciunt sicut membra eiusdem corporis, quorum si vnum patitur, omnia compatiuntur. Hoc autem in sanctis agit fides, qua in vnum Deum feruntur spiritus quo reguntur, & charitas, quæ eos quàm arctissimè simul colligat & cõnectit. Et qui in aliorũ malis non afficiuntur, vt in propriis, hi planè se produnt, quòd nec fidem nec spiritum nec dilectionem habẽt. Inter quos autẽ huiusmodi homines cõnumerare possumus, nisi inter eos, qui neq; cũ Deo, nec cũ Ecclesia partẽ habẽt: Quæ omnia nobis nõ immeritò dicta putem*, quorũ tãta est duritia, vt nihil nos moueat, qcq; aliàs, nedũ Christianis aliqbus, sed toti etiã Ecclesię aduersi cõtigerit: Hos homines pulchrè arguit Esdras sub typo eius mulieris, quæ in malo cõmuni suũ tã ũm

Marginal notes: Hier. 20 — Hiere. 38. — Hiere. 15. — Hiere. 20. — Roma. 12. — 1. Cor. 12. — 4. Esd. 10

HH 2 priua

priuatũ incõmodũ, hoc eſt, mortẽ filij plorabat. O ſtulta, inquit, ſuper omnes mulieres, nõ vides luctũ noſtrũ, & quæ nobis contingunt? Ecce Syon mater noſtra omni triſtitia contriſtatur, & omnes nos lugemus, tu autem contriſtaris in vno filio? In hũc modum arguebat Eſdras mulierem illam, quæ oblita communis mali, proprium tantùm incommodum deplorabat. Quid autem nos aliud facimus, quàm quod mulier illa fecit? Audimus quidem multos querulantes, ſed ob quam cauſam? quia infirmi ſumus, quia moriuntur filij, pereunt fruges, cogimur dare exactiones pro Repub. conſeruanda, &c. Hæc conquerimur, quòd autem Turca quotidiè Chriſtianitati aliquid detrahit, quòd regiones deuaſtat, Chriſtianos miſerè & crudeliter interficit, Imò quòd nomen Chriſti penitus abolere cupit, ac in eius locum diabolũ ſuum Mahometum ſubſtituere, Item quòd Germania noſtra tam miſerè inteſtinis bellis cõcutitur, imò perit: Quòd denique tota Eccleſia erroribus & ſectis tam multipliciter fœdatur & ſcinditur: &c. Poſtremò, quòd omnis deuotio, fides, virtus, &c. perit, omnis autem leuitas indies augeſcit, nemo ponderat, nemo conqueritur, imò huiuſmodi rumoribus nosipſos in cõuiuijs & oenopoliis exhilaramus. Quæ noua, inquiũt ex Vngaria, ex inferiori Germania, ex Saxonia? Hæc, inquam cum voluptate audimus, & pro nouis rumoribus circumferimus, ac dicimus. Tot vrbes Turca occupauit, hic princeps nouum bellum, vel potiùs ſeditionem contra Cæſarem ſuſcitauit, hic concionator nouum libellum famoſum ſcripſit, in hunc vel hunc principem, &c. his inquam nouitatibus nos exhilaramus, cùm oporteret nos ad ſingula hæc dolere & querulari. Tales Chriſtiani nunc ſumus, ſic nos commouent mala communis Eccleſiæ. Certè ſi in nobis eſſet fides, ſpiritus ſanctus & charitas, longè aliter ageremus. Quid autem ſcriptura dicit de huiuſmodi hominibus, qui nedum non compatiuntur aliorum malis, ſed etiam inde quaſi gaudẽt & riſui habent? Væ, inquit, qui ſpernis, nónne & tu ſperneris? Et Solo-
Eſa.23. mõ. Qui obturat aurem, ne audiat clamorem pauperis, & ipſe
Pro.21. clamabit, & non exaudietur. Et adhuc apertiùs Hieremias in præcedenti capitulo. Vocaui, inquit, amicos meos & ipſi decę-
Thre.1. perunt me. Audierunt, quia ingemiſco ego, & non eſt, qui conſoletur me. Audierunt malum meum, & lætati ſunt. Sed num impune hoc fecerunt? Audi iudicium Dei. Adduces ſuper eos tempus, vt fiant ſimiles mei. Omnia mala ipſis à te venient, & tu eos

tu eos vindemiabis ſicut me vindemiâſti. Hîc audis iudicium ſpiritus, audis ſententiam eſſe latam, quòd qui aliis non compatiuntur, iuſto Dei iudicio, eadem mala tandem perferre cogentur. Hæc nobis dicta ſint fratres. Ideo etiam tot verbis hîc vſus ſum, vt vel tandem diſcamus aliorum & maximè communis Eccleſiæ malis indoleſcere, cùm ſciamus etiam nobis ſimilia poſſe contingere, imò iam dudum ab eo, qui mentiri non poteſt, comminata eſſe. Hactenus igitur de prima illa dictione, qua querulando & admirando dixit. Quomodo obtexit. Nunc reliqua verba etiam conſideremus. Obtexit, inquit, caligine Dominus filiam Syon, ídque in furore. Hoc verbo oſtendit non tam, quid Syon illa paſſa ſit, quàm quid boni perdiderit. Legimus in Exodo, quod cùm Aegyptus denſiſsimis tenebris obducta eſſet, ex ſpirituali plaga Dei, apud Iſraëlitas tamen lux erat, & quod tunc ſemel viſibiliter contigit, hoc poſteà ſpiritualiter ſemper impletum fuit. Omnibus gentibus caligine errorum, ſuperſtitionum, vitiorum excæcatis, Iſraëlitæ lucem habebant legis & diuinæ cognitionis, quòd quantum bonum fuerit, ſcriptura non ſatis explicare poteſt, En, inquit Moſes ad populum ſuum, En populus ſapiens & intelligens, Non eſt enim alia natio tam grandis, &c. Et Baruch. Beati ſumus, ô Iſraël, quia quæ Deo placent, manifeſta ſunt nobis. Et Dauid, Lauda Hieruſalem Dominum, &c. quia inter cætera beneficia annunciauit verbum ſuum Iacob, &c. Non fecit taliter omni nationi, &c. In hunc modum lucem habuit Syon illa. At quid nunc? Dominus, inquit, obtexit eam caligine, non tantùm caliginem offudit, ſed obtexit eam caligine. Et reuera ſic fuit in Hieruſalem, antequam à Chaldæis caperetur, nihil niſi tenebræ & caligo erat. Nemo videbat, nemo audiebat, nemo conſulere poterat, nemo auxiliari, ſed ſicut in tenebris ambulans nec bona nec mala videt, vbique offendit, plerunque in ipſum periculum & perditionem ſe imprudens coniicit: Sic tunc erat Hieroſolymis, nemo videre poterat, quæ vtilia eſſent. Nemo audiebat prophetas bene monentes, nemo cogitabat iudicium Dei, nemo bene conſulentibus obtemperabat. Imò, quaſi omninò exæquati periculo, & perditioni occurrebant. An non autem eſt terribile iudicium, vbi Deus ciuitatē aut regionem aliquam ſic tenebris obtegit, ſic excæcat? Verè magnum & terribile iudicium. Sic enim etiam Moſes impiè agētibus comminatus eſt, Percutiet

Exod. 10. *Deut. 4.* *Baruc. 4.* *Pſal. 147.* *Deut. 28.*

te Dominus amentia, & cœcitate & palpabis in meridie, nec
Esa. 19. diriges viā tuam. Sic Esaias de Aegyptiis dicit. Vbi nunc sunt
sapientes tui? Stulti facti sunt principes Thaneos, &c. quia
Dominus miscuit ei spiritū vertiginis. Sic & de Israëlitis comminatur. Obstupescitis, inquit, & admirabimini. Fluctuabitis
Esa. 29. & vacillabitis. Ebrij eritis & non à vino, quoniam miscet vobis Dominus spiritū saporis. Imò claudet oculos vestros, prophetas & principes operiet. Peribit sapiētia à sapientibus, &c.
Et erit vobis visio quasi verba libri signati, &c. Sic & Hiere-
Hier. 4. mias, in die cùm iudicare cœperit Dominus, peribit cor regis & principium, obstupescent Prophetæ, & sacerdotes conserua-
buntur. An non autem videntur tibi, quòd omnia hæc etiam in nobis impleantur? Certum est, quòd nos sumus spiritualis illa Sion, & vetus illa figura nostri fuit. In illa enim Deus præostendere voluit, quid in Ecclesia vel boni vel mali acturus es-
1. Cor. 10. set. Omnia, inquit, in figura contingebant illis. An non autem Ecclesia, præ omnibus aliis gentibus habuit lumen veritatis, sapientiæ & iudicij? At vbi nunc maior cæcitas, ignorantia, stultitia, insania videtur, quàm in Christianis? Omnes ebrij sumus, & insensati facti, id est, nemo videt, in quantis periculis & malis simus, nemo audit, quæ ad pacem & salutem nostram facere possent. Nemo præuidet futura. Nemo cogitat, quid futurum sit; longè meliùs etiam Turcæ rebus suis prospiciunt:
Luce 16. Filij seculi prudentiores lucis sunt: Vnde autem hæc tanta nostra cœcitas, nisi ex iusto iudicio Dei? Dominus nos obtexit caligine, idque in furore suo. Quod vt verum appareat, vno & altero exemplo ostendam. Primò. An non ipsissima excæcatio est, quòd tam potentem hostem habemus, & tam propè & talem quem scimus omnibus nobis ex æquo hostem esse, talem, inquam, qui nedum bona, sed & corpus & vitam. imò & animas nostras perdere cupit? & tamen eidem non tantum non obsistimus, sed nihil non facimus, & attentamus, quo minùs ei resisti possit, tergiuersamur, protestamur, excitamus alia bella, prouocamus alios. &c. eáque omnia contra datam fidem, & in perniciem totius Ecclesiæ. Verè excæcauit nos Deus. Deinde, an non misera res in principibus & statibus imperij est, quòd vident discordiam illam nostram intestinam vergere in malum & deuastationē totius Germaniæ? Non tamen student eam tollere, sed indies magis eam discordiā fouent & augent. Vnde autem hoc prouenit? Excæcauit eos Deus. Præterea an

non insignis excæcatio est, quòd Christianissimum habemus Cæsarem, qui omni studio pacem, concordiam & bonum Germaniæ nostræ quærit & promouet? Et tamen nemo est, qui ei bene velit, inuidemus ei fortunā prosperam, dolemus quòd feliciter ei succedit: Fauemus hostibus eius, &c. Excæcauit nos Deus. Ad hæc, vt ad spiritualia quoque veniam, An non magna excæcatio est capitum Ecclesiæ, quòd vident & sciunt, quàm multa correctionem exigerent in Ecclesia, sciunt quòd omnes boni hoc petunt & suspirant: Sciunt, quòd propter hanc negligentiam suam omnes prælati Ecclesię malè audiunt, ridentur, maledicuntur, exhibilātur, pro laruis & idôlis habentur. Imò vident, quòd propter hęc scandala multi indies ab Ecclesia desciscunt. Vident innumeras animas sanguine Christi redemptas in æternum perire, nec tamen minimùm emendare & corrigere student. Excæcauit eos Deus. Insuper an non insigniter excęcati sumus Ecclesiastici omnes, quòd scimus vitā nostram turpem & scandalosam, impiam & plusquā impiam esse? Scimus, quid mundus de nobis sentiat: Scimus, quòd omnibus odiosi sumus. Scimus in quātis periculis ante aliquot annos fuimus. Audimus insuper, quid nostri similibus indies contingat in aliis regionibus, & tamē in nihilo emendamur, imò indies deteriores efficimur, indies maiorē inuidiam cōtrahimus, indies magis prouocamus homines in odium nostri. Excæcauit nos Deus. Deniq; an non insigniter etiam vulgus hominū excæcatū est? Vident se per blādiloquos nescio quos sermones abduci ab omniū pietate & deuotione, & virtute ad leuem & licentiosam vitam, &c. Vident se indies fieri deteriores, & magis impios. Vident se perire, in corpore, anima & bonis temporalibus, & tamen non cessant, seductoribus illis credere, nolūt prudētes fieri tot damnis acceptis, ac necdum diaboli insidias & deceptiones sentiunt. Excæcauit eos Dominus. Postremò: vt simul omnia compræhendam, videmus quòd nihil nobis prosperè succedit, neque domi neque militiæ, videmus Deum nobis ex aduerso stare, & tamen non studemus eum placare. Excæcauit nos Deus. Et quis miseriam illam omnem enumerare posset? Verè obtexit Dominus in furore suo Ecclesiam densissima caligine, & meritò quidem. Nolumus habere lucem. Iustè igitur tenebris & cæcitate percutimur: Nolumus gratiam Dei, iustè igitur furorem eius sentimus. Dominus æmulator est, ait Nahum, & vlciscens Dominus, & habens furorem, vl- *Nahum 1*

ciſcens in hoſtes ſuos.Hoc igitur primum eſt quod Hieremias hîc lamentatur.Congruè autem ab excæcatione incepit, quos enim Deus punire vult,primò excæcat, quemadmodum pater filium percuſſurus viã præcludit,ne effugere poſsit. Quid autem poſt excæcationem ſequitur?Audi.Proiecit de cælo in terram inclytam Iſraël. Et hoc igitur Sion illa plus ſatis experta eſt.Nihil illa erat ſublimiùs,videbatur quaſi in cælo ſedere reſpectu aliarum ciuitatum & regionum , at nunc nihil illa humiliùs, deiectius, miſeriùs. Sic excæcationem certò ſequitur præcipitatio.Nemo tam altè ſedet cui non immineat præcipitatio,ſi præceſſerit excæcatio. Ex his videmus , quid nobis timendum ſit. Excæcationẽ plus ſatis videmus in omnibus ſtatibus certò ſequetur proiectio & præcipitatio.Et quid dico,ſequetur? Imò iam in actu eſt. Quid ſublimiùs fuit Eccleſia? Quid nunc eadem humiliùs? Erat in cælo propter cæleſtem conuerſationem: Nunc in terra volutatur terrenis tantùm occupata, & quia ſpiritualiter cecidit, externè non diu ſtare poteſt.Sed dicis. Meliora ſperamus,Deus miſericors,nõ derelinquet Eccleſiam.Audi quid Hieremias ſubdat.Non eſt recordatus ſcabelli pedum ſuorum in die furoris ſui.Nominat autem Hieruſalem ſcabellũ pedum Domini,propter tẽplum & cultũ diuinæ religionis:vel propter arcam,ſuper quam erat propitiatorium quaſi ſedes Dei. Pulchra autẽ ſimilitudine tumultum ruentis miſeræ ciuitatis expreſsit,dicendo,Et non eſt recordatus ſcabelli,&c. quaſi enim regem aliquem oculis oſtendit ſedentem in alta ſede, ſcabellum habentem ſub pedibus , tanto furore excitatum, tanta vi cõmotum, vt pedibus ſe non tenentibus, ſcabellum longè proiecerit , dum neſcit nec præ ira attendit, quantum hoc nociturum ſit pendentibus pedibus ſuis. Sic Deus templum & cultum ſuum proiecit,cùm tamen ſciret gloriæ ſuæ laudem ceſſaturam.Si igitur hoc ſecutum eſt excæcationem Iudæorum , Meritò etiam nobis timendum eſt. Si
Rom. 11. enim naturalibus ramis non pepercit,Vide ne & tibi non parcat.Eccleſia nunc eſt ſcabellum Domini.Tunc quidem Hieruſalem , quia ſola cultum Dei habebat , ſola dicebatur ſcabellum pedum Domini. Nunc autem quia in omni terra inuocantur nomen Domini,& omnis terra plena eſt Eccleſiis Chri
Eſa. 66. ſti, rectè omnis terra dicitur ſcabellum pedum Domini. Vnde
Mat. 5. & in Propheta prædixit: Cælum mihi ſcabellum pedum meo-
Pſal. 107 rum. Et in Euangelio, Ne iuraueris per terram , quia ſcabel-
lum

lum pedum Dei est. Vnde & Psalmus. Exaltare super cælos Deus, & super omnem terram gloria tua. Iam si Deus prius illud scabellum suum ita proiecit, in die furoris sui, vide quid timendum etiam nobis sit. Hæc igitur hodie cogitemus, & non tantum cogitemus, sed omni studio præuenire studeamus. Terribile iudicium est, vbi Deus excæcat, terribilius, vbi proiicit: Terribilissimum autem, vbi obliuiscitur hominis. Hæc autem tria semper se inuicem consequuntur, nisi maturè pœnitentiam agant homines. Apparuit hoc in Iudæis, Apparuit in multis etiam populis Christianorum, qui cum primò excæcati fuissent, post proiecti sunt in manus Turcarum. Nunc quodammodo Deus ipsorum oblitus est, &c. Quid igitur melius hodie facere possumus, quàm vt oremus cum Psal. Ne memineris Domine iniquitatum nostrarum antiquarum, &c. Huiusmodi, inquam oratio summè nunc necessaria est. Oportet nos confiteri peccata, oportet pœnitere. Oportet orare, signanter autem pro remissione antiquarum iniquitatum, hoc est, non debemus in præsenti peccare, sed de præteritis pœnitere. Qui furabatur, inquit, iam non amplius furetur, &c. Sic de aliis dicere possum. Hanc orationem quam pœnitentia comitatur Deus exaudiet. Qui vt nos eo audiat omni studio orandus est.

CONCIO SEPTIMA.

Ad idem, octauo Idus Nouembris.

SI cognouisses & tu, &c. Qui sedulum & fidelem agit patremfamilias, si infirmitate aut necessitate alia coactus nonnihil sui officij prætermittit, eò maiorem posteà diligentiam adhibet, vt intermissa resarciat & suppleat. Idem faciunt studiosi literarum: Idem etiam probi filij & serui, si quid honoris & conscientiæ in ipsis est. Quod si etiam nos sic affecti essemus, in negotio quod nũc agimus, nihil opus esset noua admonitione: Intermissa fuit præcedente mense statio nostra, idque propter vindemiam, quæ homines aliò vocat. At nunc hodie iterum & de nouo conuocati sumus, si igitur Christiani sumus, si quid prouidentiæ in nobis est, si cura salutis nostræ tangimur, supplere de cætero debemus, quod intermissum fuit, ac eò frequentiùs conuenire, eòque feruentiùs orare, quandoquidem plus satis

hactenus experti sumus, frustrà adhibita fuisse omnia naturalia media, humanáque consilia, atque adeò solum orationis ad Deum nobis relictum esse confugium. Reuerà enim fratres mala illa & nouissima & periculosa tempora, de quibus tam Christus, quàm Paulus tam terribilia prædixerunt, super nos venerunt: ob quam causam etiam mihi sorte obuenit, quod nulli concionatorum in multis retrò annis obuenisse credo, nempe quòd toties de rebus tam tristibus concionari cogar. Reuera!, ô popule Christiane, missus sum ad te durus nuncius, quemadmodum olim Achas ille dixit vxori regis Hieroboam, quæ lætiora cupiebat audire. Verùm idololatria & impietas regis aliud merebatur. Sic & Hieremias maluisset quidem læta nunciare, sed non potuit: quia statim in prima visione vidit virgam vigilantem, & ollam succensam, è quibus facilè coniicere potuit, quòd parùm boni, plurimùm autem mali populo immineret. Ei autem visioni cogebatur sermonē suum conformare, alióqui fidelis Propheta non fuisset, maximè cùm Dominus ipse diceret. Visionem illam certam & indubitatam perditionem populum portendere. Sic Ezechiel antequam inciperet prædicare, iussus est comedere librum, in quo nihil erat scriptum, nisi lamentationes & Væ: quid igitur mirum, quòd & ipse plerunque dura & tristia prædicauit? Quid aliud prædicaret, quàm quo plenus erat? maximè cùm Deus illi interminatus esset, se sanguinē pereuntium è manibus eius requisiturum, si non illis annunciaret peccata & futuram pœnam. Sic & Esaias cùm vidisset Deum pro tribunali sedentem, audissétque sententiam ab eo latam, quòd populus Iudaicus excæcatus & obduratus perdendus esset, non se potuit continere, quin tristia hæc quantumuis ingrata essent, populo denunciaret. Sic & Achab læta qiudem cupiebat audire, à Michea, Imò ideò Prophetam odiebat, quòd semper mala illi prophetaret. Quod autem aliud poterat Propheta, impietate regis nihil melius merente? Vtinam, inquam, non essem vir habens spiritum. Itidem & mihi vsuuenit. Tanta mala externè nos premunt, támque impiè intus viuimus, vt non possim nisi tristia prędicare. Iustè igitur cum Hieremia clamarem, &c. Væ mihi, vt quid natus sum videre laborem & miseriam. Sed quid agas? Qualia tempora, talis & prædicatio esse debet. Qualis populus, tale & Euangelium. Imò fatetur Dauid, quòd Deus ipse cum peruersus peruertitur

[Margin notes: Mat. 24. / 2. Tim. 3. / 3. Reg. 14 / Hier. 1. / Ezech. 2. / Ezec. 5. / Esa. 6. / 3. Reg. 22 / Mich. 2. / Hier. 20. / Psal. 17.]

uertitur. Vtinam lætiora nobis affulgerent tempora. Vtinam sic uiueremus, vt Deus irasci nobis non posset. tunc & ego læta prædicarem. At vt nunc se habent res, vereor ne diutiùs cum Hieremia nostro lamentari cogar. Auertat Deus, ne similem exitum inueniamus, qualem habuit populus ille, cui idem Propheta prædicauit. Age, igitur audiamus, quid idem propheta ampliùs lamentetur. Sic enim & periculum nostrum meliùs intelligemus, & feruentiùs orabimus.

TEXTVS.

Præcipitauit Dominus nec pepercit, omnia speciosa Iacob: destruxit in furore suo munitiones virginis Iuda, & deiicit in terram: polluit regnum & principes eius. *Thren. 2.*

In hoc versu, sicut & in præcedenti, Hieremias Deũ admodum terribilẽ facit. Eiusmodi enim verbis vtitur, quæ nõ propitium patrem, sed iratũ iudicem ostendũt: nempè, præcipitauit, destruxit, polluit. Horũ verborũ multiplicatam grauitatẽ irę & iudicij Dei ostendunt, & semper sequens plus aliquid addit priori. Huiusmodi autem verborũ multa simul conglomerat in hoc cap. vt videamus quàm terribilia omnia fiãt, vbi iudicium Dei se exerit. Hierusalem cum suo populo hoc experta est. Nulla ciuitas ei ciuitati, nec quisquam populus ei populo priùs cõparari poterat. Habebat Hierusalẽ, quicquid ad decorem & magnificentiam ciuitatis pertinet, quàm diu in vigore erat. Habebant Iudæi, dũ in gratia Dei essent, quicquid ad bene constitutũ populũ pertinebat. In summo omnia erant, per hoc enim omnibus gentibus & toti mundo ostendebatur, quòd ea ciuitas populúsq; & bonũ & potentem atq; adeò verùm Deum haberent. Cæterũ cum peccatis suis Deum ad iracundiã prouocâssent, omnia etiã simul collabebantur, adeò vt ne minimum quippiam remaneret: sicq; eadem ciuitas populúsq; omnibus gentibus exemplo esset, Deum illum verũ non minùs iustum, quàm bonũ esse. Hoc igitur Hieremias in hoc versu & sequentibus describit, imò in toto hoc libro. Quid dicã, inquit, de repentina illa mutatione huius ciuitatis, à summa felicitate in summam miseriam & infelicitatem? Nulla vnquã ciuitas res preciosiores habuit. Nulla fortiores munitiones externè & spiritualiter. Nulla iustiores, sanctiores, reges & principes. At nũc omnia

omnia in diuersum ceciderunt. Dominus enim præcipitauit speciosa quæq; & destruxit munitiones, polluit regnum, &c. Hæc conqueritur Hieremias in hoc textu. An non autem miseriarum satis in tam paucis verbis compræhendit? Et cur hæc scripsit? Num propter eos, qui hoc perpessi sunt: Nequaquam: quid enim querelæ rebus perditis? Propter eos igitur hæc scripsit, quibus similia contingere possunt. Nos inquam tangunt hæc. Nos ad hoc exemplum obstupescere debemus. Nobis eorum perditio debet esse admonitio. Et reuera iam dudum tempus fuisset, nos ad huiusmodi exempla terreri. Et fer mè nimiùm distulimus. Nemo non videt: quàm malè habeat Ecclesia. vndequaque & ex omni parte. Nemo tam rudis, qui non coniicere possit ab irato Deo hæc nobis immitti, aliòqui, quomodo tot mala permitteret, nisi nobis iratus esset? quomodo Turcis tam prosperè omnia succederent, Itidémque pseudochristianis illis omnium rerum perturbatoribus? quomodo è contrà piorum omnia consilia & conatus sic in irritum cadere possent, si Deus non esset iratus? Certissima signa sunt indignationis diuinæ, vt interim taceam, quòd hoc idem etiã in aliis rebus plùs satis colligere possumus. Attendamus saltem cælum & terram, videbimus quid à Deo nobis expectandum sit: Terra ita se gerit, quasi nolit nos ampliùs pascere. Cælum autem, quasi omnia elementa certàm nobis perniciem minentur. Ad hæc Deus ipse ita gerit, quasi ampliùs auxiliari nolit. Cùm igitur tam certis signis iram Dei contra nos videamus, nimiùm heu nimiùm distulimus pœnitentiam nostram. Neque tamen adhuc nobis desperandum est. Si enim Hieremias adhuc salutem promittebat pœnitentibus, etiam cùm ciuitas à Chaldæis iam obsessa esset, & tota regio vastata: Hæc,
Hier. 7. inquit, dicit Dominus. Bonas facite vias vestras, & habitabo vobiscum, in loco hoc: non multò minus nobis de bonitate Dei desperandum est, sed eò fortiùs clamandum, & ex his quæ iam videmus & patimur præcogitare, quæ etiam in posterum adhuc mala immineant. Hoc pulchrè nobis ostendit textus hic, si oculos aperuimus. Quid igitur dicit Hieremias? Præcipitauit Dominus, &c. Suprà quoque admonui, quòd Iacob, Iuda, Israël, Hierusalem, Syon, in hoc libello pro eodem accipiantur, nempè pro populo fideli, qui tunc erat è semine scilicet Abrahæ. In cuius populi locum, nos nunc successimus. Iam certum est, quòd populus ille antiquus multa pretiosa & speciosa

ciosa habuit, ne dum externè, sed omnium maximè spiritualiter. Primò enim templum ipsum in se speciosum & pretiosum opus erat, toti mundo admirandum. Hinc tertius liber Regum non satis describere potest, quanto sumptu & labore & diligentia ædificatum fuerit. Deinde, multa pretiosa fuerunt in templo. Omnia enim quæ in ipso erant, vel purum aurum erant, vel ad minus auro purißimo tecta. Spiritualiter autem multò pretiosiora habuerat ciuitas illa, nempe tot viua Dei templa, tot vasa misericordiæ, tot sanctos, tot patriarchas, tot prophetas, tot pios homines, & verè Israëlitas, &c. At nunc quid? Præcipitauit Dominus omnia speciosa, præcipitauit, inquam, non effectiuè sed permissiuè, permisit omnia præcipitari: externa quidem per Chaldeos, Interna per pseudoprophetas, Imò diabolum ipsum, &c. An non autem in Ecclesia eadem vidimus & videmus? Quàm pretiosa quámque speciosa olim habuit Ecclesia? quot insignes ciuitates? quot diuites regiones? quot inclyta regna? quot magnificas Ecclesias & templa? quàm pretiosam templorum suppellectilem? quot magnifica collegia? quot pias fundationes? Et quid tantùm loquor de externis? quot sanctos homines habuit Ecclesia? quot quàm fortißimos martyres? quot probos sacerdotes? quot Deo deuotos religiosos? quot honestas virgines? quot deuotas viduas? quot honestos ciues? quot pios principes? & cæt. Hæc sunt speciosa, & pretiosa Ecclesiæ, Hic est decor eius. His illa gemmis comitur, dotata sic placet CHRISTO, sic ornat altum verticem. At nunc omnia perierunt: præcipitauit Dominus omnia speciosa, id est, præcipitari permisit. Ipsius enim permissu & iusto iudicio, Turcæ & Turcis peiores Christiani externis bonis spoliant Ecclesiam. Diabolus autem per falsos doctores, per sectas, hæreses & vitia interna corrumpit. Sicque fit, quòd vbi priùs fuerunt Ecclesiæ, nunc prô dolor, sunt stabula equorum: Vbi priùs Deus colebatur, nunc diabolus colitur, Quod priùs in cultum Dei insumebatur, nunc in luxum & superbiam insumitur, vbi priùs probi sacerdotes erant, nunc sunt ventres pigri, onera terræ, frumenta consumere nati, & cæt. vbi priùs erant deuoti religiosi, ibi nunc sunt perfidi apostatæ. Vbi priùs pudicæ virgines, nunc sunt lasciuæ meretrices. Sic contrà Ecclesia permittente & iudicante Deo, omnia speciosa sua perdidit, & etiamnum perdit. An non autem hæc lacrymis digna sunt? Et vnde hæc mala,

nisi

nisi è peccatis nostris? Quandiu patres nostri vocationi suæ inseruiebant, florebat Ecclesia, externè & internè. Nunc autem, quia vocationis nostræ immemores sumus, omnia pereunt internè & externè. Iustus es Domine. Sed pergamus. Olim (inquit Hieremias) ciuitas Hierusalem habuit munitiones firmissimas. Habebat nedum muros & turres, sed protectionem etiam diuinam, custodiámque angelorum, habebat fidos pastores, qui ei erant pro munimento. Nam & interponebant se murum, aduersus iracundiam Dei, quemadmodum Moyses & Aaron. Et obsistebant impiis regibus, quemadmodum Samuel, Helias, & cæt. Denique etiam diabolo se opponebant. Nunc autem Dominus destruxit omnes munitiones, virgines Iuda, externè & spiritualiter: hinc nedum diabolus, sed & falsi prophetæ & impij homines in eam irruunt. An non similia videmus in Ecclesia? Nihil olim erat munitiùs, cùm & orbem terrarum haberet, & Deum & angelos & fidissimos quosque pastores, Ambrosios, Augustinos, Hilarios, & cæt. Vbi autem nunc sunt tales pastores? Nemo nunc est, qui se opponat murum pro domo Dei. Mercenarij sunt, & viso lupo fugiunt, sibi ipsis consulentes. Hinc est, quòd Ecclesia huiusmodi munitionibus & propugnatoribus destituta, ab omnibus bestiis vastatur, Vndique irruunt hæreses, nemo est, qui prohibeat. Denique olim piorum prælatorum studium erat ne dum hæreticis obsistere & tyrannis, idque periculo etiam vitæ suæ, sed insuper etiam reges & principes inter se digladiantes ad concordiam & pacem redigere studebant, ne scilicet bellis & tumultibus pauperes conficerentur. Et ô verè sanctum officium, & opus. Beati, inquit, pacifici, quoniam filij Dei vocabuntur. Nunc autem Episcopi vel maximè reges & principes ad bella instigant, plerunque etiam iniustissima, tantùm abest vt ipsis obsistant. Omnes facti sunt adulatores principum & regum. At non talis erat Ambrosius erga Theodosium, quem ausus fuit etiam ab Ecclesia prohibere, &c. Vnde autem nunc tanta pastorum oscitantia, & infidelitas, nisi quòd Deus hæc permittit propter peccata nostra? Non digni sumus melioribus. Sicut populus, sic & sacerdos. Sicut eum colimus, sic ipse nos visitat. Verùm pergamus. Olim habuit Hierosolyma etiam bonos, pios, sanctos reges & principes, quales fuerunt Dauid, Iosaphat, Ezechias, Iosias, &c. At nunc & reges & principes polluti sunt, ait Hieremias, id quod satis ostendunt libri regum

Marginal references: *Ezech.13.* *Exod.32.* *Ezech.13.* *Matth.5.* *Ose.4.*

gum. An non autem & Ecclesia habuit pios sanctos & verè nobiles reges, & principes, Constantium scilicet, Valentinianum, Theodosium, Martianum, Carolum, & cætera? Sed nunc Deus propter peccata nostra etiam regnum & principes polluit, id est, pollutos & immundos ostendit, & vt tales abominatur, id quod heu nimium verum est. Quid enim in principibus & nobilibus aliud videmus, nisi summam immunditiam, superbiam, luxuriam, auaritiam, tyrannidem, crudelitatem, &c. omniúmq; aliorum hominum contemptum, &c. Ad hoc designandum etiam non nisi leones, vrsos, pardos, aquilas, &c. immanes scilicet bestias, armis suis affingunt. Quid autem boni sperare possumus, sub talibus pastoribus, & principibus? Verissimè igitur cum Hieremia conqueri possum. Præcipitauit Dominus omnia speciosa Iacob. Destruxit omnes munitiones virginis Iuda. Polluit regnum & sacerdotes. Et his ablatis, quid aliud sequi potest, quàm extrema perditio? Nec aliud remedium nobis relictum est, nisi vt præueniamus faciem Domini, in confessione peccatorum nostrorum & iustitiæ ipsius, ac deinceps indulgentiam fusis lacrymis postulemus. Dicamus igitur cum Baruch: Domine Deus tibi iustitia, *Baruch 2.* nobis autem confusio.

CONCIO OCTAVA.

Ad idem, Idibus Decembris.

SI omnes intelligere possemus, simúlque cordi imprimere vellemus, ea, quæ hoc tempore aduentus, ex Esaia leguntur in Ecclesia, nihil opus esset spirituali sermone; ad hanc nostram stationem. Vnus enim ille Esaias nobis vel solus ad omnia satisfacere posset: tam exactè in eo prophetæ proponuntur omnia, quæ his nouissimis & periculosis temporibus præcogitatu nobis necessaria sunt, qualia sunt: Multitudo peccatorum nostrorum, grauitas diuini iudicij, crebræ denique illæ admonitiones, & diræ comminationes, quas subinde è supernis habemus: quæ omnia vel maximè inculcanda sunt tempore generalis orationis. Orare quidem & ad Deum clamare, præcipua causa est nostræ huius congregationis. Verùm quid prodest orare, si perpetuò in pece

peccatis maneamus? Imò quis verè & ex animo & ardenter orare potest, qui suam miseriam necessitatémque nondum videt aut cognoscit? Certè vtrunq; in nobis videri potest, etiamsi nullum aliud exemplū aut scriptura suffragaretur. Vnde enim est, quòd etiam nunc in tantis malis tam frigidi sumus ad orationem, nisi quòd non videmus, non cogitamus, non credimus quanta nobis mala immineant? Nec aliunde venit, quòd orantes etiam nihil impetramus, quia perpetuò in peccatis manemus. Quomodo enim nos exaudiret Deus orantes, qui eum non audimus præcipientem? In his duobus hactenus omnis defectus noster fuit, quòd & periculum nostrum nec dum videmus, & etiam peccare non desistimus. Nihil igitur tam necessarium esset, quàm vt quotidie de his rebus sermo fieret. Sic enim & prophetæ veteres fecerunt, vbi mala ingruebant, id quod hactenus satis ex Hieremia nostro audiuimus. Idem nūc etiam legimus ex Esaia. In cuius rei testimoniū, Vnum exemplum ponam. Sic enim idem propheta cùm multis verbis expostulasset, cum Israëlitis tandem Deum introducit conquerentem, de vinea sua, id est, synagoga, quòd eam tam diligēter
Esa. 5. plantâsset & excoluisset: Ipsa tamen nihil nisi malos & amaros fructus proferret. Expectaui, inquit, vt faceret vuas, fecit autem labruscas. Quæ autem fuerint hæ labruscæ, & mali fructus, subinde exprimit, nempe duritia & immisericordia erga pauperes, etiam in iudicio. Expectaui, inquit, vt facerent iudicium, & ecce clamor. Deinde insatiabilis auaritia, qua nō cessabant agrum agro copulare, &c. Tertiò luxus & abusus eorū, quæ auarè contraxerant. Sic enim vt plurimùm malè quæsita peiùs pereunt. Quartò consuetudo peccandi, adeò quòd iniquitatem quasi in funiculis trahebant, nunquam cessantes peccare, nunquam pœnitentes. Postremùm erat & omnium pessimum, contemptus & prophetarum & verbi Dei, omniúmque
Esa. 5. comminationum diuinarum: Festinet (inquiebant) & veniat opus eius vt videamus, &c. Hi fuerunt mali illi fructus, quibus & Esaias ex ore Dei in eodem capitulo sexies imprecatur horrendum illud Væ, simúlq; explicat, quomodo in ipsis complendum esset. Ideò, inquit, iratus est furor Domini in populū
Ibidem. suum, &c. Et paulò pòst. Ecce Dominus eleuabit signum, in nationes procul & sibilabit, &c. vsq; ad finem capitis. Hæc & similia hoc tempore ex Esaia legimus in Ecclesia. Sunt autem talia, quæ sine omni dubio terrorē nobis incuterent, si intentè
consid

considerarentur. Ipsa enim nostra conscientia, & cor testantur, eodem nos dignos iudicio, quandoquidē omnes illi mali fructus tam manifestè in nobis quoque se produnt. An non enim ex syluestri oleastro inserti sumus in bonam oliuam? An non in vineam Domini vocati sumus? Imò. An nō in veram vitem Christum insiti sumus? Et curauit, vt vuas, id est, bonos fructus proferamus, fidem scilicet, spem, charitatem, timorem Dei, contemptum terrenorum, temperantiam, affectum ad diuina, &c. Qualis autem fructus nos proferimus? Verè nihil aliud, quàm labruscas. An non pauperes vbique conqueruntur se opprimi & spoliari etiam in iudiciis, quod vnicum eorum confugium est? An nō vbique inualuit insatiabilis illa auaritia, tam inter prophanos, quàm inter ecclesiasticos? An non luxus & voluptas & abusus omnium rerum vbique regnant? An non impiam & impœnitentem vitam ducimus? An non maior pars nostrûm eò deuenit amentiæ & impietatis, vt nihil ampliùs curet, nec verbum Dei, nec cōminationes, nec promissa? Quis igitur dubitare potest, etiam nobis intentari horrendum illud Væ? Maximè quando in plerisque videmus iram Dei iam jam incensam, & quòd etiam contra nos populum Deus excitauit è longinquo Turcas scilicet, qui leues, veloces, crudeles &c. sunt ac omnia deuastare parati. Hæc si ex Esaia consideraremus, non opus esset alia admonitione. Verùm pauci hæc legunt, multò pauciores intelligunt. Atque vtinam vel hi ea cordi imprimerent, qui ea legunt in Ecclesias. Non parua enim vtilitas Ecclesiæ esset, si vel solùm ad iudicia Dei contremisceret. Capite enim sanato facilè mederi posset aliis membris. Hæc igitur ex Esaia dicta sint; Nunc & Hieremiam nostrum audiamus. Sic incepit Hieremias secundam suam lamentationem. Quomodo (inquit) obtexit Dominus &c. Primos duos versus suprà enarraui. Et quidem satis malorum in ipsis contentū esset, etiamsi nihil aliud sequeretur. Quid enim non mali esse potest, vbi Deus excœcat, præcipitat, obliuiscitur, destruit, abiicit, polluit? E diuerso tamen magnum etiam peccatum sit, oportet, quòd Deum qui natura clemens est, cuius proprium est misereri & parcere, ad tantam iram & iudicium commouet. Atque hoc ipsum est, quòd propheta vel maximè deplorat. Non enim tam attendit mala externa, quam quòd Deus ita per peccata populi offensus esset. Nec tam deplorauit damnum & pœnam; quàm peccatum, quibus pœnā illam

Roma. 11. *Matt. 20* *Ioan. 15.* *Thren. 2.* *Exod. 34.* *Iohe. 2.*

meruerant. Atque hæc est Christiana lamentatio. Vbi enim tantùm deplorantur externa mala, nihil mirum aut nouum est. Nam etiam gentiles hæc faciunt & sciunt. Christianus autem plùs debet deplorare spirituale damnum, quàm temporale, aut corporale, plùs peccatum quàm pœnam peccati. Hoc enim probi filij officium est, vt non tam curet pœnam, quàm quòd patrem offenderit. Imò paratus esset, plùs pati, vt patris tantum ira conquiesceret. In hunc modum, & Hieremias mala populi sui deplorat. Audiamus igitur, quid vlteriùs dicat. Sequitur in textu.

TEXTVS.

Threu.2. Confregit in ira furoris omne cornu Israël: auertit retrorsum dexteram suam à facie inimici: & succendit in Iacob, quasi ignem flammæ deuorantis in gyro.

Circa hunc textum imò totum hunc librum, primò omnium obseruandum est, quòd Hieremias non aliorum, quàm Israëlitici populi & ciuitatis Hierusalem miseriam deplorat. Nam aliôqui nihil mirum esset, nec adeò multum ad nos pertineret, si mala hæc vel super Babylonem, vel super Aegyptum, aut alias gentilium ciuitates venissent. Cùm enim huiusmodi homines Deum non cognoscant, atque adeò nec glorificent aut colant, nihil aliud expectare possunt, quàm certam perditionem. Hîc autem longè aliud est. Hîc introducitur dilectus ille populus, & ciuitas illa sancta. Nulli in mentem venire poterat, quòd Deus contra hos tam seuerè ageret: Nec ipsi hoc credere vnquam poterant, aut volebant, donec reipsa experirentur, *Hier.7.* quantumcunque Hieremias apertè eos admonebat. Nolite confidere in verbis mendacij. Nolite dicere templum Domini, templum Domini est, &c. Putabant enim impossibile esse, quòd Deus suum populum, suam ciuitatem, suum templum, suum cultum sineret à gentilibus deuastari. Nihilominus tamen factum esse videmus. Hoc, inquam, diligenter obseruandum est. Ideo enim & Hieremias toties filiæ Syon, dominus Iacob, Et ciuitatis Hierusalem meminit. Ideo etiam tam prolixè omnia describit. Ideò eadem sæpiùs repetit. Ideo denique semper aliis atq; aliis verbis rem exaggerat: Vt omnes videant, quòd Deus etiam in suis non impunita dimittat peccata imò quod in illis duriùs puniat peccata, quàm

 in aliis

In aliis. Quid enim tantoperè irasceretur super gentiles, quibus nunquam perfectè, nec seipsum nec voluntatem suam manifestauit? Quid eos in hac vita puniret, quibus æterna pœna præparata est? Illis autem iustè irascitur, quibus & seipsum & suam voluntatem manifestauit, si impiè viuant. Illos meritò etiam hic punit, quibus cùm promisisset æternam vitam & regnum suum, ipsi eo spreto temporalia tantùm ambiunt. Meritò igitur vtraque perdunt. Hæc ideo dico, vt verba Hieremiæ magis & profundiùs cordibus inscribamus. Nam fermè idem facimus, quod Iudæi illi fecerunt, quantumcunque videamus, audiamus, sentiamus, quantumcunq; etiam admoneamur, & terreamur. Imposibile putamus esse, vt à Deo deseramur, hoc solo confisi, quòd baptizati sumus, quòd nomen Christi gestamus, quòd Euangelium audimus, quòd tẽpla habemus, quòd cultum externum vtcunq; persoluimus, &c. nec interim videmus, ꝙ nostri similes qui omnia quoq; hæc habuerunt, miserè perierunt, & subinde alij atq; alij pereunt. Nobis, inquam parceret Deus, qui tam ingrati, tam inobedientes, tam peruersi & impij sumus? Iudiciũ incipit à domo Dei, adeò vt iustus etiam vix euadat, & nos impunes erimus? Non dubium, quin nostris iam temporibus multi innocentes à Turcis interempti sint, & quibus non erat iudicium, biberunt calicem Domini, & nos pollicemur nobis impunitatem? Qui verè Christianus est, etiam cùm omnia perfecerit, tamen fatetur se esse seruum inutilem. Qui verè pius est, omni studio pietati insistit, nunquam tamen sine timore est, sed veretur omnia opera sua, quemadmodum Iob, ne in iudicio Dei inueniatur tortum, quod videbatur rectum. Et nos nec quicquam boni facere, nec à malis cessare volumus, & tamen pollicemur nobis impunitatem, quasi Deus cogatur nos habere. En contra hanc vanam, damnabilem & perniciosam cõfidentiam, militat libellus hic, & qui eum diligenter legit, nunquam sine timore erit, quòd si peruenire possemus, quòd residuum est, spõte sequeretur, nempe, vt ad cor reuersi orationi, confessioni, pœnitentiæ & emendationi vitæ insisteremus. Hæc præfari me oportuit. vt magis moueant verba Hieremiæ, quæ nunc enarrare incipiam. Dominus, inqt, cõfregit in ira furoris sui omne cornu Israël. &c. In hoc versu iterũ tria iudicia Dei recenset, & talia, id est, quę meritò terrere nosquoq; debẽt, quãdoq; & super nos venire possunt, & partim iã super nos venerũt, quãquã pauci sint, ꝙ hoc videant

1. Petr. 4.
Hier. 49.
Iob 9.
Thren. 2.

deant. Primũ iudicium est, quòd confregisse dicitur Dominus omne cornu Israël, Hic autem Propheta metaphorã inducit, ac exemplum sumit à bestiis, quæ fortitudinem suam in capite & cornibus habent, atque eisdem se defendunt ab incursu aliarum bestiarum. Quo fit, vt in scriptura plerunque per cornu significetur fortitudo & virtus. Quæris igitur, quale cornu
Psal. 17. & quam fortitudinem Israëlitæ præ aliis habuerint? Audi Da-
Psal. 19. uidem. Diligam te Domine virtus mea. Dominus firmamen-
Psal. 43. tum meum, &c. & paulò pòst. Protector meus & cornu salutis meæ. Et iterum: In nomine Dei nostri exaltabitur cornu nostrum. Et iterum, In te inimicos nostros ventilabimus cornu. In hoc cornu, in hac fortitudine quam Deus dabat, imò quæ Deus ipse erat, confidebant patres illi, omnésque à se hostes repellebant. Hoc cornu confidens Abraham, quatuor reges vicit: Iosue vnum & triginta reges: Gedeon, Amalechitas: Sam-
Deut. 28. pson, Philisteos: Dauid, Goliam. Hoc cornu Israëlitas præstabat omnibus inuictos. Sic enim promiserat Deus: Si audieris
Leuit. 28. vocem meam, dabo hostes tuos corruentes ante te, vna via venient, & septem viis fugient. Et iterum, Quinque ex vobis percutient centum, & centum fugabunt decem milia. Hęc, inquit Hieremias, habuerunt Patres nostri, tale cornu, talem fortitudinem. At nunc longè aliter sese res nostræ habent. Iam enim ne vni quidem regi Chaldæorum resistere possumus. Nulla ampliùs in nobis fortitudo. Dominus enim confregit cornu nostrum, potestatem nostram, &c. An non autem similia nos experimur? Idem cornu habuit Ecclesia, quòd habuerũt Israëlitæ, hoc est, eandem fortitudinem, eundem Deum, in quo & cuius virtute, omnes reges terræ sibi subiugauit, neque ei diabolus nec mundus, nec tyranni nec hæretici impedire potue-
Psal. 79. runt. At nunc Ecclesia ab omnibus illis conculcatur, & vindemiant hanc vineam omnes, qui prætergrediuntur viam. Imò & ferus ille aper depascitur eam, nec est qui adiuuet. Dominus enim propter peccata nostra confregit cornu nostrum, subtraxit auxilium suum. Sic & Germania nostra suum cornu, suam fortitudinem habuit, & talem quam externæ nationes olim & mirabantur & horrebant, at nunc & nomen & fortitudinem nostram perdidimus, quòd è bellis nostris contra Turcas maximè nihil nisi confusionem reportamus. Quia enim à vera religione & cultu Dei in nescio quam leuitatem & impietatem degeneramus, Deus etiam iusto iudicio suo confregit cornu

nostrum

nostrum, abstulit cor & virtutem nostram, vt ne in minimo hostibus Turcis resistere possimus. Sic enim & olim omnibus à pietate declinantibus comminatus est. Si, inquit, non audieritis vocem meam, ponam faciem meam contra vos, & corrue tis coram hostibus vestris & subiiciemini odientibus vos. Fugietis nemine persequente. Dabo enim pauorem in cordibus vestris. Terrebit vos sonitus folij volantis, &c. Et iterum. Tradet te Dominus corruentem ante hostes tuos, per vnam viam egredieris, & per septem fugies. Et erit cadauer tuum esca volatilibus cæli, &c. Adducet super te Dominus gentem de lõginquo, &c. Vxorem accipies, & alius imò hostis tuus dormiet cũ ea. &c. ad longum. Hæc, inquam Deus olim comminatus est, & hoc Israëlitæ experti sunt. Nos quoque nunc vel maximè experimur. Et quid mirum, si Deus impiè agentibus cor & fortitudinem auferat, cum id etiam gentibus olim fecerit, & quidem, ob leuiora peccata? Romani enim cùm semel contra ius gentium pugnassent contra Gallos, ita puniti sunt, vt omne cor, consilium, prudentiam & fortitudinem perderent, adeò vt ad vrbem è pugna fugientes, nec portas hostibus insequentibus clauderent, & omnibus in manu hostium relictis ad Capitolium fugerent, &c. Hæc sunt iudicia Dei. Sic igitur & nostrum nunc cornu contriuit, quomodo igitur de cætero hostibus Turcis resistemus? Profectò nihil vnquam contra ipsos egregiè agemus, nisi cornu nostrum, fortitudo nostra nobis restituatur. Hos autem nemo potest præstare, nisi Deus. Nunquam autem præstabit, nisi à peccatis auersi ad ipsum per pœnitentiam reuertamur. Hoc igitur primum est, quod Hieremias conqueritur. Imò quod boni omnes nunc conqueruntur, fractum scilicet esse permittẽte Deo cornu nostrum. Sequitur in textu. Auertit (Dominus) dexteram suam à facie inimici. Hic de Deo loquitur more hominum, qui quem subleuare aut tueri volunt, manu adiuuant, & hostem vel retinent vel repellunt. Cùm autem Deus sepiùs, & mirabiliter Israëlitas subleuauerit, & hostes eorum mirabiliter etiam correcerit ab eorum infestatione, cõgruè dicitur manus eius cum ipsis stetisse. Item super hostes eorum aggrauata fuisse. Sic Nehemias dicit manum Dei fuisse secum bonam. Econtrà autem videbant Israëlitæ manum magnam quam exercuerat Deus contra Aegyptios. Sic in Esaia Dominus dicit. Nunquid abbreuiata est manus mea, vt saluarę non possim? In summa, Israëlitæ hãc promissio

Leuit. 26. *Deute. 28* *Nehe. 2.* *Exo. 14.* *Gene. 15.*

misionem habebant, Ego protector tuus, Noli timere. Sic in
Psal. 104 Psalmo dicitur, Pertransierunt patres illi de gente in gentem, & tamen manus Domini continebat aduersarios. Non reliquit (inquit) hominem nocere eis, & corripuit pro eis reges. Nolite tangere christos meos, & in prophetis meis nolite malignari, &c. Exempla habes, Genes. duodecimo, & vigesimo sexto &c. At nunc, inquit Hieremias, Dominus manum suam auertit, neque enim nos protegit, nec hostes prohibet. Vtrunque verissimum erat. An-non autem eadem in nobis experimur? Quis nos hactenus custodiuit, nisi manus Dei? Quis diabolum & Turcas ab infestatione & perditione nostra prohibuit, nisi manus Dei? At nunc Deus neque diabolum nec Turcas prohibet, Quicquid proponunt, prospere efficiunt. Auertit enim Dominus peccatis nostris sic exigentibus manum suam, à facie inimici. Et quid restat, nisi extrema perditio? nisi Deus denuò hostes nostros manu potentiæ suæ impediat, retrahat & repellat? Et hîc igitur opus erit nobis pœnitentia, qua reconcilietur nobis Deus. Sequitur. Succendit (Dominus) flammam ignis, deuorantis in gyro, hoc reipsa expertus erat Hieremias. Nam Chaldæi & ciuitatem & templum & omnia igne combusserant. Non tamen de materiali solùm igne intelligendum est: Erat enim alius ignis qui non minùs populus illum cum omnibus suis deuorauit. Nempe ignis discordiæ, inter duo regna Iudæ & Israël. Deinde ignis auaritiæ & impietatis, qui omnium animos occupauerat. Iustè igitur etiam ignis externè deuorans secutus est. An non autem eadem in nobis videmus? Nondum quidem ad nos peruenit ignis externus, qui tamen admodum prope est. Imò proximus parieti nostro. Verùm ignis internus iam dudum sæuit & omnia deuastat. An non ignis deuorans est, inaudita illa discordia inter nos Germanos? Hæc discordia nusquam non regnat inter principes, inter populares, in inter prædicatores, pater dissentit à filio, filius à patre, &c. Hoccine illlud tempus est, quod futurum prædixit Saluator noster. Lucæ vigesimo primo. Matt. vigesimo quarto. O quanta bona nobis aufert hæc discordia? quanta mala adfert? Præter hunc est alius ignis, qui non minus sæuit & omnia deuastat, Ignis scilicet auaritiæ. Hic ignis vbiq; ardet, In foro, in têplis, in officinis, In pretoriis, In aulis principû, in monasteriis. Nemo quicquã nisi de acquirenda pecunia cogitat. Hic ignis vsq; ad ossa

ad ossa ardet, nulli parcit, omnia adimit, quibus pauperes sustentari possent. O quanta damna adfert hic ignis? Vnde tot bella, nisi ex insatiabili auaritia principum? Vnde hæc discordia, nisi quod Dei charitas abiiciatur? vnde fames, nisi ex auaritia fœneratorum? &c. Hic ignis etiam Ecclesiam destruit. Vnde enim tanta inutilium hominum turba, tanta raritas doctorum & piorum in Ecclesia ministrorum, nisi ex auaritia quorundam, qui omnia ad se rapiunt? De hac clericorum auaritia, etiam D. Bernardus ante quadringentos annos conquestus est, in Concilio Remensi. Nostris, inquit, temporibus non est ornare sponsam Christi, sed spoliare, non custodire sed perdere, non defendere sed exponere, non instruere, sed prostituere, non est pascere gregem Domini, sed mactare & deuorare. Sic enim de illis prædixit Dauid. Deuorauit, inquit, plebem meam, sic cibum panis peccatorum precia exigunt & peccatoribus solicitudinem non impendunt, plus inuigilant subditorum euacuandis marsupiis, quàm vitiis extirpandis. Vbi est qui flectat iram Domini? qui prædicet annum placabilem? Nihil tam sanctum & bonum quod non in fornace auaritiæ conflent & profligent, in acquisitionem turpis lucri. Hæc sunt ipsorum studia. His insatiabili desiderio inhiant, pro his ne amittant timent, cùm amittunt dolent. Cura animarum nihil curatur. Quales autem hi pastores sunt, quid patrimonio crucifixi incrassati, impinguati, dilatati, non tamen compatiuntur super contritionem Ioseph? Hæc & similia Bernardus ante 400. in auaritiam clericorum detonauit. Et quid nunc diceret, si nobiscum esset, quandoquidem ignis hic non decreuit interim, sed in immensum excreuit? Quod autem de auaritia clericorum dixi, hoc idem de aliis dicere possim. Quis principum sua sorte contentus est? quis iudicum? quis præfectorum? quis artificum? quis denique famulorum? Omnes auaritiæ student, à minori vsque ad maximum. Sic igitur ignis ille omnia vastat & deuorat, iustè hoc permittente Deo, vt primùm nos ipsos consumamus, antequam exteris hostibus tradamur. Hoc autem certo futurum expectamus. Sic enim ignis discordiæ primùm, deinde auaritiæ etiam Romam perdidit: Imperiúmque eorum ad alios transtulit, ipsósque alienæ potestatis esse fecit. Ex his videmus, quàm pulchrè verba Hieremiæ etiam pericula nostra nobis ostendant. Quid autem faciendum? Certè vterque ignis tam discordiæ quàm

auaritiæ in tantum excreuit, vt humanis mediis & vix fisti & comprimi possit: & alióqui quod Deus aufert nemo retinere potest. Oportet nos ante omnia ad Deum confugere, is enim per spiritum charitatis potest extinguere ignem discordiæ. Et per spiritum pietatis ignem auaritiæ. Insuper etiam potenti manu sua potest repellere à nobis ignem hostilem. Ob hanc igitur causam hodie conuenimus, oraturi Deum, vt ipse sua gratia mala præsentia & imminentia à nobis præseruet. Cæterùm non tantùm orandum, sed etiam à peccatis cessandum. Alióqui enim Deo placere non poterit oratio. Ideo etiam nunc concludo, sicut & aliàs. Si volumus à præsentibus imminentibus malis eripi, oportet nos à peccatis cessare, pœnitentiam agere, vitam emendare, & sic tandem ex toto corde ad Deum clamare. Hæc si fecerimus, non deseret nos Deus. Oremus igitur æternum Patrem Domini nostri Iesu Christi vna cum filio suo & Spiritusancto, vt ipse hoc cornu Israëlis denuò confirmet in misericordia, quod in ira furoris sui confractum est, Amen.

CONCIO NONA.

Ad idem, quarto Idus Ianuarij.

SI cognouisses & tu, &c. Non æstimo quemquam tam simplicem esse, qui non videat hodiernam illam nostram congregationem longè dissimilem esse festis, quæ hactenus celebrauimus. Tunc enim omnia læta esse erant, nemo non ad gaudium inuitabatur. Hodie omnia tristia sunt, omnésque admonemur & præteritorum peccatorum, præsentium malorum, imminentium periculorum. In proxima festiuitate Epiph. læti cantauimus: Venite exultemus Domino, venite adoremus Dominum: Hodie canimus, Cognoscimus Domine, quia peccauimus. Tunc nos inuitabat Dauid ad laudandum Deum, super misericordia nobis gentibus ostensa. Hodie Hieremias inuitat ad luctum & pœnitentiam, super commissis peccatis & intentato iudicio Dei. Tam citò cythara nostra versa est in luctum, vt Iob ait: Tam citò defecit gaudium cordis nostri, versúsque est in luctum chorus noster, &c. vt Hieremias ait. Tam citò dies festi nostri conuersi sunt in luctum, vt quis vel ex hoc solo, si nihil aliud habeat, satis coniicere possit, quo in statu res nostræ sint. Non enim sine causa fieri credendum est, quòd etiam in festis

Psal. 116.

natalitiis ad pœnitentiam fletũ & planctum admonemur. Certè Deus annum nobis admodum lætè incœpit per missionem filij sui & prædicationem gratiæ. Deinde etiam ipse Christus ideo venit, vt annũciaret annum Domini acceptabilem & per- *Esa. 61.*
petuũ iubileũ. Sed nec ipsa festa sic instituta, sunt vt tam citò
cessare debeant. Imò vt perpetuò durarent, essétque sabbatũ ex *Esa. 66.*
sabbato. Nostra igitur culpa fit, oportet, quòd gaudiũ nostrum tam citò finẽ habet. Sic enim & olim Iudæis mirantibus, quòd
in terra aliena habitarent, &c. hanc causam eis obiecit, Dere- *Baruch 3*
liquisti fontem sapientiæ, &c. Si in via Dei ambulâsses, habitares vtique in pace super terram. Itidem & ego respondeo iis, qui mirantur tanta vndique in mundo esse. Nos inquam priuamus nos ipsos gaudio & pace quam angeli annunciârunt. Nobis & nulli alij imputandum, quòd hoc etiam tempore cógimur lugere, quo patres nostri festos egerunt dies. Peccata *Hier. 5.*
nostra prohibent bonum à nobis. Iniquitates nostræ diuidunt *Esa. 59.*
inter nos, & Deum. Et ideo væ nobis, quia peccauimus. Hoc, *Thren. 5.*
inquam in causa est, quòd gaudium nostrum diu durare potest, quódque festa nostra tam citò vertuntur in luctum. Non tamen ideo nobis desperandum est. Hæc ipsa enim tristitia, ad quam nunc admonemur, magna bona nobis conferre potest. Imò per eam pristinum gaudium recuperare possumus, si ea rectè vtamur, hoc est, si per eam ad pœnitentiam & inuocationem diuini nominis vrgeamur. Sic Israëlitæ in tristitia sua ad Deum clamantes, paulò pòst senserunt eam in summum gaudium mutatam, vt vno ore dicerent. Cantemus *Exod. 15.*
Domino, &c. Idem videmus in his, qui Bethuliæ obsideban- *Iudit. 13.*
tur, &c. Item in his, quos impius Aman opprimere decreue- *Hester 8*
rat. Ex his similibúsque historiis etiam nos quoque consolationem & spem nobis hauriamus. Si pacem gaudiúmq; quod patres nostri habuerunt, perdidimus, at eò fortiùs conandum, vt per tristitiam quæ secundum Deum est, ea recuperemus: nec curemus quòd naturæ & carni non ita arrideant, vt res lætæ & prosperæ, sed finis attendendus. Sic enim etiam in externis videmus sanitatem deperditam, interdum amaris medicinis, imò sectionibus & vstionibus recuperari, quæ etsi læta esse ægroto non prosint: tamen patienter ea fert, quando videt se aliter non posse ad sanitatẽ pertingere. Sic nobis quoque hodie cogitandum. Hoc sibi vult conuentus ille noster hodiernus. In hunc finem hactenus Hieremiam lamẽtantem in-

troduxi. His enim solis malis nostris mederi posset: Vtitur quidem amaris medicinis, nam & peccata nostra nobis detegit, & iudicium Dei intentat, omnia tamen ad salutem nostram, vt videlicet Deum in aduersis discamus agnoscere, cuius in prosperis obliti fuimus, & vt eius iudicia timere discamus, cuius gratia & beneficiis attrahi noluimus. Audiamus quid Hieremias vlterius dicat.

TEXTVS.

Tetendit arcum suum quasi inimicus, firmauit dexteram suam quasi hostis: & occidit omne quod pulchrum erat visu in tabernaculo filiæ Sion: effudit quasi ignem indignationem suam.

Factus est Dominus velut inimicus: præcipitauit Israël, præcipitauit omnia mœnia eius, dissipauit munitiones eius, & repleuit in filia Iuda humiliatum & humiliatam.

In his duobus versiculis Hieremias pergit adhuc describere grauitatem diuini iudicij. Iterúmque nouis & aliísque verbis vtitur, vt magis rem exageraret, maiorémque terrorem nobis incutiat. Hoc enim in toto hoc libro agit, vt discamus Deum eiúsque iudicia timere. Hoc si discimus, satis fructus ex hoc libro reportabimus. Is enim timor & à peccatis nos abstrahet, & ad omnia bona vrgebit, atque ex consequenti etiam à malis liberabit, & præseruabit. Hoc timore vacui erant Iudæi: Ideo nec Dei præcepta curabant, nec à peccatis cessabant, nec prophetis credebant, sed falsa securitate sibi ipsis blandiebantur. Non, inquiunt, veniet super nos malum. At quid econtra Hieremias hîc dicit? Nunc inquit apparet, quo illos duxerit impietas eorum: Nunc videtur quàm horrende incurrerint in iudicium Dei. Caueat, quisquis saluus esse cupit, ne vnquam tam temerè & impiè in Deum agat. Iudicium Dei non tardabit, tantæ autem seueritatis est, vt ego tot verbis ipsum satis describere non possum. Hoc sibi vult Hieremias in toto hoc libro: Atque vtinam idipsum nobis persuaderi pateremur. Proxima certè via esset ad recuperandam pacem, & omnia bona. Sed verba ipsa expendamus. Tetendit Dominus arcũ suum velut inimicus, &c. Verba hæc lõgè dissimilia sunt his, quæ in

festis natalitiis Christi audiuimus. Tunc enim de Deo ita prædicabat Esaias. Consolamini, consolamini populе meus, ait Deus vester, &c. Super montem excelsum ascende, qui Euangelizas Sion. Dic ciuitatibus Iudæ, Ecce Deus vester? Tam læta Esaias prædicabat de Deo nostro. At hodie Hieremias noster longè alia prædicat de eodem Deo. Tetendit, inquit, arcum suum, &c. Nihil hic non terribile, & singula verba terrorem augent, denique quodlibet ipsorum annexum quid habet, quò durius & terribilius sonat, quàm si simpliciter proferretur. Exempli gratia. Nemo nescit malum quid significari, vbi de Deo scriptura dicit quòd tetendit arcum suum. Verùm hic aliud quiddam additur, quod terribilius sonat. Quasi inimicus, inquit, tetendit arcum. Scimus autem quid inimicus sit, quid cogitet & in quem finem arcum tendat, nempe non vt terreat tantum, sed vt perdat & occidat. Qui enim inimicus non est, etiamsi aliquando & gladium euaginet, aut arcum tendat, magis hoc facit ad incutiendum terrorem, quàm ad perdendum. At inimicus nihil cogitat & cupit, nisi mortem & perditionem eius quem odit. Sic quandiu Deus amicus est, etiam si arcum tendat, & mala minetur, non tamen hoc facit ad perdendum, sed ad terrendum. Non est, inquit, voluntatis meæ mors impij. Item: ira in indignatione eius, & vita in voluntate eius. Item: Ego cogito cogitationes pacis, & non afflictionis, &c. Ostendit quidem quasi esset inimicus. sed non est inimicus. Assumit enim alienum opus, vt perficiat opus suum, quod est misereri. Sic erga Niniuitas intenderat arcum suum, comminatus fuerat iudicium suum, sed non vt inimicus, alioqui statim periissent. Imò magis eos terrere voluit, vnde ad pœnitentiam conuersis facile pepercit. Sic & arcum suum tetenderat, cùm Dauid diceret per prophetam. Non auferetur gladius de domo tua: statim autem pœnitenti Dauid iram remisit. Vnde patet, quòd arcum non quasi inimicus perdere volēs, sed quasi amicus terrere & admonere satagens, tetenderat. Vbi autem Deus arcum suum tendit, vt inimicus, illic statim & certò sequitur perditio. Exemplo sint Aegyptij in mari rubro, Dathan & Abiron In deserto Sodomitæ, &c. & homines ante diluuium, qui & omnes miserè & repente perierunt. In hunc igitur modum etiam hic loquitur Hieremias, q. d. Hactenus sæpe tetenderat arcum suum Deus, comminatus fuerat mala. Verùm vt pateo

Esa.40. *Exech.18.* *Psal. 29.* *Hier.29.* *Esa.28.* *Ione 3.* *2.Reg.11.*

tantum

tantummodo ad terrendum. Nunc autem vt reipsa experti sumus, tetendit arcum suũ vt inimicus, ad perdendum scilicet & occidendum. Hoc est quod Hieremias in hoc primo verbo deplorat, quod ipsum & meritò nobis adaptare possumus & debemus. Certũ enim, quòd iam dudum Deus mala nobis comminatus est, sed vt pater, nam mitiùs nobiscum agit. Nũc autem, si constellationes, si mundi cursum, &c. attendimus, nihil aliud iudicare possum, quàm quod arcum suum hoc tempore contra nos tetendit, vt inimicus. Eò magis terreri nos oportet. Eò citiùs peccata relinquere, atq; ipsa Hieremiæ verba eò altiùs cordi imprimere debemus. Hoc si fieret, sine dubio multum leui-
Hiere. 30. tatis & impietatis nobis decessurum esset. Non enim paruum quid est, vbi Deus in ira punit. Plaga, inquit, inimici percussi te. Qualis autẽ sit plaga inimici, subdit: Castigatione crudeli.
Iob 30. Sic Iob maximè conquerebatur, quòd Deus illi mutatus esset, in crudelem. Clamo, inquit, & non audis, &c. mutatus es mihi,
Psalm. 6. in crudelem. Hinc & Dauid precatur. Domine, inquit, ne in furore tuo arguas me, &c. Hæc igitur circa primum illud verbũ attendenda. Sequitur. Firmauit dextram suam, & hoc quidem in se nihil durum haberet, nisi aliud quiddam annexum esset,
Psal. 117. Credentibus enim nihil optabiliùs est. Imò certa ipsorum redemptio est, vbi Deus dexteram suam ostẽdit, Dextera, inquit, Domini fecit virtutem; dextera Domini exaltauit me, &c. Et
Psal. 62. iterũ. Me suscepit dextera tua Domine. Et Iob. Operi manuũ
Iob 14. tuarum porriges dexterã. In summa, vbi Deus vel dicitur dextera sua, ibi magnum aliquod bonũ illis contigisse inuenitur. Vbi autem dextra sua, vel contra impios dicitur, illic magnum malum & insigne iudicium significatur. Nã & externè dextra
Psal. 20. grauiùs percutit quàm sinistra. Hinc Dauid, Inueniatur, inquit, manus tua omnibus inimicis tuis, &c. Et sequitur. Pones eos vt clibanum ignis, &c. In hunc modum Hieremias hîc loquitur de dextera Dei, ostendere volens insignem plagam factam. Non, inquit, sinistra manu percussit, vt hactenus sed dextera sua & omni vi & potentia. Nec tantùm percussit dextera sua, sed in eam etiam firmauit, adeò vt ferire non cesset, quem-
Esa. 9. admodum & in alio propheta dicitur, In omnibus his non est auersus furor Domini, sed adhùc manus eius extenta. Hoc est enim firmare manum. An non autem similia nos quoq; videmus, nempè dextram Dei, non tantum super nos extentam, sed etiam firmatam? Quam diu vidimus bella, homicidia, spolia-
tiones

tiones iustorum, &c. Et nondum finis. Quot annis pestis iam apud nos regnat? Et nondum finis. Quandiu experti sumus omnium rerum caritatem? Et nōdum finis. Quandiu vidimus hæresum & impiorum tyrannidem? Et nondum finis. An non igitur videtur Deus etiam super nos firmâsse dexteram suam? Quòd si Deus dexteram suam firmauit, quis eam auertet? ait Esaias: Deus decreuit punire, quis infringere poterit? Leo rugiet, quis non timebit? Deus percutit, quis effugiet? Vides, quàm terribile & hoc verbum faciat iudicium Dei. Tertium tamen omnium terribilissimum est. Effudit, inquit, indignationem suam quasi ignem, quasi diceret, olim effundebat misericordiam & gratiam. Domine, inquit, cum exires de Seyr, Cæli distillauerunt à facie tua. Nunc autem stillat indignationem. Nec solùm stillat, vt olim, Daniele dicente, stillauit super nos indignatio tua, sed eam planè effundit, nec hoc tantùm, sed effundit quasi ignem, qui omnia consumit, nec vnquam cessat, quandiu habet, in quod agere potest. Vides etiam hîc, quàm exactè iudicium Dei describat. Ne putes autē nuda verba esse ad terrendum conficta, addit. Occidit omne, quod pulchrum visu erat. Præcipitauit Israël, præcipitauit omnia mœnia eius. Impleuit in Iuda humiliatum & humiliatam. Hæc, inquit, omnia experti sumus. Sic enim fit, vbi Deus arcum suū tendit, vt hostis, &c. Nempè quòd omnia pereunt, quantūcunq; pulchra, quantumcunque fortia & munita. Ignis enim diuinæ iræ consumit terram cum germine, & montium fundamenta consumit, &c. Vides igitur, ex omnibus his, quàm terribilia scribit de iudicio Dei. Quid igitur faciemus, viri fratres, quandoquidem hæc etiam nobis prædicantur? Num desperabimus? Nequaquam. Nam & Ioannes haud mitiùs concionabatur. Genimina, inquit, viperarum, &c. Securis ad radicem arboris posita est, &c. Non tamen desperabant, sed quærebant, quid facere eos oporteret, &c. Sic & Iudæi conterriti ex concione Petri, non desperabant, sed dicebant, Quid faciemus viri fratres? &c. Idem fecisse Niniuitas res ipsa declarat. Sic & Hieremias iudicium Dei nobis prędicat, non vt ad desperationem adigat, sed ad pœnitentiam nos extimulet. Vnde non simpliciter dicit, Dominus factus est inimicus, sed quasi inimicus. Hoc verbo spem nobis dat, vt sciamus Deum quantumuis sæuiat minando, tamen nondum paternum animū abiecerit. Quanquam & aliter intelligi possit, quòd propheta non dicit Deum

Esa. 14. *Amos 3.* *Iudic. 5.* *Deut. 32.* *Matth. 3.* *Act. 2.* *Iona 3.*

inimicum factum, sed quasi inimicū, inimici enim nec nomen nec res in Deum cadere poteſt. Inimicus enim eſt, qui ex odio omnia agit, Omnia iura violat, Nullius iuſtitię memor eſt &c. Abſit autem, vt hoc in Deum noſtrum cadat. Non tantū enim nulli iniuriam facit, ſed inſuper iniuſtos ad pœnitentiam & gratiam vocat. Hæc cùm ſcimus, fratres, non ceſſandum nobis eſt, ſed eò fortiùs contendendum, vt Deum peccatis noſtris offenſum reconciliemus, ac amicum conſtituamus, quod non fit niſi pœnitendo, quemadmodum peccando eum inimicum fecimus. Non poſſum igitur hunc ſermonem meliùs conclu-
Oſe. 14. dere, quàm vt dicam cum Oſea. Conuertere Iſraël ad Dominum, quoniam corruiſti, &c. Tollite vobiſcum verbo, & cæt. Oremus igitur, &c.

CONCIO DECIMA.

Ad idem, octauo idus Februarij.

QVandoquidem hodie iterum conuocati ſumus ad orandum, vt Deus iuſtam & bene commeritā iram ſuam à nobis miſericorditer auertere velit, nō poſſum hunc ſermonē meliùs incipere, quàm ab Euangelio præcedentis dominicæ, Illic enim ſimul habemus, in quo noſtra vel ſalus, vel perditio, proſpera vel aduerſa fortuna pendeat. Hæc, inquam, adeò expreſsè in eo Euangelio habemus, vt ſi vel ſolùm rectè perpenderetur, facilè mederi poſsit omnibus malis, nec opus eſſet ſpecialibus & quaſi quotidianis admonitionibus. In quo enim ſtatu res Apoſtolorum tunc erant, In eo res noſtræ nunc ſunt. Illi erant in periculo, & nos quoque. Illos terrebat ventus & mare, & nobis quoq; non ab vno tantùm imminet periculum: Illos operiebat aqua, & nobis quo-
Pſal. 58. que aquæ intrant vſque ad animam. Illi neſciebant quando & quomodo finiretur tempeſtas, nec nos ſcimus. Illi non poterant fugere, nec nos poſſumus. Illi non poterant ſeipſos expediri è periculis, nec nos hactenus potuimus: Illi nullum ab hominibus habebant auxilium, nec nos quidem. Et ſuper hæc omnia videbant Apoſtoli, Chriſtum, in quo omnem ſpem poſuerant dormire, nihilque eorum periculo moueri. Hoc idem & nos experimur. Sic igitur quod ad periculum attinet tempora hæc noſtra omnibus modis aſsimilantur tempeſtati illi, in qua fuerunt Apoſtoli. Vtinam et in his quæ ad euaſionem

ſpect

ſpectant, ſimilia etiam in nobis videremus. Verùm in his omnia diſsimilia ſunt. Apoſtoli enim periculum ſuum agnoſcebant. Nos necdum credimus, tam malè ſe habere res noſtras. Illis periculum incutiebat terrorem, nos lætamur & ridemus in periculis noſtris. Illi nihil non agebant, vt poſſent euadere, nos indies magis ac magis pericula excitamus & augemus. Illi ſimul manebant, & coniuncti, nos ab inuicem ſeparamur. Illi manebant in nauicula, nos è nauicula ſaltamus. Illi integram ſeruabant nauiculam, nos noſtram rumpimus, ſcindimus, perforamus. Illi ad Chriſtum, vt ad ſacram ancoram currebant, nos ab ipſo longiùs refugimus. Illi non ceſſabant clamare & orare, donec excitaretur & adiuuaret, nos nec cogitamus Deum? quid igitur mirum, quòd tempeſtas noſtri temporis non tam citò miteſcit & ſedatur, vt illa quam Apoſtoli ſenſerunt? Si enim Chriſtus ſolus eſt, qui ventis & mari imperare poteſt, certè omnia alia fruſtrà adhibebimus, niſi hunc priùs excitauerimus, Nō quòd alia humana media omittenda ſint, ſed quod plùs Dei auxilio quàm noſtris cōſiliis confidamus, Nam non dubium eſt, quoniam etiam Apoſtoli manibus & remis vſi fuerint, ſed maximè tamen in Chriſti auxilio ſperabant. Sic & nunc quidem proceres noſtri, quibus regenda nauicula credita eſt, conueniunt & confluunt ad comitia viſuri, ſi quid humanis conſiliis ad ſedandam tantam tempeſtatē inuenire poſsint. Nobis tamen maximè confidendum eſt in Dei auxilio, ideò fortiùs hoc tempore clamandum quàm aliàs. Hinc & Paulus monet. Admoneo, inquit, vt primò omnium ſiant orationes, obſecrationes, &c. Pro regibus & his, qui in poteſtate ſunt, vt tranquillam & quietam vitam agere poſsimus in omni pietate. Hoc nunc vel maximè neceſſarium eſt. Nam & inter principes multos defectus videmus. Aliqui enim ſunt nimis negligētes. Poſſent auxiliari, ſed ceſſant. Alij ſunt nimis proterui, qui omnia confundunt, & peiora reddunt. Alij ſunt nimis timidi, alij cuperent quidem adiuuare, ſed non habent vires nec audiuntur. Meritò igitur monemur, vt pro illis oremus. Atq; hoc ipſum in exordio huius ſermonis commendare volui. Vt autem citiùs & vehementius orare poſsimus, age Hieremiam noſtrum iterùm in manus accipiamus. Is enim pericula noſtra latiùs nobis ab oculos ponet, quibus cognitis, ſi quicquam in nobis Chriſtiani ſanguinis eſt, ad orationem conuertemur. Sequitur igitur in textu. 1. *Tim*. 2.

TEXT

TEXTVS.

Et disipauit quasi hortum tentorium suum, demolitus est tabernaculum suum: obliuioni tradidit Dominus in Syon festiuitatem & sabbatum: & in opprobrium & in indignationem furoris sui regem & sacerdotem.

Repulit Dominus altare suum, maledixit sanctificationi suæ, tradidit in manus inimici muros turrium eius: vocem dederunt in domo Domini, sicut in die solenni.

Hos duos versus hodie consideremus. Hîc enim alia quædã Dei iudicia recenset Hieremias, quibus olim Deus puniuit impietatem Israëlis. Sunt autẽ talia, quæ partim etiam iam in nobis visuntur. Et nisi maturè pœnitentia irã Dei præueniamus, adhuc magis & terribiliùs videbimus. Ignis enim iræ Dei semel accensus, subinde maior efficitur, & latiùs sæuit, imò ardet vsq; ad inferni nouissima, nec vnquam cessat, nisi ad pœnitentiam conuertantur homines. Sic enim Deus dicit. Si pœnitentiam egerint, agam & ego pœnitentiam. Et iterum. Si conuersi fuerint, viuent. Quòd autem ignis diuinæ iræ sic semper in maius crescat, nisi pœnitentia extinguatur, pulchrè ostensum nobis est in Israëlitis. Quos peccantes primò verbis & minis corripuit, deinde, vbi hæc non curabãt, immittebat in eos hostes, qui eos spoliabant, & opprimebant. Vbi nec sic meliores fiebant, misit super eos reges Assyriorum Phul & Teglabalassar, qui non tantùm eas infestabant, sed per partes etiam in captiuitatem abducebant. Vbi etiam hoc nihil proficiebat, Misit super eos Salmanassar regem Assyriorum, qui omne regnum Israël destruxit, omnémq; populum captiuauit. Omnia hæc ad terrorem & commonitionem regni Iuda facta fuerunt. Cùm autem nec illi tam duro exemplo mouerẽtur, iam ipsis primò immisit terrorem, per Sennacherib. Deinde ciuitatem populari permisit, per regẽ Aegypti. Postremò per Nabuchodonosor & ipsam ciuitatem & omnia vastari. Imò etiã templum & cultum suum aboleri permisit. Atq; hoc est, quod Hieremias hic conqueritur, quasi diceret. Magna quidẽ fuerunt iudicia, quæ hactenus recẽsui, nempè, quòd Deus summus olim benefactor noster nũc destruxit omnes munitiones nostras, occidit omnes iuuen

Hiere. 18.
Eze. 18.
4. Reg. 15.
4. Reg. 25.

iuuenes nostros,impleuitq; Syon tristitia & erūnis,& in omnibus his se ostēdit tanquā hostem. Cæterùm quantumuis magna hæc sunt,facilè tamen ea restitui possent,si templum,altare & cultum nostrum adhuc haberemus: hoc enim indicium esset,quod nondum in totum à nobis recessisset Deus. Nūc autem tēplo & cultu Dei amissis,quid aliud diuinare possumus, quàm ꝙ nos planè abiecerit? Vide enim, quanta olim ab ipso habuimus. Primò enim statim post egressum ex Aegypto, cū adhuc in tabernaculis habitaremus,etiam ipse tabernaculum inter nos habere voluit. In signū præsentiæ suæ facite, inquit, mihi tabernaculum & habitabo in medio vestri. Illud autem *Exod.* 25.
tabernaculum erat tāquam hortus amœnissimus, summéque nobis consolatorius,nunc autem idem tabernaculum ipse dissipauit,id est,dissipari permisit. Deinde,cùm iam in certo loco consistentes,in domibus habitaremus, etiam ipse domū inter nos habere voluit. In qua & promisit se præsto futurum orationibus nostris,& sacrificiis. At nunc eandem dissipari per- *3.Reg.* 8.
misit. Præterea certas aliquas festiuitates ipsemet nobis instituit,& sub magna pœna obseruari præcepit, at nunc earundē quasi omninò oblitus est. Insuper sacerdotiū instituerat,& amplum & omnibus venerandum,etiam gētilibus. At nūc etiam ipsos sacerdotes dedit in opprobriū omnibus. Adhæc habebamus altare,& sacrificia ab ipso destinata,quibus quotidie iram eius placare poteramus: At nunc etiam altare & cultum illum repulit,abiecit. Deniq; quicquid in tēplo erat,sanctum iudicabatur. At nunc omnia prophanauit & maledixit. Postremò,vbi priùs Deum ipsum laudabamus, ibi nunc hostes eius & nostri insanos clamores edunt,& Deum & nos irridentes. Hæc sunt iudicia illa,quæ Hieremias hìc deplorat. Verè magna, nec dubium,quæ multū afflixerint ipsius cor. Pius enim homo sicut maximè lætatur in cultu Dei, sic maximè dolet eodē abolito. Sic sancta Hester. Non satis (inquit) illis est, vt nos in seruitu- *Hest.* 14.
tem redigant,sed insuper volunt claudere ora canentium te, &c. Hoc idē Dauid deplorabat, Vt quid Deus repulisti in finē? Quanta enim malignatus est inimicus in sancto? Sic tres illi *Psal.* 73.
in fornace Babylonica,vel maximè hoc conquerebantur,ꝙ in tantis malis constituti nec templum nec sacrificia haberent, *Danie.* 4.
quibus Deū placare possent. Hoc idē igitur & Hieremias hìc cōqueritur. Et hæc quidē,quo ad literā. Verùm nūc videndū, an & in nobis quoq; tale quid inueniatur? Et quidem non multa

inquisitione opus est. Tãtummodo oculos aperiamus, & videbimus statim, quòd quicquid illi splẽdoris in externo cultu habuerunt, etiam nos habuimus: & quicquid illi perdiderunt, etiam nos vel perdidimus, vel perdituros timemus. Habebant illi templum, sed vnum, Nos multa Nam apud nos cultus Dei
Ioan. 4. non vni loco tantùm affixus est, vt olim. Habebãt illi sua festa, nos quoq; habuimus & meritò, & si enim verus cultus stet in spiritu & veritate: tamen Deus etiam externè coli & laudari
Ephe. 5. vult. Hinc Paulus vult, vt Psalmis & Hymnis Domino canamus. Præterea habebant illi sacerdotes omnibus venerandos, habuimus & nos, Etsi enim per Christum omnes Christiani sint sacerdotes & reges: diuisiones tamen gratiarum sunt. Et
1. Cor. 12. quosdam quidem dedit Apostolos, vt Paulus ait, alios pastores,
Ephes. 4. solisq; Apostolis Christus dixit, Hoc facite in meam commemorationem. Insuper habuimus & nos altare sacrificiúmq; iuge & quotidianum. Et si enim Christus cruentum illud sacrificium suum secundum ordinem Aaron semel perfecerit in cruce: Tamen sacrificium illud laudis & gratiarum actionis, in pane & vino secundum ordinem Melchisedech in cæna instituit, & perpetuò obseruare voluit. An non autem insignẽ consolationem hæc præbuerunt fidelibus? Quid autẽ nunc? Templa mutantur in munitiones & stabula equorum: festa abolentur, & sacerdotes vilipenduntur, Altare & sacrificium illud iuge, pro summa idololatria habentur, &c. Et quis Christianus hæc audiens & videns non ingemiscat? In quem autem tantorum malorum causam coniiciemus? Num in diabolum? Num in hæreticos & malos homines? Et quidem non dubium, quoniam diabolus non minima causa huius mali sit. Nam hostis omnis boni est. Videmus insuper, & homines quosdam erroneos hæc omni studio procurare. Non tamen adhuc verã causam, & auctorem horum malorum habemus. Quid enim vel diabolus vel tyranni contra Deum & Dei cultum possent, nisi permittente Deo? Videbat Hieremias templum à Chaldæis dissipatum, nec dubitare poterat, quoniam à diabolo instigarentur: tamen nec ipsis, nec diabolo hoc asscribit, sed Deo. Dominus, inquit, dissipauit tentorium suum, Dominus repulit altare suũ, &c. Atq; hoc vel maximè hîc obseruandũ est. Aliòqui tantùm in homines inspicimus, & contra ipsos irascimur, nec videmus, ꝙ nihil possent nisi Deo permittẽte. Poterat quidem
Dani. 4. & Hieremias irasci & inuehere, contra Nabuchodonosor de-

ſtructorem templi & cultus diuini, Verum ne verbo quidem mentionem eius facit, ſed tyrãnum & ſacrilegum iudicio Dei cõmittit, quod & paulo pòſt impius ille ſenſit. Non enim multa ſinit Deus huiuſmodi ſacrilegia, quemadmodum & in Antiocho videmus. *2. Mac. 9* Ideo Hieremias ſacrilegos hos iudicio Dei cõmittens, totã cauſam in Deũ cõiicit. Et ſic etiã nobis faciendũ. Nõ dubiũ enim, quin etiã nunc Deus ipſe tẽpla noſtra diſsipet, ſolẽnitatũ obliuiſcatur, ſacerdotes abominabiles faciat, Altare & ſacrificium Miſſæ aboleat. Deus, inquam, hæc facit, id eſt, permittit. Sed cur inquis? Num mala hæc ſunt aut fuerunt? Nequaquam. Mundus quidem ſic iudicat. Deus templa deſtrui permittit, cultum & miſſam aboleri, &c. ergo mala fuerũt. Verùm hoc argumentum falſum eſſe, ex hoc textu Hieremiæ patet. Et templum enim & feſtiuitates & ſacerdotium & altare & ſacrificia Deus ipſe inſtituerat ſuo verbo, & miraculis confirmauerat. & tamẽ Hieremias dicit, quòd ea diſsipauerit, &c. Vis autem ſcire cur Deus templum, quod ipſe inſtitui fecerat, deſtrui fecerit? Audi quid dicat Deus. Si auerſione auerſi fueritis, templum hoc, quod ſanctificaui nomini meo, proiiciam à conſpectu meo, &c. *3. Reg. 9.* Et in Hieremia. Nunquid ſpelunca latronum facta eſt, domus hæc? Ego vidi ideo faciam ei ſicut feci Silo. &c. *Hier. 7.* Vis ſcire, quam ob cauſam Deus feſtiuitates à ſe inſtitutas reiecerit? Quia, inquit, iniqui ſunt cœtus veſtri. *Eſa. 1.* Et quia in die ieiunij & feſti veſtri, inuenitur volũtas veſtra. *Eſa. 58.* Vis ſcire, cur Deus ſacerdotes Iudæorũ in opprobriũ dederit? Audi Hieremiam. *Hiere. 23.* In domo mea inueni malitiã eorũ. Ideo via eorũ erit in lubricũ, &c. Et in Oſe. *Oſee 9.* Propter malitiã adinuentionũ ipſorũ, eiiciã eos de manu mea. Et adhuc apertiùs in Malachia. *Mala. 2.* Vos, inquit, ſacerdotes receſsiſtis à lege, & ſcãdalizaſtis plurimos. *Mala. 1.* Ideo ego dedi vos cõtẽptibiles & humiles omnibus populis, &c. Vis ſcire, cur Deus ſacrificia à ſe inſtituta reiecerit? Nõ ſuſcipiã, inquit, munus de manu veſtra, quia panẽ pollutũ offertis. Et iterũ: quia manus veſtræ ſanguine plenæ ſunt. *Eſa. 1.* Quod igitur dictũ eſt de veteribus illis, hoc etiã de nobis dicẽdũ. Dñs diſsipari permittit tẽpla, feſta, altaria, miſſam & ſacerdótiũ, nõ quod mala hæc ſunt in ſe, ſed quod eis abuſi ſumus. Quid enim ſunt tẽpla noſtra, niſi vel domus cõfabulationũ, vel negotiationũ, vel interdũ etiam ſpelunca latronum? quid igitur mirum, quòd Deus ea deſtrui permittit? Sic planum eſt, quòd nunquam maiora peccata perpetrantur, quàm in diebus feſtis, quid igitur mirum, quòd

Deus ea ampliùs habere non vult?Sic nemo peiorem vitam ducit,quàm clerici,quid igitur mirum,quòd Deus eos contemptibiles facit?Sic nusquam maior contumelia Deo irrogatur, quàm in sacrificio missæ & sumptione sacramēti,quàm cruenta enim conscientia quidam ad missas accedunt, quàm impiè sacramētum vendunt?&c.quid mirum igitur,quòd Deus permittit missas aboleri?Imò iustissimè hoc facit,cùm enim omnia hæc ad consolationem nobis dederit,iustè ea nobis aufert, si ea vel contemnamus, vel his abutamur, quorum vtrunque plus satis fecimus & facimus.Videtis ex his, vt opinor, quorsum res hæc finaliter tendat,nempe,q̄ nos sumus causa omnia malorū quæ patimur & videmus. Deus quidem ea permittit, sed ob peccata nostra.Hic igitur oportet, vt nos ipsos consideremus,peccata nostra agnoscamus, pœniteamus, emēdemus, & misericordiam Dei suppliciter inuocemus.Hoc sibi vult hodierna conuocatio nostra.Hoc si diligēter fecerimus, & ex animo facilè cultum suum restituere potest Deus. Sin autem in peccatis perseuerauerimus,non nisi priora expectemus. Nisi enim tales efficiamur,qui Deo placeamus,nunquam illi placere poterit cultus noster. Igitur flexis genibus sublatisq; in cælum oculis & manibus, dicamus cū Daniele, Tibi Domine iu-
Danie.9. stitia.Nobis autē cōfusio faciei nostræ. Peccauimus enim,&c. Auertatur obsecro ira tua,&c. Exaudi Dn̄e, Placare Domine. Attende & fac, Non enim in iustificationibus nostris prosternimus preces,sed in miserationibus tuis multis& magnis,&c.

CONCIO DVODECIMA,

Ad idē, feria quarta, post Iudica:tertio Nonas Martij.

Matt.12.



Xordium sermonis huius Euangelij hodiernum meritò nobis dare debet. In eo siquidem audistis, quàm vehementer Christus in Iudæos inuehitur, arguens eos,quòd tanta audierant ab ipso & viderant,& tamen adhuc signum è cælo quærebant: Nominat eos ob id generationem peruersam ,& adulteram , denegat ipsis quod petunt,Imò diabolo eos tradit ac demū etiam futurum illis iudiciū comminatur,deterioresq; ipsos pronunciat, quàm mille vnquam gentes fuerint; denique, prædicit ipsis maiora mala euentura, quàm vnquam antea euenerint. Nec dubito,

quia

quia quilibet nostrûm dicat apud se, & sentiat ipsos hoc meritò audiisse, nec dulciori allocutione dignos fuisse. Et reuera sic est: Si tantummodo etiam de nobisipsis ita iudicare, & quæ mala sunt, tam luculenter in nobis ipsis videre, támque repræhensibilia in nobis iudicare vt in aliis possemus. Verum hacte nus vnum hoc vel maximè nobis defuit. Mala enim semper in aliis citiùs quàm in nobis videmus, & magis etiam repræhensibilia iudicamus. Hinc est, quòd tantummodo proni sumus alios iudicare, omnibúsque pœnis dignos iudicare, etiamsi nos plerunque peiores simus, & peiora agamus. Quam autem vtilitatem nobis afferet Euangelium hoc, si nihil aliud inde addidicerimus, quàm vt dicamus Iudæos meritò tam durè increpatos à Christo? Nunquid ipsi soli increduli, ingrati, obstinati & impij fuerunt? Vtinam soli tales fuissent. Vtinam nullus inter nos esset, de quo verè dici posset. Generatio mala & adultera, &c. Vtinam in nullo Christiano impleretur vnquam, vt nouissima eius fierent peiora prioribus. Quis autem non videt etiam nos tales esse, quales Christus Iudæos inuenit? Non igitur illos tantùm hîc culpabiles, sed etiam nos ipsos iudicare debemus, & quod in ipsis repræhensione imò & pœna dignum iudicamus, etiam ita in nobis iudicemus. Hinc posset boni nonnihil sequi. Imò si hoc fieret fiducialiter dicerem, sicut olim Annibal militibus suis dicebat. Cùm enim primò cum Romanis congressurus esset, hoc stratagemate animos militum suorum excitabat. Circundato ad spectaculum exercitu captiuos quosdam vinctos in medium constituit, armísque ad pedes eorum proiectis interrogauit, quis eorum, si vinculis leuaretur, decertare ferro vellet, cùm ad vnum omnes ferrum pugnámque poscerent, ac gloriosè mori quàm miserè viuere in seruitute præeligerent, milites Annibalis tam intrepidos illorum animos laudabant, ipsósque incitabant ad pugnam, nec vincentium tantùm, sed etiam bene morientium fortunam laudabant. Cùm eos sic affectos Annibal videret, sic locutus est. Si quẽ animum in alienæ sortis periculo paulò antè hastuistis: eundem mox in æstimãda fortuna vestra habueritis, vicimus milites: hoc est, si tam promptè ad pugnam processeritis, sicut hi fecerunt, & quilibet sui ipsius adhortator esse velit, sicut nunc alios exhortati estis, denique, si gloriosiùs vobis duxeritis bene mori, quàm turpiter viuere & seruire. Si, inqt, hũc animũ habueritis, vicimus:

& indubiè victores euademus. En dux ille non tãtùm voluit, vt milites sui inspicerent, quid in aliis vel laude vel vituperio dignum esset, sed seipsos etiam sic instituerent, vt quod in aliis laudarent, ipsi quoque imitarentur: quod autem in aliis vitupe rarent, ipsi quoque vitarent. Et nos igitur, Si ex his, quæ contra Iudæos hîc dicta sunt, nos ipsos omnibus malis etiam dignos agnosceremus, fiducialiter diceremus. Vicimus ô Christiani, nec vlla mala nobis nocere poterunt. Imò certò polliceri possem, omnia mala Dei beneficio à nobis tollenda fore. Hæc enim agnitio peccatorum nostrorum, & commeritæ pœnæ, nos incitarent ad pœnitentiam, & feruentem orationem, quæ duo vel sola nobis prodesse & succurrere possent in rebus tam periculosis. Aliâs enim nisi pœnitentia & oratio interueniant, implebitur etiam in his comitiis Principum, quod Esaias olim in-
Esa. 8. credulis suis Iudæis dixit, Congregamini populi & vincemini, Inite consilium & dissipabitur, loquimini verbum & non fiet. Nemo autem est, qui nesciat quantum in præsentibus comitiis situm sit. Imò nemo non certam perniciem expectat, si, quod absit, discordię nostrę intestinę in his comitiis non cõponantur, & ad pacem redigantur. Tantò igitur magis festinandum ad pœnitentiam, tantóque feruentiùs orandum. Vene-
4. Reg. 19 runt, filij, vsque ad partum (ait Ezechias) & vires non habet parturiens. Hoc autẽ vbi in naturalibus contingit, periculum mortis imminet, & puero & matri. Ita tamen erat Ezechiæ, & populo suo. Ita etiam nobis nunc est. Omnia venerunt ad summum, nec ampliùs differri possunt, ad quantumcunque tandem partem cadãt. Ideo si vnnquam ardenter orauimus, nunc vel maximè tempus est, fortè Deus inspiciet blasphemias hostium, & seruabit reliquias populi sui: En ob hanc causam hodie congregati sumus. Et hæc volui dicere in exordio sermonis, vt quilibet diligentiùs hæc secum perpẽdat. Et quanquam satis admonitionis hoc esset, si bene affecti essemus, volo tamẽ etiam nonnulla proponere ex Threnis Hieremiæ: Fortassis enim ipsius verba magis penetrabunt quàm mea. Audi igitur, quid Heremias vlteriùs dicat.

TEXTVS.

Et dissipauit quasi hortũ tentoriũ suum, demolitus est tabernaculũ suũ: obliuioni tradidit Dominus in Siom festiuitatem & sabbatũ & in opprobrium

& in

& in indignationem furoris sui Regẽ & Sacerdotem.

Repulit Dominus altare suum, maledixit sanctificationi suæ: tradidit in manu inimici muros turrium eius: vocem dederunt in domo Domini, sicut in die solenni.

Hæc verba superiori sermone breuibus perstrinxi & exposui. Cogor tamẽ ea nunc repetere. Non enim minima imò verè maxima causa prophetici huius luctus fuit, quòd videbat & templum & cultum Dei, sacerdotes & prophetas, altare & sacrificia suo tempore simul corruisse, atq; abolita esse. Et quanquam Chaldęi hoc fecissent, Hieremias tamẽ videbat ipsos in hoc nihil aliud fuisse, quàm virgã & flagellũ Dei. Vt in Esaia dicitur: Væ Assur virga furoris mei. Nihil, inquã erant aliud, nisi serui & executores diuinæ iustitiæ. Sic enim nominatur Nabuchodonosor in Hieremia. Ideo Hieremias omnia asscribit Deo. Dominus inquit dissipauit, &c. Dominus inquit non vult ampliùs tẽplum nostrum, cultũ, sacerdotiũ, sacrificia, &c. Cur hoc? quia omnibus his abusi sumus, de his plus æquo præsumpsimus, quasi Deus nos habere cogeretur, qualitercunque tandẽ viueremus. Nunc autẽ videmus, quòd neq; nostri neque cultus nostri indiget: Ipse manet Deus, nos aũt miseri in corpore & anima. Perdidimus tẽporalia, simul & spiritalia. Hæc nobis dicta sunt, fratres, & signãter pessimo hoc tẽpore, & rerum statu turbatissimo. Iam diu inter nos litigauimus, qui essent veri Christiani, & qui haberẽt veram Ecclesiam, cultũ, sacerdotium, sacrificia, &c. Et quàm pessimè viuimus in vtraq; parte, quælibet tamẽ pars externũ quiddã habet, in quo cõfidit: quasi Deus ob id eos abiicere nõ possit. Vna pars pręsumit de prędicatione & auditione verbi Dei, putant se ob id vnũ esse genuinos filios Dei, cũ tamen ipsimet fateri cogãtur, nullũ vnquàm populũ ita abusum verbo Dei, & tam proteruè citràq; omnem timorẽ & conscientiã contra illud egisse, vt ipsi, Egerunt quidẽ & alij cõtra verbũ Dei, sed eum non sine quodã timore & conscięntia, ita vt ad minus semel in anno peccata sua cõfiterentur. Nunc autẽ nulla ampliùs est conscientia, nullus timor, nullus pudor, neque antè neq; pòst, sed omnia proteruè agimus, quæcunque libet. Nec vnquã posteà conscientiã inde sentimus, &c. Sic autẽ prædicare & audire verbũ Dei, quomodo Deo placere posset? Num verbũ suum ideo nobis dedit, vt omnẽ conscien-

Esa. 10.

Hier. 28.

tiam perdamus, & sine omni timore mala perpetremus? Profectò non:sed vt & nos & nostra peccata meliùs videre & agnoscere possemus, eáque diligentiùs caueamus. Sic nos in parte nostra de hoc vel maximè præsumimus,quòd adhuc apud nos videntur vestigia quædã veteris Ecclesiæ. Confidimus in eo,& videmur nobis intimi filij Dei, quòd aliquando ieiunamus,oramus, festa celebramus, Ecclesias & tẽpla ornamus & visitamus,missásque & audimus & legimus:ex his,in quam,persuademus nobis,quod simus dilectißimi filij Dei,quos Deus relinquere non posśit.Interim tamẽ fateri cogimur,quòd ea ipsa de quibus ita præsumimus,nusquã in maiori abusu sint,quã apud nos. Vbi enim frequẽtiùs prophana negotia tractãtur,quàm in templis nostris? Imò quæ vnquã gens ita dehonestauit templa sua,vt apud nos? Vbi maior negligentia, oscitantia, frigiditas conspicitur, quàm in cultu diuino? Vbi maior luxus & petulantia, inuerecũdia & impietas videtur, quàm in personis Ecclesiasticis? Vbi maior irreuerẽtia Deo irrogatur,quàm in perceptione & administratione sacramentorũ, maximè autem in missa? vbi maiores blasphemię audiũtur in Deum,quàm apud Christianos, qui de nomine Dei gloriantur? Quæ vnquã gens ita cõtempsit Deum suũ, vt nos? In summa, Vbi maior abusus inuenitur omnium donorum Dei quàm apud nos? En hæc est causa, cur Deus per Turcam aliósque, qui plus Turcicè quàm Christianè affecti sunt, ea nobis auferri patitur, in quibus externè cõfidimus, permittit,inquã templa vastari,sacerdotes occidi,missam & cultum Dei aboleri, &c. Christiano denique in manus & potestatẽ Turcarũ venire. Non ampliùs vult templa nostra,quibus sic abutimur. Non vult cultũ nostrum,ampliùs, quem tam negligẽter peragimus. Non vult ampliùs missas & sacrificia nostra quibus tam impiè abutimur. Nõ vult nos ampliùs habere in sacerdotes, qui tã non sacerdotaliter viuimus. Non vult nos amplius in filios habere, qui ita eum contemnimus. In summa. Si paganicè volumus viuere, non vult Deus Pater,vt nomen suũ præferamus. Si nolumus illi ex corde seruire,nec ipse vult vt speciẽ sui cultus pręferamus,cultorésque eius nos iactemus,&c. In quem igitur hæc mala conferemus? Num in Turcas & Turcis similes Christianos? Non. Illi enim nihil possent,nisi Deus permitteret. Sed nunquid Deum incusabimus? Nequaquã. Est enim ipsius iustißimum iudicium. Nobis ipsis igitur irascamur. Nostra culpa hæc mala fiunt. En

ita

ita etiam Hieremias eò nos ducit, vt peccata nostra agnoscamus, ac humiliter cōfiteamur, nos omnia hæc mala cōmeruisse, tantóque citiùs ab eis essemus, vt & Deus à malis infligēdis cesset: quia cùm semel exardescit vt ignis ira eius, ardet vsque ad inferni nouissima, nec priùs cessat, quā nos à peccando cessauerimus. *Deut. 32.* Nulla alia re hunc ignē extinguere possumus, nisi pœnitētia, lacrymis, cōfessione, emēdatione. O vnica gutta lacrymarum, etiam magnum ignem iræ diuinæ extinguere posset. *4.Re.20.* Probatum in Ezechia, qui quàm primùm vt flere cepit, remissus ad eum fuit Esaias, ad sententiam mortis super eam latam reuocandam. Sic & vnica confessio oris plurimùm huius ignis auertere posset. Dixi, inquit, confitebor aduersum me iniustitiam meam Domino, Et tu remisisti, &c. *Psal.31.* Hęc ideo tam diffusè repetere volui. Video enim quòd ab hoc nodo omnia pendent. Dereliquistis, inquit, me, & ego dereliqui vos. Et econtra. Conuertimini ad me & conuertar ad vos. *Iudic 10.* *Zach.1.* Nunc igitur textum prosequamur. Sequitur enim in Hieremia.

TEXTVS.

Cogitauit Dominus dissipare murum filiæ Sion: *Thren.2.* tetendit funiculum suum, & non auertit manum suam à perditione: luxíque antemurale, & murus pariter disspatus est.

Defixæ sunt in terra portæ eius: perdidit & contriuit vectes eius, regem eius & principes eius in gentibus: non est lex, & prophetæ eius non inuenerunt visionem à Domino.

Sederunt in terra, cōticuerūt senes filiæ Sion: consperserunt cinere capita sua, accincti sunt ciliciis, abiecerunt in terram capita sua virgines Hierusalem.

Defecerunt præ lacrymis oculi mei, conturbata sunt viscera mea: effusum est in terra iecur meum super contritionem filiæ populi mei, cùm deficeret paruulus & lactens in plateis oppidi.

Matribus suis dixerunt, Vbi est triticum & vinum? cùm deficerent quasi vulnerati in plateis ciui-

tatis: cùm exhalarent animas suas in sinũ matrum suarum.

Hæc verba nõ indigẽt multa expositione. Pro maiori enim parte & suprà de hoc dictũ est. Sæpe enim Hieremias eadẽ repetit, more lugentiũ, qui nunquã videtur sibi satis explicàsse mala sua. Vtitur quidẽ aliis ac aliis verbis, verũ res est eadem. Interim tamen etiã aliqua admiscet, quę vel priùs dicta non fuerunt, vel ante dictis nonnihil lucis addit. Sic in his verbis iterũ loquitur destructionẽ ciuitatis suæ, & tẽpli, idque multis verbis. Dominus inquit, destruxit & murũ & antemurale, portas & vectes. In miseriã coniecit regẽ & principes, senes & iuuenes, pueros & virgines, &c. Interim tamẽ etiã ostendit, quomodo hæc acta sint. Non, inquit, fecit hoc Deus ex pręcipitatione, & sine premeditatione, quę in Deũ nõ cadit, sed cũ cõsilio. Cogitauit Dominus, dissipare, hoc est, diu dissimulauit, diu expectauit, diu pręmonuit. Deinde, tetendit funiculũ suũ. Id est, omnia secundũ mensurã æquitatis suę fecit, sicut artifex funiculo vtitur, ne plùs vel minus faciat. Funiculus ille secundũ quẽ Deus operatur, est infallibilis iustitia eius. Nobis quidẽ videtur aliquãdo, quòd funiculus ille fallat, hoc est, quòd Deus vel nimiũ puniat, vel plùs æquo quibusdã indulgeat. Sic olim Iudęi dice-
Ezech.18. bant. Nõ est æqua via Domini, &c. Ecõtrà aũt ipse eos pulchrè conuincit, quòd funiculus suus æquus sit. Vide ibidẽ per totũ. Hoc idem etiã hîc ostẽdere voluit Hieremias. Vtitur scriptura
2. Reg. 8. etiã aliàs hoc tropo. Vt cũ dicitur: Mẽsus est Dauid duos funiculos, vnũ ad occidendũ & vnũ ad viuificandũ, hoc est, pœnas & præmia, quibus suis secundũ merita & ęquitatẽ dedit. Sic igitur Hieremias duo quædã in hoc versu nobis insinuat. Primũ, quòd Deus nullũ pręcipitãter perdit, sed dat ei tẽpus & locum pœnitendi. Iuxta illud: Expectaui vt facerẽt vuas, &c. Et iterũ:
Esa. 6. Vocaui & nõ audistis, &c. Secundũ, quòd nulli iniuriã facit. Ita
Prouer.1. que vbicunq; & quã locunq; iudiciũ Dei nos apprehẽderit, certum est, non alia causa hoc fieri, quã quòd tẽpus gratiæ neglegimus vocãtẽmque Deum contẽpsimus, cogemũrq; vel inuiti
Dani.9. dicere. Tibi Domine iustitia, nobis autem confusio faciei nostrę, quia peccauimus. Sed quid tandẽ sequitur, vbi Deus post longam expectationẽ, dissimulationẽ & vocationem, potentia & iudicio suo vtitur? Hoc nimirum sequitur, quòd omnia simul cadunt, murus & antenumerale, portæ & vectes, reges & princip

principes, senes & pueri. Quomodo enim horum aliquid coram iudicio Dei consistere possint? Vbi autem ea cadunt, in quibus confidimus, necesse est, vt miseria, infortunium, fames & omnia mala sequantur. Hoc Hieremias expertus est. Ideo de nouo planctum suum incipit. Defecerunt, inquit, præ lacrymis oculi mei, maximè cum deficerent paruuli & infantes præ fame. Cùm dicerent matribus suis, Vbi est triticum, sicque corruerunt in plateis. Hæc quidem mala Hieremias aliquando illis imprecatus erat, cùm tam impiè viuerent. Domine, inquit, da filios eorum in famem, &c. Nunc autem vincit eum affectus, non potest se à lacrymis continere. Sic nobis quoque agendum est. Peccantes durè arguendi sunt, ita tamen vt charitas & compassio in corde maneat. Sic igitur etiam ex hoc textu videre possemus, quo in statu res nostræ ftæ sunt. Scimus, quòd Deus diu peccata nostra dissimulauit, id est, diu pœnitentiam nostram expectauit, nec quicquam præcipitanter nobiscum egit. Deinde, videmus quòd nunc etiam super nos funiculum suum extendit, hoc est secundum rigorem iustitiæ suæ agere intendit: Videmus, quid cogitet, nempe non cogitationes pacis, sed afflictionis & punitionis. Adhæc iam dudum experti sumus, quòd antemurale nostrum cecidit & corporaliter & spiritualiter. Externè erat nobis Vngaria firmissimum antemurale: iam autem cecidit. Spiritualiter autem erat antemurale Ecclesiæ, Verecundia in iuuenibus, grauitas in senibus, iustitia in iudicibus, virtus in nobilibus, veritas in artificibus, fides in rusticis & simplicitas, honestas in viris, pudor in fœminis, deuotio in sacerdotibus, religio in monasticis, obedientia in subditis, diligentia in rectoribus, atque vt paucis dicam, ordo in omnibus statibus, charitas erga omnes homines, timor erga Deum, pax inter principes, vnus spiritus eadémque mens in omnibus statibus. Hoc erat antemurale Ecclesiæ. Et quandiu hoc stetit, hostis non pòtuit peruenire ad muros. Verùm nunc cecidit. Nulla enim ampliùs disciplina in iuuenibus, nulla grauitas in senibus, &c. Declares per singula. Nec solùm cecidit hoc antemurale, sed etiam vectes & portæ destructæ sunt, hoc est, omnia quæ nos in disciplina & ordine possent continere, abolita sunt. Iámque hostis appetit murum. Adhæc senes, qui priùs consulere sciebant, nunc tacent. Infatuauit Deus omnem sapientiam nostram, vt nemo in commune consul

Hier. 18.

Hier. 29.

consulere sciat. Insuper prophetæ non habent visionem, excæcati sunt, non vident quò populus ruat, non reuocant, sed magis incitant. Hinc fit quòd virgines, id est, decoræ illæ animæ etiã decorem suum perdant. Pueri autem & simpliciores quiq; famem verbi Dei patiantur. Et quomodo peiùs nobiscum esse posset? Si Christianus es, perpende hæc. Si Ecclesiæ, si patriæ nostræ, si nobisipsis bene volumus, Studeamus quàm primùm iram Dei, pœnitentia nostra mollire, &c. Oremus igitur.

CONCIO DVODECIMA.

Ad idem, feria quarta, post Iudica: quarto Nonas Aprilis.

QVemadmodum præcedenti sermone, ita & nunc ab Euangelio iam dicto nobis auspicandum est. Habet quidem historiam, quæ diu ante facta est, sed tamen pulchrè huic tempori conuenit, imò vtrinque idem processus est, adeò vt qui Euangelium hoc attendit, facilè videre possit, quo in statu res nostræ sint, imò planè videbit, quòd etiam nunc plùs Iudaicè quàm Christianè omnia agãtur. Quæris quo modo? Audi. In exordio Euangelij dicitur, quòd Iudæi venerunt ad Christũ turmatim & pompose, eúmque circundederunt, speciem boni prętendentes, quasi nihil aliud quærerent nisi veritatem, deniq; expostulabant cum illo, quòd non palàm ediceret quis esset, omnémq; incredulitatis suæ culpam in eum iacere volebant. Quoúsque, inquiunt, animam nostram tollis? quasi dicerent. Non vides quàm cupidi simus agnoscendę veritatis, non possumus quiescere nisi fundamentum habeamus. Cor & conscientiã nos vrget, quòd non possumus nõ quærere, hoc te meritò mouere deberet. Non cogitas, quòd negotium hoc animas nostras concernit? Vísne tot homines in incredulitate & dubietate relinquere, quibus posses vno verbo satisfacere? Affirmando enim vel negando posses omnes nos quietare. Si diceres, Ego sum Christus: Parati essemus omnes credere. Sin autem negares te esse Christum, Iam necesse esset nobis alium expectare. Quousque igitur animam nostram tollis? &c. Vide, quàm bonam speciem illi prætendebant, quanquam suam malitiam hypocrisi tegebant. Quis credidisset sub tam bona specie aliquid

mali

mali latere? Verùm in eum incurrerunt, qui non intuetur faciem, sed cor hominis: Qui omnium corda videt & scrutatur. *1. Reg.16.* Is etiam pulchrè laruam hypocryseos ipsis detrahebat, detegens ipsorum malitiam, eósque conuincens, quòd perditionis ipsorum nemo alius culpam haberet, quàm ipsimet. Loquor, inquit vobis, & non creditis. Et iterum. Opera quæ facio testimonium perhibent de me, &c. Sed vos non creditis, quia non *Ioan.10.* estis ex ouibus meis. Sic igitur factum est, quòd qui primò culpam suæ incredulitatis in Christum conferre volebant, hi nūc conuincuntur, quòd ipsimet in causa essent. Sed quid secutum est, quòd in fine tantò magis se prodit ipsorum malitia, quò diligentiùs eam in exordio bona specie obtexerāt. Hic fuit processus in ea disceptatione Iudæorum cum Christo. Vtinam apud nos tale quid nunquam vel videretur, vel audiretur. Verùm heu nimium, hæc etiam apud nos fiunt, & ibi potissimū, vbi omnium minimè congruebat, nempè in conciliis, comitiis principum, aliísque publicis conuentionibus. Illic enim omnia cum summa grauitate agenda essent. Illic, inquam, nihil aliud cogitandum, ne dicam, agendum, quàm quod ad pacem & veritatem, & ad conseruationem Reip. ædificationem Ecclesiæ, & promotionem pietatis cōducere posset. Attendantur autem omnia comitia principum multis iam annis celebrata an non eundem processum in exordio, medio & fine habuerint, quem habuit hæc Iudæorum disceptatio, in hodierno Euangelio? Quæris, quo modò? Primò cùm ad comitia conuenitur, Nemo non bonam speciem prætendit, omnes se fatentur Christianos, & obedientes principes & status. Nullus de se dici vult, quòd vel impiè vel inobedienter agere velit, aut quicquam vel contra Deum & veritatem, vel contra Cæsarem & obedientiam publicámque pacem moliri intendat, & super hoc omnes protestantur. In summa nemo malæ aut peruersæ mentis reputari vult. nemo aquam turbauit aut turbare intendit. Hoc est exordium comitiorum. At cùm de rebus communibus tractari incipitur, hîc iam se produnt affectus, hîc quilibet attendit suum commodum, hîc iam vtilitati Reipub. proprium commodum præfertur: quilibet curat ne sibi aliquid decedat, quilibet aduersarium suum opprimere nititur. Hîc iam Christus in medio Iudæorum consistit. Hîc iam vndique contra Cæsarem clamant: Quo vsque animam nostram tollis? Altera pars clamat. Quandiu ô Cęsar, pati vis impiam illam & scand

scandalosam vitam ecclesiasticorum? Altera è diuerso clamat: Quandiu toleras proteruiam, leuitatem & summam illam licentiam, & tyrannidem pseudoeuangelicorum? Hic clamat: Quousque non restituis miseros illos spoliatos & eiectos in pristina sua bona? Alius clamat. Quousque non etiam alios, quos nos intactos reliquimus, non effugas & eiicis? Sic igitur, vt dixi, Christus inter Iudæos stat, Cæsar inter inquietos principes. Quid igitur hic faciet bonus ille Cæsar? Imò quid aliud facere potest, quàm quod Christus hic fecisse legitur. Reuera enim dicere potest vtrisque, Loquor vobis, sed non creditis. Quod meum est facio & feci, sed non curatis. Opera quæ feci & facio, satis indicant, quòd commodum vestrum quæro, quòd nullam partem opprimere tento, sed omnia libenter cum pace componere vellem. Satis supérque vos Euangelicos admonui, vt ad sanam mentem redeatis, & ab incœpta proteruia cessetis. Satis etiam vos Ecclesiasticos admonui ad emendationem vitæ, & superstitionum: Vtrinque fructum debitum expectabam & emendationem. Loquor & admoneo adhuc, sed nemo audit, Vultis scire causam? Non estis ex ouibus meis. Prætenditis nomen Catholicorum principum. Et tamen nec vna gutta Christiani sanguinis in vobis esse dignoscitur, alioqui nunquam propter affectus & commoda vestra pateremini, nedum Germaniam, sed totam etiam Ecclesiam tam miserè scindi & perire. Ostenditis vos quasi obedientes status. Verùm nullam obediētiam in vobis video. Vos ecclesiastici nondum cogitatis vel minimum quiddam in impia vita vestra, vel superstitionibus emendare: Sed nec vos Euangelici, cogitatis à proteruia seditiosísque actibus vestris, quantumuis Euangelio contrarij sint, desistere. Quid igitur faciam? Nihil iustiùs facerem, quàm vt deinceps & ego tacerem, manum auerterem, vósque simul perire sinerem, ac in iudicium Dei quod proximè vobis imminet tensis velis incurrere? An non bonus ille Cæsar sic principibus & statibus imperij dicere posset? Nec dubium, quin frequenter sic secum cogitet. Hic igitur vt plurimùm secundus actus est, & medium comitiorum nostrorum. Quem autem finem consequuntur? Hunc nimirum: quòd post longam disceptationem, ad propria redimus proterui & inemendati, vt priùs: & si affectibus nostris non omni ex parte satisfacit Cæsar, vtraque pars in eum concitatur, libenter lapides in eum coniiceret, si posset vel auderet. Sic igitur

tur nihil ex comitiis nostris reportamus, quem vacuas crumenas & inquieta ac exacerbata corda. Si priùs mutuò nos odio habuimus, nunc multò ampliùs hoc facimus: Si priùs proterui fuimus, nũc multò proteruiores efficimur, nihil aliud cogitantes, quàm quomodo alius alium, quàm primum perdere & opprimere possit. Sic concludimus nostra comitia. Faxit Deus, vt hæc quæ nunc celebrantur, meliorem & magis Christianum finem & exitium consequantur. Quid autem boni sperari potest, vbi tam proteruè omnia aguntur? Imò quid aliud expectare possumus, nisi certam & omnimodam perditionem? Cui igitur succensebimus ob hoc? Num Deo? Nequaquam. Ipse enim, quod suum est, abundè fecit & facit. Num Cæsari? Hoc quidem libenter faceremus. Verùm commodè facere hoc non possumus. Esto enim, quòd pleriq; in ipso maiorem & diligentiam & magnanimitatem desiderent: Homo enim est, nec solus omnia potest. Reuera tamen si alij decimam partem curarum & solicitudinis huic negotio impendissent, quam bonus ille Cæsar impendit, iam dudum consultum esset Ecclesiæ & Germaniæ. Nos igitur in culpa sumus, qui nec Deum nec Cæsarem audimus. Iustè igitur & à Deo & à Cæsare relinqueremur. En, fratres, in hoc statu sunt res nostræ, sic igitur re ipsa conuincimur, quòd eadem agimus quæ Iudæi, in hoc Euangelio egerunt. Quid igitur agendum nobis est, quandoquidem comitia principum nihil aliud sunt, quàm perpetuæ concertationes, sempérq; plus damni quàm boni adferãt? Clamandum ad Deum, vt ipse principum corda emolliat, eúmq; spiritum ipsis infundat, qui non quærat quæ sua sunt, sed tantùm quæ ad pacem, veritatem & commodum Reipub. potissimùm autem quæ ad concordiam in rebus fidei & religionis conducant. Ob hanc autem causam hodie conuenimus. Hoc enim vnicum illud refugium nostrum est, vt à Deo auxilium quæramus, quando homines tam distorti & peruersi, obstinati & indurati sunt. Effusa est contentio super principes, & errare eos fecit Deus in inuio, & non in via. Imò à senioribus Israël egreditur, & prouenit omne malum. Impeditúrq; omne bonum Ecclesiæ. Non est igitur, quòd confidamus in principibus. Multò meliùs est sperare in Domino. Ad hunc igitur nos conuertamur. Hunc inuocemus. Ad hoc autem etiã Hieremias noster excitabit in Threnis suis. Vbi in totum ea proponit, quæ etiam quãtumuis durum hominem ad fletum & orationem excitare possent.

Psal. 106. *Dan. 13.* *Psal. 145.* *Psal. 117.*

TEXT

TEXTVS.

Postquam Hieremias multa & magna mala enumerâsset, tandem exclamationem addit, & quidem insignem.

Cui, inquit, comparabo te vel cui assimilabo te filia Hierusalem? Cui adæquabo te & consolabor te virgo filia Syon. Magna enim est velut mare contritio tua. Quis medebitur tui?

Hunc versiculum hodie considerabimus. Pulchrè enim congruit tẽpori nostro & statui præsentis Ecclesiæ, eò diligentiùs aures & arrigendæ nobis sunt, & animus intendendus. Loquitur quidem Hieremias de sua ciuitate & populo: sed non tantùm: non enim fuit historiographus sed propheta, nec tantùm ex humano & naturali affectu hunc planctum fecit, sed ex spiritu sancto. Vnde non dubium est, quin latiùs se extendat quàm ad solam illam Hierusalem, eiúsque populum & incolas. Quomodo igitur dicit? Cui comparabo te virgo filia Syon? &c. Iam antè dixi, quòd Syon & Hierusalem in hoc libro pro eodem accipiuntur: Hierusalem enim erat ciuitas. Syon autem, arx eiusdem. Accipiunt autem pro populo ibidẽ commorante. Quod autem filiam Syon & Hierusalem in singulari nominat, non sic intelligendum, quòd de vna sola persona loquatur. Imò, vt iam dixit, per huiusmodi nomina Syon & Hierusalem, intelligit populum in eis commorantem: Continens pro contento. Nec solum eum populum, qui in illa ciuitate morabatur, sed omnes etiam, qui ei ciuitati subiecti erant, hoc est, totum populum Iudaicum. Hoc autem

Zach. 9. frequens est in scriptura, maximè in prophetis. Vt cùm Zacharias dicit, Dicite filiæ Syon: Ecce rex tuus, &c. Non ad vnam personam, sed ad totum populum locutus fuisse intelligendus est. Iucundiùs autem sonat & dulciùs, cùm prophetæ dicunt filia Syon, quàm si dicerent, Vos ciues Syon & Hierusalem. Et ideò hoc modo loquũtur prophetæ, vt populus affectum ipsorum videant, indéque sibi persuadeant, nedum prophetas, sed ipsum etiam Deum illis bene velle, omniáque ob ipsorum commodum & salutem & dici & fieri. In hoc tamen libro hic modus loquendi potiùs est Sarcasmos, id est, amarulentus iocus, quàm iucunda & dulcis allocutio. Nominat enim eos filiam Syon & Hierusalem, quasi exprobrando & irridendo,

quasi diceret. Eras quidem dilectus ille puer, decora illa filia, quam & Deus & homines amabant, quid autem & qualis nũc es? Nempe tam misera, deformis, abiecta, quòd similem tui nusquam video, aut inuenio. Cui comparabo te? In Hebræo habetur, Quale testimonium de te feram? quasi diceret. Quid de te boni dicere possum? Inuenio quidem alios magnificè de te locutos esse. Sic enim Moses olim dixit. En populus magnus & sapiens. Et: Non est alia natio quæ habeat deos suos appropinquantes sibi sicut tu. Itémque: Te elegit Dominus Deus tuus, vt sis ei populus peculiaris de cunctis populis, qui sunt super terram. Sic Baruch: Non hos elegit Dominus, sed te. Beati igitur sumus, ô Israël, quia quæ Deo placita sunt, manifesta sunt nobis. Sic Dauid: Non fecit taliter omni nationi, &c. Imò & extranei olim te laudabant. Vt Balaam. Quàm pulchra, inquit, sunt tabernacula tua Iacob, &c. Ego autem nihil horum nunc de te dicere possum, quia nihil boni, plurimum autem mali in te video. Quale igitur de te testimonium feram? Nec hoc solùm. Sed insuper, cui assimilabo te, subintelligendum tam in peccatis, quàm in pœna, quasi diceret. Nullum inuenio populum, qui terribiliùs punitus sit: sed nec quenquã inuenio, qui plùs & atrociùs peccauerit. Cui igitur assimilabo te? Num Sodomitis aut Samariæ? Hæ quidem ciuitates pessimæ fuerũt, & miserè interierunt. Quid autem dicit Ezechiel de te? Iustificata est Sodoma respectu tui, & Samaria dimidiũ peccatorum tuorum non fecit. Cui igitur comparabo te? Num Niniuitis aut Tiro & Sidoni? At Niniuitæ quantumuis mali fuissent, tamen pœnitentiam egerunt, ad prædicationem Ionæ, Tyrus autem & Sidon non habuerunt, quæ tu habuisti. Imò si in eis facta fuissent, quæ in te facta sunt, dudum pœnitentiam egissent. Vnde & Niniuitæ pœnam comminatam effugerunt, & Tyrus Sydónque etiam in nouissimo die remissius iudicium habebũt. Cui igitur comparabo te? Num Aegyptiis & Babyloniis? Et hi quidem pessimi fuerunt, sed quomodo aliud poterant, cùm Deum ignorarent? Longè aliter se res tua habet. Tu sciuisti voluntatem Dei. Ideo peccatum tuum omnibus aliis præponderat: Debebas primum locum tenere in omni pietate, vt omnes alij exemplum de te sumere possent. Nunc autem summum locum obtines in malitia, quòd propter te etiam nomen Dei blasphematur inter gẽtes. Vides hic, quomodo Hieremias peccata populi sui aggrauat? Quin & hoc addit. Cui exequabo

Deut. 4. *Deut. 7.* *Baruc. 3.* *Psal. 147* *Num. 14.* *Ezech. 16.* *Ione 3.* *Matt. 11.*

te,& consolabor? In Hebræo sic habetur, Quem tibi proponã, vt consolari te possim? Hoc signanter ad pœnam refertur, sicut præcedens ad culpam. Consolationem enim nonnullam præstat afflictis, cùm audiunt eadem etiam alios sustinuisse.
Iudich. Gaudium est miseris, socios habere pœnatum. Sic Iudith exemplis Patrum, qui sub cruce laborauerant, populum suum consolabatur in tribulatione præsenti. Idem faciebat Mathathias,
1. Mac. 2. tempore persecutionis sub Antiocho. Idem facit Paulus, enu-
Hebr. 11. merando exempla Patrum in epistola ad Hebræos. Hiere-
& 12. mias autem conqueritur, nullum se inuenire exemplum, quo Iudæos suos consolari possit, quasi diceret, Multos quidem inuenio, qui puniti, vastati & captiuati fuerunt, sed nullum populum, nullam ciuitatem inuenio, quæ tanta perdidit, vt tu. Quàm longè enim priùs omnes ciuitates & regiones antecellebas, in gratia, bonis, & fortuna, tam longè eos nunc præcedis in malis & infortunio. Et quid opus multis? Magna est velut mare cõtritio tua. Nihil sub sole maiùs, profundiùs, inscrutabiliùs, inenarrabiliùs, quàm mare: sic etiam cõtritio tua est, vt nemo satis eam exprimere possit. Nec enim vnquam aliqua ciuitas, à tanta dignitate in tanta miseriam peruenit: Imò tantà est contritio tua, quòd nulla ampliùs spes reliqua est. Quis
Hiere. 30. enim medebitur tibi? quasi diceret nemo. Etiam si medicus omnium medicorum è cælo veniret, non tamen sanitatem recipies. Cur hoc? quia insanabilis plaga tua, & planè desperata
Hiere. 17. propter hoc, quòd nulla pœnitentia in te conspicitur. Durior effecta es lapide. Peccatum tuum scriptum est stylo ferreo, in vngue adamãtino. Quis igitur medebitur tibi? En hæc conqueritur Hiere. in hoc versu. Et quis non videt omnia hæc
1. Petr. 2. etiam iam in nobis compleri? Primò enim certum est, quòd nos fuimus genus electum, gens sancta, &c. (Sic enim nos nominat Petrus) fuimus filij & populus, imò & sponsa Dei, sic
Roma. 8. enim Paulus in multis locis Christianos nominat. Vita autem nostra omnibus huiusmodi titulis nos indignos reddit. Deinde nec facilè inuenies populũ, qui non in omnibus tam proteruè & impiè agat. Cui comparabo te, ô sancta Ecclesia? Paulus te comparat cælesti Hierusalem, & ita esse oportebat. Quomodo autem Hierusalem dici potest, vbi nihil nisi discordia & tumultus videtur? Quomodo ciuitas Dei dicenda est, vbi diabolus omnia pro libitu suo agit? Hierusalem deberes esse, ô Ecclesia, sed Babylon effecta es. Nihil enim aliud iam in te

vide

videtur, quàm omnimoda confusio, deordinatio, omniúmque rerum vastatio, vt nemo pius non ob hoc conqueratur. Monet quidem nos nō semel scriptura, vt fugiamus è Babylone, at nos hoc non obstante ipsissima Babylon sumus. Præterea nec facile proponere potes, vel populū vel ciuitatem aliquam, quæ simul tot malis obruta fuerit vt Ecclesia hoc tempore. Nisi fortè terrenam illam Hierosolymam proponere velis, Verùm hoc exemplum non nos consolatur, sed potiùs terret. Si enim illis non pepercit, qui naturales rami fuerunt, nec nobis parcet, qui aliundè nempe ex oleastro insiti sumus in bonam oliuam. Si illi non effugerunt, qui in terra loquentem non audire voluerunt, multominus nos qui è cœlo loquentem contemnimus. In summa, contritio nostra est sicut mare, nemo satis vel cogitare vel edicere potest: Desuper enim irascitur Deus, de subtus terra negat fructus suos dare. Ex vtroque latere irrumpunt hostes, intus autem summum nobisipsis damnum inferimus, discordia & bellis ciuilibus. Quis igitur medebitur nostri? Certè nullus: nisi ad Deum conuertamur. Cui igitur te comparabo, ô sancta Ecclesia? ô dilecta patria? Tota enim informis es, tota misera, &c. Vides quò nos ducat versus hic, nempe non ad desperationem, sed ad pœnitentiam. Hæc enim est, quæ nobis omnia restituere & reparare posset. Hoc igitur cogitemus. Hoc opere compleamus. Ad hoc nos signanter admonet quadragesimale tempus, imò hoc summè necessarium est. Securis enim ad radicem arboris nostræ posita est. Et nisi pœnitentiā egerimus, omnes simul peribimus. Quæramus igitur Dominum, dum inueniri potest, &c.

Zach. 2. *Apoc. 18.* *Roma. 11.* *Hebr. 12.* *Matt. 3.* *Luc. 13.* *Esa. 55.*

CONCIO DECIMATERTIA.

Ad idem, Nonis Maij.



NVLLVM hodie Euangelium habemus, vnde exordium huius sermonis sumere possim, quemadmodum in quadragesima, vbi semper Euangelia quotidiana ansam loquendi de rebus nostris præbebāt. Vt in nouissimo sermone Euāgelium mentionem faciebat Iudæorum, bona quidē specie ad Christū venientiū, & blādè quærentiū, nū ipse esset Christus. In *Ioan. 10.*

fine autem tumultuantium & lapidare volentium, quæ res nobis occasionem dabat orandi Deum, vt sua gratia præueniret, ne idem fieret in comitiis his principum, vt scilicet, bene cœptum bona specie, cum tumultu finiretur. Sic & in præcedenti
Matt. 12 sermone Euangelium erat de Iudæis signum quærentibus è cælo, quos Christus nedum durè arguit, sed etiam omni gratia deinceps indignos pronunciat: peiores eos gentibus facit, & tandem diabolo tradit: quod idẽ nobis ansam dabat timendi & cauendi, simúlque orandi Deum, ne in idipsum exemplum obstinationis incideremus. Sic igitur vtrunque Euangelium exordium sermonis nobis dabat: At hodie nullum tale
Luc. 19. Euangelium habemus. Non tamen deërit exordium huius sermoni. Imò vnicum illud verbum Christi, quo hos sermones omnes incipio, satis occasionem dat & loquendi & cogitandi de periculosis temporibus nostris, terribiliq; cursu mũdi. Ad huiusmodi enim cogitanda & pensanda, hodie iterum conuocati sumus, simúlq; vt Deum oremus, pro gratia, apúdq; ipsum
Eccle. 9. & consilium & auxilium quæramus, quandoquidem plùs satis nũc experti sumus, verissimum esse, quod in scriptura legitur, nempe, quòd nec velocium est cursus, nec fortium bellum, nec sapientium panem, nec doctorum diuitias, nec artificum gratiam, hoc est quòd neq; sapientia, neque potentia nostra quicquam efficere possumus: vbi Deus non vult & cooperatur. Sic
Psal. 32. enim de sapientia nostra dicit Dauid, Dominus dissipat consilia gentium, reprobat etiam cõsilia populorum & principum. Ipsius autem consilium manet. De potẽtia autem nostra dicit. Non saluatur rex per multam virtutem, &c. Meritò igitur om
Hier. 8. nes nos monet Hieremias, ne sapiens glorietur in sapiẽtia sua, aut fortis in fortitudine sua, &c. sed qui me agnoscit, vt eũ qui facit misericordiã & iustitiam, is gloriari potest. Is etiam plura & maiora perficiet, quàm mundus omni sua sapientia & potentia. Huius plura exempla adducere possem, si non ipsi nobis exemplo esse possemus, Certum est, quòd Germanicæ nationi, imperio nostro, imò Ecclesiæ hactenus nec sapientia, nec potentia defecit, secundum iudicium mundi. Interim tamen nihil aut parùm effecimus, aut prosperè egimus, quod certum iudicium est, sapientiam & potentiam nostram non sufficere ad res benè agendas: Imò in Esaia maledicuntur etiam, qui vel
Esa. 30. in sapientia sua vel in potentia mundana cõfidunt, Væ, inquit,
Esa. 31. filij desertores, qui capiunt consilium & non ex me, & ordiuntur

tur telam, sed non per spiritum meum. Et in cap. sequenti. Væ, qui descendunt in Aegyptum, ad auxilium impetrãdum, confidentes in equis & curribus &c. quæ cum ita sint, meritò nos monemur, auxilium & consilium à Deo postulare, non obstan te, quòd principes nunc de rebus communibus consultant, & quòd milites ad bella se præparent. Imò oratio piorum in hac re plùs operari potest, quàm omnia principũ cõsilia, aut etiam militum arma: id quod olim in Mose probatum est, qui plùs contra Amalechitas egit orando, quàm Iosue pugnando. Quia & aliàs aliquando compertum est, quòd principibus cessantibus, simpliciores quique Rempub. conseruarunt ab hostibus. Hoc enim Delbora specialiter in suo Cantico extollit. Noua, inquit, bella elegit Dominus, per humiles scilicet deuincendo hostes. Nam diuiso contra se Ruben, magnanimorum reperta est contentio, Galaad quiescebat, Dan vacabat nauibus, &c. Zabulon autem & Neptalim minimæ scilicet tribus fortiter egerunt. Hoc etiam nunc fieri potest. Imò meo iudicio sic fieri necesse est, vt, scilicet pauperes se hostibus opponant, orando, quando videmus principes cessare & perpetuis dissidiis inter se confligere, ac malle simul perire, quàm alterutris vel in minimo cedere. Imò malle Turcis rem Christianã & seipsos prodere, quàm Christianis paululum de iure suo concedere. Imò de iniuria remittere. Et quid boni expectare possumus, à tam malè affectis principibus? Eò magis nos ipsi arma nostra spiritualia sumere debemus ac pugnare: Esto enim, infirmi simus, arma tamen nostra potentia sunt Deo, ad destructionem munitionum, &c. Eò confidentiùs igitur arripienda, maximè cùm Christus ipse in verbo præmisso tam euidenter periculum nostrum nobis prædicit, & cum tanta compassione & affectu, vt nemo dubitare possit, quin adiuturus esset, si nos mala nostra agnoscentes gratiam eius imploraremus. O si cognouisses & tu (inquit) quasi apertissimè diceret. Si agnoscere posses malum tuum, sine dubio sentires auxilium meum. Sic igitur vnicum verbum hoc, sermonis huius exordium dare posset. Restat igitur, vt idipsum cordi imprimamus. Ob eam causam hactenus cum eo proposui Threnos Hieremiæ, si fortè oculi nostri aperirentur. Cui enim is liber oculos non aperit ad videnda mala sua, huic nescio quid agendum sit. Atqui hoc maximè nos impedit, quòd nondum videmus mala nostra. Ideò nihil nõ tentandũ est, quod nobis oculos

Exo.1.

Iudic.5.

1.Cor.10.

aperire possit. Atque quod hactenus egi in his sermonibus, hoc & nunc agam. Vtinam cum fructu.

TEXTVS.

Thren.2. Sic igitur in præcedentibus Hieremias noster querulatus est. Quomodo obtexit caligine filiam Sion?&c. Et paulò post, Cogitauit Dominus dissipare murũ filiæ Sion,&c. Et tandem cum exclamatione. Cui assimilabo te filia Hierusalem? Hunc versiculum in nouissmo sermone exposui. Nunc autem in eisdem lamentationibus progredi volentibus, occurrit & interuenit Sanctus Dauid, cum suo planctu, quem habuit super
2.Reg.1. Saulem & Ionathan, supérque populũ Israël, qui in bello contra Philistæos miserè ceciderat. Hæc, inquam historia casu se nunc obtulit, nec videtur abs re esse, si vtrunque simul audiamus, Dauidem scilicet & Hieremiam: quãdoquidem vtrique eodem spiritu ducti & eodem compassionis affectu mala populi Israëlitici planxerint, ad cõmonitionẽ nostri & omnium posterorum. Si enim Dauidis planctus ita acceptus fuisset, vt oportet, non secutus fuisset plãctus Hieremiæ. Si ad parua mala & plagas obstupescere & emendari sciremus, non timenda nobis essent maiora mala. Cùm Dauid plãgeret, tolerabile adhuc malum erat. Semel tantùm vicerant hostes, & aliquot milia Israëlitarum occiderant, vnà cum Saule & Ionatha, verùm maior adhuc populi pars restabat. Supererat etiã & adhuc Dauid verus rex, promissionẽ habens à Deo Philisteos per ipsum debellandos: Nihilominus tamẽ plãgam hanc populi sui tam anxiè deplorabat, ac omnibus inculcatam volebat. Non enim tantum cogitabat, quid acciderat, sed quid in posterum accidere posset. Nec tam eum mouebat recens illa quam acceperant plaga, quàm futurum periculũ quod timebat. Sciebat nempe
Leuit.26. Deum ita prædixisse, quòd si vna plaga nihil ad emãdationem populi faceret, se septem plagas simul missurum. Et si parua correptio eos ad emendationem non adduceret, se eos penitus
Deut.28. deleturum. Hoc considerabat Dauid in suo illo planctu, hoc etiam omnibus inculcatum volebat. Quòd si Israëlitæ cędem illam in bello acceptam sic considerâssent, vt cõminationem maiorum malorũ, certè non coactus fuisset posteà Hieremias videre, & ciuitatem & populum & templum & omnia vastata esse. Verùm quia minora negligebãt mala, in maiora cũ tempore inciderunt, è quibus & sequutæ sunt lamentationes illæ Hieremiæ. Omnia autem hæc nobis dicta putemus. Quod

Dauid

David planxit, hoc nos in quotidie experimur. Quod Hieremias planxit, hoc omni hora expectamus & timemus. Quotidianas, inquit, cedes & plagas experimur. Extrema & omnimoda perditio & vastatio præ foribus est. Non abs re igitur vtrunque Prophetam hodie simul proponere constitui. Si didicerimus cum Dauide quotidiana & minora mala deplorare, ac per ea ad emendationẽ adduci, diutiùs securi erimus à maioribus malis, & omnimoda perditione. Audi igitur quid Dauid fecerit eo tempore, cùm malè pugnasset Israël contra Philisteos. Fama ad ipsum peruenerat & Regem & populum cecidisse in prælio: Philisteos autem ob hoc exultâsse & idôla sua laudâsse, Deum autem verum blasphemasse, denique etiam contumeliam ingessisse corporibus occisorum Israëlitarum. 2.Reg.1.
Hoc quàm primùm audiuit Dauid & comperit esse verum, scidit vestimenta sua & omnes qui illi assistebant, insuper & flebant, lugebant & ieiunabãt super Saul, & alios, qui cum eo ceciderant. En hoc factum Dauidis quàm primùm damnat duritiam nostram & oscitantiã, qui nihil mouemur, quantumuis vel Christianitati vel etiam honori Dei decedat. An non audimus, quantùm inualescat hostis noster? An non præ oculis quasi videmus, quot vrbes, regiones, regna occupârit nostris temporibus, quot milia Christianorũ occidat & mactet, quot milia in seruitutem abducat, quantam cõtumeliã irroget occisis & captiuis, quantũ insolescat etiam contra Christum, & quicquid Christianum & diuinum est? An nõ his annis multos milites perdidimus, quorũ plerique nedum fortitudine cum Saule, sed etiam probitate cum Ionatha cõparari poterant? An non videmus, nũc hos principes, nunc has vrbes & regiones desciscere, & ab vnitate Ecclesiæ se separare? An non videmus senes & probatos mori, in omnibus statibus autem iuuenes Deum ignorantes, & non timentes succrescere? An non videmus, quàm miserè simpliciores seducantur sub specie boni? quámque lamentabiliter iuuẽtus ad omnia mala inducatur? In summa, videmus multa milia animarũ perire, & diabolum omnibus nunc agere, vt & corporaliter & temporaliter nos perdat. Hæc, inquam, audiuimus & vidimus, audimus & videmus. Quis autem nostrûm adhuc vestem suam ob hoc scidit, quemadmodum Dauid? aut quis vel tantillo minus ob id comedit, bibit, dormiuit, lusit, nugatus est? quis eo plùs fleuit, orauit, & ad emendandam vitam cogitauit? Ecce quomodo

Esa.57. perit iustus (ait Esaias) & nemo percipit corde: Viri misericordiæ tolluntur, & nemo intelligit. Si hæc suo tempore dixit Esaias, quid nunc diceret? quod enim tunc contingebat in vno & altero, hoc nunc contingit in multis milibus, qui pereunt: nemo tamen hoc percipit corde: Nullus adhuc Dauid se ostendit, qui plangere incipiat. Et vnde tanta in nobis insensibilitas & stupor? Non aliunde, quàm quòd nec dum videmus, quo in
Luca 19. statu sint res nostræ. Abscondita sunt hæc ab oculis nostris. Dauid autem videbat, quô tenderet & quid portenderet cædes illa populi. Videbat, inquam, quòd erat præmonitio & comminatio maioris mali, si non ad Deum conuerterentur. Ideò in tantum rem exaggerat. Et nos si sciremus, quòd omnia mala & infortunia, quæ quotidiè in prœliis & alibi experimur, nihil aliud sunt, quàm cōminationes maiorum malorum sequutorum: certè etiã nos vestes & corda scinderemus, plangeremus, ieiunaremus, & feruentiùs orationi insisteremus. Hoc igitur primo loco nos docet Dauid in suo planctu. Sed quid ampliùs fecit idem Dauid in tempore tam tristi? Præcepit, vt docerent filios Iuda arcũ. Quid hoc sibi vult? aut quid hæc ad nos? Mul-
2.Reg.1. tùm per omnem modum. Volunt quidã, quòd planctum illum suum & carmen lugubre vocauerit arcũ, propterea, quòd in eo ostenderetur, quomodo arcus fortiũ superatus sit. & occisi, qui priùs vincere solebant. Voluit igitur Dauid, vt filij Iuda discerent, hoc carmen, quo semper admonerẽtur acceptæ cladis, vt sic magis etiam in timore Dei ambularent, & cautiùs si dimicandum esset cum hostibus congrederentur. Alij volunt, quòd præceperit, vt discerent artem sagittandi, quandoquidẽ Philistæi hac arte Saulem vicerant. Nam vulneratus dicitur à sagit
1.Reg. 31. tariis. Et quidem textui non dissonant. Verùm non satisfaciũt. Nec enim simpliciter dicitur Dauid præcepisse, vt discerent arcum, sed additum est, sicut scriptum est in libro iustorum. Aliôqui nihil noui fecisset Dauid. Nam & mundus suos milites priùs exercet, & instruit armis. Imò non opus fuit, vt Israëlitæ discerent artem sagittandi, quàm priùs sciebant. Nam de Ionatha idem Dauid in hoc ipso planctu dicit. Sagitta Ionathæ nunquam retrorsùm abiit, &c. quomodo igitur Dauid tantopere vrgeret hanc artem sagittandi, quæ tamen Ionathæ nihil profuerat? Alium igitur arcum docere voluit, non scilicet eum, qui discitur in scholis athletarum, sed eum. qui scriptus & expressus est in libro iustorum. Is autem liber

nullus

nullus alius est, nisi sacra scriptura, quam Dauid hic librum iustorum nominat, propterea, quòd iustorum illic fides & vita describitur. Eandem scripturam sacram, Moses nominat librum bellorum domini, propterea quòd illic describitur, quomodo Deus hostes suos & populi sui deiiciat. Quis igitur est ille arcus, quem docet scriptura sacra? aut vbi scriptura docet arcum? Audi: Cùm Moses populum suum trepidantem videret ad mare rubrum, propter aduentum hostium clamauit, Nolite timere: State & videte magnalia Dei, &c. Hic docuit eos arcum, hoc est, veram artem sagittandi & bellandi, nempe fidem & fiduciam in Deum. Sic cùm idem Moses Iosue misisset aduersum Amalechitas in pugnam, ipse oraturus conscendit montem. Et hîc docuit scriptura arcum, id est, veram fortitudinem, quæ consistit in orando & inuocando nomen Domini. Turris enim fortissima nomen domini. Sic cùm Moses dicit. Si audieris vocem Domini Dei tui, Ipse pugnabit contra inimicos tuos, &c. Et hîc docet eos arcum, nempe timorem Dei & pietatem, quæ fortissimum telum est aduersus hostes quoscunque. In summa, per arcum hîc Dauid nihil aliud intelligit, quàm veram fortitudinem, quæ nihil aliud est, quàm manus & auxilium Dei. Hoc arcu Abraham solis suis vicit vernaculis quinque reges, Hoc arcu Iosue vicit triginta & vnum reges: In hoc arcu sperabat Iosaphat, cùm diceret. Cùm ignoramus, quid agere debeamus, hoc solum reliquũ est, vt oculos nostros ad te Deum nostrũ leuemus, &c. Hoc arcu si vsus fuisset Saul, non periisset. Dauid autem nunquam non hoc arcu vsus fuit. Diligam, inquit, te Domine virtus mea, Dominus firmamentum meum, &c. Et paulò pòst. Tu præcinxisti me virtute ad bellum, docuisti manus meas ad prælium, & posuisti vt arcum æreum brachia mea. Et quod ipse in propria necessitate fecerit, hoc nunc etiam vult à populo fieri in communi malo. Docuit eas arcum, id est, hortatus est ad fidem, deuotionem, orationem, pietatem & timorem Dei. His enim armis patres vicerunt. Et quid meliùs docere potuisset? Alius post acceptam cladem exercitum reparâsset & auxisset, &c. Dauid autem videbat hoc nihil profuturum, sicut nihil profuerat Sauli. Præcipit igitur, vt verum arcum discerent, id est, veram fortitudinem à Deo quærerent. Sciebat Saulem ideo periisse, quia non posuerat Deum adiutorem suum. Et quid etiam nos hoc tempore meliùs

Num. 21.
Exod. 14.
Exod. 17.
Prou. 18.
Deut. 28.
Genes. 14.
Ios. 12.
2. Par. 20
Psal. 17.

discere possumus? Præparamus nos vndique ad prælium, &c. hoc autem omnium maximè necessarium esset, vt eum arcum, eam artem bellandi disceremus, quam scriptura nobis tradidit. Sic enim possemus hostibus nostris resistere. At nos nihil minus curamus. Quid igitur mirum, quòd vbique infœliciter pugnamus? Hoc igitur secundo loco è Dauide discamus. Verùm nunc etiam verba ipsius audiamus. Considera, inquit, ô Israël, super his, qui interfacti sunt, &c. His verbis non tam eos admonet, qui è prælio aufugerant, quàm eos qui domi remanserant. Vult vt non contemnant sed magni æstiment cladem acceptam, cogiténtque quos amiserint, & vbi, & per quos. Omnia enim hæc ipsam cladem exaggerant. Primò enim non mirum est, vbi impij cadunt, hi enim nihil boni à Deo sperare possunt. hîc autem non infideles & pagani, sed populus Israël cecidit. Et in terra sua cecidit, quod longè miserabiliùs est, quàm si in terra aliena cecidisset. Postremò ab infidelibus & idololatris cæsus est, quod omnium maximum est. Omnia autem hæc certam iram Dei & magna demerita populi ostendunt, alióqui Deus populum suum nunquam sic reliquisset, nunquam etiam incredulis tantum permisisset. Hoc igitur Dauid considerari vult, & meritò, nam & dignum est, quod diligenter pensetur. Quin addit & alia, quæ cladem illam exaggerent. Non, inquit, tanntùm vulgus populi periit, quod tolerabile esset, sed inclyti, inquit, Israël, qui scilicet populum defendere debebant, & quorum vnus pro decem milibus computabatur. Insuper eos, etiam nominat, Saul inquit & Ionathas occisi, & addit etiam conditiones eorum, Aquilis velociores, leonibus fortiores. Postremò addit exclamationem. Quomodo ceciderunt fortes in prælio? idque tertiò repetit admirando, simul autem ostendit plùs vltionem diuinam fuisse, quàm humanam victoriam. Quis autem non videt, omnia illa etiam in nobis impleri, & iam dudum impleta esse? Considera igitur Israël, ô Ecclesia, quòd nihil prosperè agamus contra Turcas: Considera, quòd in terra nostra hostis nos vrget. Considera, quòd Christiani à paganis cædimur, vincimur: Considera, quòd incliti Israël pereunt, partim in bello, partim in pace moriendo, partim in errores incidendo. Pereunt autem in minoribus, nimis scilicet præsumendo de sua sapientia, potentia & diuitiis. Considera, quòd fortes perierunt, qui columnæ Ecclesiæ videbantur.

2.Reg.1

Et

Et quid hæc aliud sunt quàm iudicia Dei? Si in viridi ligno hoc faciunt, in arido quid fiet? Si principes cadunt, quomodo se à casu præseruabunt populares? Si doctißimi quíque in errores labuntur, nec tuti esse possunt ab astutia Sathanæ, quid sperare poterunt indocti? In summa. Si magna imperia & regna vastata fuerunt, & vastantur, meritò nobis quoq; timendũ est. Quid igitur meliùs facere possumus, quàm vt eum arcum discamus, quem Dauid populum suum docuit, hoc est, fidem, timorem Dei, deuotionem, orationem. Hic arcus omnia à nobis mala depellet, &c. En fratres ad hoc tendit planctus Dauid, & ad hoc hodie conuenimus. Oremus igitur, &c.

CONCIO DECIMAQVARTA.

Ad idem, decimooctauo die Iunij.

SI cognouisses & tu, &c. Hunc sermonem iterum cogor incipere, cum verbo illo Iosaphat regis Iuda. Cùm nescimus, inquit, quid agere debeamus, hoc nobis reliquum est, vt oculos nostros ad te Deum nostrum leuemus. Ita nobis quoque faciendum est, quò minus auxilij in hominibus videmus, eò fortiùs nobis ad Deum confugiendum est, quod non sine causa dico. Non dubito, quin pius quisq; in comitiis nuper exactis bene sperauerit, & Dei clementiam affuturam & principes omnibus viribus annisuros ad resarciendam concordiam Ecclesiæ, pacificandámq; Germaniam. Hæc inquam omnium nostrum spes erat, hoc omnium nostrum votum. Atqui, prô dolor, exactis iam comitiis nihil adhuc tale videmus. Imò omnia in contrarium experimur, ac verißimè (vt prouerbio dicitur) Pro thesauro carbones inuenimus. Imò si vnquàm verùm fuit, quod fabulæ dicunt, Parturiisse olim montes, nihil tamen inde natum nisi ridiculum murem, in his comitiis impletum est. Vbi magnificè omnia cœpta fuerunt, nihil autem ad virtutem & concordiam faciens expeditum est. Nam & principum quisque, in suo adhuc proposito obstinatißimè persistunt. Et insuper etiam adhuc manus Domini extenta. Verè igitur dicere nunc cum Apostolis possumus, Sperabamus. Et cum Esaia: Expectauimus lucem, & ecce tenebræ, &c. Ergo quidem nihil mirum, quòd nec à Deo nec à *Esa. 9.* *Luc. 24.* *Esa. 59.*

princ

principibus quicquam auxilij ſentimus. Quod enim Deus adhuc non exaudierit nos, clamantes & orantes, non alia cauſa

Ibidem. eſt, quàm quæ in Eſaia ſequitur poſt verba modò enarrata. Iniquitates, inquit, noſtræ multiplicatæ ſunt coram te, & peccata noſtra reſponderũt nobis, &c. Hæc verba qui ſecum expendit, ſimúlque vitam noſtram accendit, non mirabitur, quòd Deus nondum nos exaudierit. Cæterùm de comitiis principum ego dudum iudicium meum dixi, & tunc quidem nimium vt videbatur temerariè. Nunc autem heu nimium verè, & pluſquam vellem. Vtinam in hac parte falſus propheta fuiſſem. Verùm quomodo aliter fieri potuit, quid boni ſequi: quomodo ſpiritus ſanctus adeſſe poteſt, vbi negotium aliquod ſine timore Dei incipitur, conuiuiis, compotationibus, pompis, &c. trãſigitur, & ſumma cum pertinacia & temeritate concluditur? Væ qui

Eſa. 5. conſurgitis manè ad ebrietates, ait Eſaias, &c. Et opus Domini nõ reſpicitis. Propterea captiuus ductus eſt populus meus, &c. Imò propterea infernus etiam aperuit os ſuum, &c. An nõ autem nos ita agimus? In laſciuiis & voluptatibus, peccatis & impietatibus permanemus, interim nemo attendit opus Dei, quid ipſe cogitet. Ideò in captiuitatem ducimur, famem patimur, ac ſimul omnes magni ac parui in corpore & anima perimus. Vnde & ego ſummam hãc cæcitatem, peruerſitatem & obſtinatam malitiam non poſſum non comparare inſano illi

Dan. 5. conuiuio Regis Balthaſar, quod cum ſumma impietate celebrauit eo tempore, cùm perditioni proximus eſſet. Duo ſiquidem reges obſidebant ciuitatem, Cyrus ſcilicet & Darius, ac ſumma vi oppugnabant Babylonem. Impius autem Balthaſar quaſi in ſumma pace & pleniſsima ſecuritate conuiuium inſtruebat, & ebrietati vacabat. Nec hoc contentus, vaſa Domini è templo Hieroſolymitano ablata proferre iuſsit, ac cũ concubinis ſuis inde bibere non veritus eſt. Præterea etiam deos ſuos aureos, &c. laudabat, omnia in iniuriam veri Dei. Sed quid factum eſt? Quando in ſuo illo verè temulento & impio conuiuio ſederet rex, apparuit manus ſcribens in pariete ſententiam ſummi Iudicis, ſuper impium hunc regem. Mene, mene, thekel vpharſin: quæ vulgariter ſic ſonant *tzel ab, tzel ab, vveich ab, vnd laß teilen.* Nec diu dilata fuit hæc ſententia: Imò eadem nocte impleta. An non autem res noſtræ videntur eòdem tendere? Exordium certè adeſt, finem conſimilem auertat Deus. Hoſtes, inquam, pro foribus habemus, imò in-

In mediis penatibus. Interim tamen ita viuamus, quasi nullum esset periculum. Insuper & Deum & omnia diuina negligimus, contemnimus, prophanamus, blasphemamus, nostros autem deos, hoc est, impios conatus nostros tyrannicáque facta laudamus, publicamus ac pro diuinissimis proclamamus. Quid igitur mirum, si etiam super nos eadem de cælo sententia feratur? Mene mene thekel vpharsin. Nolo hîc propheta esse. Certum tamen omnibus, quòd regnum & gloria Germanorum ad summum peruenit & fini proximum est. Quod si nosipsos in statera appendamus, vel teste conscientia nostra, inueniemur minùs habentes. Quid igitur restat, nisi vt regnũ nostrum, gloria, diuitiæ, &c. imò & regnum Dei à nobis auferatur, & inter alios diuidatur? Hæc ideò dico, vt eò feruentiùs ad Deũ clamemus, quo minùs auxilij à principibus videmus, imò quò propiùs nobis iudicium Dei esse sentimus. Ob eam rem iterum, ad lamentationes nostras nos conuertamus. Gestiret quidem animus, vt semel læta prædicare possem, ac cum Solomone dicere, Benedictus Dominus, qui dedit populo suo requiem: Verùm nondum possum hæc dicere, cùm nihil minùs videam, quàm pacem. Interim igitur, cum Hieremia lugeamus, hoc enim si ritè fecerimus, spes est etiam gaudium rediturum: Hieremiam igitur audiamus. 3.Reg.8.

TEXTVS.

Sic igitur Hieremias noster hactenus querulatus est. Quomodo, inquit, obtexit Dominus caligine filiam Syon, &c. Et postea. Cui assimilabo te, aut cui adæquabo te filia Syon? Magna est velut mare contritio tua. Quis medebitur tibi? Hæc verba in vltimo sermone exposui, simúlq; ostendi, quid nobis inde obseruandum sit, Sequitur nunc in textu.

Prophetæ tui viderunt tibi falsa & stulta: nec aperiebant iniquitatem tuam, vt te ad pœnitentiam prouocarent: viderunt autem tibi assumptiones falsas & eiectiones. Thren.2.

Plauserunt super te manibus omnes transeuntes per viam; sibilauerũt & mouerunt capita sua super filiam Hierusalem, Hæccine est vrbs, dicentes, perfecti decoris, gaudium vniuersæ terræ?

Aper

Aperuerunt super te os suum omnes inimici tui: sibilauerunt & fremuerunt dentibus suis,& dixerũt, Deuorabimus: en ista est dies quam expectabamus: inuenimus, vidimus.

Hæc verba hodie nobis consideranda sunt, docebunt enim agnoscere, quo in statu res nostræ sint, cui omnia hæc mala accepta ferre debemus, & quomodo etiam nunc inde emergere possumus. Vis scire, quo in statu res nostræ sint? In eo nimirum, quòd omnes aliæ nationes mirentur, quomodo Germania ad hæc mala peruenerit: Nemo non irrideat nos, Plerique denique de malis nostris gaudeant, ac causam deuorandi nos inuenisse se iactent. Vis deinde scire, vnde hæc mala omnia ortum habeant? E prophetis non Dei, sed nostris, qui blandiloquentia sua nos ab omni grauitate, pietate, deuotione, in summam & extremam leuitatem, impietatem, & cætera, deduxerunt. Vis postremò scire, quo pacto his malis medendum sit? Veri prophetæ audiendi, qui nos ostensis peccatis ad pœnitentiam prouocent. Horum nos admonet textus præsens. Nemo autem non videat, quàm aptè omnia illa verba in nos competant, quasi de solis nobis dicta sint. Ideò latiùs de ipsis disserendum. Primò igitur obseruandum, quòd Hieremias noster supra omnia mala, quæ hactenus recensuit, malus quiddam adhuc asserit, ciuitati & populo suo accidisse. Nempè, quòd in tot malis neminem inuenerint sibi compatientem, multos autem de ipsorum perditione gaudentes. Hoc, inquam, omnibus malis supra dictis præponderat. Duplo enim cruciat, cùm quis nedum aduersa patitur, sed insuper videt omnes alios de sua miseria gaudentes, id quod vel in sancto Iob videre licet, quem irrisiones & scommata amicorum suorum plùs exacerbabant, quàm omnia mala quæ patiebatur. Vnde & Dauid ob eam potissimè causam mala & aduersa deprecatur, ne inimici sui inde occasionem illudendi sibi haberent. Huc pertinet, quòd dicit: Illumina oculos meos, ne vnquam obdormiam in morte, ne quan do dicat inimicus meus, Præualui aduersus eum. Item: Ad te leuaui animam meam, &c. Neq; irrideāt me inimici mei, &c. Item: Non supergaudeant mihi, qui aduersantur mihi iniquè, &cæt. Sic enim in vniuersum videmus, quòd sapientibus quibúsque grauiora videntur & sunt irrisiones & conuitia, quàm

Iob. *Psal.* 12. *Psal.* 24. *Psal.* 34.

quàm damna ipsa. Nihilominus tamen pius quisq; cùm in sua cruce irridetur, etiam aliud & maius quiddã considerat, nempè scandalum, quod inde oritur apud impios. Hi enim ex hoc iudicant piorum fidem vanam esse, suam autem veram, sicque proteruiores fiunt. Ob hanc potissimùm causam pij orant, ne inimicis suis ludibrio sint & fiant. Hinc & Dauid alio loco non minùs deplorat hanc ab impiis irrisionem, quàm damnum ipsum. Facti sumus, inquit, opprobrium vicinis nostris, &c. In hunc modum & Hieremias hîc dicit. Plauserunt, inquit, super te manibus suis, &c. q.d. Vel nunc tandẽ agnosce, quò deueneris. O quanta mutatio rerum. Eras vrbs perfecti decoris, gaudium vniuersæ terrę, cui de vniuersa terra conuehebatur aurũ cui argentũ, nec vllius precij computabatur. Nunc autẽ audire cogeris: Hęccine est illa vrbs, Imò videre cogeris, quòd omnes transeuntes super te complodunt manus, &c. Nec hoc tantùm. Sed nunc vel maximè hostes tui ex tua miseria confortati, os suum aperiunt, dentibus fremunt, dicunt. Nunc eos planè deuorabimus. En ista est dies, quam expectabamus, &c. Verè dolenda exprobratio, lamentabilis insultatio. Nam quid putas? quantùm insultauerunt, quàm volentibus animis expectatum desolationis tuæ diem viderunt, qui & post 70. annos tam diutino miseriarum tuarum nondum satiati spectaculo, cùm soluta esset captiuitas, & exisset sermo, vt reædificaretur ciuitas, totis conatibus impedire conati sunt, & ad tempus etiam impedierunt, vt in Esdra legitur. Hæc Hieremias de populo suo queritur. Atque vtinam in illis solis hæc impleta essent. Quis autem non videt omnia illa verba in nobis quoque impleri? Erat enim olim Germania coram omnibus gentibus, regiò perfecti decoris. Erat gaudium vniuersæ terræ. Eramus apud omnes gentes magnæ reputationis, vbique bona & magna de nobis dicebantur. Mirabantur omnes aliæ nationes nostram in rebus externis grauitatem, fortitudinem, fidelitatem, constantiam, veritatem: Commendabant nostram in rebus diuinis fidem, pietatem, deuotionem, ordinem, &c. At nũc omnia illa perdidimus. Quicunque nos transeunt, quicunque de nobis loquuntur, rident nostram leuitatem, inconstantiam. Mirantur, quònam inconstantiæ deuenerimus. Hæccine, inquiunt, est illa Germania, de qua tanta bona audiuimus? Hæccine Germanorum fides, constantia, deuotio? &c. Hoc, inquam, audire cogimur ab omnibus aliis nationibus. Quin & qui anteà

Psal. 78.
3. Reg. 10.
1. Esdr. 4.

anteà hostes nostri fuerunt & sunt, vtpote Turca, & eos, quos mercenariis armis longo adhuc tempore infestauimus, malis nostris lætantur, fortiúsque nobis insidiantur. Deniq; sperant tempus adesse nostræ desolationis. Hinc est, quòd Turca nunc vel maximè nos vrget, & perdere festinat, ac deuorare. Verissimè enim intra se dicit & cogitat. Ecce hæc est dies, quam expectabam, &c. Itidem faciunt & alij hostes nostri, etiam domestici, qui de malis nostris lætantur, & eò fortiùs vrgent & instant ad deuorandos nos. In hoc statu rerum nunc est Germania, & maximè Catholici. Et in quem horum malorum culpam referemus? Audi Hieremiam. Prophetæ, inquit, tui viderunt tibi falsa, &c. En Hieremias omnium sui temporis malorum causam in pseudoprophetas reiicit. Et reuera sic est. Ipsi enim sua blandiloquentia populum eò perduxerant, quòd veros prophetas ampliùs audire dedignabatur. Veri enim prophetæ legem prædicabant, ac vitia durè increpabant, deniq; & nihil non malorum propter peccata comminabantur. Hoc cùm populo non admodum gratum esset, pseudoprophetę alia via ingressi ea tantùm prædicabant, quæ grata erant, peccatis condescendebant, populum fiducia templi, &c. in peccatis & impœnitentia conseruabant, Hæc grata erant, hi amabantur, honorabantur, audiebantur, hi regibus & principibus proximi erant. Interim veri prophetæ exosi erant, ac pro seductoribus habebantur, publicísque hostibus, id quod vel maximè

*Hiere.*20. in Hieremia nostro videri potest. Nũc enim voluntatem Dei
*Hiere.*26. prædicans percutiebatur à Phassur. Nunc à sacerdotibus di-
Hiere. 28 gnus morte proclamabatur. Nunc ab Anania pro pseudopro-
*Hiere.*36. pheta insimulabatur. Nunc libri eius comburebantur: Nunc
Hiere. 38. etiam in carcerem coniiciebatur. Interim pseudoprophetis omnia prospere cedebant. Hoc igitur, quod nunc improperando queritur. Prophetæ, inquit, tui viderunt tibi vana, &c. quasi diceret. Vbi nunc est propheta ille tuus Ananias, qui tu-

*Hiere.*14. lit de collo meo cathenam, &c? Vbi illi, qui dicebant? Non veniet gladius super vos, &c. Dicebam ego. Falsò prophetant illi visionem mendacem, & diuinationem fraudulentam, & cæt. & non audîstis me. Ecce nunc res ipsa probat, quia viderunt tibi falsa, nec aperiebant tibi iniquitatem tuam tanquam medici imperiti & infideles. Prophetæ, inquit, tui hoc fecerunt. Non Prophetæ Dei. Hi enim longè aliter dicunt, & aiunt. Nõ enim confingunt vana ad complacendum hominibus, sed vera

prædicant,etiamsi non placeat. Deinde veri prophetæ non tacent,sed aperiunt hominibus quibuscũque sua peccata, etiam regibus:Vt Samuel Sauli: Natham Dauidi: Helias Achabo: Esaias Ezechiæ:Daniel Balthasaro:Moses Pharaoni: Ioannes Iudæis: Christus Pharisæis. Hi autem tui prophetæ placentia tibi locuti fuerunt. Beatum te dixerunt,atque per hoc te deceperũt.Consuerunt tibi puluillos, sub omniũ cubito manuum, vt suauiùs & sine omni remorsu conscientiæ, in peccatis quiescere posses,etiam maximis. Denique,nihil tam impium tu ædificâsti, quod ipsi non linierunt ac excusârunt. In summa: veri prophetæ homines prouocant ad pœnitentiam, vt patet Esa.primo.Hiere.tertio.Oseæ 14.Matth.tertio.&c.Tui autem prophetæ in omnem obstinationem & impœnitentiam te adduxerunt.Tui igitur prophetæ fuerunt,Non Dei, tibi placuerunt.Sicut populus,sic & sacerdos:Sic enim & Esaias prædixit, Erunt qui beatificant populum istum seducentes,& qui beatificantur corruentes.In summa.Prophetæ tui prædicauerunt tibi assumptiones falsas. Imò tuam ipsius deiectionem & erectionem procurauerunt,ita quòd è tua terra eiectus es,perdidisti temporalia,offendisti Deum, factus es opprobrium omnibus,&c. Et in hunc modum Hieremias omnẽ culpam perditionis populi in falsos prophetas reiicit. Et reuera sic est. Legantur omnes historiæ,inuenietur, quod pseudoprophetæ in omnia mala induxerunt homines.Sic dæmon ipse mendaciis suis hominem in tanta mala coniecit. Sic Magi Pharaonem fascinauerant, vt non obtemperaret Mosi, imò Deo. Sic Caïphas populo Iudaico persuaserat,vt Christum ad crucem adigerent.Sic Mahometus Turcas ad perpetuam effusionem sanguinis instigauit: Sic prophetæ quidam falsi nostro tempore rusticos ad inobedientiam primò, deinde etiam in perniciem adduxerunt.Sic iidem adduc principes extimulant ad impiissima quæque audenda.Iidem populum ad leuissimam vitam, & totam Germaniam in periculosissimas discordias incitarunt & incitant,In summa:Nihil tam impium incipitur,quod non excusare conentur impij illi prophetæ. Hi, inquam sunt, qui Germaniam nostram in omnia mala præcipitant.Sunt autem prophetæ nostri, Veteres enim & veros, quia ad pœnitentiam nos prouocant,cõtemnimus, hos amplectimur quia placentia dicunt,conniuent peccatis, excusant tyrannidem, prædicant gratiam,etiam impiissimis promittitur cælum, quali-

Esa.5.
Ezech.13.
Ezec. 22.
Esa.9.

tercunque viuamus,&c. His debemus omnia mala nostra ascribere,&c.Quantò autem satiùs esset veros prophetas audire,etiam si peccata arguerent.Hi enim nos in prosperis conseruare possent.Nam vbi peccata agnoscuntur, illic occasio habetur ad pœnitentiam, vbi pœnitentia vera est, ibi & inuocatio gratiæ est:vbi gratia Dei petitur,illic certò omnia bona conceduntur.En fratres,ob hanc causam hodie hîc congregati sumus.Agnoscamus peccata nostra, pœniteamus. Oremus primò pro remisione peccatorum, deinde pro amotione malorum.Nemo audiat eos,qui dicunt,Nihil opus esse pœnitentia.

CONCIO DECIMAQVINTA.

Ad idem, sexto Idus Iunij.

SI cognouisses & tu, &c. Vbi frequens fletus & lacrymæ videntur,nemo dubitat, quin malè cum huiusmodi hominibus agatur: nam aliòqui nemo facilè flet, cui nihil triste contingit. Sic vbi nulla est necessitas,nihil opus etiam est aliorum auxilia implorare. Et vbi nullum periculum præsens aut imminens,nulla etiã opus est admonitione. At vbi quis frequenter aliorum opem inclamat,nemo dubitat,quin necessitate aliqua prematur,& qui frequenter monetur,certum est ei periculum instare. Cùm itaque etiam nos hoc tempore tam crebrò ad orationem & Christianam tristitiam conuocemur, nemini dubium est,quin etiam nobiscum malè agatur,magnæq; necessitates & pericula nobis immineant.Aliòqui enim lætiora
Esa.66. videremus in nostris congregationibus. Esaias enim dudum de nobis prædixit,Christianos habituros sabbatum ex sabbato,hoc est perpetuas festiuitates & cõtinuas. Iterúmque idem
Esa.35. Esaias de nobis prophetauit. Qui redempti,inquit, fuerint, à Domino,venient in Sion cum laude,lætitia sempiterna super capita eorum, & fugiet ab eis dolor & gemitus. Atque hoc etiam in primis illis Christianis re ipsa compertum & com-
Luc 24. probatum fuit,post ascensionem enim Domini Apostolos le-
Acto. 2. gimus quotidie conuenisse in templum, laudantes & glorificantes Deum, &c. At in nos tam tristia tempora inciderunt, vt vbi nunc conueniunt Christiani, fletus & planctus fermè semper primum locum habeant:Imò sepiùs iam ad tristes has stationes conuocamur, quàm ad solennia festa.Hoc autem longè disimile est his,quæ prophetæ prædixerunt, & quæ primi

Christiani

Christiani experti sunt. Meriò igitur nos ipsos deplorare debemus,ac nobisipsis displicere, quòd patres nostri tam læta festa & congregationes habuerũt,nos autem ad tam tristia conuocamur. Ego quidem quod ad me attinet,& quem sors de rebus tam tristibus concionari cogit, libenter cum Hieremia dicere vellẽ,Væ mihi mater mea,vt quid genuisti me,virum, qui nũquam non rixari cogitur, cum impiis peccata ipsorum arguendo, & pœnam commeritam prædicando, &c. Verùm quid agas?vt tempora & homines sunt,ita concionandum est. Inuenio etiam veteres prophetas de rebus tristibus concionatos. Potuissent quidem lætiora nunciare, si alia tẽpora aliósq; mores inuenissent: Videbat Hieremias ollam feruentem & virgam vigilantem: Ezechiel librum, in quo nihil nisi lamentationis carmen & væ scripta erant. Esaias autem Deum pro tribunali sedentem, ac sententiam excæcationis proferẽtem, &c. Quomodo igitur læta potuerunt prædicare,qui tam tristia videbant? Et nos igitur nihil nisi tristia nunc videmus,quomodo igitur læta prædicare possem?Inuenio etiam, D. Augustinum malis sui temporis coactum nonnunquã tristia concionatum, id quod videmus in libro de tempore Barbarico. &c. recita ipsius verba cap. primi. Nemo igitur miretur, quòd etiã ego, non semper de gratia aliisque rebus lætis concionari possum. Tempora nostra & mores nostri aliò nos cogunt. Nihil igitur meliùs facere possum,quàm in Threnis Hieremiæ procedere. Materia quidem in se tristis est,sed tamen viam aperit ad gratiam & spiritualem lætitiam. Sic nonnunquam etiam medici, austeris medicamentis, ad sanitatem ducunt. Non est aut esse debet amarum,quo reformatur salus. Atq; vtinam vnum hũc Hieremiam rectè audiremus. Is enim vel solus nobis omnia læta restituere posset. Audiamus igitur,quid vlteriùs dicat.

Hier. 15.

Hebr. 1.

Ezech. 2.

Esa. 6.

TEXTVS.

Fecit Dominus quæ cogitauit,compleuit sermonem suum quem præceperat à diebus antiquis: destruxit,& non pepercit,& lætificauit super te inimicum,& exaltauit cornu hostium tuorum.

Clamauit cor eorum ad Dominum super muros filię Sion: Deduc quasi torrentem lacrymas per diem & noctem: non des requiem tibi, neque taceat pu-

pilla oculi tui.

Consurge, lauda in nocte in principio vigiliarum: effunde sicut aquam cor tuum ante conspectum domini: leua ad eum manus tuas pro anima paruulorum tuorum, qui defecerunt in fame, in capite omnium compitorum.

Hos tres versus nunc consideremus: ad multa enim nobis conducent, si rectè inspiciantur. Et prior quidem versus, quasi summarium quoddam est, breuisque repetio omnium, quæ hactenus dicta sunt. Paucis enim illis verbis complectitur totã illa miseriã, quam Hierusalem in sui destructione senserat. In sequentibus autem duobus versibus; fidele consilium afflictis dat, & sic etiam necessarium erat. Aliòqui nihil profuissent eius lamentationes, nisi ad omnimodam desperationem, si nihil nisi mala audissent, nullum autem consilium euadẽdi. Imò non fuisset Hieremias verus propheta, si non addidisset consilium. Veri enim prophetæ semper vinum & oleum commiscent: primóq; vulnerant & percutiunt, deinde sanant. Arguũt peccata, sed addunt consolationem: annunciant iudicium Dei, sed simul ostendunt, quomodo effugere possimus. Eodem modo & Hieremias, vt verum se ostenderet Prophetam, primò quidem mala populi sui descripsit & deplorauit: Nunc autem fidele etiam consilium addit, & tale, quod nobis omni studio amplectendum est. Videmus siquidem & experimur, nobis eadem mala imminere, quæ olim Iudæis acciderunt: fateri etiam cogimur, nos non minùs ea commeruisse, quàm ille. Vbi igitur idem morbus, eadem etiam medicina adhibenda est. Audiamus igitur Hieremiam. Fecit Dominus, quæ cogitauit, &c, hæc summa omnium malorum est. Imò paucis his verbis magnum pondus calamitatum complexus est, q. d. quid opus est longa lamentatione? Actũ est de te, ô Hierusalem. Nimium credidisti prophetis tuis, blanda loquentibus, mihi autem meiq; similibus, qui ad pœnitentiam te prouocabant, non credidisti. Cum Deus taceret & dissimilaret, non credebas eum quicquam mali contra te moliri. Nunc autem vides, quòd nedum mala contra te cogitauit, sed ea iam etiam perfecit. Deinde & si in lege tua legere scires, quanta mala Deus olim comminatus fuerat per Mosen, quia tamẽ huiusmodi plagas

tam diu distulerat,putabas ea nunquam implẽda esse, at nunc vides quòd compleuit ea, quæ etiam ab antiquis temporibus comminatus fuerat. Præterea persuaseras tibi, etiamsi mala irruerent: Deum tamen misericordiæ suæ obliuisci non posse, at nunc vides, quòd destruxit,& non pepercit. Denique,& si scires te mala commeruisse,non putabas tamen, quòd Deus hostes tuos in hoc lætificaret: at nunc contrarium vides. Postremò impossibile putabas, Deũ idololatris tanta permissurum, vt super te eleuarentur. At nunc vides,quòd cornu hostiũ tuorum exaltauit,econtrà te ad terram depresit sicque abiecta iaces,& hominibus ridenda & à Deo nihil gratiæ sentiens. Hæc sibi vult Hieremias in hoc versu. An non autem vsque ad intimum cordis hæc verba penetrant? nec fieri potest vt non in se angustietur,qui huiusmodi in se impleti videt. An non autem omnia illa etiam in nobis implentur? Verè fratres,Deus nunc facit,quod dudum cogitauit, Nunc complet, quod dudũ comminatus est. Imò sic incipit destruere, quasi omninò parcere nolit: Denique & subinde nobis mœrorem, hostibus nostris gaudium auget, Ipsósque exaltat,nos deprimit. Et quis dicere poterit,quòd iniustè agat? Imò quis aliter dicere potest quàm quòd omnia hæc mala meruimus. Hoc igitur primo loco,ex his verbis considerandum est. Deinde ipsa verba singulatim etiam perscrutanda sint, sic enim facilius videbimus grauitatem iudicij diuini,& quàm miserè nos ipsos decipiamus. Primò enim putamus Deum nihil mali de nobis cogitare, quando tacet. Imò plerique sentiunt,id quod in Iob legimus. Circa cardines cæli perambulat, nec nostra considerat. Hîc autem videmus,quòd Deus etiam cum tacet tamen mala contra impios cogitat. Sic & alibi legimus: Ecce,inquit,fingo contra vos malum,& cogito contra vos cogitationes. Sic & alibi Prophetis dicentibus, Pax erit vobis, Non veniet super vos malum: Quis enim affuit in consilio Domini &c. Respondet Propheta: Ecce turbo Dominicæ indignationis egredietur, & tempestas erumpens super capita eorum veniet. Non reuertetur furor Domini vsque dum compleat cogitationem cordis sui. In nouissimis diebus intelligetis consilium eius. Hoc igitur è primo illo verbo obseruandum, nempe quòd Deus etiam cum tacet tamen cogitat super impios mala, suo tempore reuelanda. Ex secundo autem verbo, hoc habemus, quòd diuinæ comminationes, etiamsi diu differuntur, tamen finaliter complen-

Iob 22. *Hiere. 18.* *Hiere. 23.*

tur. Et hoc igitur diligenter notandum Nam aliòqui verisi-
Eccle. 8. mè de nobis dixit Salomon. Quia non citò profertur contra impios sententia, filij hominum sine vllo timore committunt mala. Sic Iudęi olim in tantam securitatẽ venerant, vt diuinas
Hier. 17. comminationes etiam irriderent: vbi inquiunt est verbum Domini? Veniat. Hîc autem dicitur, quòd Deus sermonem suum
Deut. 28. compleuit, quem etiam à diebus antiquis prædixerat & comminatus fuerat, nimirum per Mosen. Non enim ideo differt
Roma. 2. Deus immittere, quæ comminatus est, quòd vel non possit aut
Roma. 9. nolit punire, sed tãtum verbis terrere. Ignoras, inquit Paulus,
Sap. 11. quòd longanimitas tua ad pœnitentiam te adducit? &c. Et iterum, Sustinet in multa patientia, etiam vasa iræ apta ad interitum, Et Sapiens. Dissimulat, inquit Deus, peccata hominum propter pœnitentiam. In summa, quàm certò Hieremias dicere potuit. Compleuit Dominus sermonem suum, quem comminatus fuerat: Tam certò ego nunc dicere possum. Complebit Dominus, quicquid impiis comminatus est, nisi maturè resipuerint. Sic igitur etiam hoc secundum verbum arguit stultitiam nostram, qui putamus ob id comminationes Dei non implendas, quòd diu differuntur. Tertium autem verbum eos arguit, qui putant Deum nihil aliud, quàm misericordem esse. Hîc autẽ audimus ꝙ tẽpore iudicij sui ita destruit, ꝙ non parcit, sed sine omni misericordia punit. Et quis hoc facit? Deus, inquit. Nã de diabolo mirũ nõ esset, Scimus enim cogitationes
Ioan. 8. eius. Et ꝙ homicida est, & fuit ab initio. Sed nec mirũ esset, si de Nabuchodonosor hęc diceret. Plerũq; enim videmus homines etiã bestiis immaniores esse. Hic autẽ etiã Deo tantã seueritatẽ tribuit, cũ iudicare incipit. Meritò igiť monet Sapiens. Ne dicas, inqt, misericordia Dñi magna, &c. Altissimus enim patiẽs
Eccle. 5. est redditor, & sicut ab ipso misericordia, sic & ira procedit. Ea autẽ ira subitò venit, &c. Et hoc igiť obseruandũ est in hoc verbo. Cæterũ duo nouissima verba, etiã vanã illorũ cõfidẽtiã destruit, qua qdã putãt sese ideo tutos futuros ab incursu Turcarũ, ꝙ Christianũ nomẽ habẽt & gerũt, quasi Turcę nullos Christianos vastauerint. Hîc autẽ apertè diciť ꝙ Deus aliquãdo impios lætificat & extollit sup populũ Dei. Hęc autẽ diligẽter cõsiderata quomodo nõ timorẽ nobis incuterẽt? Si autẽ Deũ timere vel semel inciperem⁹, nihil nõ bonorũ inde sequereť. Timor
Psal. 110. enim Dñi initiũ sapiẽtię est. Et, Qui timet Deũ nõ est incredu-
Eccl. 2. lus verbo Dei, sed inqrit, quæ placita sunt ei. Præparat cor suũ

Domino

Dn̄o. Seruat mādata eius, & patiēter etiā fert mala à Deo inflicta, &c. Sed dicis, satis sit ergo de hoc primo versu dictū. Audiamus etiā quale consiliū Hieremias populo suo in rebus tam afflictis dederit. Clamauit, inquit, cor eorū ad Dominū. Hoc quidem referunt ad Chaldæos, qui videntes tam facilē victoriam, coacti fuerunt Deo gloriam dare, quemadmodum & Nabusardan Hieremiæ dixit. Dominus Deus tuus locutus est malum super locum istum, & fecit sicut locutus est, quia peccâstis Domino. Meliùs tamen versiculus ille refertur ad fideles, qui ab initio in populo Dei fuerant, quasi diceret Hieremias. Si consilium quæritis in rebus afflictis, nec ego meliùs quiddam consulere possum, nec vobis quicquam plus prodesse poterit, quàm si imitati fueritis patres vestros. Quid autem illi fecerunt in rebus afflictis? Clamauit non vox tantùm, sed cor eorum, non ad quemcunque, sed ad Dominum. Et quia clamauerunt, etiam Dominus exaudiuit eos, & ex omnibus tribulationibus eorum eripuit eos. Id quod abundè patet ex libro Iudicum. Et tu igitur similia fac. Nam etiam adhuc propè est Dominus, in omnibus inuocantibus eum in veritate. Quæris igitur, quid ad hunc clamorem & veram inuocationem Dei pertineat? Primò. Deduc quasi torrentem lacrymas. Cesset risus & insanum mundi gaudium: succedat Christiana, quæ secundum Deum est, tristitia. Non enim tempus est ridendi, sed flendi, non tam super mala, quæ patimur, quàm super peccatis, quibus ea commeruimus. Hæc nobis signanter dicta putemus, qui nondum cessamus à lasciuiis & insano gaudio mundi. Dicebat quidam Pater cuidam leuiter ridenti. Ecce rationem reddere cogemur de omnibus, quæ agimus, loquimur, cogitamus, & tu rides? Itidem & nobis dici potest. Ecce omnia minantur vobis extremam perniciem, & vos ridetis? Deduc igitur tanquam torrentem lacrymas, ô Christiane, per eas enim extinguitur ignis iræ diuinæ. Deinde non des requiem tibi die ac nocte. Noli cessare. Nam & mors, perditio, iudiciúmque Dei non cessant. Qua hora non putatis, filius hominis veniet. Præterea, Non taceat pupilla oculi tui. Beati enim, qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur. Væ autem eis, qui rident, quoniam flebunt. Insuper. Consurge à peccatis, à corpore. Satis diu dormiuisti. Vsque quo piger dormis? &c. Vade ad formicam, ô piger, &c. Nec solùm consurge, sed arripe arma, quibus Deum timere possis, quemadmodum

Hier. 40. *Psal. 23.* *Psal. 144* *Mat. 25.* *Matt. 5.* *Luce 6.* *Prou. 6.*

Moses olim Deum tenuit, vt diceretur ei. Dimitte me, vt irascatur furor meus, &c. Sed quæ sunt illa arma, quibus Deus tenetur? Primò ieiunia & vigilia. Ideo dicit. Consurge in nocte, &c. Secundò, Orationes. Ideo dicit, Lauda in nocte, vel secundum alios, vocifera in nocte, tunc enim aptissimum tempus est ad orandum. Vel in nocte, id est, in aduersis, quæ per tenebras & noctem significantur. Tertiò eleemosynæ. Ideo dicit: Leua manus tuas. Bona est enim oratio cum ieiunio & eleemosyna, &c. Nec satis hoc, sed effunde cor tuum per confessionem peccatorum, per deplorationem tuarum miseriarum, & per expressionem desideriorum tuorum. Sic Dauid: Effundo in conspectu eius orationem meam, & tribulationem meam ante ipsum pronuncio. Sic olim Anna Samuelis, animam suam effudit coram duo. Omnia autem vel maximè ob id agenda sunt, quòd animæ paruulorum fame pereunt, in capite omnium compitorum. Quot enim nunc homines pereunt, quidam gladio Turcarum, quidam per intestina bella, quidam per errores, quidam per mala exempla & negligentiam parentum & superiorum? Hoc inquam mouere nos debet ad orationem, &c. Hoc consilium Hieremias populo suo dedit, in rebus afflictis. Nec meliùs vnquam dari posset etiam nobis. Oremus igitur.

Exod. 32. *Tob.* 12. *Psal.* 141. 1. *Reg.* 1.

CONCIO DECIMASEXTA.

Ad idem, octauo Idus Augusti.



SI cognouisses & tu, &c. Conuenimus hodie iterum, charissimi, ad orandum pro gratia & misericordia, auxilio & subsidio diuino: considerantes nimirum, quòd Iosue noster pius videlicet imperator noster quandoquidem aliter pacem habere nequit, gladium etiam contra voluntatem suam in pacis osores & turbatores strinxit, eâ videlicet intentione, vt nos & à Turcis, & ipsorum confœderatis tutos reddere possit, simul etiam sperantes Deum faciliùs victoriam daturum, si armis carnalibus Cæsaris, nos etiam spiritualia arma nostra, orationes scilicet, obsecrationes, gemitus & suspiria, in vera fide & pœnitenti corde coniunxerimus. Et sic etiã fieri oportet: hoc enim & ratio dictat, & scriptura docet, & exigit

exigit æquitas, deniquesumma etiam necessitas hoc extorquet. Qui enim ratione præditus est, scit quòd ad promouendam Rempublicam & amouenda communia pericula nemo cessare debet. Qui Christianus est, scit, quòd in necessitate orandum est. Qui scripturas legit, scit, quòd in bellis plùs auxilio Dei, quàm externis armis cõfidendũ est. Habebat Moses fidelem ducem, ipsum scilicet Iosue, dederat ei copiosum exercitum, nihilominus tamen montem oraturus ascendit, nec ante adeptam victoriam orare cessauit. Iudith illa sancta vidua & virago, iam apud se decreuerat, quo pacto Holofernem aggredi vellet, nec dubitabat Deum sibi affuturum, nihilominus tamen vrbem egrediens: Nihil aliud, inquit, nisi oratio fiat pro me ad Dominum, vsque dum renunciem vobis. Quod si tam pij homines & tam bonæ conscientiæ non ausi fuerunt victoriam sperare, nisi incessanter Deum inuocarent, quid nos præsumere possumus, qui nec pij, nec deuoti sumus, plerunque etiam malam conscientiam habemus, si non ardenter oremus? Piè igitur & Christianè fit, quod sæpiùs ad orationem inuitamur. Interim tamen etiam hoc scire debemus, quòd oratio sola non sufficit. Dominus enim etiam nunc è cælo clamat, Pœnitentiam agite. Securis ad radicem posita est, Facite ergo fructus pœnitentiæ dignos. Et iterum: Omnis arbor quæ non facit fructum bonum, excidetur. Et quid sunt omnes homines, nisi diuersæ arbores, fructus etiam diuersos habentes? Sed bonus fructus quæritur (ait Augustinus) qui pascat, non qui pungat. Sunt enim & arbores spinosæ ignibus deputatæ, meritò incẽdendæ, quia in eis nullus omninò fructus est animæ. Putatis, inquit idem doctor, nos ideo arbores bonas esse, quòd nondum excisi sumus, & aliis pereuntibus nos adhuc persistimus? An non videtis, quòd etiam malæ arbores non repentè sed sensim & cum magna expectantia succiduntur? Primò enim exacuat agricola lignum, deinde amputat inutile lignum, posteà abscissum seruat incendio concremandum. Atqui hoc nunc agitur nobiscum à vero agricola. Videntur sibi mali quidam adhuc stare, adhuc florere. Quisquis talis es, quisquis malus es, quisquis corrigi non vis, non te consoletur altitudo tua, quia maior te expectat ruina, ampliòrque te sustinet flamma, quia nondum ad te peruenit securis. Non autem putes te ideò posse semper stare, cùm videas alias arbores te ampliores cecidisse: Quòd enim te hic

Exod. 17.

Iudit. 8.

Matt. 3.

Matt. 8.

August. de tempore Barbarico.

agricola differt, eius est patientiæ, si fortè intercedat apud eum locus pœnitentiæ. Nonnè audîsti, quid summus ille pa-
Lucæ 13. terfamiliâs dicat de arbore infructuosa? Ecce, inquit, tot anni sunt, quòd non inuenio fructum in ficulnea hac: Succide ergo eam, Vt quid etiam terram occupat? Vide autem quandiu Dominus nobis comminatus est, & quandiu pepercit. Et tamen conquerimur & indignè nobiscum agi putamus, quòd tanta mala nunc vndique videmus. O inquiunt, quàm bona tempora habuerunt patres nostri? Interim autem nolumus videre, quid patres nostri egerint, quàm seuerè vitia tam in se, quàm in aliis corripuerint. Moses mitissimus omnium
Exod.32. erat. In peccato tamen vituli aurei nulli parcebat. Occidat, inquit, vnusquisque fratrem suum. Phinees pius homo erat, sed videns publicè peccantes eos confodit, ne ira
Num.25. Dei in omnem populum veniret. Daniel potiùs in locum
Danie. 3. leonum, & tres pueri in ignem se proiici passi sunt, quàm
& 6. malum agere vellent. Hæc autem operabatur in ipsis fides, timor & amor Dei. Quoniam isti oderant non solùm omnia quæ habebant propter Deum, sed etiam animas suas. Quid nos facimus? Non solùm iustitiam, veritatem, &c. sed Deum ipsum relinqueremus potiùs, quàm paruū aliquod damnum sustineremus, aut filios nostros delinquentes contristaremur.
Danie. 3. En, inquit Augustinus, filios tuos blasphemantes audis, & patienter fers, quod Nabuchodonosor rex alienigena non potuit sustinere, dicens. Si quis dixerit blasphemiam in Deum Sidrach, Misach. & Abdenago, in interitum erit. Vides filios tuos frequentare spectacula, & non reuocas, vides luxuriantes & non verberas, nec potes te talem exhibere patrem, qui paratus sis indisciplinatos filios vel exhæreditare, vel abiicere, cùm paratus esse debueras, sicut Abraham etiam filium immolare. Sic igitur cùm nolumus filios aut amicos offendere, offendimus Deum. Volumus pacem mundi seruare, interim perdimus pacem Dei. Imò quia perdidimus pacem morum, perdimus pacem temporum. Et super hæc omnia adhuc restat iudicium Dei, ad quod omnes trahemur. Vbi non tantùm finem accipiet malè agere, sed etiam bene agere. Quid autem miseriùs tunc eo homine erit, qui multa mala fecit, & nihil boni ampliùs facere potest? Ideò filij reddite ad cor, ait idē Augustinus, facite gaudium ex conuersione vestra: Corrigantur corda vestra, displiceant vobis opera vestra: discite vel

semel

semel Deum omnibus aliis præferre. Nolite pati in filiis & amicis, &c. quod malum est. Irrideant hæc infideles, irrideant stulti, nihilominus tamen pereunt & omnia, quæ amauerunt cum illis. Sic olim Augustinus monuit suos, tempore quo barbari Africam vastabant, quod ideo nunc dicere volui, vt sciamus, quòd non satis est orare semel in mense. Nisi pœnitentiam, inquit, egeritis, omnes simul peribitis. *Luca 13.* Huius rei terribile exemplum habuimus hactenus in libro Threnorum, de ciuitate Hierusalem. Diu monuerat Hieremias, sed cùm nollent audire eum, bene monentem, posteà audire eum coacti sunt lugentem. Imò omne malum sentire coacti fuerunt. Si igitur sapimus, meritò hinc terreamur: & maximè, quando videamus, quòd nunc fermè omnia nobiscum ad eundem finem tendunt. Ideo ad maiorem nostri admonitionem audiamus, quid Hieremias vlteriùs dicat.

PRAEFATIO TEXTVS.

Sic audiuimus suprà, in secundo capit. libri Threnorum. Dominus, inquit, fecit quæ cogitauit, compleuit sermonem suum, &c. Horum verborum iterum admonere vos volo, ob id vel maximè, quòd Hieremias tam multis verbis ad orationem eos vrget, tanquam ad vnicum illud medium & refugium, quod ipsis adhuc supererat, omnibus nimirum aliis amissis. Nihil ipsis poterat auxilium præbere. Nihil ipsis restabat, quàm vt se humiliarent, peccata confiterentur, Deúmque inuocarent. Ideò etiam propheta in hoc multis & exquisitis verbis vtitur. Deduc, inquit, quasi torrentem lacrymas, &c. quasi diceret: nihil aliud possum consulere, nec quicquam aliud poterit te adiuuare, tota deiecta es, ô Hierusalem, non potes teipsam subleuare ex tam graui casu, sed nec quisquam alius est, qui tibi consultum velit aut consulere possit. Vnus Deus hæc faciat, oportet. Hæc est sacra illa ancora credentium, de qua etiam Iosaphat: Cùm ignoramus, inquit, quid agere debeamus, &c. *2.Par.20* Beatus tamen est, qui hoc scit & habet, nam multi ne hanc quidem consolationem sciunt, ideo in aduersis non possunt nisi desperare. Ideo hæc verba Hieremiæ seriò nobis dicta putemus. Verè enim multos ex præsentissimis malis & periculis saluauit, quòd Deum inuocare nôrunt. Probatum est, tota scriptura hoc testatur. Ab exordio enim vsque ad finem, nihil tam

frequens occurrit, vt talia exempla. Quis enim vnquam ad Deum clamauit & derelictus est? Audiamus vel solum Dauidem, de hac re loquentem, quanquam sępe vir ille per hoc mediũ orationis ex omnibus malis emerserit. Voce, inquit, mea, ad Dominum clamaui, &c. Item: Cùm inuocarem, exaudiuit me Deus, &c. Item: In die tribulationis clamaui ad te, quoniam exaudisti me, Item: Iste pauper clamauit ad Dominum, & exaudiuit eum, &c. Item: Ad Dominum cùm tribularer, clamaui, &c. Et quid multis verbis opus est? Nihil in toto Psalterio tam frequens est, quàm quòd Dauid fatetur se nunquam, frustrà oràsse. Non igitur mirum est, quòd Hieremias populum suum etiã ad hoc adhortatur: imò omnes nos simul. Ideò volui verba hæc repetere, & denuò inculcare. Nunc igitur in textu procedamus.

TEXTVS.

Vide Domine, & considera, quem vindemiaueris ita: ergóne comedent mulieres fructum suum, paruulos ad mensuram palmæ? si occiditur in sanctuario Domini sacerdos & propheta?

Iacuerunt in terra foris puer & senex: virgines meæ & iuuenes mei ceciderunt in gladio: interfecisti in die furoris tui: percussisti, nec misertus es.

Vocâsti quasi ad diem solennem, qui terrerent me de circuitu, & non fuit in die furoris Domini qui effugeret & relinqueretur: quos educaui & enutriui, inimicus meus consumpsit eos.

In hoc textu, Hieremias seipsum in exemplum ponit. Prius ad orationem admonuit, nunc orat ipse, ac per hoc non tantũ segnes ad orandum incitat, sed etiam simplicioribus veram orandi formam præscribit. Præterea etiam pusillanimis consolationem ingerit, vt confidentiùs orent. In his tribus multũ situm est. Nam aliòqui vulgus hominum vix ad orationem perducitur, nisi exẽplis trahatur, & simpliciores nesciunt, quid orare debeant, nisi formam aliquam præscriptam habeant, cui se conforment. Pusillanimus autẽ semper timet se frustrà oraturum, nisi verbis & exemplis consolatoriis fulciatur. Cùm autem hi, qui alios ad orationem trahũt, ipsimet orant, quem-

admodum Hieremias hîc facit, tunc ſegnes nullam excuſationem habent. Sic & cùm fidelis concionator formam orandi dat, faciliùs poteſt ſequi ſimplicior aliquis, Vbi autem etiam ſancti ſimul orant, puſillanimes conſolationem accipiunt, ad confidentiùs orandum. Omnia autem hæc in præſenti textu habemus. Qui orare erubeſcit, videat Hieremiam: qui neſcit quid orare debeat, attendat hæc verba. Qui ſeipſum indigniorem arbitratur, quàm qui ad Deum accedere audeat, is ſciat quòd non vnus Hieremias, ſed multi adhuc pij & probi inter nos ſunt, & nobiſcum orant. Iam primum & vltimum non indiget multa declaratione, ſed fideli imitatione. Qui enim exemplo Hieremiæ ad orandum non mouetur, is vel omninò obſtinatus eſſe, vel periculum ſuum non videre conuincitur. Vbi enim pij & ſancti pro gratia & miſericordia Dei orant, quid multis faciendum eſt? Deinde cui in orando nõ animum & confidentiam dat, quod videt Hieremiam ſimul orantem, is omninò puſillanimis ſit oportet. Certè Iudas Machabeus magnam ex eo conſolationem & confidentiam accepit, quòd in ſomnis viderat Hieremiam pro populo orantem. Imò talem confidentiã hinc hauſit, quòd nullam ampliùs hoſtem timuit. Et nobis igitur quamuis peccatores ſumus, fiduciam tamen orandi dare debet, quòd ſine dubio multi ſancti nobiſcũ orant. Hoc igitur de exemplo Hieremiæ dictum ſit. Nunc verba ipſa latiùs conſideremus: Hæc enim veram orandi formam præſeribunt. Vide, inquit, Domine & conſidera, &c. Hîc primò videmus energiam fidei, adeò terribiliter Deus populum & ciuitatem Hieruſalem percuſſerat, quòd quis cogitare poſſet nullã ampliùs illis gratiam ſupereſſe, potiſsimum cum cõſtet ipſos omnia ea mala commeruiſſe. Nihilominus tamen Hieremias ita in hac ſua oratione loquitur, quaſi adhuc dilectiſsimi filij eſſent, & nihil vnquam mali contra Deum feciſſent. Vide, inquit, Domine, quem vindemiaueris ita, q.d. pœna qua nos percuſsiſti magna eſt, peccata autẽ noſtra maiora ſunt, quibus nõ tantùm puniri meruimus, ſed omninò etiam abiici. Vnum tamen eſt, quod nobis animum addit, nempè promiſsiones tuæ, fœdus tuum, miſericordia tua, quam pœnitentibus promiſiſti. Vide igitur Domine, quem vindemiaueris ita. Primò enim nõ ſimpliciter flagellâſti nos, vt prius ſæpe feceras, ſed vindemiâſti. Qua metaphora vindemiæ oſtendit, quòd ipſis nihil relictum ſit, ſicut in vindemia omnia auferuntur, vineæq; nõ tantùm

2. Mac. 15.

tùm fructus producuntur, sed etiam fœlici ac deinde toto hyemis tempore negliguntur. Sic, inquit, tu nos vindemiâsti. Habuimus terram spaciosam, pacem, diuitias, Vrbes munitas, speciosum templum, decorum cultum Dei, potentes reges, honorabiles sacerdotes, graues senes, copiosam iuuentutem: Nūc autem omnia perierunt, vindemiâsti nos, sumus sicut vinea in hyeme, induti omni specie, nihil sentimus, nisi frigus, ventos, pluuias, glaciem & niues iræ tuæ. Imò ita nos vindemiâsti fame & gladio, quòd mulieres præ fame comederunt fructum vteri sui, quòd sacerdotes & prophetæ in ipso tēplo occisi sunt, quòd senes & iuuenes in omnibus plateis iacent interfecti, &c. Et cui hoc fecisti? Non Aegyptiis, non Chaldeis, aut aliis, qui te non nouerunt nec nomen tuum inuocant, sed tuo populo. Hoc igitur vide Domine. Quare faciem tuam auertis? Si oculos misericordiæ conuerteris huc, & quod facis ipse videris, ipse visu tuo vulneratus satis pœnarum esse sumptum ęstimabis. Ergo ne comedent mulieres fructum suum? &c. Quid crudeliùs & miserabiliùs, quàm cum matres ex fame coguntur comedere filios suos, & eos, qui vix nati sunt, vix mensuram palmæ habent? Et tua, ô Deus, videndo se continebunt viscera? Quid miseriùs, quàm vbi sacerdotes & prophetæ etiam in templo non sunt securi, sed in eo trucidantur? Et tu misericors Deus noster his non compateris? Quis tam duræ naturæ, vt non moueatur ad compassionem, vbi videt senes & iuuenes, virgines & pueros simul perire, & in omnibus plateis interfectos iacere? Et tu Deus noster hic continebis viscera misericordiæ tuæ? Nullus tyrannus tam crudelis est, qui non hoste subiecto, & humiliato iram deponat, & furorem, & tu Deus noster, cuius misericordia nunquam exhauritur, non misereris? Vide Domine & considera, &c. Hæc est oratio Hieremiæ. In qua videtis, quomodo procedat & cui innitatur, denique quid alleget. Nullam hic audis murmurationem contra Dei iustitiam; nulla hic excusatio peccati, nulla fiducia propriæ iustitiæ, hæc enim nihil agunt coram Deo, non impetrant misericordiam, sed prouocāt iram. Nihil igitur aliud propheta opponit iræ Dei, quàm fidem & promissionem misericordiæ diuinæ. Hoc idem etiam nos facere dicit Sapiens.
Psal. 79. Et si enim peccamus, inquit, tui sumus. Sic & Dauid, in multis Psalmis, vt cùm dicit. Qui regis Israël intende, &c. Item; Deus
Psal. 78. venerunt gentes in hæreditatem tuam, &c. Sic & Hieremias

hîc facit. Nobis autem omnia hæc dicta esse putemus. Si nondum totaliter nos vindemiauit Dominus, certè vindemiare incepit. Videmus quomodo nunc hoc nunc illud nobis aufert, imò multis iam dudũ omnia abstulit. Si nondum eam vim famis videmus, qualẽ hîc describit, certè viderunt & vident eam fratres nostri. Si apud nos non occiduntur in tẽplo sacerdotes & prophetæ, certè apud alios factum est, & fit. Si nondum tantę cædes apud nos virginum, paruulorũ, senũ. &c. certè apud alios est, & fuit, & similia indies expectamus. Imò omnia mala hæc iamdudum spiritualiter fieri apud nos vidimus & videmus. Quot enim parentes filios suos comedunt & perdũt? Quoties contingit quòd sacerdotes & prophetæ in templo cadunt spiritualiter? Quid gemunt omnes pij, quàm quòd puer & senes simul pereunt, & quòd Ecclesia magno labore educauit, inimicus iam simul aufert? Non minùs autem hæc ploranda sunt, quã si externè fierent, imò plùs. Discamus igitur ab Hieremia, quid hîc agendũ sit. Is enim, vt audîstis, primo enumerat mala populi sui. Deinde, quamuis sciat debitã esse pro peccatis pœnam, nõ tamen ab oratione absterretur. Postremùm, cùm fides eius tam certum illi testimonium dabat de misericordia Dei, nihil nisi eandem misericordiã iræ Dei opponit, quemadmodum olim Moses: Memento, inquit, Domine Abraham, Isaac & Iacob, &c. Sic & nobis agendum. Primò vt miseriam nostrã Deo in oratione proponamus. Non quòd ipse eã nesciat, sed vt nos pleniùs eius admoneamur. Quæ autem miseria nostra sit & quanta, satis hactenus ex Hieremia didicimus. Deinde non ideò cessandum ab oratione, etiam si sciamus, quòd iustè omnia mala patimur. Hoc enim etiam sciebat Hieremias, nihilominus tamen orabat. Oportet autem nos primò orare, pro remissione peccatorum, sicut Dauid. Ne memineris, inquit, iniquitatum nostrarum, Oportet nos etiam à peccando cessare. Dauid enim non orat pro peccatis futuris, sed ne memineris iniquitatum antiquarũ, quo ostenditur, quòd iam decreuerat à peccatis cessare. Sic autem orantes de misericordia Dei nunquam desperemus, etiam si Deus adhuc grauiùs puniret. Hanc enim promissionem habemus nos Christiani. Si peccauerint filij eius, visitabo in virga iniquitatis eorum: misericordiam autem meam non dispergam ab eo, &c, hanc, inquam, consolationem habemus, quòd etiam si peccamus non cadimus extra regnum Christi. Quomodo enim miseretur pater filiorum, miser

Exod. 32.

Psal. 78.

Psal. 88.

Psal. 102. miseretur & Dominus timentium se, &c. Bene igitur Hieremias peccantem populũ suum docuit flere & confiteri & orare. Quod si etiam illi orare potuerunt, Nec nobis ianua salutis clausa est. Adeamus igitur cum fiducia thronum maiestatis Dei, eúmque precemur, quò ita nos vindemiet, nec aliquando abiiciamur: Sed rursum pertingamus ad terram promissam æternæ salutis.

CONCIO DECIMASEPTIMA.

Ad idem, pridie calendas Septembris.



SI cognouisses & tu, &c. Iterum hodie conuocati sumus ad orationem, nec dubito, quin quilibet apud seipsum iudicare possit, hoc esse summè necessariũ & tale quid, ad quod omnes tenemur, etiam si nemo admoneret. Et sic etiam esse oportet. Sicut enim fidelis ciuis dici non potest, qui Reipub. in promouendo bono & amouendo malo deest: Sic verus Christianus non est, qui in his periculosis temporibus, in quibus & nobis & toti Ecclesiæ omnia mala imminent, non totis viribus ad Deum clamat & orat. Interim tamen non dubito plerosq; esse, qui nesciant, quomodo nunc orare debeant. Pio quidem Cæsari nostro omnia prospera optant & cupiunt. Interim tamen dolent, quòd tantùm Christiani sanguinis funditur, atque adeò timent, ne orando pro victoria Cæsaris peccent in charitatem proximi. Et reuera res consideratione digna est, quàdoquidem ex vtraque parte videamus esse Christianos, ex vtraque parte Christianum sanguinem fundi. Nam aliàs vbi contra Turcas pugnatur (cum constet ipsos omnes simul Dei hostes esse, & blasphematores sanguinis Christi) nihil huiusmodi dubio opus est. Imò in eo casu Christianus quisque, & audacter bellare & fiducialiter orare potest & debet. Imò etiam post adeptam victoriam triumphos & festa celebrare. Sic Dauid, Sampson, Machabæi audacter & sine omni scrupulo contra infideles pugnârunt, &c. Sic Moses, Iudith, Hester, fiducialiter contra hostes orârunt. Sic Israelitæ occiso Pharaone, Debora occiso Sizara, Iudith occiso Holoferne, cum gaudio triumphos celebrarunt. Vbi autem bella ciuilia sunt, ac frater contra fratrem, ciuis contra ciuem, Christianus cõtra Christianum bellatur

latur, hîc nihil horum decenter fieri videtur. Si enim cōtra fratres pugnare, contra Christianos orare, & fuso sanguine Christiano triumphare quis velit, videtur quasi contra naturam & legem charitatis agere. Atque hoc etiam senserunt gentiles, idq; dictante natura. Sic Iulius Cæsar de nullo vnquam bello minùs triumphauit, quàm de bello Ciuili. Sic Valerius Coruinus contra seditiosos ciues in prælium missus, orauit, vt non victoriam sed pacem de ipsis reportaret, nec gladiis rē egit, sed verbis & admonitionibus. Sic Scipio turbulentos aliquot & seditiosos ciues percutere coactus, pronunciauit se non aliter affectū esse, quàm si sua ipsius viscera secaret. Sic Ioab persequēs fugientē Israēlē cū admonitus esset, quid ita in pernitiē fratrū sæuiret, ait: Viuit Dominus, quia si hodie verbum hoc dixisses, cessâsset populus persequi fratrē suū. Sic Phace rex Israël, cùm multa milia mulierum & puerorum è regno Iuda cepisset, admonitus hoc esse contra charitatem, cum gaudio captiuos remisit. Sic vndecim tribus Israël cùm tribu Beniamin ob malè facta penè deleuissent, non triumphum sed planctum celebrârunt: Domine Deus, inquiunt, cur factum est malū hoc, vt hodie deleretur vna tribus ex Israël? Omnia hæc exempla indicant, quod etiam natura iudicat aliter cōtra fratres, quàm contra infideles pugnandum. Non mirum igitur, si quis dubitat, quomodo nunc orare debeat, ne in legem charitatis peccet. Et si enim impius ille Gallorum rex impiisimè egit ac extermi-nari meretur: Non dubium tamen est, quoniam multi boni & pij in eo regno sint, qui eius impietatem non probent. Nunquid igitur hi cum impio illo perdendi? Ego quidē, (cum omnibus cōstet Cæsarē piū nihil magis à multis annis concupîsse, quàm vt omnes vires suas cōtra Turcas mouere posset, semper autē ab impio Gallo prohibitus fuit) nō dubito, quin inuitus perdat pauperes Christianos: Imò certò mihi persuadeo, quod non alio animo bellum illud Gallicum gerat, quàm si sua viscera secaret, & quòd mallet pacem de Christianis, quàm victoriam tā cruentam. Hæc sine dubio mens pij Cæsaris est. Hinc igitur facilè videmus, quomodo nobis in hoc bello orandum sit, nempe plùs pro pace quàm pro victoria. Orandum inquam est, vt pars aduersa ab impio suo proposito abstineat, potiùs quàm vt vastetur & pereat. Quod si omnino bellandū est, orandus Deus, vt victoriā conferat citra multi sanguinis effusionē, & pauperum innocētúmq; perditionem: Christianus inquam

2. Reg. 2.

2. Par. 28

Iudith. 21

ſemper nunc orare debet, cũ Abraham. O Domine, nunquid
Gen. 18. iuſtũ perdes cum impio? Et cum Iſraëlitis. Vnde factum eſt, ô Deus, hoc malũ, ꝙ tot Chriſtiani pereũt & perdũtur à Chriſtianis? Cur permittis, vt vnus homo ſua perfidia cauſam tantę cędis pręſtitit? O pie Deus aufer hãc perfidiã è cordibus hominũ, da Cæſari noſtro faciliorẽ viã opprimẽdi impiũ, quàm per tantã ſanguinis Chriſtiani effuſionẽ. Da aduerſariis cor, vt agnoſcãt ſe ac humiliẽtur, ne maioris perditionis cauſa exiſtãt. Moue omniũ Chriſtianorũ corda ad mutuã charitatẽ & cõcordiã, verte irã tuã in gẽtes, quæ te nõ nouerũt & nomẽ tuũ nõ inuocauerũt, &c. Hæc vt arbitror nũc eſſet optima oratio, hĩc nõ timere quis haberet, ne nimiũ faceret. Atq; hoc dicere volui in exordio ſermonis, propter multa, quæ nunc inter homines audiũtur. Oramus Deũ & orare debemus, pro pio Cæſare noſtro, quãdoquidẽ ad hoc bellũ cõtra volũtatẽ ſuã quaſi coactus eſt. Oramus autẽ, vt Deus ſi fieri poteſt ita ei victoriã det, vt tamẽ manus eius & militũ eius mũdas à Chriſtiano ſanguine ſeruare velit. Ob hãc cauſam hodie cõuocati ſumus: vt autẽ maiorẽ orãdi occaſionẽ habeamus, nõnihil ex Hieremia noſtro audiamus. Is enim vel maximè ea recẽſet in Threnis ſuis, quæ quãuis durum hominẽ ad orationem & fletum excitare poſſent.

Suprà igitur dictũ eſt, ꝙ libellus hic quadruplicẽ lamẽtationẽ cõtinet, quarũ ſingulæ deſcriptæ ſunt ſecundũ ordinẽ alphabeti Hebraici, adeò vt quælibet tot verſus habeat, quot literæ ſunt apud Hebræos. ita ꝙ primus verſus ſemper à prima litera, ſecũdus à ſecunda incipit, & ſic vſque ad finẽ alphabeti, excepto, ꝙ in tertia lamentatione ſemper tres verſus ab vna litera incipiãt. Huiuſmodi lamẽtationũ hic liber quatuor cõtinet, ſecundũ quatuor capita, & ſecundũ aliquos ſic diſtinguũtur. Nẽpe, ꝙ in primo cap. lamẽtatur generalẽ totius generis humani captiuitatẽ, & miſeriã. In ſecũdo ſpecialiter eã, quã Iudaicus populus tẽpore Hieremiæ à Chaldæis perpeſſus eſt. In tertio ſuã ipſius ſingularẽ miſeriã, quã corporaliter & ſpiritualiter expertus eſt. In quarto autẽ vltimã & finalẽ deſtructionẽ Iudæorũ, & Hieroſolymę per Romanos. In hunc modũ aliqui lamentationes has diſtinguũt. Alij tamẽ omnia ad vnã illã Babylonicam captiuitatẽ referunt, volũtq;, ꝙ vna eadẽmq; ſit lamentatio, ſed ſæpiùs pro more lamentantium aliis atq; aliis verbis repetita. Cæterũ quicquid ſit, de hoc ego cepto itinere pergã, oſtenſurus primò ſed paucis intentionem prophetæ ſecundũ literã,

deinde

deinde etiã eadẽ ad tẽpora nostra accõmodando. In hũc modũ duo præcedentia capita exposui. Tertium nunc incipiamus.

TEXTVS, CAPVT TERTIVM.

Ego vir videns paupertatem meam, in virga indignationis eius.

In hoc capite sicut dixi, spirituale quiddam videmus, nempe, ꝙ semper tres versus ab vna litera incipiunt, idq; per ordinem & per totũ alphabetum Hebraicum, à prima litera vsque ad vltimã. Quid autem spiritus sanctus vel propheta ipse per hoc sibi voluerit, in litera non exprimitur. Persuasissimum tamen fuit veteribus doctoribus Ecclesiæ, hoc non sine magno aliquo mysterio factũ esse. Vnde & aliqui caput hoc tripliciter exponunt. Nam quia semper tres versus à qualibet litera incipiunt: Primum versum exponunt, de communi miseria generis humani: Secundũ, de miseria captiuitatis Babylonicæ: Tertium de afflictione, quam propheta in se particulariter sensit. Alij primum sub qualibet litera versum exponunt, in communi de genere humano: Secundum de Ecclesia, Tertium de quolibet pio in particulari. Aliqui totum hoc caput mysticè exponunt de Christo, volúntq;, ꝙ Hieremias hîc nihil aliud quàm in persona Christi locutus sit. Non autem animus est, nec tempus patitur omnes omnium expositiones adferre, solùm igitur optima quęque & magis necessaria proponã. Audi igitur, quomodo incipit. Ego vir videns paupertatem meam. Pulchrum exordium. Hactenus de aliis locutus est, nunc de se loquitur, quasi diceret, quid prodest super eos plorare, qui propriam miseriam nondum intelligunt, etiã si in medio eius iaceant? Ego sum, qui loqui possum de miseria. Obseruandum autem, quòd non simpliciter dicit, ego vir pauper. Minùs enim dixisset. Nã & alij pauperes erant, sed paupertatem suã non videbant. Imò, omnis homo pauper est. In primo enim parente spoliatus est gloria sua, insuper & gloria Dei denudatus. Sed non omnis homo hoc videt. Non omnis homo intelligit hãc ipsam paupertatem suã, quẽadmodũ & Dauid ait. Nescierunt, non intellexerunt, In tenebris ambulant. Et Hieremias: Percussisti eos, & non doluerunt, &c. Et Ioannes in Apocalypsi. Dicis, quia diues sum & nullius egeo, & nescis, quòd es miser & miserabilis, &c. Ideò nõ simpliciter dicit Propheta. Ego vir pauper vel paupertatẽ expertus, sed vir vidẽs paupertatẽ meã. Multò enim aliud

Psal. 81. *Hiere. 5.* *Apoc. 5.*


est, pauperem esse & paupertatem suam videre aut agnoscere. Pauper esse aliquis potest & stultus: Sed paupertatẽ suã videre & agnoscere soli sapientes possunt, imò soli hi, qui spiritu Dei illuminati sunt. Talis fuit Hieremias, ideò verè dicere potuit. Ego vir videns paupertatem. Libentiùs autem in plurali locutus fuisset: Libentiùs, inquã, vidisset, ꝙ omnes tales oculos habuissent, hoc enim ipsorum summa vtilitas fuisset. Sicut enim primus gradus est ad sanitatem cùm quis morbum suũ agnoscit, sic primus gradus est ad salutem, agnoscere miseriã suam. In Iudæis autem nihil minùs erat. Multùm quidem laborauerat Hieremias, nec quicquã omiserat, si fortè oculos ipsorum aperire posset, sed frustrà. Populo, inquit, huic factũ est cor incredulum. Et iterum, Oculos suos clauserunt, & aures suas aggrauârunt, &c. ideo Hieremias non potuit, nisi in singulari loqui. Ego vir videns paupertatem meam. Verissimè dictum. Videbat paupertatem & miseriã in seipso, In populo suo, in toto genere humano. Nihil, inquit, video nisi paupertatem, quæ & omnis mea, & me premit. Miseria generis humani mea est, quia me quoque premit: miseria populi mei mea est, quia me quoq; premit: Vt interim taceam, ea quę me singulariter premunt. Quid autẽ sanctus vir miseriarum in se expertus sit, singulariter partim in superioribus ostensum est. Deinde etiã hactenus satis vidimus, quantum miseriarum viderit, in populo suo. Cæterum miserias generis humani, in communi etiã nos experimur. Quid enim miseriùs & pauperiùs homine? Adam erat diues, sed homo cùm in honore esset non intellexit, &c. Erat in Hierusalem, id est, in visione pacis, sed cecidit in Hiericho, id est, in omnimodam instabilitatẽ. Erat in paradiso, nunc degit in valle lacrymarum. Erat Dominus omnium, nunc ab omnibus creaturis mendicare cogitur: Habebat corpus sine morbis, animam magnis donis dotatam & illuminatam: Nũc autem habet corpus plenum morbis, animam plenam peccatis & miseriis. Summa, homo natus de muliere, repletur multis miseriis, &c. Meritò igitur Hieremias, imò quilibet pius clamat. Ego vir videns paupertatem meam, Sed vndénã hæc tanta paupertas tam in genere, quàm in specie? Ex virga, inquit, indignationis eius. Verissimè dictũ. Quod enim homo generaliter tãtis malis obrutus est, nõ aliunde est, quàm ex virga indignatiõis Dei. Maledicta, inquit, terra in opere tuo, &c. Sic & virga indignantis Dei fuit, quòd Hierusalem cum suis

Hiere. 5. — Psal. 48. — Iob 14. — Gene. 3.

ciuibus tam miserè periit. Vnde & Hieremias statim in exordio virgã vigilantem vidit. Postremò quæcunque enim quisq; priuatim patitur, virga & flagellũ Dei est. Si, inquit, dereliquerint filij eius legẽ meã, visitabo in virga iniquitates eorũ, &c. Et in epistola ad Hebræos: Flagellat Dominus omnẽ filiũ, quẽ corripit. Quod autẽ non simpliciter hîc virga nominatur, sed virga indignationis, neminem terreat. Loquitur enim in hoc scriptura secundum hoc, quòd nobis videtur. Nobis quidem videtur nihil ira esse, nisi & indignatio Dei, cum punit. Et reuera quàm diu flagellum durat, non est res gaudij, vt Paulus ait: In nouissimo tamen fructum pacatissimum adfert exercitatis. Vnde Dauid: Virga, inquit, tua & baculus tuus, ipsa me consolata sunt. Videtur igitur nobis esse virga indignationis, cùm Deus punit: & tamen non est nisi virga cõsolationis. Ego, inquit, cogito cogitationes pacis, & non afflictionis. Possumus hoc dictum etiam sic intelligere, quòd Hieremias per hoc indicare voluerit, quis sibi apperuit oculos, vt videre posset paupertatẽ suam: Ex virga, inquit, indignationis Dei, hoc est, Iuxta illud Esaiæ. Sola vexatio dat intellectum. Sic de Israëlitis legitur: Cùm tribularentur, inquit, clamârunt ad Dominum. Et in Osee. In tribulatione sua manè consurgent ad me, &c. Sic vexatio & captiuitas oculos aperuit regi Manasse. Vt verũ sit, quod dicitur: delitiis plùs posse penuriã. Sic & magna fames filium prodigum adegit, vt miseriam & peccatũ suum videret. Generaliter enim nemo agnoscit, videt aut credit miseriam suam, nisi venerit virga indignationis Dei. Hinc est, quòd etiã in grauissimis peccatis sine omni timore Dei ambulamus. Cùm autem iudicium Dei se ostẽderit, tunc videt homo se miserum & nusquam tutũ. Imò tunc illi totus mundus angustus est. Huius exemplum habemus in primo parẽte, qui ad vnam vocem iudicantis Dei, non potuit consistere. Domine, inquit, audiui vocem tuam & timui. Sic qui non habebat vestem nuptialem, ad primam vocẽ indignantis Domini obruitur. En hoc sibi vult Hieremias in primo illo versu. Quis autẽ non vel ex hoc vno verbo ansam orandi accipere posset? Quis tam piger est, qui tempore famis non cibum quærat? quis tam stultus est, qui in periculo se videns non auxilium aliorum imploret? quis tam insanus est, qui in morbo positus non medicũ quærat? quis tam patiens, qui non clamet, cùm hostes cruentis ipsum appetunt gladiis? Quis tam lenis animi est, qui non conuitiatur, vbi viderit

Hier. 1. Psal. 88. Hebr. 12. Hebr. 12. Psal. 22. Hier. 29. Esa. 28. Osee 6. 2. Par. 33 Luce 15. Genes. 3. Mat. 22.

derit omnia mala in se irruere? Quis tam audax qui non terreatur, vbi sentit Deum iratū? Quis tam impius, qui non contremiscat, vbi videt sibi infernum apertum? Atqui omnia hæc præ oculis nobis sunt, & simul pauperes sumus rebus, infirmi corpore, miseri in anima, pleni peccatis in conscientia, malis omnibus externè circundati: Deus percutit désuper, diabolus désubtus, deniq; infernus os suum dilatauit ad deuorādos nos. In summa tam paupertas quàm virga Dei, præ manibus sunt. In vno hoc defectus est, quòd neutrum videmus. Certè si vnum hunc versiculum verè dicere possemus, bene nobis esset. Hieremias verè dicere potuit. Ego vir videns, &c. ideò tam feruenter orauit. Sed & Dauid paupertatē suam vidit. Credidi, inquit,
Psal. 115. propter quòd locutus sum. Qui credidit? Se nimis esse humiliatum & miserum. Itémq;, quòd omnis homo vanus & mendax. Et quid locutus est? Calicem salutaris accipiam, & nomen Domini inuocabo. Sic & alibi miseriam suam videns, statim
Psal. 17. orat. Circundederunt, inquit, me dolores mortis, &c. & in tri-
Psal. 39. bulatione mea inuocaui Dominum. Et iterum: Ego mendicus sum & pauper, &c. Adiutor meus esto tu Domine. Itémq;, Ad te Domine clamabo, ne sileas, &c. Et quid oratione sua confe-
Psal. 28. cutus est? Clamaui ad te, & sanâsti me, &c. Videtis hîc, ad quid oratio vtilis sit, & quid ad eandem nos vrgeat. Oratio omnia bona impetrat, omnia mala auertit. Nihil autem est quod magis ad eādem nos vrgeat, quàm videre propriam paupertatem & miseriam. Aperiamus igitur oculos nostros, videamus statum nostrum, detrahat sibi quisq; laruam, diuitiarum, potētiæ, scientiæ, honoris, &c. Inspiciat se sicut est in natura, in cōscientia, coram Deo & mundo, corporaliter & spiritualiter, &, ni fallor, videbit se pauperem & miserum esse, habebítq; occasionē orandi. En, fratres in hunc finem hodie congregati sumus. Age igitur cum omnia miseriis plena videamus, Oremus, vt hanc nostram miseriam tollat, aut certè oculos nobis aperiat, quibus cum Hieremia eam cognoscamus, eúmq; dein vehementer inuocemus, cui gloria in æterna secula, Amen.



FINIS.

557

Series chartarum.

*abcdefghiklmnopqr. ABCD
EFGHIKLMNOPQRSTVXYZ.
AABBCCDDEEFFGGHHIIKK
LLMMNN.



